BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
4 I
28

D.

13 - 17 . a . 10

10.3.

R. P. FRANCISCI BARDI

SOCIETATIS IESV

COMMENTARIA IN REGVLAS IVRIS CANONICI IN SEXTO.

Digitized by Google

IN REGVLAS IVRIS CANONICI IN SEXTO LVCVLENTISSIMA COMMENTARIA.

AVCTORE

R. P. FRANCISCO BARDI PANORMITANO SOCIETATIS IESV

Opus propter multas, quæ continentur, tum Morales, tum Legales Quæſtiones non modo Iuris viuisq; peritis, verum etiam et Theologis perutile.

PANORMI, Apud Ioſephum Biſagnum. M. DC. LX.

Digitized by Google

DON PETRO DE BONONIA

MARCHIONI ALTAEVILLAE, ET SAMBVCAE, EQVITI SANCTI IACOBI, ETC.

FRANCISCVS BARDI

SOCIETATIS IESV FEL.

DECREVERAM ætate hac mea iam ingraueſcente, conſuetis tandem ſtudijs magna ſaltem ex parte abire iuſſis, requieti potius operam aliquantiſper dare, quàm noui aliquid ex præſcripto lucubrati, quod in lucem edi poſſe probarem: cum in promptu potiſſimùm haberem, quod ſenectuti meæ ſatis negotij daret, non paruum quemdam moraliũ conſiliorũ numerũ, opus, vt verũ fatear, multa quidem à me, ſed nõ vltima adhuc manu è meis præteritorum aliquot annorum laboribus variè recollectum, quod nonnullis ab hinc menſibus vnicum ego in volumen co digeſſeram animo, vt illud in qualecunque litterariæ Reipublicæ emolumentum quãprimum proderem: hoc ipſo certiſſimè iam omninò Typis, ac prælo valedicturus. Sed quid profectò aut obedientiæ, aut amicitiæ denegandum? Erant mihi præ manibus ſelectiores Iuris Pontificij Regulæ, quas non alitèr ipſe, quàm fallendi otij gratia enucleandas ſuſceperam, quibuſque ſubſeciuas ſolùm diei particulas, non nihil laborando, conſumerem. Iamque mihi explanatarum Regularum, ac comprehenſarum in ijs quæſtionum paulatim excreuerat numerus; cum ecce amici, quorum ad aures id ipſum peruenerat, violentis quibuſdam, propè dixerim, beneuolentiæ armis vnà omnes appetunt me, acribuſque ſuaſionũ quotidiè ſtimulis agitant: vt, quæ in aliquas dumtaxàt Iuris Canonici Regulas Commentaria per otium quodammodo ſcripſeram, haud equidem ſic inutiliter perderem; ſed cœptum opus proſequi, cæteraſque, ſi minus copiosè, at leuiter tamen explicare, cunctaſque in lucem proferre ſubindè vellem. Amicis igitur morem gerere coactus ſuſceptum laborem iam tùm ſtatui abſoluendum: eiuſque modũ, quantum in me fuit, tandem aliquando feci. Lucem intereà propitiam ſibi fore ſperabat, quantuluſcunque eſſet, liber hic meus, quem potens amicorum vis non euocabat modò, ſed extrahebat è tenebris. Veruntamen in campũ exire ſine patrono minimè quidem audebat: &, cum per Iuriſperitorum foros volitare percuperet, alas quæritabat, quibus facilè id poſſet. Reperit demum, totiſq; eas ſub auſpicijs ex animi mei ſententia maiorẽ in modũ cõſecutus eſt, MARCHIO PRAESTANTISSIME cuius nimirum gentilitijs præclariſsimæ familiæ alis vniuerſum haud dubiè poterit litteratorum orbem liberè, tutiſſimèque peruagari. Reperit, inquam, inter ſupremos Regni huiuſce noſtri Proceres

illuſtriſſimum æquè, ac conſularē virum, qui ipſum ſuo non ſolum patrocinio tutaretur, ſed ampliſſimis quoque honorum prærogatiuis vſquequaque decoraret. At quorſum reperiſſe, ineptè admodum dixi? An mihi operis mei fautorem aliundè quærere, ac foris veluti emendicare opus fuit, quem in domo mea conſpicuum ſatis, ac præſentiſſimũ habebam? Nec enim par erat, curatorem rebus meis extraneum quemquam, ſed domeſticum, ſed coniunctiſſimum tradere: quò videas, qua ratione factum ſit, vt labores mei nemini melius deberentur, quàm tibi, quem in libri huius patronum, & mutua inter nos animorum neceſſitudo, & honeſtiſſimum illud propagatæ iam affinitatis vinculum expoſcebat, quo peramantiſsimam neptis meæ filiam tibi matrimonio copulatam mea tecum omnia arctiſsimè colligata ſunt. Quod vnum ſanè quamuis per ſe abũdè ſit, vt tantulum hoc obſequentis officij præſtare debuerim; alia tamen, eaque non minoris momenti, largiùs ſuppetunt, quæ ad litterarium hoc munuſculum tibi deuouendum meum vehementiſſimè animum iamdudum excitarunt. Sintque primum ſingularia illa virtutum ornamenta, queis, inclyta præſertim totius prudentiæ, totiuſque humanitatis, ac comitatis luce in noſtro hoc Panormitano Cœlo, noui Solis inſtar, quotidie circumfulges: ſint præterea auita maiorum tuorũ ſtemmata, cæteraque innumera familiæ tuæ decora, quorum ſplendoribus non modò gens mea, nouum cui ex tua, ſiue cognatione, ſiue affinitate lumen acceſſit, ſed *Panormus* quoque vniuerſa, nec *Panormus* ſolum, ſed tota etiam Trinacria, multæq; itidem Italiæ, ac Britanniæ vrbes iure optimo gloriantur: quorum amplitudinem, vel ipſæ elingues viæ, muta delubra, ſilentia paſſim marmora teſtantur, vetuſtiſſimaque hiſtoriarum monumenta prædicant. Scimus quinto ab hinc circiter ſeculo, qua tempeſtate Vrbem Bononiam ferocientes populorum inuaſerant tumultus, Henricum Beccadellum inter nobiliſſimos eiuſdem ciuitatis Optimates probatiſſimæ virtutis virum, cum in Angliam inde nauigaſſet, ob generis præſtantiã, magnaque ibi domi, bellique perpetrata facinora ad Britãnici Regis affinitatem euectum eſſe, ab eoque *Vipereum anguem*, quod Regium erat inſigne, ex peculiari eius Regis decreto gentiles in parmulas retuliſſe, quem adhuc te, maioreſque tuos ad perennem tanti Herois memoriam ſeruaſſe conſpicimus. Scimus, *Vannium* quoque Beccadellum eius nepotem, Bononia item, ex qua ipſe vti originẽ ducens nouum poſtea ſibi, liberiſque ſuis cognomentum adeptus eſt, propter alias ibidem ſubortas ciuium diſſenſiones Panormum Siciliæ Regiam appulſum, propriam hic ſedem magnificentiſſimè fixiſſe, ſuique ſanguinis claritatem per tot continuatas poſterorum, imo veriùs Heroum, ſeries, modò excelſis dignitatum gradibus, modò ſupremis magiſtratibus, eximijs modò honorificentiæ titulis in eam, quam nunc cernimus, familiæ amplitudinem longè, latèque propagaſſe, ſibique laudem, Panormo felicitatem, Italiæ decus, ſuis denique poſteris magnum gloriæ incrementũ addidiſſe. Poſſem hoc loco tot, tantoſque non equeſtri tantum, ac Senatoria, ſed Prætoria etiã dignitate preſignes, deque Panormitana *Vrbe* benemerẽtiſsimos viros longo ordine recenſere, quos è florentiſsima domo tua egreſſos, memoriæ proditũ eſt. Poſſem pleroſq; auguſtiſſimos ſiue Fidei Quæſitores, ſiue Eccleſiarũ Antiſtites honoris ergo nominatos velle; inter quos ſanè nequeo, quin præſertim meminerim de *Simone* illo Bononia illuſtriſsimo itẽ, ſanctiſsimoque *Panormi* Archiepiſcopo, qui ob perſpectam, probatamque in rebus gerendis prudentiam ad ſupremam Siciliæ vniuerſæ gubernationem euocatus, tanta eam morum probitate, communique omnium laude primò, iterumque pro Alphonſo Rege moderatus eſt, vt celeberrimi eius regiminis famam honorificentiſsimis apud omnes litteris iuſtiſſimus Rex teſtatam eſſe voluerit. Quo in genere multos poſt annos non abſimile quidem promeritus eſt laudis præconiũ Bernardinus Bononia, Melitenſis primum, dein Meſſanenſis Eccleſiæ Præſul, qui totius etiam Regni clauo pro Catholico Rege Ferdinando admirabili quadam laude præfuit. Quid hic de togatis athletis, ac decoratiſſimis Regũ Cõſiliarijs loquar? An eximios in cauſis dicẽdis Iure conſultos, ſummoſque etiam, & incorruptiſſimos Iudices ſilentio præteream? Vnum mihi pro cunctis teſtem appellare fas erit, Antonium illum Bononiam, cognomẽto Panormitam, cuius ſpectatiſſimam, vel in dandis conſilijs maturitatem, vel in omni politiori litteratura elegantiam, vel in dicendo copiam nulla hominum ætas, nulla eſt vnquam

obli-

obliuio deleturæ; qui ob ſingularem in liberalibus diſciplinis præſtantiam Alphonſo, & Ferdinando Regibus, quorum ipſe non à ſtudijs ſolum, ſed ab epiſtolis quoque, & à conſilijs fuit, maximo beneuolentiæ, ac neceſſitudinis iure coniunctus, Neapolim regis opera tt aductus eſt, ibique inter Regni primores allectus, Vrbem illam, & inſignibus illuſtrauit doctrinis, & claris relictorum à ſe poſterorum imaginibus exornauit. Hæc verò non togæ quidem conceſſit in maioribus tuis armorum ſplendor, rerumque in pace agendarum cognitione nihilo minor fuit rei militaris ſcientia. Nouit ſanè Inclytæ illorum virtus paciferas inter Palladis oleas, triumphales quoque Martis lauros inſerere. Nouit domus tua magnanimos in bello Duces, ſupremoſque militum Præfectos ad omnem animi fortitudinem efformare, qui militaribus turmis imperatorium puluerem, ſudoremque miſcerent. Quotuſquiſque eſt, qui Ioannem neſciat Simonis Archiepiſcopi fratrem? cuius præclariſſima geſta vſque adeò ſuſpexit Alphonſus Rex, vt illum Panormitanæ Vrbis præfectura, prætoriaque dignitate ſextò inſignitum, ac grauiſſimis Regij Patrimonij curatoribus, & Rationum Magiſtris aſcriptum Regalibus Aragoniæ gentis, & vtriuſque Siciliæ inſignibus ad Bononiæ familiæ decus immortale perpetuò donauerit. Quis geminorum fratrum Franciſci, & Nicolai probatiſſimã virtutem ignorat? quo enim tempore Ioannis Squarcialupi, & reliquorum acerrima Panormi graſſabatur ſeditio, quid ipſi pro ſuo Rege magni facinoris animo non euoluebant? quid egregij operis non meditabantur? quid non ardui moliti ſunt? ſuo cumprimis conſilio Proregem Pignatellum ad cohibendam coniuratorum audaciam acriter adhortantur, ſuo animo operi fauent, ac felicem rei pollicentur euentum, donec memoratũ Squarcialupum ſtrenuiſſimè aggreſſi (Nicolai præſertim opera, ac robore) illum traiectant, interimunt, exitio dant, cum eoque coniuratos omnes exterminant, euertunt, de medio tollunt. At vereor, ne hactenus à me dicta fortaſſe alicui vetuſta nimium, atque obſoleta videantur. Habemus, quod non longè à noſtris temporibus ad ingentẽ nos admirationem traduxerit. Auus tuus Antonius nonne Panormitanæ, vel, vt melius dicam, Siculæ ſalutis aſſertor, ac vindex iure merito dici poſſet? cuius prudentiſſimis conſilijs debacchantem præterito ſæculo vbique luem Sicilia vniuerſa extinctã agnouit: cuius authoritatem Senatus Panormitanus apprimè oſtendit, qui illius opera in arduis ſæpiſſimè rebus eo tempore vſus eſt: cuius ſingularem in legibus peritiam, atque eximiam in ferendis ſententijs integritatem non Vrbs noſtra ſolum, cui ipſe iterum, ac tertiò, ſed tota pariter Sicilia, cui toties incredibili æquitate ius dixit, magnoperè mirata eſt: cuius obſequentiſſimam erga Regem ſuum fidelitatem Drepanitana præſertim ciuitas ſenſit, quò ille, dum Generalis Vicarij partes gerẽs Regni oppida proprijs ſumptibus circumluſtraret, ad exortas quaſdam, eaſque turbulentiſſimas, nobilium diſcordias ſuo imperio, ac grauitate ſedandas ſeſe celerrimè contulit: quas certè adeo feliciter, ſapienterque compeſcuit, vt ſublimẽ apud omnes laudum prærogatiuã ſibi compararuerit. Recens adhuc nobis extat Franciſci Mariæ optimi parentis tui memoria. Suſpeximus illum in Vrbe hac ſiuè Senatoris, ſiuè Ducis munus primò, atque iterum grauiter obeuntem, ſiue Regale patrimonium inter ſupremos Rationum Magiſtros ſeptem ſupra viginti annos commodiſsimè adminiſtrantem, ſiue Regni totius iuribus, moribuſque tuendis digniſsimè præfectum, ac Deputatum, ſiue res ſuaſque publicas, regiaſue pro vario vel munere, vel tempore ſedulò procurantem, nulli vnquam nec operi, nec labori peperciſſe, ſeſe, fortunaſque ſuas ad ſui Regis, ac Patriæ vtilitatem æquo ſæpius animo in diſcrimen vocaſſe, nunquam inſignem omnium de ſe conceptã opinionem fefelliſſe, cuncta denique ſuſcepta maximi ponderis negotia pro ſua ſemper dignitate abſoluiſſe. De quo ſanè præſtantiſsimo viro hoc vnum ſi dixero, vniuerſas me abſolutæ laudis partes egiſſe, exiſtimauero; in te videlicet clariſſimum filium ſuum omnem auitæ virtutis, maiorumque gloriam vna ſimul deriuaſſe. ... quo me extollendi tui amor ſenſim traduxit? cerno iam, nuncupatoriæ epiſtolæ fines me nimis prætergreſſum: non enim, cum hæc ad te ſcriberemus, nobis in animo erat laudum tuarum narrationem contexere, queis ritè celebrandis ne in longum quidem producta ſatis eſſet oratio. Vale igitur, & meum hunc, qualis qualis ille ſit, grati erga te animi mei teſtem humaniſsima, qua ſoles, benignitate excipere, ne recuſes. Panormi. Decimo Kalendas Martij 1660.

Digitized by Google

IOSEPH CASTELNOVVS

PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV IN SICILIA.

CVm librum, cuius titulus eſt, *Commentaria in Regulas Iuris Canonici in Sexto, &c.* à R. P. FRANCISCO BARDI noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, tres eiuſdem Societatis Sacerdotes, quibus commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe, probauerint; facultate nobis ab admodum Reuerendo Patre Goſuino NicKel Præpoſito Generali communicata, concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras dedimus manu noſtra ſubſcriptas, & ſolito Societatis noſtræ ſigillo munitas. Panormi die 20. Martij. Anno 1660.

Ioſephus Caſtelnouus.

✝ Locus Sigilli.

APPROBATIO

P. HIERONYMI LA CHIANA SOCIETATIS IESV.

Ad cenſuram librorum deputati.

ERuditiſsima hæc *de Regulis Iuris Canonici Commentaria* ab AD. R. P. FRANCISCO BARDI ingenioſè elucubrata magno cum animi fructu perlegi; iuſſu Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini D. Petri Martinez Rubio Archiepiſcopi Panormitani, & Illuſtriſſimi D. Didaci de Marotta M. R. Curiæ Præſidis: & nihil in eis, vel à Fide Orthodoxa, vel à Chriſtianis moribus alienum offendi: imò quantum ſplendoris Iuris vtriuſque, ac moralis Theologiæ profeſſoribus ſint datura, haud dubiè experientia ipſa non ſine legentium vtilitate teſtatum faciet. Digniſſimum itaque opus cenſeo, quod Typis, ac glorioſæ immortalitati commendetur. Panormi Die 3. Aprilis 1661.

Hieronymus la Chiana è Societate Ieſu.

IN PRIMVM

Digitized by Google

REGVLARVM IVRIS CANONICI IN VI.

INDEX IVXTA ORDINEM ALPHABETICVM.

Prior numerus Regulam, poſterior Paginam indicat.

A

ACceſſorium naturam ſequi congruit principalis. 42. pag. 275.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. 50. p. 340.

B

BEneficium eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione canonica obtineri. 1. p. 46.

Bona fides non patitur, vt ſemel exactum iterũ exigatur. 83. pag. 449.

C

CErtum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. 88. p. 455.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda. 57. p. 373.

Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur. 85. p. 452.

Cum ſunt partium iura obſcura, reo fauendum eſt potius, quàm actori. 11. p. 84.

Cum quis in ius ſuccedit alterius iuſtam ignorantię cauſam cenſetur habere. 14. p. 139.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quę ſequuntur ex illo. 39. p. 263.

Cui licet, quòd eſt plus, licet vtique, quod eſt minus. 53. p. 355.

Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet. 66. p. 391.

Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. 84. p. 449.

D

DAmnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non alijs imputare. 86. p. 452.

Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum. 16. p. 181.

Delictum perſonę non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. 76 p. 440.

Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem. 59. p. 377.

E

EA, quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt, 26. p. 194.

Eum, qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet. 31. p. 206.

Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare. 38. p. 261.

Exceptionem obijciens, non videtur de intentione aduerſarij confiteri. 63. p. 384.

F

FActum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari. 73. p. 437.

Fruſtra ſibi fidẽ quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidẽ à ſe preſtitam ſeruare recuſat. 75. p. 439.

G

GEneri per ſpeciem derogatur. 34. p. 211.

I

IN iudicijs nõ eſt acceptatio perſonarum habenda. 12. p. 86.

Ignorantia facti, non iuris excuſat. 13. p. 88.

Indultum à iure beneficium non eſt alicui auferendum. 17. p. 181.

In obſcuris minimum eſt ſequendum. 30. p. 198.

Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. 41. p. 271.

Is, qui tacet non fatetur, ſed nec vtique negare videtur. 44 p. 310.

Inſpicimus in obſcuris, quod plerumque fieri conſueuit. 45. p. 330.

Is, qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille vti debebit. 46. p. 339.

In pœnis benignior eſt interpretatio facienda. 49. p. 337.

In re communi potior eſt conditio prohibentis. 56. p. 368.

In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis. 65. p. 388.

In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari. 69. p. 394.

In alternatiuis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri. 70. p. 397.

a

In

In argumẽtum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.78 p.440.
In toto partem non eſt dubium contineri. 80. p.444.
In generali conceſſione nõ veniunt ea, quæ quis non eſſet verſimiliter in ſpecie conceſſurus. 81. p.446.
Infamibus portæ non pateant dignitatum. 87. p.451.

L

LOcupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura, 48. p. 334.

M

MOra ſua cuilibet eſt nociua 25. p.192.
Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum 33. p.210.

N

NEmo poteſt ad impoſſibile obligari.6. p.45.
Nemo poteſt plus iuris in alium transferre, quàm ſibi cõpetere dignoſcatur.79.p. 442.
Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit. 18. p. 186.
Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet. 19. p. 188.
Non debet aliquis alterius odio prægrauari. 22. p. 190.
Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit. 32. p. 207.
Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. 52. p. 352.
Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum. 58. p. 375.
Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. 60. p. 378.
Nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur. 20. p. 189.
Nullus conſilio, dummodo fraudulentum non ſit, obligatur. 62. p. 384.

O

ODia reſtringi, & fauores conuenit ampliari. 15. p. 156.

P

POſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. 2. p. 31.
Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum. 4. p. 28.
Peccati venia non datur, niſi correcto. 5. p. 28.
Priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. 7. p. 55.
Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus. 35. p. 218.
Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere. 36. p. 214.
Pluralis locutio duorũ numero eſt contenta. 40. p. 267.
Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur. 47. p. 334.
Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum. 68. p. 394.

Q

QVod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. 21. p. 190.
Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere nõ videtur, cum habeat parere neceſſe 24. p. 192.
Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. 28. p. 196.
Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. 29. p. 197.
Qui tacet conſentire videtur. 43. p. 310.
Qui prior eſt tempore, prior eſt iure. 54. p. 365.
Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra. 55. p. 368.
Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum. 61. p. 379.
Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi. 64. p. 385.
Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit. 67. p. 393.
Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendũ multo magis admittendus. 71. p. 400.
Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum. 72. p. 441.
Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum. 74. p. 438.
Qui cõtra iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere. 82. p. 448.

R

RAtum quis habere non poterit, quod ipſius nomine non eſt geſtum. 9. p. 79.
Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari. 10. p. 79.
Rationi congruit, vt ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. 77. p. 440.

S

SEmel malus ſemper præſumitur eſſe malus. 8. p. 76.
Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum. 51. p. 348.
Sine poſſeſſione præſcriptio nõ procedit. 3. p. 11.
Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus. 23. p. 190.
Scienti, & cõſentienti non fit iniuria, neque dolus 27. p. 193.

V

VTile nõ debet per inutile vitiari. 37. p. 227.

INDEX ALTER
REGVLARVM ET CAPITVM
IVXTA ORDINEM NVMERICVM.

OBſeruationes in Rubricam de Regulis Iuris. pag. 1.
REG. I. Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri. p. 4.
Cap. 1. Declaratur termini, qui in hac regula continentur. ibidem.
Cap. 2. Si quis eccleſiaſticum beneficium abſque canonica inſtitutione obtineat, an ſit dicendus verus eiuſdem beneficij poſſeſſor? p. 7.
Cap. 3. An inualida cenſenda ſit inſtitutio illa, quæ fit ab eo, qui per errorem iudicatur habere poteſtatem inſtituendi, cum tamen eam reuera non habeat? p. 10.
REG. II. Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. p. 11.
REG. III. Sine poſſeſſione præſcriptio nõ procedit. ibidem.
Cap. 1. Explanantur verba vtriuſque Regulæ p. 12.
Cap. 2. Explicatur, quænam ſit bona, aut mala fides in ordine ad præſcriptionem. p. 15.
Cap. 3. An hæres immediatus præſcribere valeat rem illã, quæ a defuncto mala fide fuit poſſeſſa? p. 19.
Cap. 4. Vtrum præſcriptio non ſolũ pro externo, ſed etiam pro interno foro conſcientiæ ſuſtineri poſſit? p. 22.
Cap. 5. De poſſeſſione ad præſcriptionem requiſita. p. 24.
Cap. 6. De caſibus, ſeu modis, in quibus præſcriptio non procedat, aut interrumpatur, dormiat, aut continuetur. p. 25.
Cap. 7. Num præſcriptionis beneficium in hoc Siciliæ Regno vim habeat? p. 26.
REG. IV. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur oblatum. p. 28.
REG. V. Peccati venia non datur, niſi correcto. ibidem.
Cap. 1. Aliqua traduntur pro vtriuſque Regulæ dilucidatione. ibidem.
Cap. 2. Quot, & quænã ſint obligationes, quas ob iniuſtam læſionem peccator contrahit, & quiſnam ſit modus, quo ab illis ſe eximere poſſit? p. 29.
Cap. 3. An aliquando contingat, vt correctus peccati veniam, aut in externo, aut interno foro non obtineat? p. 30.
Cap. 4. Vtrum in aliqua rerum ſerie detur peccatum ex ſuis intrinſecis irremiſſibile? p. 33.
§. 1. Declaratur caſus, & probatur. ibidem
§. 2. Ponitur concluſio, & fundamentali ratione probatur. ibidem.
§. 3. Opinio ſuſtinens, dari poſſe peccatum irremiſſibile, aduerſatur ſacris litteris. p. 34.
§. 4. Eadem opinio contradicit Patrum doctrinæ. p. 35.
§. 5. Repugnat naturali lumini propter abſurda, quæ ſequuntur. p. 36.
§. 6. Oſtenditur nouitas, & ſingularitas huius opinionis. p. 38.
§. 7. Expenditur doctrina Cardinalis Delugo, Martinõn, &c. ibidem.
§. 8. Expenditur Giattinus. p. 40.
§. 9. Aperitur Quiedi ſententia. p. 41.
§. 10. Vtrum infidelitas, qua Petrus v. g. diſſentit à reuelatione Dei ſibi reuelantis, quod peccata ipſius nunquam ſit remiſſurus, habere poſſit eſſentialem ordinem ad eamdem reuelationem, vt veram, ex quo ipſa infidelitas intrinſecum prædicatum irremiſſibilitatis ſortiatur? p. 41.
§. 11. Examinatur ſententia Eminentiſſimi Cardinalis Delugo de intrinſeca peccati irremiſſibilitate in alia rerum ſerie. p. 43.
REG. VI. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari. p. 45.
Cap. 1. De impoſſibili, eiuſque ſpeciebus. ibid.
Cap. 2. An impoſſibilitas contractum afficiens illum vitiet, vel potius reijcienda ſit, vt validus remaneat? p. 46.
Cap. 3. An matrimonium ſub conditione impoſſibili initum vitietur, an potius tali cõditione reiecta validum remaneat? p. 47.
Cap. 4. Vtrum conditiones impoſſibiles diſpoſitionibus vltimarum voluntatum appoſitæ habeantur pro non adiectis? p. 52.
Cap. 5. Quo pacto ius poſitiuum humanum, reiecta conditione impoſſibili, ſuſtinere poſſit, vt validum matrimonium, & vltimarum volũtatum diſpoſitiones? p. 53.
REG. VII. Priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. p. 55.
Cap. 1. Declaratur natura priuilegij. p. 56.

Cap. 2. De qualitatibus, per quas conſtituuntur, & inuicem diſtinguuntur priuilegium reale, & perſonale. p. 58.

Cap. 3. *Priuilegium* perſonale videtur non ſemper perſonam ſequi. p. 60.

Cap. 4. An ſit contra priuilegij perſonalis naturam extenſio ad alias perſonas? p. 62.

Cap. 5. An priuilegiū immunitatis à ſolutione vectigalium, quo gaudent Clerici, extendatur ad eorumdem famulos. p. 63.

Cap. 6. An priuilegium exemptionis à gabellis, quo in emptionibus, & venditionibus gaudent Clerici, extendatur ad laicos ab ipſis Clericis ementes? p. 65.

Cap. 7. An priuilegium à ſummo Pontifice alicui Sacerdoti conceſſum recitandi matutinum paulopoſt meridiem extendatur ad ſocium nō priuilegiatum eadem obligatione aſtrictum? p. 69.

Cap. 8. Vtrum Priuilegiatus duos ſocios adhibere poſſit, vt ſecum matutinas preces modo explicato ſimul perſoluant? p. 71.

Cap. 9. Vtrum priuilegium recitandi preces canonicas per codicem breuiorem, aut diuerſum extendatur ad ſocium, qui priuilegiatum in horis perſoluendis adiuuet? p. 72.

Cap. 10. *Num* priuilegium celebrandi tempore interdicti, vel diuinis officijs aſſiſtendi, dilatari poſſit ad ſocium, ſeu ad familiares? p. 73.

Cap. 11. Priuilegium celebrandi tempore interdicti religioſæ communitati conceſſum, ſi vnus tantum ex illis religioſis in conuentu reperiatur, nū poſſit extendi ad familiarem eiuſdem conuentus, vt ſacro aſſiſtat, & inſeruiat. p. 75.

REG. VIII. Semel malus ſemper præſumitur malus. p. 76.

Cap. Vnicum. *E*xplicatio Regulæ, eiuſque limitationes. ibid.

REG. IX. Ratum quis habere non poterit, quod ipſius nomine non eſt geſtum. p. 79.

REG. X Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari. ibidem.

Cap. 1. Quid ſit ratihabitio, & quænam ad eius valorem requirantur? ibid.

Cap. 2. An fictio legalis, vt licitā amplectenda ſit, & in quibus rerum generibus locum habeat? p. 81.

Cap. 3. Vtrum Ratihabitio de damno iniuſtè illato inducat obligationē reſtituendi. p. 8[illegible].

Cap. 4. An ratam habens iniurioſam Clerici percuſſionem ſuo nomine factam incidat in excommunicationem, & ratum habens homicidium incurrat in irregularitatem. p. 82.

REG. XI. Cum ſunt partium iura obſcura, Reo fauendum eſt potius, quàm Actori. p. 84.

Cap. 1. Nonnulla afferuntur ad maiorem Regulæ declarationem. ibid.

Cap. 2. Probatur Regula, eiuſque ampliationes, & limitationes afferuntur. p. 85.

Cap. 3. Vtrum in pari dubio liceat Aduocato defendere cauſſam Actoris contra Reum. p. 87.

REG. XII. In iudicijs nō eſt acceptatio perſonarum habenda. p. 88.

Cap. Vnicum Quo pacto intelligenda ſit hæc Regula? ibidem.

REG. XIII. Ignorantia facti, non iuris excuſat. ibidem.

Cap. 1. Quid ſit ignorantia, quænam eius ſpecies, & differentiæ? ibidem.

Cap. 2. Regula hęc de Ignorantia iuris, vel facti quomodo intelligatur? p. 90.

Cap. 3. Vtrum Ignorantia ſecundum ſe peccati rationem habeat? p. 91.

Cap. 4. Num peccans ex ignorantia vincibili duo ſpecie, aut ſaltem numero diſtincta committat peccata? p. 96.

Cap. 5. Quænam ſint obiecta, de quibus ignorantia inuincibilis eſſe poſſit? p. 100.

Cap. 6. Traditur Regula ad diſcernendum, nū quis ex inuincibili ignorantia laborauerit. p. 104.

Cap. 7. An de effectu, qui ex illicita actione ſequitur, dari poſſit inuincibilis ignorantia. p. 105.

Cap. 8. Vtrum peccatum ex culpabili ignorantia ſit diuerſæ, an eiuſdem ſpeciei cum peccato circa idem obiectū ſcienter commiſſo. p. 108.

Cap. 9. Sit ne hæreticus cenſendus, ſi quis ex vincibili ignorantia erret in aliquo fidei myſterio? p. 113.

Cap. 10. Vtrū ignorantia irregularitatis excuſet, ne quis in illam incurrat. p. 117.

Cap. 11. Si quis titulum, ſeu dignitatem habens *B*ullam Cruciatæ omnibus communem accipiat, inuincibiliter ignorans ſe frui non poſſe eiuſdem Bullæ priuilegijs, an poſtea, errore detecto, poſſit illam alteri applicare? p. 121.

Cap. 12. Vtrum immemor voti pœnalis, ſi illud frangat, teneatur ad pœnam, & quid ſi ſolius pœnæ, & non voti ſit oblitus? p. 126.

Cap. 13. Vtrum, ſi quis ad ordinem ſacrum aſcendens ignoret votum caſtitatis eidem ordini annexum, teneatur caſtitatem ſub voto ſeruare? p. 126.

Cap. 14. Vtrum hæres ignorans, an votum à teſtatore emiſſum fuerit maioris, vel minoris ſummæ, ſatisfaciat erogando minorem? p. 129.

Cap. 15. Ignorans ſuorum natalium defectū, & bona fide ſacros ordines recipiens, ſi poſtea deprehendat, ſe eſſe illegitimum, an diſpenſatione Pontificia indigeat ad vſum ordinis ſuſcepti? p.131.
Cap. 16. Si quis ignorans impedimentum, quod habet ad matrimonium cum aliqua muliere validè contrahendum, illud corā Parocho, & teſtibus contrahat, conſuetis tamen denuntiationibus omiſſis, & deinde ex eadem muliere filios ſuſcipiat, nū tales filij debeant legitimi cenſeri? p.134.
REG. XV. Cum quis in ius ſuccedit alterius in ſtatum ignorantiæ cauſſam cenſetur habere. p.139.
Cap. Vnicum. Quomodo, & in quibus caſibus Regula procedat? ibidem.
DIGRESSIO, in qua occaſione præcedentium Regularum de ignorantia aſſeruntur aliquæ quæſtiones de abſentia. p.140.
Quæſtio Vnica. Abſens, quando, an in iure habeatur vt præſens? ibidem.
Cap. 1. Præmittuntur generales quædam notiones ad abſentiam, & præſentiam ſpectantes? p.141.
Sectio 1. Quid, & quotuplex in iure ſit abſentia, & præſentia? ibidem.
Sectio 2. Sit ne abſentia, an verò præſentia in dubijs præſumenda? p.142.
Sect. 3. Vtrum abſentia præſumi debeat iuſta, & legitima, nec ne? ibid.
Cap. 2. Peculiares caſus, in quibus dubitatio inuenitur, num abſens habeatur vt præſens. ibid.
Sect. 1. An per quamlibet abſentiam à propria diœceſi Epiſcopi alternatiuam amittāt? p.143.
Sect. 2. Amittat ne Epiſcopus alternatiuam, ſi initio menſis ſit abſens à ſua diœceſi, reliquo autem præſens? p.145.
Sect. 3. Excuſetur ne Parochus, ſi Epiſcopo annuente à propria abſit Eccleſia, vt alibi edoceat Theologiam? p.149.
Sect. 4. Iuriſdictionalis facultas alicui cōceſſa pro eo tantum tempore, quo alius abeſt, an perſeueret, ſi iſte alius mori cōtingat? p.151.
Sect. 5. Quando abſentia à Nouitiatu detrimentum præſentiam requiſitam ad hoc vt probationis tempus interruptum minime cenſeatur? p.153.
REG. XVI. Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari. p.156.
Cap. 1. Vt cognoſcatur, num diſpoſitio ſit fauorabilis, an verò odioſa. ibidem.
Cap. 2. De multiplici ſignificatione, quæ conuenire poteſt verbis in diſpoſitione contentis. p.158.
Cap. 3. De qualitate extenſionis, vel reſtrictionis faciendæ in diſpoſitione fauorabili, vel odioſa. p. 159.
Cap. 4. Vtrum lex diſponens de vno caſu extendi debeat ad alium ſimilem ſub verbis eiuſdem legis non expreſſum? p.162.
Cap. 5. Vtrum ob identitatem rationis lex extendenda ſit ad caſum non expreſſum? p.166.
Cap. 6. An lex pœnam imponens contra ſcienter patrantes aliquod delictum, comprendat eos, qui ex ignorātia affectatā illud cōmittunt? p.168.
Cap. 7. An diſpoſitio vtens dictione indicante maſculos extēdi debeat in fauorabilibus ad fœminas? p.171.
Cap. 8. Vtrum ſub monachorum appellatione veniat Abbas. p.173.
Cap. 9. An prohibitio loquendi cum monialibus comprehēdat etiam Abbatiſſā. p.174.
Cap. 10. An lex prohibens exportare vinum extra ciuitatem ſub pœna aliqua, vel ſub onere ſoluendi vectigal comprehendat exportationem muſti? p.174.
Cap. 11. Vtrum in lege prohibente extractionem frumenti comprehendatur farina? p.175.
Cap. 12. An nomine librorum, tam in fauorabilibus, quam in odioſis, veniant non ſolū libri typis impreſſi, verum etiā manuſcripti? p.179.
REG. XVII. Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum. p.181.
REG. XVII. Indultum à iure beneficium non eſt alicui auferendum. ibidem.
Cap. 1. An aliquando deceat Principem beneficium à ſe conceſſum reuocare? p.182.
Cap. 2. An ceſſante cauſa, ob quam beneficium à Principe collatum fuit, hac non obſtante, beneficium ipſum permanere debeat? p.183.
REG. XVIII. Non firmatur tractu tēporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit. p.186.
Cap. Vnicum. Varij actus declarantur, in quibus Regula locum habet. ibidem.
REG. XIX. Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eū non pertinet, ſe immiſcet. p.188.
REG. XX. Nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur. p. 189.
Cap. Vnicum. Quomodo, & quando Regula procedat? ibidem.
REG. XXI. Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. p. 190.
REG. XXII. Nō debet aliquis alterius odio prægrauari. ibidem.
REG. XXIII. Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt

b ali-

aliquis puniendus. ibidem
Cap. Vnicum. Qua ratione probetur, neminē ob alterius culpam pœna eſſe afficiendum? p. 191.
REG. XXIV. Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe. p. 192.
REG. XXV. Mora ſua cuilibet eſt nociua. ibidē.
Cap. 1. Quid ſit mora, & quinam eius effectus? ibidem.
Cap. 2. An mora vnius aliquando alteri noceat? p. 193.
REG. XXVI. Ea quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius nō ſpectant officium, iuribus non ſubſiſtunt. p. 194.
Cap. Vnicum. Aliqua ad Regulæ elucidationem afferuntur. p. 194.
REG. XXVII. Scienti, & conſentienti non fit iniuria. p. 195.
Cap. Vnicū. Quomodo Regula intelligatur? ibidem.
REG. XXVIII. Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahēda. p. 196.
Cap. Vnicum. Explicatur Regula. ibidem
REG. XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. p. 197.
Cap. Vnicum. Traditur vera Regulæ intelligētia. ibidem.
REG. XXX. In obſcuris minimum eſt ſequendū. p. 198.
Cap. 1. Verba Regulæ explicantur. ibidem.
Cap. 2. Vtrum in obſcuris abſolute ſequi debeamus Regulā hanc, an vero aliquid aliud ſit examinandum? ibidem.
Cap. 3. An regula hæc aliquando deficiat, ita vt non minimum, ſed mediocre ſit eligendū? p. 199.
Cap. 4. Nonnullæ reſoluuntur dubitationes iuxtà huius Regulę præſcriptum. p. 203.
REG. XXXI. Eum, qui certus eſt, certiorari vlterius non oportet. p. 206.
Cap. Vnicū. Explicatur quid, & quotuplex ſit certitudo, & de qua præſens Regula ſermonem habeat. ibid.
REG. XXX II. Nō licet actori, quod Reo licitum non exiſtit. p. 207.
Cap. Vnicum. Quandonam actor, & reus ſint paris, vel diſparis conditionis? ibid.
REG. XXXIII. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum. p. 210.
Cap. Vnicum. Quando, & in quibus caſibus regula procedat? ibid.
REG. XXXIV. Generi per ſpeciē derogatur. p. 211.
Cap. 1. Quid ſit genus, quid ſpecies, quid indiuiduum apud Legiſtas? ibid.
Cap. 2. De fine, in quem præſens Regula edit, & de materijs, in quibus locum habet p. 212.
Cap. 3. Inquiritur, quando nam in vltimis voluntatibus generi per ſpeciem derogetur. p. 213.
Cap. 4. Expenditur, quo pacto generis derogatio per ſpeciem locum habeat in alijs materijs. p. 216.
REG. XXXV. Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus. p. 218.
Cap. 1. Quotupliciter ſumi poſſint plus, & minus? ibidem.
Cap. 2. Explicatur, quo ſenſu plus, & minus in hac Regula ſumi debeant, & explicatio nonnullis caſibus cōfirmatur. p. 219.
Cap. 3. Si quis ſolum viginti re vera debeat, in inſtrumento autē appareat ſe debere quinquaginta, ideoque à creditore authoritate Iudicis cogatur ad totam ſummam, an licite poſſit etiam cum iuramento negare, ſe debitorem eſſe? p. 221.
REG. XXXVI. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere. p. 224.
Cap. 1. Quid ſit dolus, & in quot, & quales ſpecies diuidatur? ibid.
Cap. 2. Examinantur caſus, in quibus Regula hæc locum habet. p. 226.
REG. XXXVII. Vtile per inutile non debet vitiari. p. 227.
Cap. 1. Præmittuntur aliqua ad Regulæ intelligentiam. ibidem.
Cap. 2. An locatio rei Eccleſiaſticæ vltra triennium ſit tota irrita, an verò ſuſtineri valeat quoad triennium? p. 228.
Cap. 3. Si reſeruetur penſio cum clauſula [dummodo non excedat tertiam Beneficij partem] ſi excefferit, an tota vitietur, nec ne? p. 232.
Cap. 4. Surreptio contingens in vna tantum reſcripti parte, num totum reſcriptum vitiet? p. 234.
Cap. 5. Si teſtis in vna parte proceſſus falſum afferat, vtrum totus proceſſus vitietur? p. 236.
Cap. 6. Vtrum ſententia Iudicis tota vitietur, ſi procedat de maiori ſumma, quàm ſit debita? ibidem.
Cap. 7. An inſtrumentum à Notario confectū, ſi in aliqua parte falſitatem contineat, totum corruat? p. 237.
Cap. 8. An vi huius Regulę ſuſtineatur electio per viam Scrutinij, ſi plures quam forma præſcribat, deputentur Scrutatores? p. 238.
Cap. 9. An electio ad beneficium eccleſiaſticū tota vitietur, ſi electus cum vno tantum ex electoribus ſimoniam commiſerit, quāuis reliquorum ſuffragia, ſufficiant ad electio-

ſionem concludendam? p. 240.
Cap. 10. Sit ne irrita beneficij collatio, ſi inter collatorem, & eum, qui beneficium accipit, ſimonia interueniat, quam collator aduertit, promiſſus antè inculpabiliter ignorat? ibidem.
Cap. 11. An votum de materia partim apta, & partim inepta, totum vitietur? p. 242.
Cap. 12. Si Epiſcopus indulgentiam concedat vltra numerum dierum iure ſibi præſcriptum, an conceſſio tota, vel ſolum quoad exceſſum vitietur? p. 246.
Cap. 13. Si cadauer excommunicati vitandi, aut infidelis in loco ſacro ſepeliatur, in quo aliorum fidelium corpora iacent, an omnia ſint exhumanda? p. 249.
Cap. 14. Si oleum non benedictum admiſceatur benedicto, num totum mixtum ita vitietur, vt ineptum reddatur ad Sacramentum extremæ vnctionis conficiendũ? p. 251.
Cap. 15. An donatio excedens ſummam abſque inſinuatione iure permiſſam, ſi non inſinuetur, tota irrita euadat? p. 255.
Cap. 16. Vtrum liber partim à Catholico, & partim ab Hæretico compoſitus vitietur, & ſub lege prohibente Hæreticorum libros comprehendatur? p. 258.
REG. XXXVIII. Ex eo non debet quis fructũ conſequi, quod niſus extitit impugnare. p. 261.
Cap. 1. Nonnulli examinantur caſus, in quibus viget huius Regulæ diſpoſitio. p. 261.
Cap. 2. Aliquæ huius Regulæ limitationes declarantur. p. 262.
REG. XXXIX. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo. p. 263.
Cap. 1. Prohibitio contractus, quo pacto ad ſubſequentia, & antecedentia extendatur? ibidem.
Cap. 2. Prohibita alienatione, quinam actus prohibiti cenſeantur? p. 265.
REG. XL. Pluralis locutio duorum numero eſt contenta. p. 267.
Cap. 1. Caſus nonnulli aperiuntur, in quibus huius Regulæ veritas oſtenditur. p. 268.
Cap. 2. Declarantur caſus in quibus plurale in ſingulare reſoluitur. p. 270.
REG. XXXXI. Imputari non debet ei, per quẽ non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. p. 271.
REG. XXXXII. Acceſſorium naturam ſequi cõgruit principalis. p. 275.
Cap. 1. Quid, & quotuplex ſit acceſſorium, & an ſemper naturã principalis ſequatur? p. 275.
Cap. 2. An obligatio ad ſeruandam totalem caſtitatem firma maneat, ſi quis grauis metu ductus ſacros ordines ſuſcipiat? p. 276.
Cap. 3. An firma maneat bonorum renunciatio intuitu Religioſæ profeſſionis facta, ſi profeſſio irrita declaretur, poſteà verò rata habeatur? p. 279.
Cap. 4. An à Religione eiecti teneantur eiuſdem Religionis leges ſeruare? p. 284.
Cap. 5. An legitimè impeditus, ne præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis impleat, teneatur elicere actum contritionis? p. 290.
Cap. 6. Vtrum priuilegium aſſiſtendi diuinis officijs tempore interdicti comprehendat, tanquam quid acceſſorium, Eccleſiaſticam ſepulturam, & è conuerſo? p. 291.
Cap. 7. Vtrum Eccleſia monaſterij polluta, cenſeantur etiam tanquam acceſſoriæ pollutæ Capellæ in eodem Monaſterio extantes? p. 294.
Cap. 8. Vtrum exterior murorum Eccleſiæ ſuperficies acceſſoriè ſe ſe habeat ad Eccleſiam, ita vt, ſi quis illam tangat, immunitate fruatur? p. 296.
Cap. 9. Vtrum facultas diſpenſandi in interſtitijs ſit acceſſoria ad facultatem, quam vi Tridentini habent Epiſcopi, ordinandi ſuũ familiarem triennalem? p. 297.
Cap. 10. An Iudex eccleſiaſticus, qui ſententiam fert de inualiditate matrimonij, poſſit acceſſoriè cognoſcere cauſſam de dotium reſtitutione? p. 301.
Cap. 11. Vtrum legatum rei principalis comprehendat acceſſoria? p. 303.
Cap. 12. Si legetur res pluribus conſiſtens corporibus, & vnum ex illis deſinat, an legatum quoad reliqua, tanquam acceſſoria, extinguatur? p. 305.
Cap. 13. Num Prælatus mittens ſubditum ab alieno Epiſcopo ſacris initiandum cenſeatur eidem Epiſcopo ordinanti concedere, vt cum tali ſubdito diſpenſet in irregularitate, aut alijs impedimentis, in quibus ipſe, vti proprius Prælatus, diſpenſare poſſet? p. 307.
Cap. 14. Num clericus in ſacris conſtitutus, ſi à Summo Pontifice diſpenſetur, vt vxorem ducat, teneatur horas canonicas recitare? p. 308.
Cap. 15. An capella exiſtens in Cathedrali conſecrari poſſit, ſi ipſa maior Eccleſia ſit conſecrata? p. 310.
REG. XXXXIII. Qui tacet conſentire videtur. ibidem.
REG. XXXXIV. Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec vtique negare videtur. p. 310.
Cap. 1. An promiſſio, quæ ſit promiſſario præſenti, & audienti, ſed tacenti, intelligatur

ac-

Digitized by Google

acceptata? p. 311.

Cap. 2. Sint ne valida ſponſalia, quæ parentes contrahunt pro filiis præſentibus, & tacentibus? p. 314.

Cap. 3. Expeditur, an quando ad aliquid peragendum, vel omittendum licentia requiritur, ſatis ſit tacita? p. 319.

§. 1. An licentia, & conſenſus inter ſe differat ibidem.

§. 2. An tacita ſuperioris licentia ſatis ſit, vt Religioſus munus executoris teſtamenti ſuſcipiat? p. 321.

§. 3. An matrimonium valide contrahatur, ſi loco Parochi aſſiſtat contrahentibus alienus Sacerdos cum licentia tacita eiuſdem parochi? p. 323.

§. 4. Sit ne ſufficiens tacita licentia ſuperioris, ne Religioſus vtens re aliqua paupertatis votum tranſgrediatur? p. 325.

§. 5. An taciturnitas ſuperioris agnoſcentis à ſubdito votum emitti, ſit tacita licentia ad illud emittendum, ita vt ſuperior ipſe abſque cauſſa illud amplius irritare nequeat? p. 326.

REG. XXXXV. Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimile eſt, vel quod plerumque fieri conſueuit. p. 330.

REG. XXXXVI. Is, qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille vti debet. ibidē.

Cap. 1. Nonnulli proponuntur caſus, in quibus Regula locum habet in foro fori. p. 331.

Cap. 2. Aperiuntur caſus, in quibus Regula nō militat. p. 332.

Cap. 3. Expeduntur caſus, in quibus Regula locum habet in foro conſcientiæ. p. 332.

REG. XXXXVII. Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probetur. p. 334.

REG. XXXXVIII. Locupletari quis non debet cum iactura aliena. p. 334.

Cap. 1. Exempla quædam proponuntur, in quibus Regula vigorem habet. p. 335.

Cap. 2. Explanantur caſus, in quibus Regula fallit. p. 336.

REG. XXXXIX In pœnis benignior interpretatio eſt facienda. p. 337.

Cap. 1. Diuerſa afferuntur exempla, quæ Regulam hanc confirmant. ibidem.

Cap. 2. Recenſentur caſus in quibus Regula fallit. p. 338.

REG. L. Actus legitimi non recipiunt diem, neque conditionem. p. 340.

Cap. 1. Explicantur actus in ſpecie, qui legitimi in iure appellantur. ibidem.

Cap. 2. Quo pacto conditio actibus legitimis adiecta, illos inutiles reddat? p. 341.

Cap. 3. An Sacramenta, nec non teſtamenti, & eccleſiaſticæ cenſuræ ſint actus legitimi, ſuſpenſiuam conditionem non admittentes? p. 345.

REG. LI. Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum. p. 348.

Cap. 1. Nonnulli explanantur caſus, qui ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenduntur. ibidem.

Cap. 2. An Regula prædicta comprehendat perſonas Deo dicatas? p. 349.

REG. LII. Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. p. 352.

Cap. 1. Nonnulli deducuntur caſus ſub hac Regula comprehenſi. ibidem.

Cap. 2. de nonnullis caſibus, qui à Regula excipiuntur. p. 354.

Reg. LIII. Cui licet, quod eſt plus, licet vtique, quod eſt minus. p. 355.

Cap. 1. Explicatur, quotupliciter ſumi poſſit plus, & minus. ibidem.

Cap. 2. An Pontifex diſpēſans cum illegitimo in defectu natalium cenſeatur illum habilē reddere, non ſolum ad ſpiritualia, ſed etiā ad temporalia? p. 356.

Cap. 3. Habens priuilegium legitimandi prolem ex adulterio, vel inceſtu procreatam, an poſſit illam legitimare, ſi vterque defectus in eadē coniunctione inueniatur? p. 359.

Cap. 4. An hac Regula locum habeat in diſpenſationibus? p. 362.

Cap. 5. An aliquæ dentur diſpenſationes, in quibus iuxta huius Regulę præſcriptum valeat argumētum à maiori ad minus? p. 363.

REG. LIV. Qui prior eſt tempore, potior eſt iure. p. 365.

Cap. 1. Expenditur Regula quoad prioritatem in obtinendis beneficijs? p. 366.

Cap. 2. Nonnullæ Regulæ præſentis limitationes proponuntur. p. 367.

REG. LV. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra. p. 368.

Cap. Vnicum Dilucidatur Regula. ibidem.

REG. LVI In re communi melior eſt conditio prohibentis. ibidem.

Cap. 1. Si duo eandem domum, ſeu rupicaſum in ſolidum conduxerint, an vnus ex ipſis recedere volens poſſit alium loco ſui ſubrogare, altero ſocio inuito? p. 369.

Cap. 2. De nonnullis alijs caſibus ſub hac Regula comprehenſis. p. 370.

Cap. 3. De quibuſdam præſentis Regulæ fallentijs. p. 372.

REG. LVII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio eſt facienda. p. 373.

Cap. 1 Aliqui aperiuntur caſus ex hac Regula deſumpti. ibidem.

Cap. 2. Declarantur caſus, in quibus Regu-

la

ſi vna habeat locum. p.374.
REG. LVIII. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum. p.375.
Caput Vnicum. Declaratur, quinam ſint boni mores, & quando iuramentum ſit illis contrarium. ibidem.
REG. LIX. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oporteat eumdem. p.377.
Caput Vnicum. Declarantur nonnulli caſus, ad quos Regula extenditur, eiuſque limitationes afferuntur. ibidem
REG. LX. Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. p.378.
Caput 1. Quid, & quotuplex ſit exceptio. ibidem.
Caput 2. Declarantur varia exceptionum genera in materijs ſpecialibus quoad moræ excluſionem. p.379.
REG. LXI. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum. ibidem.
Cap. 1. Nonnulli aſſignantur caſus, ad quos præſens Regula ſtatuit. ibidem.
Cap. 2. Huius Regulæ limitationes proponuntur. p.381.
Cap. 3. An priuilegij vſus vertere aliquando poſſit in grauamen ipſius priuilegiati. p.383.
REG. LXII. Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. p.384.
Cap. Vnicum. Comprobatur Regula, & declaratur. ibidem.
REG. LXIII. Exceptionem obijciens non videtur de intentione aduerſarij conſiteri. ibidem.
REG. LXIV. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi. p.385.
Cap. 1. Quibus verbis in legibus, & ſtatutis cenſeatur inducta forma ſubſtantialis? p.386.
Cap. 2. De huius Regulæ ampliationibus, & limitationibus. ibidem.
REG. LXV. In pari delicto, vel cauſſa potior eſt conditio poſſidentis. p.388.
Cap. 1. Nonnulli proponuntur caſus, in quibus declaratur, & probatur, poſſeſſoris conditionem in pari delicto meliorē eſſe ibidē.
Cap. 2. Poſterior Regulæ pars examinatur videlicet, quandonam poſſidentis conditio potior ſit in pari cauſſa? p.390.
REG. LXVI. Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet. p. 391.
Cap. 1. Quid, & quotuplex ſit conditio, & quænam faciat ad præſentis Regulæ diſpoſitionem? ibidem.
Cap. 2. Aliqui aperiuntur caſus ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenſi. p.392.
REG. LXVII. Quod alicui ſuo nō licet nomine, nec alieno licebit. p.393.
REG. LXVIII. Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum. p.394.
REG. LXIX. In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari. ibidem.
Cap. 1. Expenditur turpitudo, qua interdum afficiuntur promiſſiones aliquæ Deo factæ. p.395.
Cap. 2. De malis promiſſionibus, quæ homini fiunt. p.396.
REG. LXX. In alternatiuis electio eſt debitoris, & ſufficit alterum adimpleri. p.397.
Cap. 1. Quid, & quotuplex ſit alternatiua? p.397.
Cap. 2. Cur in alternatiuis potius debitori, quam creditori electio concedatur. ibidem
Cap. 3. Quare, & quando in alternatiuis ſufficiat alterum adimpleri? p.398.
REG. LXXI. Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus. p.400.
Cap. Vnicum. Rationibus, & ampliationibus præſens Regula confirmatur. ibidem
REG. LXXII. Qui per alium facit, eſt perinde, ac ſi faceret per ſe ipſum. p.401.
Cap. 1. Nonnulla ad Regulæ elucidationem præmittuntur. ibidem.
Cap. 2. Adſtrictus fidem profiteri, ſi eam per alium emittat, an perinde ſit, ac ſi per ſe ipſum illam profiteretur. p.402.
Cap. 3. Num Regula hæc verificetur, ſi religioſa profeſſio per procuratorem emittatur? p.404.
Cap. 4. An ſatisfactio Sacramentalis poſſit per alium adimpleri p.407.
Cap. 5. An Votum emittens poſſit illud per alium implere? p.411.
Cap. 6. Si quis per alium patret delictum, an iuridicè interrogatus poſſit iurare ſe illud non feciſſe? p.414.
Cap. 7. An fidelis licitè poſſit diebus feſtiuis per ſeruum infidelem ſeruilia opera exercere. p.41[illegible].
Cap. 8. An lectionem libri prohibiti alio legente audiens cenſeatur per ſe ipſum legere, ita vt in cenſuram contra hos libros legentem incurrat? p.421.
Cap. 9. Alloquens monialem alio mediante, an cenſeatur illam per ſeipſum alloqui, & pœnas in iure poſitas incurrere? p.425.
Cap. 10. An ille, cui per litteras Apoſtolicas commiſſum fuit, vt præuio examine habilitatem alicuius inquireret, valide poſſit munus examinandi per alium obire. p.428.
BREVIS DIGRESSIO. Quid, & quotuplex ſit nudum miniſterium? p.430.
Cap. 11. Mandans aliquem occidi in Eccleſia

Digitized by Google

ſi ſequatur mors, an cenſeatur illum perſe- ipſū occidiſſe, ideoque ſit eccleſiaſtica im- munitate priuandus? p.433.
Cap. 2. An Clericus ſi per alium negotietur, perinde ſit, ac per ſe ipſum id faciat, ita vt talis negociatio ſit iure prohibita? p.435.
REG. LXXIII. Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari. p.437.
Cap. Vnicum eluciduatur Regula, & confirmatur. ibidem.
REG. LXXIV. Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum. p.438.
REG. LXXV. Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat. p.439.
Cap. Vnicum. Aliquibus exemplis confirmatur Regula, & ampliatur. ibidem.
REG. LXXVI. Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. p.440.
Cap. Vnicum Nonnulla traduntur exempla pro Regulæ elucidatione. ibidem.
REG. LXXVII. Rationi congruit, vt ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. ibidē.
REG. LXXVIII. In argumentum trahi nequeunt, quæ aliquando propter neceſſitatem ſunt conceſſa. ibidem.
Cap. Vnicum. Quoſnam in iure effectus operetur neceſſitas. ibidem.
REG. LXXIX Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quam ſibi cōpetere dignoſcatur. p.441.
Cap. 1. De varijs caſibus, in quibus Regula militat. ibidem.
Cap. 2. Diluuntur nonnullæ obiectiones, quæ contra huius Regulæ diſpoſitionem fieri poſſunt. p.443
REG. LXXX. In toto non eſt dubium partem cōtineri. p.444.
Cap. 1. Quid, & quotuplex ſit totum, & quid eius partes? ibidem.
Cap. 2. Ad quas materias Regula ſe extendat. p.445.
REG. LXXXI. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis nō eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. p.446.
Cap. Vnicum. Ex quibus coniecturis colligenda ſit veriſimilis intentio concedentis? ibidem.
REG. LXXXII. Qui contra iura mercatur, bonā fidem non præſumitur habere. p.448.
Cap. 1. De conuenientia huius Regulæ, eiuſque ampliationibus. ibidē.
Cap. 2. Huius Regulæ limitationes declarantur. ibidem.
REG. LXXXIII. Bona fides non patitur, vt ſemel exactum iterum exigatur. p.449.
REG. LXXXIV. Cum quid vna via prohibetur alicui ad id alia via nō debet admitti. ibidē.
Cap. 1. Præmittuntur aliqua ad Regulæ notionem, & nonnulli explicantur caſus, in quibus præſens diſpoſitio procedit. ibidem.
Cap. 2. De reſtrictionibus, quas præſens Regula patitur. p.451.
REG. LXXXV. Contractus ex conuentione legē accipiunt. p.452.
Cap. Vnicum. Quo pacto Regula intelligatur? ibidem.
REG. LXXXVI. Damnū, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non alijs imputare. ibidē.
Cap. Vnicum. Traditur Regulæ explicatio, & nōnulli caſus in ea comprehenſi referuntur. ibidem.
REG. LXXXVII. Infamibus portæ non pateant dignitatum. p.453.
Cap. 1. Quid, & quotuplex ſit infamia, & quare à dignitatibus excludat? ibidem.
Cap. 2. De nonnullis infamiæ effectibus, quatenus attinet ad præſentis Regulæ extenſionem. p.454.
REG. LXXXVIII. Certum eſt, quod is committit in legem, qui verba legis complectēs contra eius nititur voluntatem. p.455.
Cap. 1. Dilucidatur præſentis Regulæ diſpoſitio. ibidem.
Cap. 2. Vtrum in legem committere dici poſſit, qui ſcienter contra legem nō adhuc promulgatam aliquid operatur. p.456.

FINIS.

IN PRIMVM TITVLVM
LIBRI I. DECRETALIVM
DE SVMMA TRINITATE
QVAESTIO VNICA
DE OMNIMODA DIVINARVM PERSONARVM ÆQVALITATE.

Ratio huius Quæſtionis inſtituendæ.

MAGNA procul dubio admiratione afficietur ſtudioſus Lector primam hanc quæſtionem in huius operis limine animaduertens:& facilè hinc iudicabit, me à proprio inſtituto receſſiſſe: cum enim de rebus dumtaxat moralibus, & ad vtrumque forum ſpectantibus ex profeſſo diſſerere ſtatuerim; nihilominus illarum veluti oblitus ad aliud rerum genus mentem deflexerim, quæſtiones potiùs ad theoricam, quàm ad praxim pertinentes inſtituendo. Verumtamen faceſſat omnis prorſus admiratio, & diligenter, accuratèque à benigno Lectore conſideretur, me in ſacris iuribus exponendis ſummi totius Eccleſiæ Paſtoris, aliorumque Canoniſtarum veſtigijs inhærere velle. Præmiſit autem Sanctiſſimus Pater Gregorius, huius nominis Nonus, ante Canonum declarationem, ſymbolum fidei, in quo, tanquam omnium dicendorum baſi, & fundamento, Sanctiſſimæ, & indiuiduę Trinitatis articuli perfectè à fidelibus agnoſcendi, firmiterque credendi proponuntur, & deindè varias conſtitutiones, ſuorumque prædeceſſorum decretales Epiſtolas, quæ ad mores pertinent, in vnum redigere volumẽ curauit:& in prædictis quidẽ articulis Diuinarũ Perſonarum naturam, & attributa recenſet, conſubſtantialitatem videlicèt, omnipotentiam, æternitatem, & omnimodam inter ipſas Perſonas æqualitatem. Firmum igitur, ſolidiſſimũque operi meo iacio fundamentum, ſummam ſcilicèt, & celſiſſimam Trinitatem; nam, vt benè Hoſtienſis initio Sacrorum Canonum ex Beato Gregorio dixit, tunc firmius conſtruitur ædificium, cũ priùs locus ſolidus, in quo poni fundamentũ debeat, prouidetur. Iam ſicut i doctrinæ non minus, quam purpuræ fulgore perilluſtris Pater quæſtiunculam hanc ſuę Summæ cordatiſſimè præpoſuit, cur ſcilicet dicatur ſumma Trinitas; ita eius veſtigijs inhærens, præſentẽ de indiuidua Trinitate quæſtionem præmittere operæ pretium duxi; ſolidio-

rem nāque locum inuenire non potui, neque præclarius fundamentum ponere, ac ſubſtruere, vt hic codex perficiatur, quàm Sanctiſſimam Trinitatem, quæ vniuerſorum ſola principium eſt. & hoc tàm præclaro iacto fundamine, firmum, ac perenne (vti ſpero) manebit opus. Quin addo, ſimilē haberi methodum in nouo Iuſtiniani Codice; pius etenim Imperator, quamuis præcipuus eius ſcopus, ſeu finis intentus fuerit plures leges condere, quæ ad populorum mores non parum eſſent adiumenti allaturæ, noluit has leges declarare, niſi exordium ſumeret ab ineffabili Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio. non erit igitur abs re, ſi ego in meis hiſce lucubrationibus Sacros Canones interpretans, Summorum Pontificum, & Catholicorum ſemitas teram, quæſtionem pręmittens, licèt ſpeculatiuam, de auguſtiſſimo Trinitatis Myſterio, à quo omnia procedūt, multaq; ſingulariter exagitans de ipſarum Diuinarum Perſonarum æqualitate aduerſus nonnullos hæreticos, qui illam impiè ſubuertere conati ſunt. Demiſſè igitur ad cælum animum dirigo, enixè implorando ſummam Dei optimi maximi bonitatem: dignetur ipſa mentem meam ſuæ ſapientiæ radijs illuſtrare, vt in his ſacris Commentarijs veritatem aſſequi valeam, ad maiorem eiuſdem ſupremæ Maieſtatis gloriam, & orthodoxæ Religionis emolumentum.

CAPVT I.

VTRVM PATER IN DIVINIS SVB PRAECISA Ratione perſonæ ſit Filio perfectior.

VT clariùs procedam conſiderandi ſunt, tres modi, iuxta quos examinari poterit propoſitio. Primò ſpectando Patrem comparatiuè ad filium quòad naturam diuinam: Secundò quòad perſonas ipſas in concreto. Tertiò quòad Perſonalitates diuinas, vt præciſas à natura.

1 Dicendum eſt primò. Si comparatio fiat priori modo, nempè quòad naturã, propoſitio eſt formalis hæreſis, continẽs errorem Arrij negantis conſubſtantialitatem inter *Patrem*, & filium: quem errorem damnant Sacræ *S*cripturę, Cõcilia, & Patres determinantes perſonas diuinas eſse omninò æquales: & de Chriſto loquens Sanctus Paulus ad Philip. 2. ait: Non rapinam arbitratus eſt æqualem eſse Deo. & Sanctus Athanaſius in ſymbolo de eodem Chriſto ait. Perfectus *D*eus, perfectus homo, æqualis Patri ſecundum diuinitatem. Et de hac cõcluſione, cum contineat Fidei articulum, nulla apud Catholicos eſt, aut eſse poteſt dubitatio.

2 Dicendum eſt ſecundò, eadem infallibili veritate fidei tenendum eſse perſonas diuinas in concreto eſse omninò æquales quòad perfectionem, dicente Diuo Athanaſio de ipſis perſonis in ſymbolo, quod totæ ſunt coæternæ, & coæquales.

3 Dicendum eſt tertiò, Perſonalitates in abſtracto, prout ſunt diuinæ, eſse æquales perfectione. Hæc propoſitio, quãuis primo aſpectu non ſit ita certa, ſicuti precedẽtes; nihilominùs ex illis videtur claré colligi, ac proindè oppoſitũ eſt omninò relegandũ, & vt reor, cenſura dignũ.

Probatur Concluſio, primò auctoritate tum Patrum, tum Scholaſticorũ, & præſertim eorum, quos infra citabimus expreſsè negantes filium in diuinis dici poſse Patre minorem, qui a fortiori negabant eſse minus perfectum: quia vt bedè admonet *Vaſquez p. p. diſput. 12 1. cap. 5. in fine*, nemo ex Patribus dixit Patrem in diuinis eſse digniorem, aut excellentiorem Filio. Probatur autem ſic ex Patribus.

Sanctus Nanzianzenus oratione 13 quæ eſt ſecunda de Pace circa medium pag. mihi 209. loquens de tribus perſonis, & de Patre, vt principio; ſic ait [Principium, & ea, quæ à principio manant, pari honore proſequor, illud, quia talium eſt principium: hęc, quia tali modo, & talia ex tali] paucis deindè interiectis ſubdit. [Non minùs ob relationem, quam inter ſe habent laudanda, quam vnumquodque, per ſe acceptum, intellectum.] Vide quo pacto Doctor iſte dicat, Perſonas diuinas inter ſe, & relationes pari honore eſse proſequendas, & laudandas, & ita omnes, quemadmodum ſingulas; ſi igitur pari honore ſunt proſequendæ, parem habent dignitatem, & perfectionem.

Sanctus Athanaſius lib. 2 contra Arrium verſus finem pag. mihi 83 oſtendere volens omnimodam æqualitatem inter diuinas perſonas, adnotauit, à Chriſto Domino Ioannis 14. dictum nõ fuiſse, Patrẽ ſuũ ſe meliorem eſſe, ſed maiorem: ex hoc dicto euidenter deduci poterit Athanaſij mentem fuiſse, omnimodam æqualitatem ponere inter diuinas perſonas, quia in ordine ad illud concedit maioritatem in Patre reſpectu filij, in ordine ad quod negat melioritatem, ſed nequit concedere maioritatem quòad naturam diuinam, in qua Pater, & Filius ſunt vnum, et nõ reperitur maius, et minus, vt in Symbolo ipſe docet: ergo loqui debet in ordine ad proprietates perſonales, etc. ſecundum quas in Patre agnoſcit quamdam maioritatem, in ſenſu infra explicando, negat tamen melioritatem: Si autem Pater quoad perſonalitatem eſset filio perfectior, eſset melior: quod tamen negat Athanaſius, qui etiam contra Gregales Sabellij inquit, [Vniuerſa plenitudo, et integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater: vniuerſa item plenitudo Deitatis eſt filius, vt filius, quandoquidem amborum vna forma intelligitur, quæ integrè ſe in vtroque communicat.]

Sanctus Fulgentius lib. 3. ad Mon-

mum. c. 7 verſus finē pag 144. ait [Tantum eſſe ipſum Verbū, quanta ſimul eſt mens ipſa cum verbo] ſumitque verbū, vt diſtinctum à natura, quia vt notat *Ioannes Delugo loco infra citando nu* 7. comparat ipſum verbum cum aggregato ex ipſo verbo, & mente, & ponit omnimodam paritatem inter verbum, & totum illud aggregatum.

S. *Gregorius Magnus homilia* 25. *in Euangelia*, poſt medium. ſic inquit, [Qui ergo filium minorem putat, Patri ſpecialiter derogat, cuius ſapientiam eſſe ei inæqualem fatetur.]

Sanctus Auguſtinus lib 6 *de Trinitate cap.* 5. Loquens de Filio comparatiuè ad Patrem ſic concludit, [In omnibus ergo æqualis eſt Patri filius] idemq; poſtea aſſerit de Spiritu Sancto, & cap. 8. initio ſic ait: [Tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.] *& lib.* 8. *cap.* 1 [Dicimus enim non eſſe in hac Trinitate maius aliquid duas, aut tres perſonas, quā vnam earum, quod non capit conſuetudo carnalis, non ob aliud, niſi quia vera, quæ creata ſunt, ſentit, vt poteſt] & poſtea proſequitur eadem repetens, & probans. Cōfirmari hoc ipſum poſſet auctoritate plurium aliorum Patrum, qui vt videbimus infra, omnem excludunt minoritatem à Filio, niſi eam, quam habet ex natura humana aſſumpta. Confirmatur etiam auctoritate Scholaſticorum.

4 Et primo ſeſe offert *Sanctus Thomas* 1 *par. quæſt.* 42. *art.* 1 4. *&* 6. & ex ipſo plures ſunt, qui explicitè docent proprietates, ſeu relationes perſonales in diuinis eſſe æquales, & vnam non eſſe altera perfectiorem: hi vero ſunt ſequētes.

Ruiz de Trinit. diſput. 30. *ſect.* 10, *n.* 12. *& ſequentibus. Arrubal in* 1. *part. diſp.* 145 *cap.* 8 *n.* 2. *Ioſeph de Auguſtino in qu* 42. *art.* 6 *in fine coment. Flor auante de Trinit. in notis ad Theoricam de perfectione relationum pag.* 109. *& de æqualitate perſonarum pag.* 156. *Ioannes Præpoſitus in eamdem quæſt.* 42. *art.* 6. *colum.* 2. *Becanus cap* 8. *quæſ.* 13. *nu* 6. *Martinòn diſput.* 25 *ſect.* 10, *ad ſecundum Martinus Perez diſp.* 18. *ſect* 2. *nu* 5. *Franciſcus Amicus diſp.* 19. *ſect.* 8. *Ioannes Delugo tract. de Incarnatione diſput.* 2. *lect.* 5. *Franciſcus Delugo lib.* 2. *in* 1. *part. diſput.* 24. *c.* 1. *art.* 1. *Alarcon tract.* 3. *diſput.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. *Arriaga in eamdem* 1. *part diſp.* 2. *nu.* 43. *& diſp* 44. *ſect.* 1 *ſub ſect.* 3. *num.* 16. *Ioannes Gonzales de Albedan. quæſt.* 28. *ar.* 4 *diſp.* 6 *ſect* 1 *ad ſecundum. Auerſa quæſt.* 42 *ſect.* 1. § *ſed quamuis pag.* 726. *Andreas Lao diſput.* 522. *dub. vnic. Morandus tract.* 6 *quæſt.* 11. *num* 572. *Caſpenſes in ſumma Theo. de Trinit. diſp.* 2 *nu.* 107. *&* 110. & alij quam plures.

Ex doctrina tot Patrum, & Scholaſticorum efficax deſumo argumentum, probando proprietates perſonales, ſeu relationes in diuinis non eſſe inæquales, neque vnam eſſe altera perfectiorem; & ſub proprietatibus comprehendo actus notionales, de quibus cap. ſequenti: nam Auctores citati de his indiſcriminatim loquuntur; eadem autem eſt ratio; ideoque vnico argumento omnia comprehendo: & hoc probare intendo, ſiue hæ relationes, præſcindendo ab eſſentia diuina, importent, ſiue non importent perfectionem iuxta varias ſententias; nam ſatis mihi erit excludere inæqualitatem perfectionis. Argumentor igitur in hunc modum. Perſonæ diuinæ ſunt inter ſe coæquales, quòad omnia, quæ importare poſſunt perfectionem. ergo Pater in diuinis, quòad perſonalitatem, ſeu quòad relationem perſonalem nō erit Filio perfectior, Antecedens eſt de fide, idque docet *Sanctus Athanaſius* in ſymbolo cū ait, [Totæ tres perſonę coęternę ſunt, & coęquales] conſequentia vero probatur. *Si* relatio, quæ perſonam ipſam conſtituit, eſſet inæqualis alteri relationi, quòad perfectionem, perſona, quæ per talem relationem eſſentialiter conſtituitur, eſſet inæqualis, & magis perfecta, quam altera perſona, quæ conſtituitur per relationem minus perfectam. Impoſſibile enim eſt, quod vnum conſtitutiuum comparatiuè ad aliud conſtitutiuum ſit perfectius, & ſuum conſtitutum non ſit perfectius altero conſtituto, vt lumine naturæ eſt euidens, & patet inductione, itē probatur à paritate: ſicut Perſonalitas increata ex eo, quod ſit relatiua, nequit conſtituere perſonam non relatam, ita ſi eſſet perfectior non poſſet conſtituere perſonam non perfectiorem. Euidens eſt igitur conſequentia deducta ex illo antecedente, & pariter perſpicua eſt tertia concluſio, in qua aſſerebamus 5

Per-

Digitized by Google

Perſonalitates diuinas in abſtracto eſſe æquales in perfectione.

Poteſt tamen quis obijcere argumentum deſumptum ex ratione producentis, & producti, ad probandum Patrem, vt producētē, eſſe filio, vt producto perfectiorem, conſiderando vtramque perſonam ſub præciſis prædictis rationibus; huic autem argumento capite ſequenti occurrimus.

CAPVT II.

An Pater in diuinis, vt producens dici poſſit perfectior Filio, vt producto.

6 VIdetur quis aſſerere poſſe Patrem in diuinis ſub hac præciſa ratione eſſe maioris perfectionis, quam ſit Filius, Hoc argumentum attulit Maximinus Arrianorum Epiſcopus ad probandum ſuum errorem de inferioritate Verbi diuini comparatiuè ad Patrem, vt refert S. *Auguſt lib. 3 contra eumdē, c. 14.* Allegabat. n. Hæreticus ille, verba, quæ habentur in Actibus Apoſtolorum, *cap. 20. verſ.* 35. (Beatius eſt magis dare, quam accipere,) ex quo inferebat: ergo *Pater* in diuinis dans naturam Filio, erit Filio illam recipiente beatior, ſeu perfectior.

7 Dicendum eſt propoſitionem hanc, quæ affirmat, filium eſſe Patre minus perfectum ex eo, quod recipit, vt iacet, eſſe omninò reiciendam, tamquam Arrianam. Poſſemus afferre textum *Sancti Gregorij Nazianzeni orat. 3. Theologica, quæ eſt prima de Filio*, vbi prædictus Doctor ſic inquit, [Nos autem hoc dumtaxat dicere non dubitabimus; ſi magnum Patri eſt à nullo profectum eſſe, non minùs illuſtre Filio eſſe, ex tali Patre prodijſſe, nam, præterquàm quod gloriæ illius, qui cauſam à nullo habet, particeps eſt, quia ex eo eſt, accedit etiam generationis decus, res tanta, tamque veneranda, ijs vtique, qui non omninò humi prouoluti ſunt, craſſoque animo præditi] vide quàm apertis verbis Gregorius reſpondens ad prædictum argumentum, quod ab Hæretico fiebat, dicat non eſſe minus illuſtre Filio eſſe productum à tali Patre, quàm Patri non eſſe ab alio productum. Rurſus *Sanctus Auguſtinus* contra Maximinum, reſpondens ad axioma citatum, vt hæreticam, fusè propoſitionem prædictam reprobat, & ait, non valere in diuinis ob rationem mox aſſignandam. Eamdem veritatē reſpondentes ad hoc argumentum docent Auctores Catholici, *Bellarminus to. 1. lib. 1. de Chriſto cap. 19. initio Suarez lib. 8. de Trinitate cap. 10. nu 9 Conincb de Trinit. diſp. 4. dub. 2. nu. 64. Adamus Contzen in Euang. S. Ioann. cap. 14 explicans verba illa* (Pater maior me eſt) *Ambroſius*
de Peñaloſa tract. de Trinit. diſput. 4. 8
nu. 7. Cornelius à Lapide, Ioannes Lorinus, Iacobus Tirinus, exponentes verba citata, quæ habentur in Actibus Apoſtolorum, applicata Trinitatis myſterio; *Antonius Glielmus ex Congreg. Oratorij S. Philippi Nerei in opere, cuius titulus eſt. Le grandezze della Santiſſima Trinità, in 3. tractatu poſt initium*. Dicunt enim, quod, quàmuis in creaturis id verificetur, nempè nobilius, & perfectius eſſe dare, quàm accipere, ſeu producere, quàm produci; in illo tamen auguſtiſſimo Myſterio, axioma non habet locum, atque adeò æqualis perfectionis eſt in Patre generare alium ſibi ſimilem, ac in Filio generari, vt Patri ſimilem: doctrina autem huius rei ponitur à *Sancto Auguſtino* loco citato ſic dicente [quidquid eum dicis à patre accepiſſe, fatemur, & nos prorſus: pater dedit, filius accepit; ſed cum pater omnia, quæ habet, gignendo dederit, æqualem vtique genuit, quoniam nihil minus dedit: quomodo ergo tu dicis, quia ille dedit, ille accepit, ideò æ-
qualem filium patri non eſſe; cum eum, 9
cui data ſunt omnia, & ipſam æqualitatem videas accepiſſe? Scriptum eſt quidem; Beatum eſt magis dare, quàm accipere: Sed in hac vita, vbi eſt inopia, qua vtique melior eſt copia; melius enim eſt habere, quàm egere, & melius eſt donare, quàm accipere, erogare, quàm mendicare: vbi autem qui dedit
gignendo dedit, & qui accepit naſcendo 10
accepit, non inopi ſubuentum eſt; ſed ipſa copia generata eſt, nec poteſt, qui accepit, ei, qui dedit, eſſe inæqualis; quia & hoc accepit, vt eſſet æqualis, nihil enim patre minus habet ille, qui dicit, Omnia, quæ habet pater, mea ſunt. Aequalis eſt igitur] Hæc Auguſt. qui clarius loqui non poterat, probando totalem æqualitatem inter Patrem & Filium, & etiam non valere axioma illud in diui-

nis

nis perſonis, ſed tantum in creaturis; quod etiam poſtea confirmauerunt quam plures alij.

CAPVT III.

Vtrum Spiritus Sanctus procedens per voluntatem ſit Filio, vt procedente per intellectum, minus perfectus.

8 HActenus loquutus ſum de Filio cõparatiuè ad Patrem, probando iuxta Fidem Catholicam eſſe æqualis perfectionis cum Patre, quoad omnia; nunc dirigo ſermonem ad tertiam perſonam Sanctiſſimę Trinitatis, procedentem per voluntatem, & amorem, cuius modus procedendi videtur minus perfectus, quàm ſit modus procedendi, per quem generatur Filius per intellectum, ſeu intellectionem; ex quo poſſet quis deducere Spiritum Sanctum eſſe Patre ingenito, & Filio genito minus perfectum, formaliter, & præciſè, ſpectando eius proceſſionem: rurſus videtur aliquod excellentius, formaliter loquẽdo, eſſe in Patre, & Filio, quod non inuenitur in Spiritu Sancto; nam glorioſius eſt habere, & communicare eſſentiam diuinam, quàm dumtaxat illam habere, & alteri non communicare: Pater autẽ, & Filius habent, & communicant eſſentiam, quàm non communicat Spiritus Sanctus: ergo aliquod dignius reperitur in prima, & ſecunda perſona, quod non reperitur in tertia.

9 Sed hæc ſunt omninò reijcienda tamquam abſurda, quæ repugnant tum Fidei, tum Conciliorum, & Patrum dictis aſſerentium, omnimodam dignitatem, quæ inuenitur in prima, & ſecunda perſona, inueniri etiam in tertia, vt mox oſtendam. Et exordium ſumo à primo ex duobus, quæ in contrarium ſunt obiecta.

10 Dicendum igitur eſt, Spiritum Sanctum eſſe æquè perfectum, ſicuti eſt Pater & Filius. Concluſio, vt iacet, eſt de fide, cuius veritas probatur ex ſymbolo Sancti Athanaſij, vbi habetur, omnes perſonas diuinas eſſe æquales; quod poſtea confirmarunt varia Concilia, & Patres apud *Bellarminum lib. 2. de Christo c. 28.* & de hac concluſione apud Catholicos non eſt controuerſia, & dubitatio: tota autem difficultas reperitur in explicando; nam proceſſio Spiritus Sancti præciſè ſpectata, poſſit dici minùs perfecta, quàm ſit proceſſio Filij, in quantum illa eſt per actum voluntatis, hæc verò per actum intellectus, qui videtur perfectior modus procedendi.

11 Præmittẽdum itaque eſt, has proceſſiones tripliciter ſpectari poſſe primò, vt diuinas: ſecundo quatenùs contractas per eſſe creatum; tertio in quantum præſcindunt ab eſſe increato, & eſſe creato. Si priori modo ſpectentur, ſunt eſſentialiter æquales, & vna non eſt altera perfectior: quia intellectio, & volitio per eſſe diuinum eleuantur ad ordinem ſupremum, & ſunt ens à ſe, & actus purus, & conſequenter inuoluunt omnes perfectiones, quæ Deo formaliter conueniunt; & ideò intellectio, vt diuina, includit omnes perfectiones, quæ amori, vt diuino, conueniunt: & ſimiliter amor vt diuinus habet omnem perfectionem intellectionis, vt diuinæ: & quãuis ſi cõſiderẽtur inadæquatè, & ſecundum id, quod dicunt explicitè, vna operatio non includit perfectionem alterius, illam tamen non excludit, immò eſſentialiter includit. ſi verò proceſſiones hæ conſiderentur contractæ per differentiam entis creati; tunc, & ſecundum eſſe explicitum, & etiam implicitum, habent inæqualitatem, & vna eſt perfectior altera, ſiue hæc, cui maior conceditur perfectio, ſit actus intellectus, ſiue actus voluntatis, iuxta varias Authorum ſententias. Denique in poſtrema acceptione, ſi de proceſſionibus prædictis agamus, dico eas præſcindere ab æqualitate, & inæqualitate perfectionis; ſicuti præſcindunt à differentijs, ſeu rationibus contractiuis, à quibus vltimam ſortiuntur perfectionem.

12 Ex his deducitur has proceſſiones cõtractas per eſſe diuinum non ſolùm realiter, verum etiam formaliter, includere omnes poſſibiles perfectiones. Probatur, quia omne illud, quod rei conuenit ratione differentiæ contrahentis, conuenit illi formaliter, & eſſentialiter, vt patet inductione, diſcurrendo per omnes ſpecies rerum: at exigere, & includere omnem poſſibilem perfectionem conuenit his proceſſionibus ratione diuinitatis, per quam contrahuntur in ſupremo ordine rerum, & in ratione entis à ſe, & puri actus; ergo non ſolum realiter, verum etiam formaliter proceſſiones diuinę

nię ſunt æqualis perfectionis: Optimū exemplum habemus in operationibus Chriſti theandricis, quarum licèt ex parte obiecti, vna fuerit altera perfectior, v. g. actus charitatis perfectior, quàm actus temperantiæ, &c. nihilominùs ſi conſideretur ex parte perſonæ, e tant æqualis dignitatis, & valoris. Sic in caſu noſtro licet modus procedendi per intellectum præſcindendo ab eſse diuino ſit nobilior, quàm modus procedendi per voluntatem attamen in Deo, & prout ſunt diuini erũt æqualis perfectionis, & excellentiæ.

13 Neque valet ſi dicas hanc dignitatem reſultantem in operationibus Chriſti Domini eſse illis extrinſecam, vtpote prouenientem ex perſona operante, vt reſpondet Recentior quidam in ſuo manuſcripto; nihil enim valet hac reſponſio; quia dignitas illa, quam habebant operationes Chriſti erat quædam forma moralis ipſis intrinſeca, ſed, quidquid ſit de hoc, paritas vrget a fortiori, nam ſi principium operans, etiam extrinſecum, poterat dare operationibus illis æqualem dignitatem multo magis eſse diuinum intrinſecè, & eſsentialiter imbibitum in proceſſionibus diuinis, poterat illis infinitam, & æqualem præſtare perfectionem, & dignitatem.

14 Quæ dicta ſunt de actibus notionalibus dici etiam debent de diuinis attributis, quorum iuxta aliquos, vnum eſt altero perfectius, de qua re fusè agunt. *Franciſcus Amicus de Deo, diſp. 3. ſect. 8. à num.* 147. *Cardinalis Delugo de Incarnat. diſp. 2. ſect. 4.* Et quamuis aliqui cenſeant, dari inæqualilatem inter ipſa attributa, nihilominùs ſi attentè legantur deprehendetur, ipſos loqui de attributis, præcisè ſpectatis ſecundum conceptum explicitum, & non ſecundum id, quod dicunt implicitè: & hoc etiam non obſtãte *Amicus de Deo diſp. 3. ſect. 8. à nu.* 154. rectè inquit, quod loquendo de attributis diuinis deberemus illa conſiderare, non ſolum ſecundum id, quod explicitè important, ſed ſecundum id, quod implicitè inuoluunt. Sed de hoc meliùs agendum cap. 9. §. 2.

15 Objicies: ſi æqualibus inęqualia addas ſemper manebunt inęqualia. ita *Arriaga in p. part. diſp. 27. ſect. 4. num. 64. & 65. & de Incarnat. diſput. 2. ſect. 1. nu. 6.* volens vnum actum Dei ſecundum conceptum formalem eſse alio actu diuino perfectiorem. Declaratur obiectio hoc pacto. Si intelligere ſecundum ſuum cõceptum abſtractum eſt perfectius, quàm ſit velle, etiam ſi hæ operationes ſint contractæ, ſeù identificatæ cum eadem numero eſsentia diuina, reſpectu cuius nequeunt habere inæqualitatem, ſed ęqualitatem, remanebũt ipſæ inęquales, vt probat axioma prędictum,

Reſpondeo axioma illud verificari, 16
quando ea, quę in ſuo genere ſunt inęqualia, per coniunctionem cum alio non eleuantur ad ſtatum, & ordinem ſuperiorem, in quo ipſa, quę in ordine inferiori erant inæqualia, eſsentialiter mutuo exigunt habere omnes perfectiones, quas habebat alterum inæquale; ſecùs ſi eleuentur ad ordinem ſupremum: & ideò, quatenus contrahuntur ad eſse diuinum, exigunt eſsentialiter includere omnes perfectiones: proinde, cum mutuo ſe includant, nihil reperitur in vno, quod non ſit in altero, non ſolum realiter, ſed etiam formaliter, ratione diuinitatis incluſæ.

Dices infinitas eſsentię diuinæ, quæ 17
additur illis duabus proceſſionibus, nequit deſtruere id, quod illæ ex proprio genere habent, nimirum inæqualitatẽ; Ergo, non obſtante identitate cum eſſentia, remanent inęquales, ſecundum proprias rationes; ſicuti infinitas, ſi adderetur, v.g. calori, non augeret perfectionem formalem caloris, neque illum eleuaret ad gradum ſuperiorem: & ſic in alijs; &c. Reſpondeo diſtinguendo: nam infinitas eſt in duplici differentia; alia enim eſt accidentalis, ſeu materialis; alia verò eſsentialis, ſeu formalis. Prior infinitas relinquit rẽ, cui additur, in eius ratione formali, & cum ea limitatione, quàm ſpecificè habebat, & nullam addit perfectionem formalem: & talis eſset infinitas caloris, quę addita calori relinqueret calorem limitatum, vt erat in tali ſpecie. Secunda verò infinitas eleuans ad gradum ſuperiorem non relinquit rem in gradu illo inferiori, in quo erat prius, ſed illam eleuat ad perfectiorem, & tollit limitationem ab eadem re. Sic ſe habet diuinitas, quæ eleuat intellectionem, & volitionem ad altiſſimum gradum entis à ſe, ſeu actus puri, atque ideò cum vtraque operatio ratione imbibitæ diuinitatis includat omnes perfectiones poſſibiles, euadet æqualis in perfectione, ſic reſpondet in

ſimi-

ſimili *Recupitus lib. 3. quæſt. 4. vide Arriagam idem dicentē in trac. de Incar. diſp. 2. num. 6. & 7.*

CAPVT IV.

Vtrum admiſſa inæqualitate inter diuinas Proceſſiones inferatur inæqualitas inter perſonas procedentes.

EGimus capite precedente de diuinis proceſſionibus, & probauimus inter illas, vt diuinas, eſſe equalitatem perfectionis, remanet nunc examiuandum, an ex ſuppoſitione, per quam admitteretur inequalitas inter ipſas proceſſiones, & vnam eſſe altera perfectiorem, ſequeretur etiam inter perſonas, quæ per ipſas proceſſiones producuntur, eſſe inæqualitatem.

18 Dicẽdū eſt, quod quamuis admittatur inæqualitas inter proceſſiones; nihilominus vtraque perſona procedens erit æqualis perfectionis: quia vtraque eãdem numero recipit naturam, & receptio, ſeu naturæ communicatio eſt tam neceſſaria in vna, quam in altera proceſſione, & nihil detrahit de hac æqualitate. & licèt amor, ex vi cuius procedit Spiritus *S*anctus, ſecundum ſuã rationem genericam, & abſtractam non habeat formaliter reddere terminum, qui per ſe ipſum producitur, ſimilem in natura principio amanti, & hoc habeat intellectio; vt diuinus tamen id habet: ſicuti neque intellectio, vt ſic, habet producere terminum ſimilem in natura principio intelligenti, ſed ſolum intentionaliter: vt diuina tamen, habet producere ſimilem in natura, ſicuti etiam habet amor; & quamuis inter vtramque operationem, vt præciſam à diuinitate in ratione generica ſit diſcrimen, nihil tamen tollit de æqualitate perfectionis inter terminos productos, vt contra Eunomium Hæreticum, qui negabat Spiritum Sanctum eſſe Deum, rectè oſtendit *Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Gregorius Nanzianzenus orat.* 37. quæ eſt quinta, & vltima de Theol. ante medium pag. mihi 598. ibi enim ſatis eleganter, & eruditè probat contra prædictum Hæreticum, Spiritum Sanctum, quamuis non ſit Filius, eſſe tamen conſubſtantialem, eiuſdemque dignitatis cum Patre, & Filio: Eunomius. n. arguens dicebat, quod ſi Spiritus *S*anctus eſſet conſubſtantialis, nihil illi deficeret, vt filius eſſet, vel ſi deficeret, nõ eſſet Deus. contra hunc errorem Sanctus Gregorius probat, quod licet modus, quo procedit Spiritus Sanctus non ſit idem cum modo, quo procedit filius, non tollitur, quin ſit conſubſtantialis, & Deus, ſicut eſt Pater, & Filius, eiuſdemque dignitatis, & perfectionis cum illis; & ad hoc ſuadendum affert exemplum de Adamo, Eua, & *S*eth. Adam enim ante ſui productionẽ erat figmentum, nam ex luto Deus illum creauit. Eua erat ſegmentum huius figmenti, cum ex coſta Adæ fuerit formata: Seth autem erat vtriuſque ſoboles: hoc poſito proſequitur *S*anctus Gregorius ſic interrogans Hæreticum [idem ne porrò tibi eſſe videtur figmẽ: rum, ſegmentum, & ſoboles? Quid ni? age, eiuſdem ne hæc eſſentię inter ſe ſũt, an diuerſæ? eiuſdem confiteris: Ergo fieri poſſe, vt quæ variè exiſtunt, eamdem tamen eſſentiam habeant] concludit poſtea petens ab Hæretico, vt deſinat contra Spiritum Sanctum dimicare, quaſi vero, vel genitus ſit, vel *D*eus non ſit: Hæc ex Gregorio, cuius diſcurſus tẽdit ad probandum, quod quamuis modus procedendi ſit diuerſus, poſſunt tamen res productæ eſſe eiuſdem eſſentiæ, & æqualis perfectionis, vt de facto euenit in prædictis tribus hominibus; ita enim erat perfectus Homo Adam, & Eua, ſicuti *S*eth, licèt modus, quo fuerunt producti fuerit diuerſus, & vnus altero perfectior: ſic in diuinis licèt Filius procedat per intellectionem, & Spiritus *S*anctus per volitionẽ, nihilominus ambæ perſonæ ſunt æqualis perfectionis, cum vtraque ſit verus Deus; & vt bene animaduertit *Sanctus Thomas Opuſc.* 1. contra errores Græcorum cap. 10. ſimilitudo, & equalitas perſonarum diuinarum non attenditur ſecundum perſonales proprietates, ſed ſecundum attributa eſſentialia, quę cum ſint eadem numero in ipſis perſonis, nulla poterit eſſe inter ipſas Perſonas inæqualitas.

Et confirmatur ex abſurdo, quod ſe- 19
quereretur, videlicet, ſi Perſonarum diuinarum perfectio, ſeu dignitas deſumẽda eſſet ex modo procedendi, quo ipſæ Perſonę producuntur in ſententia probabili *S*coti, & Scotiſtarum, ſequeretur Spiritum Sanctum eſſe Filio perfectio-

tem

Digitized by Google

rem, quia celebris eſt eorum opinio, per quam dicunt voluntatem eſſe intellectu perfectiorem, & volitionem intellectione nobiliorem: quam ſententiam fusè examinat *Suarez, lib. 5. de anima cap. 9.* aſſerere autem Spiritum Sanctum, quatenùs procedit per voluntatem, ſeu volitionem eſſe Filio perfectiorem, & digniorem, non ſolum eſt falſum ex eo capite, quo ponitur inæqualitas inter ipſas Perſonas; verùm etiam ex eo, quod ponitur tertiam Perſonã eſse perfectiorem ſecunda, quòd nullus Auctor dicit, aut dicere poteſt: quod inconueniens ſequeretur, ſi perfectio Perſonarũ menſuraretur ex modo procedendi. & quàmuis alij negarent voluntatem eſſe intellectu, ſeu intellectione perfectiorẽ, non poſsent tamen negare alterius ſententiæ probabilitatem.

20 Ex quibus patet, perfectionem diuinarum Perſonarum non menſurari ex proceſſionibus, ſed ex illo, quod accipiunt; vt terminus earumdem proceſſionum: ſicuti perfectio Adæ, Euæ, & Seth in ratione hominis, non fuit menſurata per modum illum, quo fuerunt producti; quàmuis enim vnus modus fuerit altero perfectior, nihilominùs æquales fuerunt in perfectione naturæ.

21 Rurſus, etiam ſi admitteretur ſententia, quæ aſserit inter vnum, & aliud diuinum attributum ſecundum rationẽ formalem præciſam eſſe inæqualitatem, & vnum, vt ſic, eſse alio perfectius, quod tamen falſum eſse cenſeo, ob eamdem rationem aſſignatam, dum loqueremur de proceſſionibus diuinis; nihilominùs ſuppoſitione facta de inæqualitate attributorum, nequaquam inferri poteſt, Perſonas eſse inter ſe inæquales, quia Pater communicaret Filio eſsentiam diuinam cum illa inæqualitate attributorum, & pariter Pater, & Filius eodem modo *Spiritui Sancto* eſsentiam communicarent, & ſic omnes tres Perſonæ remanerent cum omnimoda æqualitate. Et hæc ſint ſatis pro prima ratione dubitandi, quàm initio capitis tertij propoſui ad probandum, Spiritum Sanctum, quatenus procedit per voluntarem, eſse Filio minùs perfectum, quatenùs ipſe filius procedit per intellectum. Supereſt, vt alia dubitandi ratio ibidem propoſita examinetur, nempè fœcunditas, quę eſt in prima, & ſecunda perſona, & non in tertia.

CAPVT V.

Vtrum quid præſtantius ſit in Diuinis habere naturam, & alteri eam communicare, quam habere dumtaxat, & non communicare.

Dicendum eſt, ex eo, quod Pater, & Filius habeant, & communicent eſsentiam diuinam Spiritui *Sancto*, Spiritus verò *Sanctus* eam habeat, & alteri non communicet, non ſequi Spiritum Sanctum eſse minus dignum, & perfectum Patre, & Filio, vt bene animaduertit *præter Arriagam diſp. 44. cit. nu. 16. & diſp. 49 num. 17. Ouiedus tract. de charit. cont. 5 pun. 2. nu. 26.* vbi ait: melius eſt eſse fœcundum, quàm infœcundum, quandò infœcunditas importat puram negationem fœcunditatis: ſecus ſi importet infinitam perfectionem, vt euenit in caſu noſtro, oſtẽdam ex doctrina *Riccardi de Sancto Victore*, qui *lib. 5. de Trinit. cap.* 24. volens probare omnimodam æqualitatem inter ipſas diuinas Perſonas introducit aliquem ſic contra obijcientem; refero eius verba formalia. [Dicis adhuc fortaſſis, quod multo glorioſius ſit plenitudinem habere, & dare, quàm ſolùm habere, nec alicui dare, ecce iterum, vt tibi videtur, ſi ſecũdum hominem iudicamus in duabus perſonis, quamdam gloriæ prærogatiuam iuxta rationem prædictam: Tertia in Trinitate Perſona mauult cæteris, quàm ſibi, quàm tamen cæteræ ſibi ipſis malunt, quàm illi: num quid ergo illa dicetur cæteris benignior, & eo ipſo glorioſior? Ecce dum incedimus iuxta iudicia humana, inuenitur quæq; perſona qualibet alia magis, & minus benigna, magis, & minus digna: ecce opinio falſa, quæ inuenitur ſibi ipſi cõtraria. debemus itaque has phantaſias de cordibus noſtris abijcere, & omninò firmiter credere, quod nec dũ poſsumus per intelligentiam capere pro certo, & 23 abſque omni ambiguo, quantum ad integritatem perfectionis, nulla in Trinitate differentia eſt amoris, vel dignitatis]

Vide quam cautè loquantur Patres de Diuinis Perſonis, curantes contra Hæreticos, ſummam in eiſdem ponere æqualitatem: ex quorum doctrina colli-

gi debet, quod, quamuis in creaturis aliquid exiſtens in vna perſona, reddat illam digniorem,& glorioſiorem, quàm ſit altera; hoc tamen dici nequit, in diuinis, in quibus, licèt ſit quid magnū, & glorioſum habere diuinam naturam, eamque alteri perſonæ communicare; non erit tamen minus dignum, & glorioſum eſſe terminum talis communicationis, etiam ſi terminus iſte alteri eādem naturam non communicet, quia eſt terminus adæquans totaliter vim communicatiuam: & ideò licèt Spiritus Sāctus, cui à Patre, & Filio natura diuina communicatur, eamdem alteri perſonæ non communicet; hoc tamen non ob id, tè ipſe Spiritus Sāctus erit æquè dignus, & glorioſus, ſicut Pater, & Filius, non ſolùm identicè ratione naturæ, cum qua identificatur, verum etiam formaliter, vt Amor diuinus adæquans totam Dei amabilitatem: proindè licet quid magnum, & glorioſum ſit in Patre,& Filio, vis producendi talem amorem; non minus tamen dignum, & glorioſum eſt in Spiritu Sancto,eſſe talem amorem; nam dignitas, quæ inuenitur in principio productiuo, quatenùs tendit ad talem terminum, repetiri etiam debet in ipſomet termino, et ob hanc rationem rectè *Sanctus Gregorius Nazianzenus ſupra citatus*, dixit, quod ſi magnum quiddam eſt, Patrem in diuinis non eſſe ab alio, non minus eſt,Filium à tali Patre prodiiſſe.

24 Addo etiam maiorem perfectionem eſſe in Spiritu Sancto non poſſe producere ad intra alium amorem, quàm illū poſſe; quia Spiritus Sanctus, ſi produceret ad intra alium amorem à ſe diſtinctum, ſupponeretur in ipſo Spiritu Sancto non eſſe omnem perfectionem poſſibilem diuini amoris; ſicut Filius nequit producere alium filium, cum in ratione Filij eſſentialiter includat omnem poſſibilem perfectionem Filiationis adæquātis totam potentiam generatiuam, quæ eſt in Patre.

25 Denique addo,optimā eſſe rationem allatā ab Ouiedo initio huius capitis, citato, per quam probatur per infœcūditatem illam,ſecundum quam Spiritus Sanctus ad intra nihil producit, non argui imperfectionem; indiget tamen aliqua maiore explicatione: aio igitur nō eſſe propriè loquendo infœcunditatem, quia infœcunditas importat carentiam fœcunditatis in illo ſubiecto, quod eſt illius capax, & ideò imperfectionem includit; hinc magis eſt appellanda non fœcunditas, quæ fundatur in infinita perfectione Spiritus Sancti, quatenùs eſt talis amor, vt totaliter adæquet totā Dei amabilitatem: cum itaque hæc non fœcunditas abſorbeat, vt ita dicam totā fœcunditatē ad intra, tamquam terminus, impoſſibile eſt, vt in ſuo genere habeat aliam fœcunditatem. Concludo igitur, quod ſicut eſt glorioſum in Perſona producente,eſſe infinitè fœcundā, ita non eſt minus glorioſum in termino huius fœcunditatis inuenire adæquationem prædictam, & ſic paris dignitatis ſunt, prima, & ſecunda perſona fœcunditatem habētes,& tertia, quæ licet non habeat aliam fœcunditatem ad intra, eſt tamen tantę perfectionis, vt adæquet fœcunditatem ſui principij in genere amoris: queadmodum ob eamdem rationem, licet Filius nequeat ad intra producere alium Filiū; nihilominùs non erit minus ſibi glorioſum adæquatè terminare potentiam generatiuam Patris.

CAPVT VI.

Nulla perfectio in diuinis eſt in vna Perſona, quin formaliter ſit in alia.

QVoniam verò hic Recentior ſæpè cogitur concedere æqualitatem inter diuinas Perſonas, recurrit idcircò ad idētitatem,atque realitēr, & identicè eſſe æque perfectas,formaliter vero,& ex vi alicuius conceptus præciſi,vnam eſſe altera perfectiorem: ex tali enim principio infert, Patrem, vt principium productiuum filij, eſſe Filio formaliter perfectiorem: & eamdem doctrinam tradit loquens de Patre, & Filio reſpectu Spiritus Sancti,vt procedentis ab illis:ideòque operæ pretium ego duxi, oſtendere, falſam eſſe hanc doctrinam, & Authorem decipi, vt mox præſtabo. 26

Dicendum igitur eſt,in omni perſona diuina repetiri omnem perfectionem, quæ reperitur in alijs Perſonis, & non ſolùm perfectiones abſolutas, verū etiā relatiuas; ita *Suarez lib. 4 de Trin cap. 16. Ruiz eodem tract. diſput 30 ſect 5. per totam. Cornelius à Lapide in cap 14. S. Ioann.* exponens illa verba Chriſti Domini; *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, & inquit, hoc non ſolùm debere in- 27

telligi, quoad eſſentiam, ſed etiam quoad relationes, & Perſonas ipſas: quod etiam ipſe docet *in Cap.45. Iſaiæ verſ.14. Alarcon de Trinitate, tract. 5. cap. 17. nu. 24. Franciſcus Amicus in p. p. diſp. diſput.19. ſect.8. nu.210. Caſpenſes de Trinit. diſput.2. ſect. 4. nu.107. Franciſcus* Delugo *ibidem lib. 2. diſput.24 cap. 6. num.4. Faſolus tom.3. queſt. 28. art. 2. dub. 1. num.* 140. qui ſic concludit. Perfectio relatiua propria vnius perſonæ eſt in alia perſona, & contrarius loquendi modus minus intelligibilem facit omnimodam diuinarum Perſonarum æqualitatem.

28 Probatur autem auctoritate Patrum. *Nazianzenus orat.49. quæ eſt de fide.*
18 *pag.* 733. loquens de Filio inquit. [Totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto, &c.] *S. Auguſt. lib. 6. de Trinit cap.*10. *in fine.* loquens de æqualitate Perſonarum ait, [Ita ſingula ſūt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnū omnia] quibus verbis apertè declarat omnes perfectiones, quæ ſunt in vna Perſona eſſe in alijs. *Idem Auguſt. lib. de Fide ad Petrum cap.*1. prope medium inquit, [Propter vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto eſt, totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto eſt, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre, & Filio] *Hilarius lib.3. de Trin. verſus finem. pag. mihi* 26. ſuper illa verba Ioann. 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*, ait [Quid diſtrahis Filium à Patre? vnum ſunt, ſcilicet is, qui eſt, nihil habens, quod non ſit etiam in eo, à quo eſt] *Cyrillus lib. 2. Theſ. cap.1 prope medium.* ſic loquitur, [Nihil enim propriū vni eſt, quod alteri non inſit, excepta ſolummodò *Patris*, & Filij appellatione] *Iſidorus lib. 1. ſent. cap.* 15. ait, [Nihil habet Pater, quod non habeat Filius] alios Patres vide apud Ruiz loco citato: probatur etiam concluſio authoritate S. *Thomæ in cap.16. S. Ioannis lect.* 4. his verbis [Simpliciter cōcedimus, quidquid habet Pater, habet Filius, non tamen eodem ordine, quo Pater habet, nā Filius habet, ſicut ab alio accipiens, Pater verò ſicut dans alij] ſic etiam diſcurrit *S. Bonauentura in 1. diſt. 19 p. 2. ar. 1. queſt.1. ad 3.* & alij ſcholaſtici.

29 Modus autem diuerſus habendi tactus fuit à S. *Thoma*; nam Pater habet à ſe, Filius à Patre, Spiritus Sanctus, ab vtroque. Explicatur etiam clarius à *Ruiz ſectione citata, num.* 13. vbi inquit quod, quamuis Pater præter eſſentiam habeat etiam formaliter filiationem; nihilominùs non habet illam, vt proprietatem, ſeù vt conſtitutiuam ſuæ Perſonæ, ſicut illam habet Filius; & ideò Pater non eſt Filius, licèt in ſe habeat totum Filium, eiuſque filiationem, tamquàm terminum ſuæ vitalis operationis, ſeù tamquàm verbum, & vt perfectionē ſibi debitam, ſine qua eſſet deficiens. præterea Filius habet in ſe totum Patrē, eiuſque Paternitatem, non tamquam conſtitutiuum, ſed tamquam principiū proprij eſſe. & in hoc ſenſu loquuntur Patres, & Eugenius IV. in litteris vnionis in fine Concilij Florentini: cum dicunt, omnia, quæ ſunt *Patris*, dati Filio, præter eſſe Patrem: ideò enim hoc aſſerunt, quia, licet Paternitas formaliter ſit in Filio, non eſt tamen forma conſtitutiua filij, vt diximus, ſed eſt in illo, vt principium proprij eſſe. denique ob eamdem rationem, Pater, & Filius ſunt in Spiritu Sancto, non vt conſtitutiuum, ſed tamquàm principium vitæ ipſius Spiritus Sancti. Hanc enim mutuā inexiſtentiam, Eccleſia declarat in hymno laudum Feriæ ſecundæ, dicens [in Patre totus Filius, & totus in verbo Pater] hoc autem nequit intelligi, vt benè probat *Suarez cap citat. nu.*10. ratione ſolius eſſentiæ, quia ſi vna perſona eſſet in alia ratione tantùm eſſentiæ, non aliter vna Perſona eſſet in alia, quàm ipſa eſſentia ſit in Perſona: qui num. 11. ait, quod mutua hæc exiſtentia Perſonarum, non poteſt eſſe ſola idoneitas, quam habent cum natura; vt ſic enim deberent dici Perſonæ eſſe vna natura, non autem vna Perſona eſſe in alia. probatur etiam, quia Filius, & Spiritus Sanctus ſunt termini actuum vitaliū immanentium: proinde Filius, vt verbum, debet eſſe coniunctus cum dicente, & pariter Spiritus Sanctus, vt amor, debet eſſe in amante, & Pater in vtroque, vt Principium vitale vtriuſque. Hæc omnia fusè explicant Authores agentes de circuminſeſſione diuinarum Perſonarum, quæ eſt mutua ipſarum inexiſtentia.

Ex his omnibus colligi poteſt iuxta fidei doctrinam, & communem Patrum ſenſum, Perſonas diuinas non ſolùm realiter, verū etiam formaliter eſſe æqualiter perfectas; quia infinita earum per- 30

fectio formaliter exigit, omnia, quæ ſunt in ſingulis, eſſe in omnibus, vt ex Auguſ. & alijs PP. vidimus. Deceptio autē huius Recētioris conſiſtit in eo, quod præciſiuè & reſtrictè conſiderans aliquā ex diuinis Perſonis, ſub tali determinato conceptu, relinquendo omnia alia, quæ eidem Perſonæ conueniunt, abſolutè, & non conditionatè infert talem Perſonam eſſe minùs perfectam. v.g. cōſiderans Spiritum Sanctum, vt procedentem per actum voluntatis, vt ſic, præſcindendo ab omnimoda perfectione, quæ eidem actui debetur ratione diuinæ eſſentiæ, ſeu quatenùs eſt diuinus, & comparando ipſum Spiritum Sānctum, prout ſtat ſub tali præciſione cum Filio, vt procedēte per intellectū, infert abſolutè Spiritum Sanctum procedere, vt minùs perfectum, quàm procedat filius; cum tamen deberet id ſolùm conditionatè inferre, videlicèt, ſi Spiritus Sanctus procederet per actum voluntatis, vt ſic, non contractum per eſſe diuinum, vtique minus perfectus procederet, quàm filius: ſeù deberet hoc pacto ratiocinari; Spiritus Sanctus ex vi huius conceptus ita præciſi non habet illam omnimodam perfectionem, & plenitudinem, quàm habet Filius, intelligēdo hoc præciſiuè, & non negatiuè; quia ex vi talis conceptus præciſi, licèt Spiritus Sanctus non habeat plenitudinem perfectionis, non tamē habet negationē talis plenitudinis, ſed abſtrahit ab vtroq; aliter hoc ipſū cogeremur dicere de Patre, & Filio: quia ſi quis, v.g. cōciperet Patrē, vt ſic, abſtrahēdo à tali paternitate, ex vi talis conceptus Pater ſic præciſus, non intelligeretur cum omnimoda integritate ſuę perfectionis, nempè nō intelligeretur, vt principium, et fōs totius Trinitatis; habet enim hoc, quatenus eſt talis Pater, & non, quatenus eſt Pater, vt ſic, vt de ſe patet; et ideò malè quis ex tali conceptu pręciſo deduceret abſolutè, Patrem nō eſſe omninò perfectum; ſed ſolùm poſſet deducere, conditionatè, videlicèt, niſi haberet rationem talis Paternitatis, non haberet omnimodam plenitudinem perfectionis: idem dico, de Filio procedente per intellectum, ſi conſideretur, vt procedens per intellectionem, vt ſic, et non per talem intellectionem; iſta enim duo ſunt valdè diuerſa, et non debent cōfundi, ſicuti confundūtur ab hoc authore hęc duo, ſcilicèt, Ex vi huius conceptus nō habet hoc, et abſolutè nō habet hoc; nā licèt non habeat ex vi talis conceptus; vt ſic, poſſet tamen id habere ex adiunctis. Et hęc ſufficiunt pro examine primæ, & ſecundæ propoſitionis prędicti Recentioris. Supereſt, vt in examen vocetur tertia propoſitio, in qua agitur de maioritate Patris, & minoritate Filij in Diuinis.

CAPVT VII.

Declaratur, in quo ſenſu Pater in Diuinis dicatur Filio maior.

APud aliquos Patres inuenitur talis 31
loquendi modus: aſſerunt enim Patrem eſſe Filio maiorem, ſed ne videantur Arianorum errori adhærere, temperauere hoc dictum, aſſerendo eſſe maiorē origine, quatenùs nō ab alio Pater, Filius verò eſt ab ipſo Patre. ſic loquitur *Nazianzenus, orat. 35. quæ eſt tertia Theologica. Athanaſius orat 2. contra Arianos verſus finem. Cyrillus Alexand. lib 2. theſauri cap. 3. poſt initiū ante medium. Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 9 & lib. 4. cap. 19 Epiphanius hær. 69 Anaſtaſius Sinayta lib. de recta fidei dog. Tertullianus lib. contra Praxeam. cap. 9* & alij: quem modum loquendi, cum vſurpauerint citati Auctores cum modificatione prædicta, poſtea aliqui ex Scholaſticis, & Commentatoribus hoc etiam dixerunt in cap. 14. Ioann. vbi Chriſtus loquens de ſe ipſo comparatiuè ad Patrem dixit [Pater maior me eſt] & licèt verba hæc quamplurimi verius explicent de Chriſto ſecūdum formam ſerui, nempe ſecundum humanam naturam; nihilominùs, quia aliqui etiam ex PP. exponunt verba illa de Chriſto, vt Deo, idcircò ſe ipſos declarant dicentes, Patrem eſſe Filio maiorem natiuitate, ſeù origine.

CAPVT VIII.

Vtrum propria ſit locutio, dicendo, Patrem in Diuinis Filio maiorem eſſe.

VIdimus à nonnullis Patribus primā Perſonam Sanctiſſimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, appellari Filio à ſe genito

to maiorem: placet hic autem breuiter expendere, an locutio iſta, ſpectando illius vocis ſignificatum, ſit propria, an verò impropria.

32 Dico igitur, quod quàmuis dicta Patrum debeamus omnes humiliter venerari, tamen non videtur debitæ obſeruantiæ in illos quicquam detrahi, ſi interdum vocibus, quas ipſi in aliqua materia aliquando vſurparunt, minimè nũc adhæreamus, niſi cum ea expreſſa limitatione, quàm ipſi exprimere intendebant, & ſub qua ab omnibus illius temporis accipiebantur, ſine æquiuocationis, atque erroris periculo, plura poſsẽ afferre exempla, ſed ſatis ſit vnum, aut alterum proponere. conſueuerunt quidẽ nonnulli ex PP. loquentes de arcano Incarnationis Myſterio, ita verba facere, vt dicerent, a Verbo diuino hominẽ fuiſse aſsumptum: ſic *Cyprianus lib. de vanit. Idolorum. Hilarius lib. 9. de Trinit. pag. mihi 181. Auguſt. lib. 1. de Trinit. tom. 7. & de agone Chriſti cap. 11.* Hæc autem locutio non eſt propria, vt rectè notat *S. Thomas 3 part. qu. 4. art. 3. ad primũ*, qui idcircò ait, piè eſſe exponendam, quando inuenitur apud Sacros Doctores, nempè voluiſſe per hominem intelligere humanam naturam. quod etiam notauit *Suarez. Valentia*, alijque Comm. ibidem: & probatur teſtimonio Felicis Papæ, quod refertur in Concilio Chalcedonenſi poſt finem Synodi Nicenæ.

33 Rurſus Patres Greci appellare conſueuerunt Patrem æternum cauſam Filij, vt loquuntur *Nazianzenus orat. 29. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 8.* & alij intelligentes nomine cauſæ principium, à quo filius per generationem procedit: ſed quia iuxta communem, & vſitatum modum loquendi, nomen cauſæ importat dependentiam vnius ab alio, idcircò *Latini* non vtuntur tali nomine: & ſic diſcurrere poſſumus in quibuſdam alijs ſimilibus, proindè *Pererius* noſter exponens verba illa Chriſti, Ioannis 14. [*Pater maior me eſt*] & plures interpretationes referens, & inter alias eam, ſecundum quam Patres aliqui dicunt, ea verba intelligi de Chriſto, vt diuina Perſona, ait, eſſe impropriam locutionem; licèt enim pater ratione originis dici poſſet prior Filio, nõ tamen maior: hinc ſumendo hanc vocem pro illa, eſſe impropriam locutionem; nam iuxta germanam ſignificationem maius ſignificat quantitatem, ſiue molis, ſiue virtutis; & ideò non debet *Deo* tribui ad intra, nẽpè vni *Perſonæ* reſpectu alterius; cum iuxta fidem, & ſecũdùm *PP.* vt vidimus, vna Perſona nõ ſit perfectior altera. Hũc modum loquendi neque videtur approbaſſe *Maldonatus* in expoſitione illius loci, & *Cornelius à Lapide*, ibidem fatetur, plus æquo fuiſſe Arianis conceſſum à *Patribus*, & intricatiùs reſponſum. Ex his autem concludo, modũ hunc loquẽdi applicatum Chriſto Domino, quatenus eſt *Perſona* diuina, & non quatenùs Homo, eſſe improprium (ut recurramus ad verum, & catholicum ſignificatum ab ipſis PP. intentum, & à me explicatũ cap. præcedenti in fine.) non damnandum tamen, neque improbandum, quia eo patres, & alij vtuntur.

CAPVT IX.

Vtrum poſſit Filius dici Patre minor.

LOnge difficilius eſt id, quod ſecundo loco examinandum propoſui, nempè, an ſicuti *Pater* modo explicato dicitur maior, ita etiam Filius dici poſſit Patre minor. quæſitum plura ad ſui deciſionem poſtulat.

§. I.

Aperitur vera ſententia.

NVlla ratione Filius in diuinis poterit dici Patre minor. Abſtineo nũc a cenſuris, & ſolum mihi in præſentia ſatis erit aſſeruiſſe, ſententiam huic contrariam eſſe indubitanter falſam, vt ait *Pater Suarez in 3. p. diſput. 43. ante primam ſectionem*, niſi apponatur aliquod conueniens determinatiuum, nempè dicatur perſona verbi minor ratione naturæ aſsumptæ. ſic Suarez, id. n. abſq; tali determinatiuo repugnat verbo diuino. Sed huius Auctoris doctrinam fuſiùs infra declarabo. probanda igitur erit concluſio prius doctrina PP. poſtea Scholaſticorum. 34

§. II.

§. II.

Firmatur Concluſio Patrum authoritate.

35 PAtres de re hac loquentes ſunt in duplici differentia, nam aliqui expreſsè negant, Filium eſſe Patre minorem: Alij verò, quamuis ita explicitè id non dicant, nihilominùs agentes de æqualitate diuinarum Perſonarum, ita loquuntur, vt ex eorum doctrina hoc ipſum apertè deduci poſſit, vt mox videbimus. exordiar autem à Concilijs.

Concilium Toletanum 6 in confeſſione Fidei c. 1. hæc habet verba. [In hac autem Trinitate tanta eſt vnitas ſubſtātię, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in ſingulis, quàm in omnibus, nec minor in omnibus quàm in ſingulis perſonis manet] & clariùs in *Concil. etiam Tolet. XI* in confeſſione Fidei pluries aſſeritur, Filium non eſſe Patre minorem, niſi ſecundum naturā humanam aſſumptam: & paritèr inſtituto ſermone de Spiritu *S*ancto ſic habetur [Hic ergo *S*piritus Sāctus miſſus ab vtrilque creditur, ſed minor Patre, et Filio non habetur.

Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 35. quæ eſt prima Theologica in editione habita *Lutetiæ* Pariſiorum 1609. num. 43. ſic inquit, [Nos autem hoc dumtaxat dicere non dubitamus. ſi magnum Patri eſt à nullo profectum eſſe, non minus illuſtre Filio eſſe, ex tali Patre prodijſſe. Nam, pręterquam quod glorię Illius, qui cauſam à nullo habet, particeps eſt, quia ex eo eſt; accidit etiā generationis decus, res tanta, tamque veneranda, ijs vtique, qui non omninò humi prouoluti ſunt, craſſoque animo præditi] vide, quo pacto Gregorius cōparando Filium cum Patre ſecundum actus notionales, videlicèt ſecundum quod a nullo eſt, et quod eſt ab alio, aſſerat hoc ſecundum non eſſe minus magnum, quàm ſit primum. *Elias Cretenſis* in additionibus eamdem doctrinam ibidem tradit.

S. Hilarius lib. 9. de Trinit pag. mibi 182. *lit. F.* ſic loquitur [Maior eſt Pater donantis auctoritate, ſed nō minor eſt Filius, cui vnum, et idem eſſe donatur, ec cui tantum Pater donat eſſe, quatenùs ipſe eſt. Maior eſt Pater, dum pater eſt, ſed non minor eſt Filius, dum filius eſt; quia natiuitas *F*ilij *P*atrem cōnſtituit maiorem, ſed minorē *F*ilium eſſe, natiuitatis natura non patitur] clariùs loqui non poterat.

Cyrillus lib. 1. in Euangel. S. Ioann. cap. 3. exagitans hanc quęſtionem, per totum caput, apertiſſimè pluries negat Filium eſſe *P*atre minorem; hæc enim initio illius capitis habet [quibus ergo ſupplicijs digni non ſunt, qui minorem quodammodo, aut diſſimilem genitori vnigenitum arbitrantur? qui eò impietatis profecti ſunt, vt hoc proferre non dubitent, parum de rebus tam magnis attendentes; nullo enim modo minorē *P*atre Filium eſſe, rationibus multis. atque firmiſsimis à fonte ſcripturarum ſcaturentibus diſcemus,] attende quā ſtrictè Sanctus iste Doctor loquatur, vt nullo modo Filium dici poſſe Patre minorem exiſtimes. Poſtea diſcutit quęſtionem, & argumentis validiſsimis id probat, eamdem reperendo ſententiā, quam etiam docet lib. de Synodis inter medium, & finem pag. 349. dicens. [Patrem in eo maiorē eſſe, quod Pater eſt; Filium non minorem eſſe in eo, quod Filius eſt] & inferius pag. 350 in fine ait [Pater ingenitus eſt, *F*ilius natus eſt, ſubſiſtit ex Patre, Patri ſimilis eſt virtute, honore, natura.]

Sāctus Chryſoſtomus in cap. 1. Euang. Sancti Ioan hom 4. circa medium Explicans verba illa, [omnia per ipſum facta ſunt, &c.] & comparans *F*ilium cum *P*atre, inter alia hęc habet, [vltimę namque, & amentię, & audacię, quę incompatabili conuenirent naturę, ea ad minorem, & quę illa indigeret, deducere: verum neque minor eſt *F*ilius, neque Patris indiget ſubſtantia.]

Sanctus. Leo Papa ſermone ſecundo de Pentecoſt. cap. 3. ſic ait [quod enim Pater eſt, hoc eſt, & *F*ilius, hoc eſt, & Spiritus Sanctus, & vera Deitas in nullo eſſe, aut minor, aut maior poteſt, quę ſic in tribus confitenda eſt *P*erſonis, vt ſolitudinem non recipiat Trinitas, & vnitatem ſeruet ęqualitas. [itē *ſerm. 3. cap. 1. de Natiuit. Domini.* ſic loquitur de *F*ilio [& quàmuis alia ſit, quę ſuſcipitur, alia verò, quę ſuſcipit; in tantam tamen vnitatem conuenit vtrinſque diuerſitas, vt vnus, idemque ſit *F*ilius, qui ſe, & ſecundum quod verus eſt homo, Patre dicit minorem, & ſe-

cun-

Digitized by Google

dum quod verus eſt Deus, Patri profitetur æqualem] his verbis tribuitur eſse minorem à Sancto Leone ſolùm Filio, quatenus eſt homo, & non quatenùs eſt diuina Perſona. Et poſt pauca idem Sãctus inquit [Sacramentum ergo cum infirmitate virtutis propter eamdem hominis naturam, minorem Patre dici filium ſinit: Deitas autem, quæ vna eſt in Trinitate Patris, Filij, & Spiritus Sãcti, omnem opinionem inæqualitatis excludit] attende quæſo quo pacto Sãctus Leo minoritatem tribuat, dumtaxat Filio, vt habenti naturam humanã, & omnem inæqualitatem excludat ab eodem Filio ſecundum perſonam diuinam.

Sanctus Ambroſius *lib.4 de Fide cap.* 4. ante medium loquens de diuinis Perſonis sic ait [Cur, inquiunt, Filius Pater non eſt? quia, & Pater Filius non eſt. cur non ille generauit? quia nec ille generatus eſt, nec ideò minus habet Filius, quia Pater non eſt, nec Pater minùs habet, quia Filius non eſt; dixit enim Filius. Omnia, quæ Pater habet, mea ſunt.]

S. Auguſtinus innumeris penè locis hanc veritatem explanat: adducam vnum, aut alterum locum. contra *Maximinum lib.* 1. *num.* 19. loquens de Spiritu Sancto comparatiuè ad Patrem [Dictum eſt, *inquit*, Patrem *F*ilio maiorem eſse, quia in forma ſerui erat *F*ilius, nam de Spiritu Sancto, qui nullam ſuſcipit creaturam ad vnitatem perſonæ ſuæ, nunquam dictus eſt eo maior Pater; numquam dictum eſt minor Patre.] ſi autem iuxta mentem Auguſtini. Spiritus Sanctus non dicitur minor, neque *F*ilius debet dici Patre minor, nisi ſecundum formam ſerui. *& lib.* 3. *contra eũdem Maximinum cap.* 14. circa medium loquens de *F*ilio, habet hæc verba: [*Si* propterea Deum Patrem, Deo *F*ilio dicis *Au*ctorem, quia ille genuit, genitus eſt iſte, quia iſte de illo eſt, non ille de iſto, fateor, & concedo: ſi autem per nomen Auctoris minorem vis facere *F*ilium, Patremque maiorem, nec eiuſdem ſubſtantiæ *F*ilium, cuius eſt Pater, deteſtabor, & reſpuam] Rurſus *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 20 loquens de miſsione perſonarum, & docens, *F*ilium miſsum fuiſse a patre, quia ille pater eſt, ille verò filius, addit, ex hoc non ſequi inæqualitatem, neque maioritatem; quamobrẽ sic inquit [si autem ſecundum hoc miſſus à Patre *F*ilius dicitur, quia ille Pater eſt, ille *F*ilius, nullo modo impedit, vt credamus æqualem *Patri* eſse *F*ilium, et conſubſtantialem, et coæternum; & tamen a *P*atre miſsum *F*iliũ, non quia ille maior eſt, ille minor; ſed quia ille *P*ater, ille *F*ilius; ille genitor, ille genitus, ille a quo eſt, qui mittitur, ille, qui eſt ab eo, qui mittit; *F*ilius enim à *P*atre eſt, non *P*ater à *F*ilio] vide Auguſtinum, quomodo ponat miſsionem paſſiuam in *F*ilio, qui eſt ab alio, & generatus, & miſſionem actiuam in Patre, qui non eſt ab alio, et generat: et tamen negat ſecundum hos actus notionales, *P*atrem dici maiorem, *F*ilium verò minorem.

Extat etiam *in tom.* 4 S. *Hieronymi Epiſtola* 18. cuius titulus eſt *Explanatio Fidei ad Cyrillum*; & licèt hæc Epiſtola incerti sit Authoris, nihilominùs, quia ſatis eſt erudita, placet eius verba, quæ faciunt ad rem noſtram referre, nã paulo ante finem sic illa habet [in hac Trinitate nihil minùs nihil inæquale eſt, &c.] ergo *iuxta* huius Auctoris ſententiam *F*ilius in Trinitate non erit *Patre* minor.

Sanctus Fulgentius ad Monimum lib. 3. *circa finem pag.* 144. sic inquit. [Tantumque eſt ipſum verbum, quanta simul eſt mens ipſa cum verbo; neq; sic de illa naſcitur, vt ab ea localiter ſecernatur; natiuitas quippe illa, quæ oſtendit quid sit, et de qua sit, ipſa oſtẽdit, quod extra eam, de qua natum eſt, eſse nõ poſſit, nec in aliquo minus ſit: ſed sic de ipſa sit, vt apud ipſam, et in ipſa sit, tantumque sit de illa, quantum in illa, et tantum in illa, quantum cum illa] Hæc S. *F*ulgentius.

Rurſus *in diſcuſſione obiectionum Arianarum* reſpondens ad ſecundum sic dicit [Nec enim fieri poteſt, vt ſempiterno, & immenſo Patre, minus aliquod *F*ilius habeat] præterea *lib. de Trinit. ad Felicem notarium pag.* 148. poſt multa, quibus oſtendebat æqualitatem inter diuinas Perſonas ait, [Ergo non tenetur ſub vnius Dei profeſſione, ſed Ethnicorum more, plurimorum Deorum cultui mancipatur, dum Deum *Pa*trem maiorem, Filiumque minorem, & Spiritum Sanctum pluſquàm minorem, præſumptione blasphemat] attendi debet exprobratio, qua Fulgentius reijcit inæqualitatem, et alias duas Perſonas eſſe Patre minores.

Richardus à S.Victore lib.3.de Trin. cap. 7. ſic loquitur de *Patre*, & *Filio*, in diuinis [Vbi autem vterque eſt diligendus, oportet, vt vterque ſit æquè perfectus: vt autem ſint per omnia æquales, oportet, vt ſint per omnia ſimiles. ſi autem *Filius* eſſet minor, Richardus nō diceret, eſſe æquè perfectum, & omninò ſimilem cum Patre; nam minoritas diceret diſſimilitudinem, & inæqualitatem inter diuinas Perſonas: & ideò ſic habet [Inter hæc aliquis fortaſſis humanum aliquod cogitans de diuinis perſonis, illam perſonam maioris dignitatis reputát, & cæteris excellentiorem indicat, quæ à ſemetipſa habet totum, quod eam habere conſtat: ſed abſit, quod ibi credatur eſſe aliqua dignitatum diſtātia, vbi verè, & abſque dubio eſt æqualitas ſumma: ſed qui hoc per intelligētiam, necdum capit, eſt vnde cogitationem ſuam ex alia cogitatione reprimere poſſit], & proſequitur poſtea ad eādem æqualitatem probandam.

*S.Anſelmus in proſologio.cap.*23. inquit, [Hoc bonum es tu, Deus Pater, hoc eſt verbum tuum, ideſt *Filius* tuus, etenim non poteſt aliud, quàmquod eſt, aut aliquid maius, vel minus te eſſe in verbo, quo te ipſum dicis, quoniam verbum tuum ſic eſt verum, quomodò tu es verax] & poſtea loquens de *Spiritu* Sancto ait, [nam idem amor non eſt impar tibi, aut *Filio* tuo] ecce quomodò Anſelmus ponat omnimodam paritatem inter diuinas Perſonas, & neget vnā eſſe altera minorem.

§. III.

Probatur eadem Concluſio Scholaſticorum Teſtimonio.

36 OMnes ferè Scholaſtici hoc ipſum ſētiunt, nempè *Filium* in diuinis dici non poſſe *Patre* minorem. placet illos hìc diſtinctè referre.

Magiſter Sent. in 1. *diſtint.* 16. *in fine*.

*S. Thomas p.p.quæſt.*33.*art.*1.*ad ſecundum, & diſt.* 16. *citata in fine, tum etiam opuſculo* 1. *cap.* 2. *in fine, & alibi*.

S. Bonauentura in 1.*diſt.*15.*in fine diſput. de Miſſione Perſonarum pag. mihi* 219.*& diſtinc.*16.*initio p.* 234.

*Ludouicus Caſpenſes in curſu Theol.de Trinit.diſput.*2.*nu.*107. 108. 110.

Philippus Gammacheus in p. p. quæſt. 27. *cap.*3. *in fine obiectionum*.

Paſqualigus in ſua Theol. diſp. 56 *ſect.* 3. *nu* 23 *& ſeq.*

Malderus in p. p quæſt 42. *art* 4.

Clemens Brancaſius tract. de Deo lib. 3. *diſput* 1. *qu* 8. *pag* 31.

Andreas Lao ſeu à Cruce in quæſt. Theolog in p. p. S. Thomæ quæſt. 42. *art.* 4 *diſput* 22 *dub vnico pag.* 266.

*Salmaticenſes tract.*6. *de Trinit. diſp.*6. *dub.*2.*nu* 24.

Ioannes Morandus in p. p. tom. 1. *tract.* 6. *quæſt.* 11. *n.* 574.

Et prędicti extra Societatem Ieſu: è Societate verò habentur.

Suarez, p. 3. *diſput.* 43. *initio ſupra citato, & lib.*2. *de Trinitate cap.* 4. *nu.* 6. *lib.*3. *cap.*8.*n.*7. *lib.*4. *cap.*10. *num.* 7. *cap* 15. *num.* 9.

*Bellarminus tom.*1 *contr. lib.* 1.*cap.*16.

*Gretſerus in defenſione ipſius Bellarmini aduerſus Iunium Danaeum lib.*1.*de Chriſto cap.*14.15.16 *pag.*61.

Valentia in p. p quæſt 16 *punt.* 10.

Molina in eamdem p.p qu. 42. *art* 4.

Florauante de Trinit. titulo de diuinis relationibus in fine.

*Ioſeph de Auguſtino qu.*42.*art.* 6.

*Granadus tract.*14.*diſp.*2. *per totam.*

Arrubal diſp. 15.*cap.* 1.

Coninck diſput. 6 *dub.* 11. *nu.* 130. *& dub.* 19. *num* 119.

*Ludouicus Cellotius de Hierarchia ſuprema cap.*1.

*Perez de Trinit.diſput.*13 *ſect.* 5. *nu.* 2.

Ioannes Prepoſitus quæſt. 42. *caroll.* 2. *num.* 12.

*Tannerus diſp.*4.*dub.* 8. *num.*8.

Martinòn diſput. 25. *ſect.* 10. *ad ſecundum.*

*Meratius diſp.*56. *num.* 11.

Ruiz diſput. 50. *ſect.* 2. *num.*14. *&* 19.

*Franciſcus Amicus diſp.*25.*num.*19.26.

Franciſcus Delugo lib. 2. *diſp.* 24. *cap.* 1. *num.* 6.

Arriaga tom. 1. *diſput.* 44.*ſect.*1. *num.* 16. *& d.*49.*nu* 12. *&* 17.

Didacus Alarcon tract. 5. *diſput.* 3. *cap.* 5.

Ambroſius de Peñaloſa de Trinit.diſp. 4.*num.* 7.

Ex Commentatoribus S. Scripturę.

37 *Maldonatus in cap. 4. S. Ioann. ſuper illa verba Pater maior me eſt.*
Pererius ibidem.
Cornelius à Lapide etiam ibidem.
Adamus Contzen in S. Ioann. cap. 14. ſuper illa verba: Pater maior. &c.

38 Dices, Auctores citatos congruentèr explicari poſſe, ſi dicamus quod, cum negant *Filiũ* eſſe *Patre* minoré, loquãtur realiter, nõ autẽ formaliter, ſeu præciſè, quatenùs ipſæ perſonæ dicunt proprietates relatiuas abſtractas ab eſſentia diuina; quia realiter loquendo, cum relationes identificentur cum natura, & ſint vna, eademque res, nequit in illa realitèr inueniri maius, & minus. ita aliqui reſponderunt mihi; ſed explicatio eſt omninò reijcienda: primò, quia in ordine ad illud *Filius* negatur eſſe minor, in ordine, ad quod admittitur ab ipſis Pater eſſe maior: at realitèr loquendo, cum in ordine ad eſſentiam ſit identitas vna numero; nequit filius reſpectu eſſentiæ dici minor, & Pater maior, cum *in* eſſentia ſint realiter vnum; ergo ſermo debet eſſe in ordine ad proprietates, ſeu relationes perſonales inter ſe comparatas: & hoc pacto, ſi Pater ratione paternitatis diceretur maior, *Filius* verò minor, ſermo eſſet non ſolũ in ſenſu formali, ſed reali; quia extrema huius comparationis ſunt inter ſe realiter diſtincta: & ideò Auctores cum admittant maioritatem quamdam in Patre, & minoritatem negent in Filio, debent loqui de ipſis relationibus præciſè ſumptis, & inter ſe realiter diſtinctis, & non quatenùs identificantur in tertio, nempè in eſſentia, ſecundum quam, vt demonſtratum eſt, nulla maioritas, & inæqualitas eſſe poteſt, ſed ſũma vnitas, & æqualitas.

39 Secundò reſpondeo; ſi Auctores ſolum loquuti fuiſſent de *Filio* ſecundum naturam, & non ſecundum perſonalitatem, ſeù relationem præciſè ſpectatam, non debuiſſent abſolutè negare *Filium* eſſe minorem, quia falſò id negaretur, cum in ipſo Filio inueniretur verè minoratio, iuxtà falſa eorum principia, nempè ſecundum proprietatem originis à Patre: & hoc, quia negatio, cum ſit maligantis naturæ, ſi apponatur prædicato, illud remouet à ſubiecto, & ſignificat, ſub nulla ratione prædicatum conuenire ſubiecto: & ideò ob hanc rationem, cum Filius ſecundum proprietatẽ realiter diſtinguatur à Patre, quàmuis non diſtinguatur ſecundum naturam, falsò negaretur abſolutè non diſtingui: & ita propoſitio hæc, Filius non eſt à *Patre* diſtinctus, vt iacet, eſt hæretica, quia ratione illius negationis ſignificaretur, ſub nulla ratione eſſe diſtinctum; ſufficit ergo ſub vna ratione diſtingui, licèt ſub alia non diſtinguatur, ad hoc, vt nequeat abſolutè negari diſtinctio: quod autem dicitur de diſtinctione, dici etiam debet de minoratione, ſi reuerà daretur in Filio; æquè enim illi conueniret in ordine ad *Patrem*, & diſtinctio, & minoratio ſecundum proprietatem præciſè ſpectatam: cum autem Patres, & Scholaſtici negent, Filium eſſe minorẽ, ſignum euidens eſt, nullam in ipſo minoritatem agnoſcere.

CAPVT X.

Satisfit argumentis in contrarium adductis ex natura rei.

ARgumenta, quæ fieri poſſunt in hac materia, partim ſunt deſumpta ex ratione, partim ex dictis quorumdam, qui videntur oppoſitũ admittere: ideòque conueniens eſt, vt diſtinctè omnia conſiderentur. quod maioris claritatis gratia varijs paragraphis comprehendam.

§. I.

Soluitur Argumentum ex natura correlatiuorum deſumptum.

PRæcipuum Argumentũ, quod in hac materia fieri poterit, eſt ex correlatiuis, quorũ ſi datur vnum, videtur neceſſario aliud eſſe dandum; relatiua enim, vt docet *Philoſphus cap. ad aliquid*, ſunt ſimul natura, & cognitione, & ſi datur v.g. Dominus, dari debet ſeruus, & ideò ſi in diuinis Pater dicitur maior, Filius minor dici debet in ea ratione, qua ille eſt maior. 40

Hanc difficultatem proponit *S. Thomas in 1. diſtint. 16.* in fine expoſitionis textus, declarans dictum Sancti Hilarij admittentis Patrem eſſe maiorem, & negantis Filium eſſe minorem, quod etiam exponit *Magiſter ibidem*. breuiter autem doctrina S. Thomæ conſiſtit 41

Digitized by Google

in hoc, quod dans, & recipiens poſſunt dupliciter conſiderari, vel quantum ad rem ipſam, quæ datur, vel quantum ad donationem: ſi priori modo ſpectentur, aliquandò dans eſt maior eo, cui datur, vt euenit, quando donatarius minus recipit eo, quod eſt in donante, cum vero tantumdem recipit, tunc eſt ęqualis, vt accidit in generationibus vniuocis; ſi verò ſpectentur poſteriori modo, nempè ratione ipſius donationis, ſic donãs, vt donans, quamdam habet dignitatem; accipiens verò nullam habet imperfectionem ex hoc, quod accipit, niſi minus recipiat. his poſitis applicat ſanctus Doctor hanc doctrinam ſubiectæ materiæ; ideòque ait, quod ſi in diuinis Pater, & Filius comparentur quantum ad rem ipſam, quæ datur, Pater non erit Filio maior, & Filius non erit Patre minor, quia eamdem numero naturam, quæ eſt in Patre, Filius recipit; ſi vero comparentur quantum ad ipſam donationem, ſic Pater dicitur maior, quatenùs maior importat perfectionem cuiuſdam dignitatis, & non magnitudinem; Filio verò, quia perfectè recipit quidquid habet Pater, nequit conuenire aliqua minoratio: & ideò infert, quod, licèt Patri attribuatur Anthoritas, Filio tamen non tribuitur ſubauthoritas, niſi per abuſum loquentium. & hoc totum confirmat ex Sancto Hilario.

42 Alij verò diuerſo modo reſpondent ad prædictum argumẽtum; aiunt enim, quod in diuinis, quando vnum correlatiuum ex modo ſignificandi ſonat imperfectionem, etiam ſi detur vnum relatiuum, non erit admittendum aliud imperfectionem importans, ita *Franciſcus Amicus de Deo diſp. 25 ſect. 1. n. 21.* qui id probat ex doctrina Sancti Thomæ.

43 Alij inquiũt, quod, quamuis ex ſua inſtitutione vox iſta maior dicat relationem ad aliud, ſeu comparationem excedentis ad exceſſum; nihilominùs in diuinis *Perſonis* vox illa, maior, importat tantum relationem, & non propriã & perfectam comparationem, niſi verbaliter; ideòque Pater dicitur maior Filio, tamquàm termino relationis, non tamquam termino comparationis, ſicut dicitur Pater principium Filij, Filius verò non dicitur principiatus, vt *S.* Thomas docet. ita *Andreas Lao ſuperius citatus in p. p. quæſt. 42. art. 4. diſput 12. dub. vnico.*

Denique *Clemens Branroſius, tr. de Deo lib 3. diſp. 1 qu. 8. ait,* hos terminos. Maior, *Principium,* &c. dupliciter ſumi poſſe Logicè, & Theologicè: Logicè eſſe correlatiuos, & ex vno aliud inferri, quia logica attendit ad formã arguẽdi, Theologicè verò non ita, nam Theologia ſpectat materiam, cui forma illa applicatur.

Omnes hę reſponſiones ſunt probabiles, ſolidius tamen mihi videtur dicẽdum, quamuis in rebus creatis, ly, Maior, ſit correlatiuum minoris, & ſũdetur in magnitudine, vel molis, vel perfectionis; in diuinis, tamen iuxta ſenſum vſurpatum à patribus tali vtentibus vocabulo, vocem illam, Maior, non ſumi quatenùs importat magnitudinem, vt ſupra adnotauimus ex Sancto Thoma, ſed quatenùs dicit prioritatem originis, cuius correlatiuum eſt poſterioritas originis: cum autem ex pluribus locis ſacrę Scripturę, habeamus æqualitatẽ eſſe inter diuinas Perſonas, & in Symbolo Fidei dicatur expreſsè, neque eſſe minus, neque maius, non erit nobis licitum aſſerere, Filium eſse Patre minorem, ne videamus errori Arianorum ſauere. Et ſi vrgeas, quod neque deberemus aſſerere, Patrem eſse Filio maiorem, cum eodem modo in ſymbolo negetur minus, ſicuti maius, reſpõdeo, apud Patres vocem illam, Maior, inueniri vſurpatam cum addito; dicũt enim, Patrem eſse maiorem, quatenùs maior importat principium originis, à quo aliæ diuinæ perſonæ procedunt. & ſi dicas, in eodem ſenſu poſse dici Filiũ minorem, addendo eamdem limitationem, nempè minorẽ, quatenùs ab alio originẽ habet, adhuc reſpondeo; licèt in rigore cum prędicta limitatione, & declaratione, ex ſuppoſitione, quod Pater dicatur eſse maior, in eodem ſenſu dici poſſit Filius minor; nihilominùs quia Patres communiter abhorruerunt à tali loquendi modo, & dicentes *Patrem* eſſe maiorem dicunt, ex hoc non ſequi Filium eſse minorem; propterea in hac materia non debemus recedere a modo loquendi Sanctorum Patrum. & ratio diuerſitatis in vſu vtriuſque vocis eſſe poterit, quia maior importat quamdam dignitatem, ſeu authoritatem conuenientem primæ perſonę, & minor in ſuo ſignificato importat inferioritatem, & im- 44

Digitized by Google

imperfectionem, quæ verbo diuino nõ eſt tribuenda, ſicuti ob eamdem rationẽ. S. Thomas, vt ſupra vidimus, ita concedit Patri authoritatem, vt neget Filio ſubauthoritatem.

§. I I.

Satisfit. argumento deſumpto ex inæqualitate formali Diuinorum Attributorum, & Actuum.

45 EX diuinis attributis, & actibus ita formari poterit argumentum. Dei bonitas, vt ſic, formaliter importat quid maius ſecundum conceptum explicitum, quàm importet, v. g. Miſericordia, Omnipotentia, &c. ergo perſona Patris ſecundum conceptum explicitum formaliter importat quid maius, quàm perſona Filij, & perſona Filij quid minus. antecedens probatur: Miſericordia, Omnipotentia, &c. ſecundum proprias rationes præciſè ſpectatas minorem dicunt perfectionem, quàm bonitas etiam præciſè conſiderata, nam motiuum Bonitatis, vt de ſe patet, eſt præſtantius motiuo Miſericordiæ, &c. licèt realiter, & identicè omnia attributa ſint æqualia; & vnum non ſit altero maius, (& idem dici poterit de actibus
17 diuinis; nam actus, quo Deus v. g. Angelos amat, explicitè eſt nobilior actu, quo amat formicam) quæ ſententia à nonnullis defenditur: Conſequentia probatur à pari; quia non videtur maior ratio, cur inter attributa, & actus admitti poſſit inæqualitas modo explicato, non autem inter perſonas. Hęc eſt vna ex pręcipuis rationibus, quibus Auctor iſte ducitur ad tuendam ſuam ſententiam, per quàm ponit formaliter, & ſecundum conceptum explicitum inter diuinas perſonas inęqualitatem.

46 Reſpondeo primò, quamuis falſum cenſeam antecedens, quia oppoſita ſententia, quę inter attributa, & actus, vt diuinos, omnimodam admittit æqualitatem, eſt communior, & tutior, & fusè eam examinat *Eminentiſſimus* Ioannes *Delugo diſput. 2. de* Incarnat. *ſect.* 5. & alij apud ipſum, quàm ego in pręſentia examinare nolo; nihilominùs, etiam dato antecedente, neganda ęſt conſequentia ob euidentem diſparitatem, inter attributa, & perſonas: duplex autẽ ſe offert diſcrimen; primũ eſt: quia attributa (& idẽ intelligo de actibus, qui terminantur ad creaturas) primò, & per ſe eſſentialem dicunt reſpectum ad extrinſecum obiectum, ſiue, vt complementũ, ſiue vt terminum eſſentialem connotatum: & ſic non debet eſſe mirum, in ipſis ſub tali reſpectu pręciſè conſideratis, aliquam inueniri inæqualitatem: ſed Perſonę diuinæ ab intrinſeco primò, & per ſe complentur; proindè non habent ex hoc capite, vndè inæqualitatem deſumant, neque vndè vna ſit maior, altera minor ſecundum intrinſecam perfectionem; propterea realiter, & formaliter excludunt omnem inęqualitatem. Secundum eſt, quia ex ſacris litteris Cõcilijs, & Patribus abſolutè, & abſque vlla diſtinctione expreſſum habemus, Perſonas diuinas inter ſe eſſe ęquales, vt ſupra vidimus; de attributis autem, & actibus, id determinatum non habemus; ideòque, ad vitandos diuerſorũ Hæreticorum errores ponentium in ipſis Perſonis inęqualitatem, abſtinere omninò debemus ab omni eo, quod inęqualitatem ſonat, & toto conatu amplecti ſententias illas, quę fauent omnimodę diuinarum Perſonarum ęqualitati.

C A P V T XI.

Diluuntur Argumenta adducta ex Authoritate.

NOn deſunt, qui expreſsè videantur aſſerere Patrem in diuinis eſſe Filio maiorem, Filium verò Patre minorẽ. citatur *Gregorius Bæticus lib. de Trinitate* contra Arianos, qui extat in 4. tom. veterum *PP.* Pariſijs impreſso anno 1589 poſt medium enim loquens de Filio ſic ait [Quà Deus Patri ęqualis eſt Filius, tamen quà Filius minor dicitur Patre.] 47

Rurſus citatur *Clithouæus in cap. 11. lib. 1. de fide in Damaſcenum*, vbi non ſecundum naturam, ſed ob rationem originis docet in diuinis inueniri perſonalem perfectionem, ſic inquiens [Nam principalior eſt exiſtendi modus Patris, qui à nullo eſt, quàm cęterorum duorũ, qui ab alio ſumunt originem: principalior item modus eſt ſubſiſtendi Filij, & ratione ordinis perfectior, quam Spiri- 48

tus Sancti ab eo procedentis] hęc Clithouæus. Laudatur etiam *S. Cyrillus lib. 2. Theſ. cap.* 3. dicens Filium eſſe minorem ſecundum formam ſerui aſſumptam, aut ſecundum quod ex Patre eſt, & ſic videtur Filio tribuere minoritatem reſpectu vtriuſque generationis temporalis, & æternæ.

49 Præterea adducitur *Vaſquez in primam partem diſp.* 122. *cap.* 5. *n.* 15. interpretans verba Sancti Hilarij dicentis, Patrem ratione natiuitatis, ſeù originis eſſe *F*ilio maiorem, Filium verò non eſſe Patre minorem, & aſſerens, debuiſse Hilarium ex maioritate Patris inferre minoritatem *Filij*; quia maior, & minor relatiuè dicuntur. Eſt etiam *Faſolus p. p. quæſt.* 33. *art.* 1. *dub.* 2. *nu* 13. qui, poſtquam dixit non valere hanc cōſequentiam, Pater eſt principium Filij, ergo Filius eſt principiatus, ſicuti Hilarius ex eo, quod Pater authoritate donantis ſit maior, negat Filium dici poſſe minorem, ſubdit hæc verba, [Verum ſi quis contenderet, quod ſicuti Pater non eſt ſimpliciter Filio maior, ſed solū ſecūdum quid, ratione cuiuſdam authoritatis; ita Filius non ſit ſimplicitèr minor, ſed ſecundum quid ratione cuiuſdam authoritatis, quam non habet reſpectu Patris, non video, quomodò poſſit conuinci] hæc *Faſolus*, qui poſtea progreditur probans Filium dici non poſſe principiatum, neque principiatū eſſe correlatiuum principij.

Ex dictis igitur prædictorum, videtur propoſitio, qua dicitur Filius eſſe Patre minor, quatenùs eſt à Patre, Pater verò à nullo, non omnino repellenda, cum videamus, ab aliquibus talem loquendi modum vſurpari.

Reſpondeo Auctores citatos eſſe rectè explicandos, eorumque doctrinam diligenter conſiderandam: perſpectis enim omnibus videbitur, aut nihil, aut parum ipſi argueuti fauere. vt autem hoc clariùs deprehendatur diſtinctè hic examinabimus doctrinam prædictorum Auctorum, examen diuidendo per diuerſos paragraphos.

S. I.

Expenditur doctrina ex Gregorio Baetico allata.

50 QVantum ſpectat ad Baeticum, Reſpondeo primò negando, illum fuiſſe libri citati Auctorem; Auctor enim fuit Fauſtinus Diaconus Schiſmaticus, ideòque nullius authoritatis; nam & ſi in antiquiori editione Lutetiæ Pariſiorum 1589. liber ille, ſub eiſdem omninò verbis in duobus locis tom. 4. Bibliothecæ fuerit impreſsus, & in vno loco ſub nomine Fauſtini, & in altero ſub nomine Gregorij Baetici; nihilominùs in nouiſſima editione Pariſienſi 1624. ſub nomine dumtaxat *F*auſtini reperitur impreſſus, quemadmodum in alia editione Colonienſi 1618. dicitur autem in fronte huius libri [*Liber ſuo* Authori reſtiturus, & vulgò Gregorio Baetico attributus] rurſus in proœmio habentur hęc formalia verba [Hic Fauſtinus ille Diaconus, ſeu Presbyter, qui vna cum Marcellino Presbytero acerrimè tutatus eſt Schiſma Vrſicini aduerſus Damaſum Romanum Pontificem, ſcripſitque paritèr libellum ad Theodoſium Imperatorem pro ſuarum partium ſchiſmaticarum aſſertione, qui adhuc extat, quo circa in opere iſto aduerſus Arianos, ſenſus Catholicę Fidei concordes præſeferat, aut Authorem, vtpotè ſchiſmaticum, & ab Eccleſiæ caſtris extorrem nullo loco, & authoritate habēdum ſatis quiſque intelligat] cum igitur author fuerit Eccleſiæ hoſtis, eius authoritas nullius momenti apud Eccleſiaſticos eſſe debet.

Reſpondeo ſecundo. etſi admitteremus authorem huius libri fuiſſe Baeticū, 51 nihilo minùs eius doctrina vel nihil, vel parum, argüenti ſuffragatur; quia, ſi attentè legatur, eius mens perſpicua fiet; ipſe enim indubitanter non aliam minoritatem, niſi ratione humanitatis aſſumptæ Filio tribuit, & poſtquam hoc fusè probauit, in ſecunda editione col. 1298. & in nouiſſimo cap. 4 dicit, Hæreticos credere nolentes ob *S*acramentum exinaniti Dei per acceptionem formæ ſeruilis eſſe dictum, Pater maior me eſt, addit hęc verba, [Dicamus, & nos Patrem maiorem de ſolo Sacramēto generationis; hunc enim piū ſenſum nonnulli catholici proſequuti ſunt, dicōtes Patrem, & Filium eſſe eiuſdem ſubſtantiæ; & ideò ſecundum ſubſtantiam alterum altero non eſſe maiorem; qualis enim Pater eſt *D*eus, talis & Deus *F*ilius eſt; nihil enim minùs ex ſe, quā ipſe eſt; perfectus enim exiſtens perfectum genuit: & ſi ergo quà Deus, *D*eo ęqualis eſt Filius, tamen quà Filius, minor

nor

Digitized by Google

nor dicitur Patre, ideſt quà Filius de Patre ſit, & plenitudo exiſtens plenitudinem genuit: Pater autem genuit Filium, & ideò non dixit, Deus maior me eſt; ſed Pater maior me eſt.] nõ itaque Author huius libri dixit, Filium, vt genitum, minorem eſſe, quaſi hoc ipſe ſentiret; ſed quia hæretici contendebant Filium eſſe minorem ſecundum naturam, ideircò Author conatur illi ſuadere omnimodam æqualitatem in natura: et, ſi hęretici aliam minoritatem diuerſam ab illa, quam Filius habebat ex forma ſerui admittere vellent, eſſet ea, quàm habet, vt Filius genitus: & ſic veluti permiſſiuè concedit hæreticis talem minoritatem, quia hoc pacto poterat meliùs illos conuincere ad concedendam æqualitatem in natura; nam poſita naturæ diuinæ identitate, facilè erat oſtendere, nullam inter diuinas Perſonas reperiri poſſe inęqualitatẽ, vt rectè notauit *Ruiz diſp* 30. *ſect.* 2. monens num. 14. theologica prudentia cauendum eſſe, vt quiſque ſe abſtineat à voce *minoris*, ne detur erroris occaſio; & ideò cautè Author prędicti libri loquutus eſt, dicens pium eſſe hunc ſenſum, ſignificans non eſſe verum ſecundũ rigorem ſcholaſticum, ſicuti *S. Thomas 3. p. quæſt. 4. art. 3. ad primum.* aduertit, piè eſſe exponendos Patres aliquos, cum dicunt, à verbo hominem fuiſſe aſſumptum; nam in rigore theologico propoſitio eſt falſa. ſed quidquid ſit de huius Authoris mente, ſatis mihi erit, Baeticum non fuiſſe, vt ſuperius probaui.

§. II.

Refellitur Clithouæus.

52 DOctrina, quàm Author iſte tradidit, ponens maiorem excellentiam, in vna Perſona, quàm in alia, diſplicuit alijs; ideòque illum, apertè aiunt, nimiũ exceſſiſſe, immò erraſſe, ſi, vt verba ſonant ita ſenſerit. proindè eius doctrinã reijciunt *Vaſquez p. 1 diſput* 122. *cap.* 5. *Suarez lib. 3. de Trinitate cap* 10. *n.* 9 *Ruiz eodem tract. diſp.* 30. *ſect.* 1. *Alarcon. ibidem diſput.* 3. *cap.* 5. *nu.* 2. *& alij.* cum igitur tot, & tales Authores arguant, & refellant modum loquendi Clithouæi, non eſt aliquid mihi addendum, neque de eius dictis valdè curandum: non deſunt tamen qui illum defendant curantes trahere ad bonum sẽſum eius doctrinam, & aiunt, ipſum loqui de ſola maioritate originis.

§. III.

Examinatur Textus Sancti Cyrilli.

53 CEnſuit arguens pro ſe Patronum habere *S. Cyrillum*, quatenùs, *lib.* 2. *theſ. cap* 3. in exemplari Pariſienſi habentur verba illa [Quoniam igitur Filius perfectus in omnibus, eſt minor Patre: erit non alitèr, quàm ſecundum formam Serui, quam aſsumpſit, aut ſecundum quod ex Patre eſt] probat arguens ſuam ſententiam his vltimis verbis, in quibus Cyrillus fatetur Filium eſse Patre minorem, etiam ſecundum quod ex Patre eſt: ſed arguens decipitur, & deceptionis cauſa prouenit, quia neglexit textum originalem conſiderare.

54 Dico igitur verſionem editionis *Pariſienſis*, quàm Recentior iſte legit, eſse valdè mutilam; plura enim, quæ habentur in textu græco omittit, & velut in compendium totum Cyrilli textum redigit: eſse etiam implicatam, mendoſã & malè interpunctam, vt patet conſideranti illa duo puncta poſt ea verba, [Minor Patre] hęc enim duo puncta diſtinguunt ly, *minor Patre*, à verbis ſubſequentibus, nempè ab illis, [Non aliter quàm ſecundum formam Serui] quibus erant connectenda, & non cum præcedentibus, quia falſum redderent ſenſum: præcedentia verba hæc erãt [quoniam igitur Filius perfectus in omnibus eſt, minor Patre] minoritas autem non congruit cum omnimoda illa perfectione, de qua in illis verbis fit mentio. Rurſus cum poſt verba citata apponantur alia verba, in quibus exprimitur, integra, & perfecta ratio imaginis, quę de Filio dicitur, videlicèt, [Cuius imago integra, inuiolataque eſt,] & afferantur, vt cauſalis; ſi referantur ad probandam minoritatem, eſset falſa cauſalis, quia integritas imaginis importat æqualitatem, & non minoritatem: vera autem cauſalis eſset, ſi referantur ad probandam æqualitatem contra Hæreticum, qui conabatur inter Patrem, & Filium inęqualitatem ponere: mendũ autem, vt reor, eſt in eo, quod loco illius dictionis, *aut*, fuiſset apponenda

di-

Digitized by Google

dictio, *haud*, & ſic ſenſus erit congruus, & verus: ita enim procederet, reaſſumendo plura verba ex antecedentibus, quæ habentur in citata impreſſione, vbi ſic dicitur, [Si *Pater* eſt maior, neceſse eſt, vt Filius minor Patre ſit, non alitèr, quàm ſecundum formam Serui, non ſecundum quod ex Patre eſt, cuius imago integra, inuiolataque eſt,] & ſic cõtra hæreticum rectè argumentaretur Cyrillus, probans Filium eſse minorem ſecundum formam ſerui aſsumptam, æqualem autem ſecundum quod ex *Pa*tre eſt. & et hæc dicta ſint, ſi admittatur textus citatus in editione illa.

Filius eſt Deus natura, perfectus igitur quemadmodum, & Pater: cum verò perfectus ſit Pater, certe minor non eſt; cæterum reſpectu Incarnationis maiorem dicit Patrem, ſiue quatenùs factus eſt homo: tribuens hoc naturæ diuinitatis, vt creaturis antecellat, & Domino ſecundum naturam hoc adſcribens, quod ſeruili formalongè ſuperior eſt: tametſi etiam ipſe ſecundum naturam Dominus ſit, atque ita quidem tribuens Patri, vt maior ſit, vt tamen ipſe nihilominùs habeat ratione eſſẽtiæ, ita enim erit verùm genimen, atque imago genitoris non aliqua ex parte expreſſa, ſed omnimodam ſimilitudinem cum ipſo habens, ſolius verò decoris cauſa, vt Filius maiorem honorem Patri tribuat.

Alia loca ex Sancto Cyrillo adducit Author iſte in quodam manuſcripto, vt probet, ſuam ſententiam eſse iuxta mẽtem illius: ſed verba, quæ ex græco in latinum idioma tranſcripſit, ſunt congeſta ab ipſo Auctore ex varijs locis, & paragraphis, neque ad eum diſcurſum, quem ipſe vult, ponuntur à Sancto Cyrillo; nam Sanctus Doctor intendens Hæreticis ſuadere ex eorummet principijs, Patrem, & Filium eſse conſubſtantiales, quia Hæretici admittebant, Patrem eſse maiorem, Filium verò minorem, argumentatur oſtendens, comparationem, maioris, & minoris non fieri inter ea, quæ ſunt eiuſdem naturæ; & ideò non dicitur homo maior boue, ſed homine, ergo ſi Pater eſt maior, *Fi*lius minor, debent eſſe eiuſdem ſubſtãtiæ. & hic eſt diſcurſus Sancti Cyrilli, ex quo patet, quod ipſe non illatiuè, ſeu enunciatiuè, ſed tantum hypotheticè concedit in diuinis, Filium Patre minorem: proindè concludit *F*ilium eſſe Pariſienſi; ſed ſeueta eſt mendoſus, vt dixi, & mutilus; nam in editione anni 1638. quę habet textum grecum è regione latinò reſpondentem, non habentur verba illa, quæ habentur in vereri editione, & in quibus arguens maiorem vim potuiſset facere; dicitur enim ſic poſt verba illa citata [Non ergo natura, ſed vt Filius, Patre minor dicitur] quæ verba neque in originali habentur. & vt hoc omnibus magis palam fiat, placet vtrumque textum latinum, & græcum reſpõdentem fidelitèr tranſcribere, quem ſic habeto.

φύσει δὲ θεὸς ὁ υἱός, τέλειος ἄρα καθάπερ καὶ ὁ Πατήρ. ἐπειδὴ δὲ τέλειος ὁ πατὴρ οὐκ ἐλάττων δηλαδή, οἰκονομικῶς δέ φησιν ἑαυτοῦ μείζονα τὸν πατέρα ἢ καθὸ γέγονεν ἄνθρωπος, παραχωρῶν τῇ τῆς θεότητος φύσει τὸ ὑπερέχειν γεννητῶν καὶ τὸ κατὰ φύσιν κυρίῳ, τὸ ἀνακεῖσθαι διὰ δὲ εἰς τὴν κατὰ δούλου μορφῆς· εἰ καὶ ὅτι μάλιστα καὶ αὐτὸς κατὰ φύσιν κύριος. ἢ τὸ μείζων παραχωρῶν ὡς πατρὶ οὐδὲν μὲν ἧττον ἔχων αὐτὸ κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον· οὕτω γὰρ ἂν εἴη καὶ γνήσιον γέννημα, καὶ εἰκὼν οὕτως τοῦ γεγεννηκότος, ἢ κατά τι παρακεχαραγμένη, ἀλλ' ὁλόκληρον πρὸς αὐτὸν σώζουσα τὴν ἐμφέρειαν. διὰ δὲ μόνον τὸ πρέπειν ὡς υἱὸς τῷ πατρὶ τιμὴν ἀπονέμων τὴν μείζονα.

tri æqualem, minorem vero ratione incarnationis: & hæc omnia legenti textum originalem claré patebunt.

§. IV.

Declaratur mens Gabrielis Vaſquez, Hieronymi Faſoli, & Aliorum Recentiorum.

Exordior à doctrina allata ex Gabriele Vaſquez, cuius dicta in cap. ſupra citato, ſi conferantur cum ijs, quę continẽtur in capite præcedente, ea, quę adducuntur ab arguente, minùs facere videntur pro ipſius ſententia.

In cap. autem 5. *Vaſquez* inquirens, num vna Perſona diuina dici poſſit altera maior, initio capitis redarguit Clithouæum, vt ſupra diximus, atque, eius mentem non fuiſſe ponere in Deo tres perfectiones relatiuas, ſed iuxta Græcorum Patrum phraſim tantum admittere aliquod excellẽtiæ genus iux- 55

ta

ta originem, ſecundum quam vna Perſona alteram antecellat: & pro Clithonæo affert Hilarium, qui aſſerit Patrem eſſe maiorem, negat verò Filium eſſe minorem, & ſubdit, debuiſſe Hilarium dicere Filium minorem, quia maior, & minor mutuò dicuntur: poſtea proſequitur declarare Hilarij mentem, & quorumdam aliorum, deindè reijcit Clithouæum, quatenùs videtur ponere quamdam dignitatem, & excellentiam in vna Perſona, & non in alia, quod tamen Patres nunquam dixerunt: in hoc autem diſcurſu, qui habetur cap. illo 5. Vaſquez non abſolutè, & quaſi ex propria ſententia docet Patrem in diuinis eſſe maiorem, Filium verò minorem, ſed ſolum loquitur hypotheticè, quod, ſi vox iſta, maior, vſurpetur ad ſignificandam prioritatem originis, eſſet etiam vſurpanda alia vox, nempè, minor: ex quo probat principale intentum contra Clithouæum, videlicèt ex illa voce, maior, quæ Patri tribuitur, non inferri maiorem dignitatem, vt ipſe Clithouæus inferebat.

56 Ex quibus colligitur in ſententia Vaſquez nō haberi vnam perſonam altera maiorem, vel minorem; ſed quod ex ſuppoſitione maioris dicenda ſit altera minor. An hoc benè vel male dictum ſit, non pertinet ad meum intentum, quatenùs in hoc § ſolum inquiro mentem huius Authoris. Confirmatur totum hoc, ex eius doctrina cap. præcedente poſita, & præſertim nu. 11. vbi arguens contra eos, qui admittebant tres perfectiones relatiuas in Deo, deducit nonnulla abſurda: eius autem verba hæc ſunt [Si relationes eſsent tres perfectiones in Deo, non poſſent eſse æquales formaliter, ergo vna eſſet maior altera, nam cum inter æquale, & inæquale, nō ſit medium; quòd non eſt æquale, debet eſse inæquale: quod autem eſt inæquale alteri, eſt eo maius, aut minus: eſset igitur vna perſona maior, & magis perfecta, quàm alia, quod eſt abſurdū] hæc Vaſquez, qui proſequitur confirmare probando id eſse abſurdum.

Ex hac doctrina euidēter patet, quod Author iſte putet inconueniens aſserere vnam Perſonam diuinam eſse altera maiorem, aut minorem; & hoc non ſolùm ratione naturæ, in qua certum eſt, ſecundum fidem, perſonas eſse æquales; ſed etiam ſecundum proprietates, ſeù relationes, & conſequenter iuxta eius mentem neceſsariò ſequitur, neque Patrem, vt generantem, eſse Filio maiorem, neque Filium, vt genitum eſse Patre minorem; quia remota omni inæqualitate a forma conſtitutiua, conſtituta nequeunt eſse maiora, aut minora: forma autem, qua Pater conſtitui deberet maior, eſt Paternitas, & qua Filius minor, eſt Filiatio, vt ſic; at iuxta mētem huius Authoris, neque Paternitas eſt maior, ergo neque Perſonæ his relationibus conſtitutæ poterunt dici maior, aut minor. Hoc autem confirmat, quod ego volebam, nempè Vaſquez, cū dixit Filium eſse dicendum ab Hilario minorem ex ſuppoſitione, quod admittebat Patrem eſse maiorem, id non dixiſse abſolutè, ſed tantum ex hypotheſi, quod ponebatur maioritas in Patre. & ex his patet doctrinam Vaſquez nihil arguenti fauere.

Superest, vt expendamus doctrinam 57
Faſoli vltimo loco adductam. dico igitur, quod quamuis Author iſte primo aſpectu videatur aſserere, dici poſse Filium Patre minorem; nihilominùs ita limitatè, & cautè loquitur, vt re ipſa non diſsentiat ab alijs, quamuis ego nō approbem eius formam loquendi: dicit enim loco citato, quod ſicuti Pater non ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid eſt maior, ita dici poterit Filius minor Patre, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid; & ſtatim ſe explicat, in quo ſenſu id dicat; ait enim maioritatem, & minoritatem hanc conſiſtere in hoc, quod in Patre ſit ratio Principij, non autem in Filio, qui à Patre procedit, Pater verò à nullo: & ſic videtur reducere quaſi omnia ad quæſtionem de nomine; nam ex eo quod nos omnes dicimus, ſcilicet Patrem eſse priorem origine, Faſolus vult ratione talis prioritatis quamdam inueniri in ipſo Patre authoritatem, ſecundum quam dicitur maior, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid: contra verò Filium talem non habentē reſpectu Patris prioritatem, dici poſse minorē ſecundum quid: & eodē modo limitatè loquitur in alijs locis, nempè quæſt. 27. art. 1. nu. 47. & nu. 49. ex Cyrillo lib. 2. theſ. cap. 3. addit hanc maioritatem in Patre non eſse ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum noſtram rationem: & tandem concludit, admitti poſse in diuinis Perſonis maius, & minus, non ſim-

pli-

pliciter, & abſolutè, ſed ſecundū quid, & quodam modo, videlicèt ſolum ratione originis, quod in re nihil eſt aliud, niſi vnam Perſonam ab alia procedere. hæc ex Faſolo, qui tandem declarans ſuam mentem, omnia reducit ad rectū ſenſum, dum nullam aliam maioritatē, & minoritatem ponit in diuinis, niſi ſecundum quid, & non in re, ſed ſecundū noſtram conſiderationem, quatenùs in eo, quod eſt Patri, ſolemus concipere, quamdam authoritatem, & maioritatē in *Filium*, quæ in nobis eſt in re, in diuinis verò non in re, ſed iuxta noſtrum modum concipiendi. quod rectè adnotauit *Arriaga* 1. *p. t.* 1. *diſp.* 49. *nu.* 45.

58 Alij Recentiores laudantur ab arguente in quodam manuſcripto; ſed aliqui ex illis, loquuntur de attributis diuinis, prout reſpiciunt creaturas, & de his aiunt, habere inęqualitatem, ſi ſpectentur precisè ſecundum conceptum explicitum, de quibus ſupra cap. 9. §. 2. ſufficienter actum eſt, optimam aſſignando diſparitatem inter attributa, & Perſonas; Alij vero loquuntur de relationibus diuinis, & quàmuis nōnulli defendant, vnam relationē eſse alia perfectiorem, videlicet Paternitatem Filiatione pręſtantiorem, & *Filiationem* ſpiratione paſſiua; nihilominùs non dicunt vnam *Perſonam* altera perfectiorem, & hoc non ſolum realiter, ſed neque formaliter: & licet aliqui id probent per quamdam ęquiualentiam, quatenùs hæ relationes identificantur cum diuina eſsentia eminentèr illas continente, & ſic ratione eſsentię, quę eſt in omnibus Perſonis diuinis, dicunt vnam Perſonā non eſse altera perfectiorem; alij tamē, & meliùs, id oſtendunt non ſolum ratione prędictę eminentialis continentię, ſed etiam, quia formaliter omnis perfectio, quę eſt in vna perſona, reperitur etiam in alia, quamuis diuerſo modo, vt capite ſequenti demonſtrabitur.

59 Dices *Alexander Alexandriæ Præſul* apud *Theodoretum lib.* 1 *Hiſt. cap.* 4. inquit Filium, quatenùs genitum, eſse Patre inferiorem: ergo erit Patre minor iuxta mentem prędicti Authoris, qui eſt magnę Authoritatis, & primus, qui cōtra Arrium conſubſtantialitatem inter Patrem, & Filium defendit. Reſpondeo, de mente prędicti Authoris non eſse dubitandum, quia loco citato expreſsè poniт ęqualitatem inter *Patrem*, & Filium, quatenus aſserit Filium eſse ita perfectum, & nullius indigentem, ſicut eſt *Pater*: verbum autem græcum, quod verſum eſt per ly, inferiorem, eſt λειπόμενον quod quamuis interdum ſignificet inferiorem, poteſt tamen etiam benè verti ſignificando cedentem, vt non dicat inferioritatem propriè dictam in diuinis, ſed ſolùm Filium non habere id, quod habet *Pater*, nimirum eſſe originē, ſeu Authorem totius Trinitatis, verū in hoc illi cedere; eſſe autē hoc pacto ſumendum, & non in primo ſenſu, non obſcurè colligitur ex doctrina ipſius Alexādri, qui paulò ante poſuit omnimodam æqualitatem perfectionis, & negationem indigentię in *Patre*, & Filio.

CAPVT XII.

Prædictus Recentior pro ſua ſententia Patronos quærens, immeritò refert Diuum Auguſtinum, & alios.

EXiſtimabat, vt cenſeo, Recentior iſte *Sanctum Auguſtinum in libro quæſtionū vet. & noui Teſtamenti* pro ſe inueniſſe, ſed deceptus ſanè fuit, cum, pace huiuſce viri alioqui doctiſſimi, illius libri Auctor, non Auguſtinus, ſed quidam Hæreticus fuerit, qui in eodem lib. in plures hæreſes prorupit, vt in cenſura eiuſdem libri initio poſita adnotatur, & animaduertit *Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Ad hæc addo, neque ibidem ab Authore illo Filium appellari minorem, ſed tantùm Patrem dici maiorem, quod poteſt explicari in eo ſenſu, quo vſi ſunt aliqui ex antiquis *Patribus*, qui tamen non admittunt Filium in diuinis dici poſſe minorem, vt ſupra cap. 9. & 10. latè oſtendi, vbi paritèr ſolui argumentum deſumptum ex correlatiuorum natura. denique affert pro ſe *Nouatianum in lib. de Trinitate cap.* 31 qui extat in fine operum Tertulliani; ſed Nouatianus iſte poſtea incidit in Schiſma, & Hæreſim, & malè ſcripſit de Spiritu Sancto, vt refert *Iacobus Pamelius* initio adnotationum eiuſdem libri de *Trinitate*, & in adnotationibus in caput citatum verſus finem adducens verba Nouatiani, qui loquens de *Filio* habente originem a Patre docet, eſse Patre minorem, his verbis [*Simul*, vt hic minor ſit] ponit etiam *Pa-* 60

me-

Digitized by Google

melius cautelam nu. 141. aitque, quod etiam cautè legendum.

61 Principia autē, ex quibus Auctor argumēta deſumit ad ſuā ſententiā probandā, hęc ſunt. Primò, formaliter loquēdo perfectius eſſe producere, quā produci, quia Beatius eſt magis dare, quàm accipere; & ex hoc principio deducit, Patrem, vt Principium generandi, eſſe formaliter Filio, vt genito, perfectiorē; hoc autem argumento vſus eſt Maximinus Arianus ad probandam inæqualitatem inter Perſonam Patris, & Filij, contra quem arguit, *Sanctus Auguſtinus* oſtendens illud principium non valere in diuinis cap. 2. ſupra cit. *& Nazianzenus orat.* 35. quæ eſt tertia de Theologia, ait contra Eunomium, non minus illuſtre eſſe Patri non produci ab alio, quàm Filio à tali Patre prodire. Secundò ex eo, quod Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, infert idem Author, non procedere ita perfectè, ſicut procedit Filius, quia ex genere ſuo intelligere eſt perfectius, quàm velle: & ex hoc principio aliqui contendebāt, Spiritū Sanctū non eſſe ita perfectum, ſicut aliæ duæ Perſonæ, quia caret prærogatiua illa, quam habent Pater, & Filius, nempe fœcunditate producendi ad intra aliam Perſonam: contra quos arguit *Riccardus* à S. *Victore*, vt cap. 5. oſtendimus.

CAPVT XIII.

Ex doctrina huius Authoris infertur in Diuinis vnam Perſonam formaliter eſſe minus perfectum Deum, quàm ſit altera.

62 POſtremum locum huius Tractatus obtineat argumentum, quo aduerſus hunc Authorem probatur abſurdum omnium maximum, nempè ex eius doctrina ſequi inter Perſonas diuinas, formaliter loquendo, vnam eſſe Deum minus perfectum, quàm ſit altera, quod audire horrent Catholicorum aures: Vt autem hoc probetur præmitto principia prędicti Authoris, qui vult in eadē realitate vnum prædicatum formaliter, & præcisè eſſe altero perfectius, vt eſt Bonitas, Sapientia, &c. comparatæ ad Immenſitatem, Fortitudinem, &c. quam ſententiam nonnulli Catholici tuentur, vt ſupra vidimus. Rurſus hanc inæqualitatem vult inueniri inter ipſas diuinas proceſſiones, & ſic intelligere eſſe formaliter perfectius, quàm velle, ſeu amare. Præterea hanc eamdem inæqualitatem extēdit ad ipſaſmet Perſonas; ideòque aſſerit Patrem, vt Principiū Filij, eſſe formaliter Filio perfectiorem, & vtroſque eſſe paritèr perfectiores Spiritu Sācto: denique ad argumentum, quod cōtra fieri ſolet, ſcilicèt quod attributa, & proceſſiones, &c. quamuis ſecundum propriam rationem abſtracta, vt ſic, ſint inæqualia, nihilominùs, vt diuina, ſint æqualia, reſpondet Author adducens aliud principium, nempè, ſi inæqualibus æqualia addas, ſemper remanere inæqualia; & ideò cum intelligere, & velle, ſeù amare ſint ex ſe inæqualia, etiam ſi illis addatur eſse diuinum, remanere inæqualia: quod principium à me explicarum fuit in hoc Tract. ſupra cap. 3. denique docet Spiritum Sanctum formaliter procedere, vt minus perfectū, quàm Filius, quia procedit per actum voluntatis, qui eſt actus intellectione, minus perfectus; Filius verò magis perfectè procedit, quia eius proceſſio eſt per intellectum, cuius actus eſt perfectior: hac doctrina præhabita, probo, quod in titulo proponitur, & conficio argumentum de Spiritu Sancto, in hunc modum. Si Spiritus Sanctus procederet formaliter, vt Filio minùs perfectus, ſequeretur, eſse Deū formaliter Filio minus perfectum: conſequens eſt abſurdū cōtra fidem, ſecundum quam credimus, perſonas ratione Deitatis eſse æquales, ergo abſurdum eſt antecedens, ex quo tale conſequens ſequitur: probatur ſequela, quia ſicuti Author, in eadem realitate diuinæ Naturę ponit formalē inæqualitatem inter attributa, & proceſſiones, & infert inæqualitatem formalem, etiam inter Perſonas, ſic etiam ego dicam, quod natura diuina, quæ eſt communicabilis per intellectum, & voluntatem habeat etiam eamdem inæqualitatem inter vnam, & alteram cōmunicabilitatem, ita vt ipſamet, vt cōmunicabilis per intellectum, ſit perfectior ſe ipſa, vt communicabili per voluntatem: nec video diſparitatem inter vna, & alia predicata, quantum ad hoc; nam ſicuti inter attributa ponitur inæ-

uè rationi ſuperiori, conuenit inferioribus, vt patet inductione. v. g. Sapientia, ſi etiam abſtracta à creata, & increata eſſet qualitas accidentalis, vtiquè deſcendens ad inferiora retineret rationem accidentis, & ita etiam contracta ad Deum eſſet accidens; quod eſt impoſſibile: quapropter in ſtatu præciſionis abſtrahit à ratione accidentis, & à ratione ſubſtantiæ; in Deo enim eſt ſubſtãtia, in creaturis verò eſt accidens, & ſic in alijs ſimilibus. Vnde in caſu noſtro prædictæ formalitates, licet in creaturis fundent inæqualitatem perfectionis, nõ autem in diuinis; nihilominùs in ſtatu præciſionis abſtrahunt ab eo, quod fundent, vel non fundent inęqualitatem: & ſic vis generatiua, & genera bilitas in ſtatu præciſionis abſtrahũt ab hoc, quod eſt fundare maiorem, vel minorem perfectionem; quia in vno inferiori, nempè in creaturis, habent inæqualitatem, in Deo tamen non habent: nam, vt inquit S. *Nazianzenus* ſuperius relatus, Non minùs illuſtre eſt in diuinis Filium à tali Patre generari, quam Patrem à nullo eſſe, ſeu procedere: quod ita eſſe dicendum non ſolum auctoritate, verum etiam ratione ſupra cõfirmauimus. & hæc de primo.

64 Ad ſecundum verò, quod difficilius videtur, dico, quod in rebus creatis nõ oportet, vt generans producendo ſimile in natura ſpecifica v. g. Homo hominem, det illi omnes perfectiones, quæ in ipſo homine generante inueniuntur; interdum enim *Filius* genitus caret nõnullis qualitatibus perfectionẽ importantibus, quæ ſunt in *Patre*, videlicèt quoad complexionem, quoad ingenium, animi præſtantiam, robur, &c. imò è contra euenit aliquandò, vt maiores reperiantur perfectiones in homine genito, quàm in generante. Ex quo colligitur in creaturis non dari vim productiuam eſſentialiter ordinatam ad communicandum producto omnes perfectiones, quas ipſe producens habet, ſed indiſcriminatim hoc contingere. In diuinis verò oppoſitum inuenitur, nam Pater ſuo modo eſſentialiter eſt veluti ordinatus ad communicandum *Filio* per generationem non ſolùm eamdem numero naturam, ſed etiam eaſdem numero perfectiones, quæ ſunt in ipſo Patre, vt Omnipotentiam, *Sapientiam*, Bonitatem, & reliqua omnia: & *Filius* exigit eſſentialiter, vt prædicta omnia ſibi communicentur: ideòque nulla perfectio eſt in vna *Perſona*, quin ſit in alia, vt ex *Patribus*, & Scholaſticis latè probaui Cap. *6.* & ad hoc ſignificandum tendunt varię illæ dicendi formulę, quibus Patres vtuntur, de quibus ſupra; & præſertim dictum illud *S. Nazianzeni*, qui loquens de *Filio* orat. *49.* ait [Totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto] quod ipſum indicat Eccleſia dicens in hymno laudũ feriæ ſecundæ [In Patre totus Filius, & totus in verbo Pater] cum igitur omnia, eademque numero, quæ ſunt in Perſona donante, ſint neceſſariò in accipiente, ſequitur quod æquè magnũ, & illuſtre ſit in diuinis dare, & accipere. & ita patet efficacia rationis à *S. Auguſtino* aſſignatæ, qua probat in diuinis non eſſe beatius dare, quàm accipere, ſicuti in creatis, ſaltem, vt dictum eſt, quia dare independentiam, accipere verò dependentiam neceſſariò dicit. Ex quibus manifeſtè etiam infertur ratio diſcriminis, quare ſcilicèt in creaturis producens, vt ſic, dicat quid perfectius, quàm productum, vt ſic: maior enim illa perfectio, quę eſt in producente, non compenſatur aliqua ordinatione exigente, vt omnes prorſus perfectiones, quę ſunt in producente communicentur producto; quod ſecus eſt in diuinis, vbi Pater neceſſariò communicare debet Filio omnes, eaſdemque numero perfectiones, quas in ſe habet, imò totum ſe ipſum, vt aiunt *Ss. Patres*, & explicant *Scholaſtici* ſupra citati. quapropter in diuinis ratione talis communicationis, quam exigit eſſentialiter ſine vlla dependentia *Filius* productus, illa maior perfectio, quæ in rebus creatis concipitur in producente, in diuinis veluti compenſatur, & adæquatur perfectione, quæ reperitur in exigentia prædicta. (quæ dicta ſunt de formalitate producentis, & producti militant quoque de virtute productiua, & producibilitate, & de alijs ſimilibus formalitatibus, de quibus ſupra.) & hæc eſt ratio, quare in ſtatu præciſionis à Deo, & à creaturis producens, ſeù productiuum non dicat maiorem perfectionem, quàm productum, ſeu producibile. Quæ omnia apertè demonſtrant, æqualitatẽ

inter diuinas Perſonas in ratione productiui, & producibilis non procedere ſolùm ex identitate cum natura, vt aduerſarius putat, ſed ex ipſamet ratione talis producibilis ob prædictas conditiones, quas eſſentialiter eædem rationes inuoluunt, quamuis in ſtatu præciſionis à Deo, & creaturis, vt dictum eſt, præſcindant ab æqualitate, & inæqualitate.

Hęc nobis occurrunt indefenſionem omnimodæ æqualitatis diuinarum Perſonarum. contraria autem opinio an aliquam mereatur cenſuram, & quo gradu, nolo in hoc tractatu declarare, ſed illam remitto ad Tribunal Sanctiſſimæ Inquiſitionis, cui etiam & hanç meam doctrinam, ea, qua decet reuerentia, ſubijcio.

LAVS DEO.

INDEX

CAPITVM PRAESENTIS QVAESTIONIS.

CAP. I. *Vtrum Pater in diuinis ſub præciſa ratione perſonæ ſit Filio perfectior. pag.* 3.

CAP. II. *An Pater in diuinis, vt producens, dici poſſit perfectior Filio, vt producto. pag.* 5.

CAP. III. *Vtrum Spiritus Sanctus procedens per voluntatem ſit Filio, vt procedente per intellectum, minus perfectus. pag.* 6

CAP. IV. *Vtrum admiſſa inæqualitate inter diuinas proceſſiones inferatur inæqualitas inter Perſonas procedentes. pag.* 8.

CAP. V. *Vtrum quid præſtantius ſit in diuinis habere naturam, & alteri eam communicare, quam habere dumtaxat, & non communicare. pag.* 9.

CAP. VI. *Nulla perfectio in diuinis eſt in vna perſona, quin formaliter ſit in alia. pag.* 10.

CAP. VII. *Declaratur, in quo ſenſu Pater in diuinis dicatur Filio maior. pag.* 12.

CAP. VIII. *Vtrum propria ſit locutio, dicendo, Patrem in diuinis* Filio *maiorem eſſe. ibidem.*

CAP. IX. *Vtrum poſſit Filius dici Patre minor. pag.* 13.

§. 1. *Aperitur vera ſententia ibidem.*

§. 2. *Firmatur concluſio Patrum auctoritate. pag.* 14.

§. 3. *Probatur concluſio Scholaſticorũ teſtimonio. pag.* 16.

CAP. X. *Satisfit argumentis in contrarium adductis ex natura rei. pag.* 17.

§. 1. *Soluitur argumentum ex natura correlatiuorum deſumptum ibid.*

§. 2. *Satisfit argumento deſumpto ex inæqualitate formali diuinorum Attributorum, & Actuum. p.* 19.

CAP. XI. *Diluuntur Argumenta adducta ex Auctoritate. ibidem.*

§. 1. *Expenditur doctrina ex Gregorio Baetico allata. p.* 20.

§. 2. *Refellitur* Clithouaeus. *pag.* 21.

§. 3. *Examinatur textus* S. Cirilli. *ibid.*

§. 4. *Declaratur mens Gabrielis Vaſquez, Hieronymi Faſoli, & aliorum Recentiorum pag.* 22.

CAP. XII. *Prædictus* Recentior *pro ſua ſententia Patronos quærens immeritò refert Diuum Auguſtinum, & alios. pag.* 24.

CAP. XIII. *Ex doctrina huius Auctoris infertur, in diuinis vnam perſonam formaliter eſſe minus perfectum Deum, quàm ſit altera p.* 25.

CAP. XIV. *Declaratur, qua ratione formalitates, quæ in creaturis fundant inæqualitatem perfectionis, eam in ſtatu præciſionis à Deo, & à creaturis non retineant. p.* 26.

RE-

REGVLARVM IVRIS CANONICI IN SEXTO.

LVCVLENTISSIMAE EXPLANATIONES Et Commentaria.

IN QVIBVS, QVAMPLVRES TVM MORALES, Tum Legales Quæſtiones indè ſubortæ reſoluuntur.

OBSERVATIONES IN RVBRICAM.

CEleberrimam, ac ſingulari refertã eruditione de Regulis Iuris tractationem aggredior, qua nihil præſtantius, nihil ad hominum mores componendos reperitur vtilius. Hinc primarij Interpretes, tum ex antiquis, tũ ex recentioribus, illam varijs exornarunt commentarijs. eius Author extitit Bonifacius VIII. Pontifex Maximus, qui totius Chriſtianæ Reipublicæ bono proſpiciens plures, & diuerſas rubricas in hoc libro ſparſim contentas, in quibus ſpeciales, & indiuidui caſus deciduntur, ſub vna generali concluſione, ſeu clauſula breuiter comprehendit. Ex his autem nonnulla, quæ ad perfectam regulæ notitiam viam parant, ſunt declaranda: & primò quid ſit regula; ſecundò quibus verbis conſtituatur; tertiò, quid eius officium; quartò, quæ ſit eius poteſtas, an ſcilicèt faciat ius, an verò illud iam conſtitutum ſupponat, & tantum referat? quintò denique, an exceptiones cõtineantur ſub regula? quę omnia commentatores ſæpè examinant: ad vitandam tamen ſermonis prolixitatem, ego eorum explicationem paucis perſtringam; & initium ſumo à primo, nempè ab exacta, germanaque regulæ definitione.

Dico igitur, Regulam, prout de illa in pręſentia loquimur, & iuxta Ius ciuile, eſſe eam, quæ rem, quæ eſt, breuiter enarrat. ità *in l. 1. ff de regulis iur.* ſed Gloſſa ibidem eam deſcribens ait. [Regula eſt plurium rerum compendioſa narratione facta traditio.] hanc autem definitionem veram eſſe, nonnullis confirmat, & demonſtrat exemplis; affert enim ſtatutum, per quod diſponitur, lapillos, gemmas, & ſimilia, quæ in littore maris inueniuntur, acquiri primo occupanti, vt habetur ex *L. Quædam. l. Item. ff. de Rerum diuiſ. & ex Inſtitut. eod. tit.* §. *Et quidem naturali iure*: & expreſſius §. *feræ*; eademque diſpoſitio traditur de ijs, quæ inueniuntur per aucupationem, aut piſcatio-

tionem in locis communibus, vt in aere, aut mari. *L. iniuriarum §. Si quis ff. de Iniurijs*; ex quibus autē, & ſimilibus Iuribus formatur regula, nempe generalis quędam concluſio, per quam diſpoſitio illa, quæ eſt in prædictis caſibus, comprehendat omnes alios ſimiles caſus; & ideo *in §. Fera* citato ponitur regula hęc, videlicèt [Quod ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti cōceditur] quomodo autem hoc intelligēdum ſit declaratur ibidem à Gloſs. eodē §. Et hæc quoad Ius ciuile. eodem modo proceditur in Iure Canonico, in quo, cū plures Summorum Pontificum deciſiones ſpeciales habeantur in Decretó, & Decretalibus, idcircò ſub vna vniuerſali regula, ſimiles caſus comprehendendo coniunguntur. v. g. quia multa incouenientia contingebant in collatione, & receptione beneficiorum Eccleſiaſticorum, quatenùs nonnulli Clerici, praua quadam conſuetudine temerè præſumebant abſque Epiſcopi, vel eius officialis licentia beneficia accipere contra Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ inſtitutiones, vt refertur *in c. ex frequētibus querelis. de Inſtitut. & cap. Relatum. de Iure Patron.* ideò Pontifex volens his abuſibus occurrere, & iniquam conſuetudinem radicitus extirpare, cōfirmat cenſuram excommunicationis latam ab Ordinario loci contra prædictos, qui ſcientèr detinent beneficia taliter occupata, vel in poſterum accipere præſumpſerint. hinc ſanè formatur regula, per quam exhibetur remedium vniuerſale ad prædictos abuſus, & alios ſimiles effugiendos: regula autem eſt ea, quæ primò in hoc titulo ſe offert, videlicèt [Beneficiū Eccleſiaſticum non poreſt licitè ſine Canonica inſtitutione obtineri] quo tamen pacto regula hæc ſit intelligenda, ſuo loco infrà dicemus. idem dico de compluribus alijs regulis, quę ſunt, veluti generales clauſulæ, ſeù concluſiones multorum Iurium ciuilium, & canonicorum, quæ ſignanter notat *Barboſa* in harum regularum commentarijs. Et hęc quoad reale, & quidditatiuam regulę definitionem.

2 *Si* verò nominis ſignificationem ſpectemus, dico appellari regulā, in quātū regit, ſeu normam rectè viuendi prębet, vt obſeruat Gloſs. hic in proœmio Ver. (circa primū) & vt alliqui aiunt, eſt veluti Iuris Eccleſiaſtici clauis, quatenùs illius fores aperit: ſicuti ob eamdem rationem ſpecialis modus viuendi, qui continetur in inſtituto religionum, vocari ſolet Regula; & ex illa Religioſi nūcupantur Regulares, quatenus viuunt iuxta regulam, & hęc de primo puncto.

Quoad ſecundum, nempè quo pacto Regula conſtituatur, dico, conſtitui verbis ſignificantibus generalitatem, ſiue affirmatiuam, ſiue negatiuam, ideſt per verba comprehendentia omnes ſimiles caſus; generalitas autem denotatur per hęc ſigna, Omnis, Nullus, ſeu Nemo, vel per verba indefinita æquipollentia vniuerſalibus, vt aduertit *Dynus in proœmio, & Gloſs. loc. cit.* vbi obſeruat has regulas ferè omnes, paucis exceptis, tradi per verba, ſeu ſigna indefinita, vt eſt manifeſtum illas legenti. 3

Sed contra hæc, quæ de æquipollentia tetigi, objicit *Dynus* probans varijs Iuribus, indefinita interdū non æquipollere vniuerſalibus; ad quam tamē obiectionem ipſemet reſpondens ait, tunc non haberi æquipollentiam hanc, quando non eſt eadem ratio, & conditio omniū particularium ſub vniuerſali comprehenſorum, vt euenit in caſibus allatis in Legibus ab eodem Dyno adductis pro confirmatione prędictę obiectionis; ſecùs autem quando in omnibus caſibus paticularibus eſt eadem ratio, & conditio. 4

Quòad tertium dico, officium regulæ, vt communiter dicunt Authores, & ſpecialiter *Gloſſa loco citato*, eſſe coniūgere ſimul plures ſimiles caſus ſub vno caſu, vt patet *ex L. 1. ff. de Regulis Iuris*; *Dynus* verò ait, expoſitionem hanc non videri ſibi veram, quia textus in lege citata inquit, regulam eſſe coniunctionem rationis: ſecundùm quam expoſitionem non coniungeret rationes, ſed Ius in vno caſu conſtitutū ad alium extenderet; ideòque addit, quod opinio, ideſt expoſitio tradita videtur aliquantiſper remota à propria expoſitione verborum textus. Rurſus, ſi ſermo eſſet de extenſione, poneretur, quod regula cōſtitueret vniuerſale ius, quod quidem eſt etiam cōtra textū. Hæc objicit *Dynus* aduerſus allatam expoſitionem, aliāque idcircò ipſe tradit dicēs, Regulam eſſe coniunctionem rationis, 5

qua-

quatenùs ex pluribus caſibus eamdem rationem habentibus, vnam numero generalem traditionem facit: & poſt pauca eamdem doctrinam confirmantia concludit, propriè loquendo, officium regulæ eſſe rationes coniungere. Cæterum, vt verum fatear, non video diuerſitatem inter expoſitionem traditam à *Gloſſa*, & expoſitionem datã à *Dyno*; idem enim importat coniungere plures caſus ſimiles ſub vno caſu omnes illos comprehendente, vt loquitur *Gloſſa*, ac coniũgere plures rationes ſimiles ſub vna numero, quæ rationes alias contineat, vt vult *Dynus*; & ideò vtramque explicationem, vt veram, cenſeo amplecti poſſe: & addo falſum eſſe aſſerere, primam expoſitionem eſſe remotam à propria verborum ſignificatione, & à textu; non enim percipio aliquid ſignificationi verborum contrarium, cum verè officium regulæ ſic connectere plura ſimilia, ſiue hæc appellentur rationes, ſiue caſus; parum enim hoc refert; cum caſus ſimiles breui quadam ratione connectantur, in quantum in ipſis eadem viget ratio. Præterea falſum eſt, quod expoſitio illa aduerſetur textui; nam in textu non habentur formalia illa verba, vt ſupponit *Dynus*, ſcilicèt quod Regula ſit coniunctio rationis: & quàmuis verba formalia, quæ in Regula ponuntur, ad hoc ſignificandum tendant, nihilominùs Gloſſę expoſitio minimè illis aduerſatur, imò eſt eiſdem valde conformis, cum eamdem, ac textus, inuoluat ſignificationem; in textu enim poſtquam pręmiſſa fuit definitio, quam ſuperiùs retuli, adduntur verba hęc [Per Regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & quaſi cauſę coniectio eſt,] per quæ verba ſignificatur, Regulam eſſe breuem quamdam, ſeu compendioſam narrationem, quatenùs in breui plures caſus redigit, & ſic, vt patet, ſenſus horum verborum coincidit cum ſenſu illo, quem Gloſſa intendit.

Ad quartum denique quæſitũ, in quo quæritur, quęnam ſit Regulæ poteſtas, ideſt an ſit talis, vt nouum conſtituat Ius, an verò illud iam conſtitutum ſupponat, & pronunciet, aio, quòd circa hoc punctum *Gloſſa* in declaratione tituli proponit rationes pro vtraque parte, & primò negatiuam probat tum Iure, tum facto; Iure, quia id expreſsè negatur *in L. 1. ff. de Regulis Iuris*, vbi poſt traditam definitionem regulæ ſuperius relatam, ponuntur hæc verba (Non vt ex Regula Ius ſumatur, ſed ex iure, quod eſt, Regula fiat) probat etiam facto, quia ex octoginta octo regulis, quę traduntur in hoc libro, nulla eſt, quę Ius de nouo conſtituat. ita probat *Gloſſa* hanc partem negatiuam: pro affirmatiua autẽ adducit Regulam Catonianam, quę ius de nouo diſponit de legatis inutilibus; nẽpè de illis, quæ aut ratione legatis, aut legatarij, aut rei legatæ, aut legantis, & legatarij ſimul nõ fiunt valida progreſſu temporis, etiam ſi cauſa impedimenti auferatur, vt dicitur *in L. 1. de eadem Regula*, niſi ſub conditione fuerint facta, vt legibus citatis declaratur, & notat ibi Bartol. & in *L. Cætera, §. Tractari ff. de legat. 1.* hæc & quædam alia addit *Gloſſa* in confirmatione huius partis affirmatiuę: poſtea verò refert ſententiam illorũ, qui tres ſpecies caſuum conſiderant: aliqui enim caſus ſunt iam determinati, & in his regula ius non conſtituit, cum illos conſtitutos reperiat; Alij verò ſunt excepti à legis determinatione, & in his regula ſimiliter Ius minimè ſtatuit, quia non clauduntur ſub diſpoſitione regulę; Alij denique ſunt, qui, licèt in Iure determinationem non habeant, nihilominùs eamdem inuoluunt rationẽ, ſeu ęquitatem, quę inuenitur in illis, qui ſunt in iure determinati; & in his regula conſtituit Ius. ob identitatem rationis; quia non videtur æquitati conſonũ, quòd aliqui ex his caſibus habeant determinationem, & aliqui ſimiles tali determinatione careãt, vt in ſimili dicitur *in L. à Titio ff. de verb oblig. & L. Poſthumi §. Nã Diuus Marius ff. de iniuſto, & rupto Teſtam.* & hanc opinionem de triplici caſuum ſpecie ſequitur *Dynus* hic. ſed Gloſſa poſt relatas prędictas ſententias, aliam excogitauit; & ideò *Ver. ego tamen.* inquit, ſe nolle recedere à verbis legis, firmatque per regulã non conſtitui Ius, ſed ex Iure regulam ſumi, aliàs non videtur, quo pacto dici poſſit Regula Iuris; quemadmodum enim in regula ligni, vel ferri oportet has materias pręuenire, nempè lignum, & ferrum, ad hoc vt ex illis regula diſponatur; ita pariter in regula iuris, oportet, Ius, 7
quod eſt materia, pręueniſſe, ad hoc vt regula indè diſponi poſſit: & ita propria erit locutio, dicendo, *de Regulis Iuris*, aliter fuiſſet dicẽdum de Iure Regularũ.

Hinc negat, legẽ Catonianam eſſe pro
priè regulam; ideòque in Rubrica de
Regulis Iuris non ponitur. Rurſus ad in-
ſtantiam, quæ in contrarium fieri poſſet,
videlicèt, quòd aliquæ Regulæ præceſſe-
rint Iuris expreſſionem, reſpondet, Ius
eſſe idem, quòd ratio, quæ ab exordio
jam Regulam præceſſit, quia formata eſt
Regula, eo modo, quo eſſe debebat ſe-
cundum Ius, quod in mente legiſlatoris
8 ſedebat. Ex his, quæ Gloſsa aſſerit, col-
ligo, eam velle, quod ſemper regula ſup-
ponat Ius, ſcilicèt, vel in legibus huma-
nis conſtitutum, vel ſaltem in mente il-
lius, qui Regulam formauit, quatenus
illam edidit iuxta præſcriptum rationis,
ſeu Iuris naturalis dictantis in tali caſu
ſpeciali, ita, & non aliter eſſe determinã-
dum: & ſic ſemper verificabitur, quòd
Regula ſupponat, præceſſiſſe Ius, tamquã
materiam, ſiue ſcriptum in legibus, ſiue
in mẽte ſignatum: & hoc pacto doctrina
Gloſsæ explicata, placet eius ſententia;
quia eſt textui cõformior; ſic enim magis
propriè loquimur, dicendo vniuerſaliter,
Rubricam eſſe de Regulis Iuris, & non
partim eſſe de Regulis Iuris, partim ve-
rò de iure Regulatum.

9 Ad vltimum, in quo examinandum
propoſuimus, an exceptiones, quas ip-
ſa regula patitur, contineantur ſub re-
gula, Reſpondeo, duas eſſe de re hac o-
piniones, quarum prima negat contine-
ri, quia exceptio fit ad derogandum Re-
gulæ; & ideò nequit ſub illa comprehẽ-
di: ſecunda autem ſententia oppoſitum
tuetur, affirmans exceptiones contineri
ſub regula, quatenùs per exceptionem
Regula ipſa firmitatem in reliquis non
exceptis ſortitur. Vtramque opinionem
examinant Authores, initio huius Ru-
bricæ; placent autem mihi ea, quæ docet
Dynus, conciliare intendens has ſenten-
tias, & ambas, vt veras, admittere;
inquit enim, exceptiones non eſſe ſub re-
gula quoad diſpoſitionem, quia regula,
quantum ad exceptiones officium ſuum
amittit, vt expreſsè dicitur. *in L. in fi-
ne ff. eodem tit.* hoc autem probatur ab
ipſomet Dyno, ex eo, quod officium Re-
gulæ ſit coniungere plures caſus ſub vna
concluſione, & in exceptis non coniun-
git; quia ob aliquam ſpecialem rationẽ
vitatur coniunctio, vt patet ex illa regu-
la ſuperius cit. nempè de dominio rerũ,
quod conceditur primo occupanti; quæ
quidem fallit in rebus ſacris, vt ibi dicũt,
communiter ſcribentes; nequimus enim
ſequi regulam in ijs, quę rationi aduer-
ſantur, vt habetur. *L. in ijs ff. de legib.*
non poſſunt igitur exceptiones contine-
ri ſub regula, quoad diſpoſitionem, ſed
dicuntur contineri ſub illa, quoad ver-
borum generalitatem, aliàs non dicere-
tur exceptio, vt rectè notat *Dynus*, *&
Gloſſa*; & ideò, ſi diceretur v. g. Omnis
homo currit, excepto equo Titij, hæc
non eſſet exceptio, quia equus non cõ-
tinetur ſub illa vniuerſali propoſitione;
ſecus ſi diceretur, Omnis homo currit, Ti-
tio excepto, tunc enim haberetur vera
exceptio, quia Titius continetur ſub ge-
neralitate illius propoſitionis: concludit
autem Gloſsa hoc pacto diſtinguens, dũ
ait, quod exceptio quoad Iuris determi-
nationem, non comprehenditur ſub re-
gula; comprehenditur tamen ſub ver-
bis ipſius regulæ: quę explicatio, vt pa-
tet, coincidit cum illa, quam *Dynus*
tradit.

Et hæc de natura, & Regulæ officio,
ac poteſtate in vniuerſum ſint ſatis. Su-
pereſt, vt deueniam ad regulas in ſpecie
declarandas: tali autem methodo pro-
cedam, vt de ijs regulis, quę mihi ma-
ioris momenti videbuntur, & ex quibus
plures quæſtiones deduci poterunt, lon-
giorem inſtituam ſermonem; in alijs ve-
rò minoris notæ parum immorabor, &
ſolum illarum verba exponam, vt de
eiſdem ea habeatur notitia, quæ ne-
ceſſaria æſtimabitur.

REGVLA I.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione Canonica obtineri.

CAPVT I.

Declarantur termini, qui in hac regula continentur.

VAnum fortaſſe alicui videbitur im- 1
morari in interpretãdis terminorũ,
ſeu vocum proprietatibus, quin etiã non
modo ſophiſticũ, vt oſtẽdit *Tiraquellus
tract. de iure primogen. quæſt. 1.* defi-
nitionem primogeniture inueſtigans,
ſed Iuriſconſulto indignum, cuius offi-
cium eſt verſari in materia altioris ordi-
nis. Nihilominùs, quamuis id verum ſit,
loquendo de rebus notis; in rebus tamẽ
non

Digitized by Google

nō ita perſpicuis, oppoſitū eſt fatendum,
nempè præmittēdam eſſe nominum de-
clarationem; quia nomina, cum ſint im-
poſita ad rerum naturam ſignifican-
dam, eorum notitia, non parum con-
ducit ad cognitionem rei; idcircò re-
ctè aſſerit *Baldus in L. Liberti nu.9. ff.*
de oper libert. in omni ſcientia exordiū
eſſe ſumendum, à vocabulorum notione,
vt facilius rem ſignificatā agnoſcamus.
cum igitur regulam hanc, de legitima
Beneficij poſſeſſione explanare debea-
mus, oportet vocum ſignificationem
præmittere, ne decipiamur in nonnullis
quæſtionibus, de re hac decidendis. inci-
pio igitur à Beneficio, ad quod declarā-
dum varia dixerunt Authores, & primo
ſe offert definitio, quæ habetur *in libro*
2 *2. de feudis cap. In quibus cauſ. Feud.*
amittatur tit. 23. verſ. in primis, vbi ſic
definitur. Beneficium nihil aliud eſt, quā
beneuola actio tribuens gaudium capiē-
tibus; hanc definitionem approbat *Pa-*
norm. conſil. 47 num. 3. Aegid. Bellam.
conſil 26. nu. 17. Tuſcus in pract. conclu-
ſion. lit. B *concluſ. 53. initio*, eamque
apprimè laudat Ioann. *de Silua tract. de*
Beneficijs quæſt. 1. nu. 1. alios citans;
Cæterum, quāmuis definitio hæc, qua-
tenùs ſub ſe comprehendit omne Bene-
ficium latiſsimè ſumptum, admitti poſſit,
nihilominùs nō ſatisfacit præſenti inſti-
tuto, in quo nomen Beneficij ſtrictè in-
telligi debet, videlicèt in quantum ſigni-
ficat Beneficium Eccleſiaſticum, quod
ſimpliciter, & abſolutè prolatum venit
3 in Iure Pontificio: idque ſic definiri po-
terit, videlicèt. Ius perpetuum exigen-
di fructus, ex bonis Deo dicatis, aucto-
ritate Eccleſiæ conſtitutum, & Clerico
competens propter diuinum officium.
Ita ex Innocentio, & Hoſtienſe *in cap.*
Relatum de præb. definit Beneficium
Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap. 34. dubit. 1.
& ex Siluestro, alijſque ſummiſtis, San-
chez lib. 2. conſil. cap. 4. dub. 1. & hanc
definitionem nouiſſimè admittis *P. Io-*
annes Stetinio è noſtra Societate part.
4. in regulas Iuris Canonici initio ex-
plicationis huius regulæ. Vt autem huius
definitionis rectitudo pateat, declaranda
erit ſecundum eius partes; & primò di-
citur eſſe Ius exigendi fructus, nempe
poteſtas, ſeu facultas pertinens ad iuſti-
tiam; nā in hoc Iure propriè, & formali-
ter conſiſtit ratio beneficij, *vt loco cita-*
to notat Leſſius, & tamquam ex propria
cauſa, oritur ex officio; & ideò cum
proueniat ex officio ſpirituali, cui eſt in-
ſeparabiliter connexum, erit quid ſpi-
rituale, & appellari ſolet præbenda, præ-
ſertim in canonicatibus: licèt etiam vo-
cetur præbenda ſtipendium illud, quod
alicui aſſignatur pro labore, ſeu officio
temporali, nempè illud, quod datur
Aduocatis, Medicis, & alijs, qui inſer-
uiunt, vt aduertit *Garcia de benefic. cap.* 4
1. num. 8. fructus verò, ad quos per-
cipiendos Beneficiarius habet Ius, ſunt
quid temporale, quod exigi debet ex
bonis Deo dicatis, nempè Eccleſiæ do-
natis. Præterea Ius prædictum oportet
eſſe perpetuum, quia ſi eſt ad tempus,
non erit Beneficium Eccleſiaſticum. Sed
contra obijcit *Leſſius* dicens, ex hac do- 5
ctrina ſequi Prioratus, & Abbatias non
eſſe beneficia Eccleſiaſtica, quia priores,
& alij in officio durant ad tempus de-
terminatum, & poſtea ab illo ceſſant,
quemadmodum Abbates aliqui in qui-
buſdā locis non manēt in officio, niſi per
triennium. Ad hanc tamē inſtantiā re-
ſpondet idem Leſſius, prædicta officia eſ-
ſe beneficia, quatenus ex ſua inſtitutio-
ne nō habent tolli poſſe; at verò venire,
ex eo quod illa obtinens eſt ſubiectus
Superiori, quoad officia, habitationem,
& ad totam vitæ directionem. Rurſus,
ex eodem Authore, aio perpetuitatem,
quæ eſt de ratione beneficij nō conſiſte-
re in eo, quod beneficia nequeāt auferri,
ſed quod ita ſint inſtituta, vt ipſa ſem-
per durēt, & dū vni auferūtur alteri con-
ferantur. Denique dicitur beneficium
debere eſſe Eccleſiæ authoritate erectū,
vel confirmatum, aliter non eſſet verè,
& propriè beneficium Eccleſiaſticum, vt 6
communiter aſſerunt Doctores, idque
colligunt *ex cap. Nemo de conſecrat.*
diſt. 1. & ratio eſt, quia ad ſolum *Præla-*
tum ſpectat inſtituere officia in Eccleſia,
& eidem officio prouentus adnectere.
Et hæc ſatis quoad definitionem, tum
nominalem, tum realem Beneficij Ec-
cleſiaſtici. Quod vero ſpectat ad varias
ſpecies in quas ab Authoribus diuiditur
beneficium, nihil eſt à me explicandum;
quia locus proprius eſt in tractatu de
Beneficijs, & non pertinet ad præſens
inſtitutum: idcircò deuenio ad decla-
rationem aliorum verborū, nempè quid
ſit inſtitutio, & quare dicatur canonica.

Inſtitutio, ſi nominis ſignificatio- 7
nem ſpectemus, vt ait Hoſtienſis, im-

por-

portat idē, quod intùs ſtatio, ſeu intus
poſitio; nam per inſtitutionem ille, cui
beneficium traditur, ponitur intra ipſum
beneficium, eidemque veluti incorpo-
ratur. hanc verò definitionem non ap-
probat *Dynus*; quia, vt ipſe inquit, ſu-
perflua eſſet inueſtitura, quæ ſequitur
poſt inſtitutionem, & habet diſtinctum
officium ab officio inſtitutionis; inueſti-
turæ enim propriũ munus eſt inducere
beneficiarium in poſſeſſionem, quod idē
eſt, ac intra beneficium ipſum benefici-
atium ponere; & ideò prædicta defini-
tio non videtur congruere inſtitutioni,
ſed inueſtituræ. excuſat tamen *Dynus*
Hoſtienſem, tũ quia illum interpretatur,
locutum fuiſſe de inſtitutione quan-
tum ad ius, quod per ipſam inſtitutio-
nem formaliter acquiritur; non de
poſſeſſione, quæ habetur per inueſti-
turam; tum etiam quod Canones in-
ueſtituram ſolent appellari, inſtitu-
tionem corporalem, vt habetur *in*
cap. ad hæc § In quadam. de offic. Ar-
chidi. Hæc *ex Dyno*, qui poſt multa rea-
lem Inſtitutionis definitionem tradit *in*
explic. huius regulæ nu 9. dicens eſſe
verbalem collationem Iuris alicuius be-
neficij; Inueſtituram verò eſſe confir-
mationem inſtitutionis, ſeu eius decla-
rationem: cui definitioni ſimilē, paucis
verbis immutatis, aſſignant alij, cuiuſ-
modi eſt ea, quam dat *Leſſius cap. 34.*
cit. dub. 3. nu. 12. dicens, quod Inſtitutio
eſt beneficij, & Iuris in re in beneficio
collatio, & attributio.

8 Modi autem præcipui, quibus proui-
deri ſolet beneficium, & ſub quibus alij
continentur, ſunt tres, nempè Collatio,
Electio, & Præſentatio, vt aſſerit *Garcia*,
9 plures citans, *tract. de Benefic. part. 4.*
cap. 1. Collatio eſt aſſignatio beneficij
vacantis, quę fit à Prælato Eccleſiaſti-
co, ideſt à Pontifice, vel ab Ordinario,
aut à Legato, vel denique à Capitulo, vt
docent communiter Authores apud
Garciam loc. cit. & addit *Leſſius*, vt ſupra,
collationem appellari, quando bene-
ficium non ſubeſt Iuri patronatus, ſed
ſolum Iuri Prælati.

10 Electio autem eſt, quę fieri debet à
pluribus ſimul congregatis, videlicèt à
capitulo, vel collegio, & ſic ab electo-
ribus Eccleſiaſticis.

11 Præſentatio eſt ille actus, quo Patro-
nus exhibet aliquē Epiſcopo, vel alteri
Prelato, ad quem pertinet, vt ab eo inſti-
tuatur. Differt autē Præſentatio ab Ele-
ctione, quatenùs fieri poteſt ab vno tan- 12
tum patrono, etiam Laico; hæc verò à
pluribus, & non laicis, ſed Eccleſiaſticis:
Hos modos prouidendi beneficium ſe-
quuntur Inſtitutio, & Cōfirmatio, quæ
licèt ſint ſpecies quędā collationis ge-
nericè ſumptæ, differunt tamen inter ſe
quòad modum aſſignandi beneficium;
nam inſtitutio ſequitur præſentationem, 13
& eſt neceſſaria, & non libera; quia in-
ſtitutor nequit non inſtituere præſenta-
tum à Patrono, ſi in illo reperiantur
qualitates requiſitæ ad beneficiũ: in quo
differt à collatione ſpecificè accepta,
quæ dependet à libera voluntate confe-
rentis quòad electionem perſonæ etiā
idoneæ. Confirmatio autem ſequitur
electionem, quæ, vt dixi, fit à pluribus
vt a Capitulo, &c.

Denique eſt alius modus conferendi
beneficium, & reducitur ad electionē, 14
& dicitur poſtulatio, ſeu petitio, quę fit
à capitulo, quando aliquis, ob defectum
in conditionibus requiſitis ad beneficiũ,
iuxtà diſpoſitionem Iuris communis, eli-
gi nequit; vt contingit, quando eligen-
dus patitur defectum ætatis, vel nataliũ
vel eſſet bigamus, vel non è gremio ca-
pituli, & eſſet ſtatutum, vt eligendus
eſſet capitularis; tunc enim electores
pro confirmatione, debent recurrere
ad Antiſtitem, vt diſpenſet in defectu il-
lo, & confirmet eumdem, de quo fit po-
ſtulatio: & ſi defectus ſit talis, vt ordi-
narius loci diſpenſare nequeat, erit re-
currendum ad Summum Pontificem, vt
ab ipſo obtineatur diſpenſatio, & con-
firmatio. Hic autem modus, vt notat 15
Leſſius nu. 14. locum tantum, habet in
prælaturis; & vt legitimè fiat, oportet
duas ſaltem partes capituli, ſeu collegij
concurrere, vt idem Author aſſerit. Plu-
ra, quæ faciunt ad Poſtulationem videri
poſſunt apud *Petrum PecKium* in hac
Regula nu. 12.

Remanet, ſolum, vt pro completa 16
explicatione, declaretur dictio illa,
quæ additur inſtitutioni, ſcilicet, *Ca-*
nonica, per quam ſignificatur, quod
inſtitutio fieri debet ſecundum diſpo-
ſitionem Iuris, ſeu ſecundum Cano-
nes, & ab eiſdem approbata, & con-
firmata, ita *ex PecKio nu. 26. & Leſſio*
num. 14 ideoque non debet eſſe ſimo-
niaca: & debet fieri à Prælato, in quo ſit
vera poteſtas inſtituendi, & qui inſtitui-

tus

tuitur ſit idoneus, habens qualitates ad
tale beneficium requiſitas. Hæc omnia
exiguntur, vt legitima, & canonica ſit
inſtitutio, ſine qua beneficium eccleſi-
17 aſticum licitè obtineri nequit, & ſi quis
abſque illa poſſeſſionem capiat, vel bo-
norum adminiſtrationi ſe ingerat, cen-
ſebitur intruſus in beneficium, & eo ip-
ſo erit priuatus illo iure, quod per elec-
tionem acquiſierat, vt expreſsè *Gregori-
us X.* decreuit in generali Cōcilio Lug-
dunenſi, quod refertur *in cap. Auaritiæ
de Electione in 6.* & hæc ſufficiant quòad
explicationem verborum, quæ in hac
regula continentur. examinandæ autē
ſunt quæſtiones aliquæ, quarum deciſio
iuuat ad perfectiorem huius regulæ no-
titiam.

CAPVT II.

*Si quis Eccleſiaſticum beneficium ab-
ſque canonica inſtitutione obti-
neat, an ſit dicendus ve-
rus eiuſdem Benefi-
cij poſſeſſor?*

18 DVas de re hac inuenio ſententias,
quarum prima negat, quod ille, qui
ſine legitima inſtitutione beneficiū ac-
quirit, ſit dicendus verus poſseſsor talis
beneficij. ita *Oldradus conſil. 1. num. 4.*
Barboſa verò hic n. 2. pro hac ſententia
citat *Panorm. in cap. Paſtoralis nu. 27.
de cauſa poſſeſſ. Coſmam in pragmat.
Sanct. tit. de pacif. poſſeſ. §. Ordinarij*,
& in eadem ſententia videtur eſse *Re-
buffus in praxi beneficiorum. tract. de
Annatis*, vbi plures aſſignat regulas ad
acquirendam poſseſsionem beneficij: &
in earum prima docet, quod ſine titulo
poſseſſio, neque acquiri, neque acquiſi-
ta detineri poſſit: ſicuti, vt ipſemet Au-
thor inquit, in feudis non acquiritur ſine
inueſtitura. hanc etiam opinionem cō-
firmat in ſeptima regula, in qua decla-
rat diuerſitatem, quæ reperitur quòad
poſseſſionem, in rebus profanis, & in
beneficijs, quatenùs in illis, agens de
recuperanda poſseſſione, eſt ante om-
nia in illa reſtituendus, quamuis de titu-
lo non doceat, quod probat afferens
aliqua iura, quę tamen in quibuſdam
caſibus limitationem habent; ſed in be-
neficijs oportet, vt eius verbis vtar, co-
lorare poſseſſionē ex titulo, vt colligitur
*ex cap. Ad decimas de Reſtit. ſpoliat. lib.
6.* hoc autem tripliciter vult fieri poſse; 19
primò oſtendendo titulum habitum à
perſona legitima, quæ ipſum conferre
poterat; ſecundò oſtendendo in poſseſ-
ſionem tranſmiſsum fuiſse ab eo, in quo
talis poteſtas reſidebat; tertiò denique
coloratur poſseſſio, ſi, qui poſſidet, exer-
cuit aliquos actus proprios ipſi benefici-
ato, & hoc ſciente, & non repugnante
illo, ad quem ſpectat de eodem benefi-
cio prouidere. v. g. ſi quis tamquā Cano-
nicus interfuiſset capitulo, ſtallum ha-
buiſset in choro, vel alios exercuiſset ſi-
miles actus ſciēribus illis, in quibus eſt fa-
cultas prouidendi de tali beneficio, tunc
diceretur colorata poſseſſio; ſic diſcurrit
Rebuffus, ex cuius diſcurſu colligo, quòd
ipſe cenſeat, non eſse verum poſseſsorē
beneficij illum, qui beneficium obtinet
abſque canonica inſtitutione, vel ſaltem
abſque aliquo æquiualenti, per quod
poſseſsio coloretur eo modo, quo ex-
plicatū eſt. & hæc prima opinio probari
poteſt hac fundamētali ratione. Nequit
dari vera, & legitima poſseſſio, ſeu verus,
& legitimus poſseſsor quando Ius prohi-
bet, & reſiſtit tali poſseſſioni; ſed in hoc
caſu, de quo in præſentia agitur, Ius
reſiſtit; ergo in hoc caſu non datur vera
poſseſſio, neque dici poterit verus poſ-
ſeſsor. Maior eſt manifeſta, minor ſua-
detur ex hac regula, per quam prohibe-
tur acquiſitio beneficij abſque canonica
inſtitutione.

Secunda ſententia oppoſitum tuetur, 20
& in ea eſse *Innocentium Ancharanum
Butrium, & Beroum. in cap. in Literis.
de Reſt. ſpoliat.* teſtatur *Barboſa hic nu.
3.* & colligitur ex textu *in d. cap. in Lit-
teris*, vbi beneficio ſpoliatus reſtitui-
tur, abſque eo, quod præceſserit cano-
nica Inſtitutio; quod falſum eſset, niſi
haberetur verus poſseſsor. ratio autem
eſt; quia poteſt in Iure haberi vera poſ-
ſeſsio ſine proprietate *L. Naturaliter S.
nihil commune ff. de acquir. poſſ.* ergo,
quamuis Beneficiarius fuerit electus ſi-
ne canonica Inſtitutione; nihilominùs
non inde ſequitur, non eſse verum
poſseſsorem. magis tamē expreſsè hanc
ſententiam docet *Panormitanus cap. in
Litteris nu. 2. in fine. & 21. de Reſtitut.
ſpoliat.* vbi loquens de beneficio Eccle-
ſiaſtico ait, quod, quamuis beneficium
nequeat effici ipſius Clerici, niſi legiti-
mus titulus præcedat; nihilominùs fir- 21

mat

Digitized by Google

mat, poſſeſſionem tranſire in illum abſque titulo; quia poſseſſionis acquiſitio, non impeditur vi prohibitionis contentæ in Iure; & ideò infert poſſidentem nō eſſe deijciendum à ſua poſſeſſione, niſi authoritate Iudicis: & ſi deijciatur, poterit reſtitutionem poſſeſſionis petere. Ex hac opinione, quam hìc docet Panormit. deducit *Barboſa* in explicatione huius regulæ nu. 3. Panormitanum ſibimet eſſe contrarium, quatenùs in hoc loco admittit, eum, qui abſque inſtitutione canonica beneficium poſſidet, dici poſſe verum eiuſdem beneficij poſſeſſorem, cum tamen oppoſitum docuerit *in cap. Paſtoralis ſuperius citato* ab ipſo Barboſa in relatione primæ ſententiæ.

22 *S*ed diligenter conſideratis ijs, quæ in vtroque loco ipſe Panormit. tradit, cenſeo, difficile nō eſſe illum à nota contradictionis liberare, vt nunc oſtendo, aperiens germanum, & proprium ſenſum doctrinæ, quam ipſe Panormitanus habet. dico igitur, quod quamuis in poſteriori loco, nempè *in cap. in literis*, ille doceat, beneficium ſine legitimo titulo præcedente interdum verè poſſideri, & conſequenter eum, qui poſſidet dici verum poſſeſſorem; nihilominùs contrariū nequaquā aſſerit in priori loco, videlicèt *cap. Paſtoralis*: quod facile manifeſtum fiet applicanti accuratè animū eidem loco *nempe nu.* 27. vbi, cum antecedenter nōnullos propoſuerit caſus ad hanc ſpectantes materiam, & quæſierit, vtrum ſententia lata in Iudicio petitorio in fauorem Rei præiudicet agere volenti ſuper poſſeſſorio, ad hoc dubium reſoluendum plura præmittit, & examinat, & deueniens ad declarandum tertium caſum, quando ſcilicèt ob defectum Iuris in Actore lata ſit ſententia prædicta in fauorem Rei, diſtinguit, ſi ſumus in rebus profanis, non obſtare ſententiam in petitorio; quamuis enim actor Ius non habeat, non licebit tamen alteri illum ſpoliare; quia licitè poſſidebat, donec alter probaret Ius ſuum ſuper proprietate: & hoc confirmat *ex L. fin. C. de rei vendicat.* Cæterum in beneficialibus, inquit, & alijs ſpiritualibus oppoſitum eſſe dicēdum; quia hæc ſine titulo poſſideri nequeunt, & non ſufficit ſola poſſeſſio, ne detur vitioſus ingreſſus, vt colligitur ex hac regula *& cap. ex frequentibus. de inſtitut.* Hæc, & plura alia ibidem congerit *Panormitanus.* Vt autem ex eiuſdem doctrina aperiam diſcrimen, quoad poſſeſſionem inter profana, & ſpiritualia, dico, quod in profanis iuuat poſſeſſio, & titulum non tenetur poſſeſſor probare, & in eadem poſ- 23 ſeſſione debet manere, vſque dum alius probet Ius, quod habet in re illa; at in ſpiritualibus non eſt ſatis ſola poſſeſſio, vt poſſidens manuteneatur in illa, niſi oſtendatur legitimus titulus, qui in beneficijs eccleſiaſticis acquiritur per canonicam inſtitutionem, iuxta Iuris diſpoſitionem. ex his igitur patet non eſſe contradictionem in doctrina, quam locis citatis tradit *Panormitanus*: non enim in vno loco ait, poſſidentem ſine titulo non eſſe verum poſſeſſorem beneficij, & in alio loco oppoſitum; ſed ſemper conceſſit, etiam abſque titulo, poſſe beneficium tranſire in clericum, quamuis illicitè illud detineat, vt expreſsè aſſerit *in ſecundo loco in cap. in literis*, neque diſcrimen inter profana, & ſpiritualia ponitur ab eodem authore in hoc, quòd in illis ſine titulo detur verus poſſeſſor, non autem in his; nam in omnibus dari poteſt verus poſſeſſor etiam ſine titulo; ſed diſcrimen conſiſtit in hoc, vt in profanis ſuſtinendus ſit poſſeſſor, donec alius oſtendat ius proprietatis ad ipſum pertinere, quo probato excluditur ille, qui erat merus, & ſimplex poſſeſſor; in ſpiritualibus verò, vt manuteneatur, oportet, vt oſtendat canonicū titulū præceſſiſſe; quia aliud eſt, quærere, an quis dicatur verus poſſeſſor, & aliud, an ſit manutenēdus in poſſeſſione, quam quoquo modo habet; poteſt enim dari verus poſſeſſor, quamuis iniquus. Hæc in gratiam Panormitani breuiter tacta, ſint ſatis ad illum eximendum à nota contradictionis, quam eidem inurit *Barboſa*. An autem omnia, quę habentur in locis citatis, tamquam vera ſint admittenda, non curo in præſenti examinare; & ideò regredior ad quæſtionem principalem decidendam.

*D*ico igitur, probabiliorem mihi videri ſecundam ſententiam, quam ſequi 24 videtur *Barboſa num.* 4. & quidam alij apud ipſum *nu.* 3.

Volo tamen hìc lectorem admonere; 25 vt animaduertat errorem, qui, ni fallor, reperitur in ſolutione, quam dat *Barboſa* ad ſecundū argumentū pro prima ſententia: qui quidem error, vt cenſeo irrepſit ex incuria Typographi; aut il-

illius, cui demandata fuit cura corrigẽdi impreſſionem; nam *nu.* 4. vt diluat ſecundum, ſupponit differentiam inter ea, quæ ſimpliciter, & abſolutè obtineri poſſunt, & ea, quæ alienari non poſſunt, niſi habito reſpectu ad certam cauſam; quibus præhabitis, declarans diſcrimen inter prædicta, ſic inquit [Priora non ſunt ſimpliciter, & abſolutè poſſibilia, vt ſic loquamur; ſi cum animo poſſidendi ſimpliciter, & ſine reſpectu ad illam cauſam apprehendantur, verè, & propriè poſſidentur.] in his autem verbis duo errores quoad correctionem manifeſtè continentur, & ſenſum ab Authore intentum totaliter deprauant. Primus eſt in illa dictione, *Poſſibilia* fuiſſet enim dicendum *Poſſedibilia*, aliter non addidiſſet Author verba illa, *vt ſic loquamur*. Alius autem error conſiſtit in eo, quod additur particula, *non*, reddens propoſitionem negatiuam, quæ tamen, vt patet legenti, affirmatiua eſſe debebat; & ideò cum dicitur [*P*riora non ſunt ſimpliciter, & abſolute poſſibilia, vt ſic loquamur, ſi cum animo poſſidendi ſimpliciter, & ſine reſpectu ad illam cauſam apprehendantur, &c.] erat affirmatiuè dicendum [Priora ſunt ſimpliciter, & abſolutè Poſſedibilia, &c.] aliter confunderentur priora cum poſterioribus, de quibus Author [Poſteriora verò non ita, ſed oportet, quod apprehendantur per reſpectum ad illam cauſã &c.] & etiam in hoc reſpectu ad certam cauſam ponit ipſe diſcrimen inter priora, & poſteriora; nam priora debent per ipſum eſſe acquiſibilia abſque tali reſpectu, ſecus poſteriora. In confirmationem huius rei addo, quod falſa eſſet cõſequentia illata ab Authore, ſi diceret, priora non eſſe acquiſibilia ſine reſpectu, & poſtea concluderet dicens. [Verè & propriè poſſidentur,] erat enim concludendum [Verè, & propriè non poſſidentur.] itaque cum manifeſti errores in impreſſione habeantur, cautè, & cõſideratè in lectione huius commẽti procedere debet lector; & ideò animaduerſionẽ hanc ſignãter apponere operæ pretiũ duxi, ne deceptio aliqua contingat.

26 His denique omiſſis deuenio ad probandam concluſionem principalem, quam ſic oſtendo. Poſſeſſio non habet neceſſariam connexionem cum proprietate, ita vt aliquando nequeant ſeparatim inueniri; ergo ille, qui ſine canonica Inſtitutione beneficium acquirit dicendus erit verus beneficij poſſeſſor; antecedens expreſsè habetur in Iure. *L. Naturaliter.* §. *Nihil commune ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* & patet etiam ratione, quia fur v. g. detinens rem furto ſublatam, illam poſſidet, quàmuis nullam in illa proprietatem habeat: & è contra verus dominus detinet dominiũ, & proprietatem, & non poſſeſſionem eiuſdem rei, cuius poſſeſſione fuit à latrone ſpoliatus. Conſequentia autem ſuadetur, quia nulla eſt ratio, per quam dicamus, oppoſitum eſſe admittendum in beneficijs, & quare nequeat aliquis poſſeſſionem capere medijs illis actionibus, quæ requiruntur ad capiendam poſſeſſionem beneficij, de quibus fusè agit Caetanus *lib. 3. variar. reſolut. cap. 16. num.* 8. quàmuis illicitè id fieret in quantum canonica inſtitutio non præceſſerit. Præterea nullum reperitur Ius, quod contrarium diſponat, ergo iſte talis diceretur, & eſſet verus beneficij poſſeſſor. Neque præſens regula oppoſitum ſtatuit; cum ſolum dicat, beneficium eccleſiaſticum non poſſe licitè ſine canonica Inſtitutione obtineri; quod vltrò concedimus: non autem dicit, validè non poſſe. quin addo, rectè regulam explicari ſi dicamus, eam loqui de proprietate, & non de poſſeſſione.

Ad rationes autẽ pro prima ſententia eſt mihi reſpõdendũ; & ad illam paritatẽ de inueſtitura, quam proponit *Rebuffus*, dico, quod ſicuti feudum legitimè non poſſidetur, niſi præcedat inueſtitura, ita neque beneficium eccleſiaſticum, niſi præcedat canonica Inſtitutio: hoc autem non contradicit huic ſententiæ, quæ non aſſerit, beneficium abſque inſtitutione legitimè poſſideri, ſed ſolum vult poſſideri vera poſſeſſione, quàmuis illicita, quòd etiam dici poteſt de fure iniuſtè rem alienam detinente. Ad illud autem deſumptum ex diſcrimine inter res profanas, & beneficia, quod declaratur ab eodem Rebuffo in ſeptima regula, Reſpondeo, neque huic regulæ opponi, quia non aliud probari poteſt per illud diſcrimen, niſi quod in profanis ſi quis in iudicio petat, vt reſtituatur in illa poſſeſſione, qua fuit ſpoliatus, ante omnia erit reſtituendus in priſtina poſſeſſione, licèt non oſtendat titulum ſuæ poſſeſſionis, vt colligitur *ex L. Si quis ad ſe fundum C. Ad legem Iuliam* 27

Digitized by Google

de vi publ &c. in ſpiritualibus verò ſpoliatus non reſtituitur, niſi oſtendatur titulus, vt habetur ex diſpoſitione Iuris Canonici *cap. ad decimas de Reſtitut. ſpoliat. in 6.* & addo *ex Barboſa in eod cap nu. 3.* quod ſpoliatus non ſit reſtituendus, quãdo huic reſtitutioni reſiſtit Ius commune, ſiue agatur in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus. Ex hac autē doctrina nil inferri poteſt contra hanc ſecundam ſententiam, quàm ego ſequor, in qua ſolum defendo, dari verum poſſeſſorem in beneficijs abſque canonica inſtitutione: & hoc admittens non cogor concedere, quod tali poſſeſſione ſpoliatus debeat reſtitui, etiam ſi non probet inſtitutionem, ſeu legitimum titulum; hoc enim eſt quid impertinens ad hanc quæſtionem de vero poſſeſſore.

Ad fundamentalem rationem pro eadem prima ſententia reſpondeo, & concedo, dari non poſse veram poſseſsionem, quando huic poſseſsioni Ius reſiſtit; ſed nego dari reſiſtentiam Iuris in caſu noſtro, quæ reſiſtentia minimè probatur ex hac regula, vt ſuperius demonſtraui.

CAPVT III.

An inualida cenſenda ſit inſtitutio illa, quæ ſit ab eo, qui per errorem iudicatur habere poteſtatem inſtituendi, cum tamen eam reuera non habeat.

28 ANtequam ad deciſionem huius quæſtionis deueniam, ſuppono, ad Epiſcopum ſpectare facultatem inſtituendi in beneficio eccleſiaſtico illum, qui à patrono præſentatus fuit, & hoc ex iure cõmuni, vt ſtatuitur *cap Ex frequentibus; & cap. Cum venissent de Inſtitutionibus.* & id Authores communiter affirmant: quamuis in controuerſia apud eoſdem ſit, an Vicarius Generalis, ex vi ſolius Vicariatus, ſine alia ſpeciali commiſsione, hanc habeat facultatem: & partem affirmatiuam quamplures tuentur, inter quos eſt *Ioannes de Selua tract de benef par. 2. quæſt. 14 nu. 1. Sbroz. de officio Vicarij lib. 2. quæſt. 3. Garzia de benef part. 5 cap. 8. à nu. 83. Gonzales ad reg. 8. Cancell gloſs. 9 §. 1. à num. 78. Azor. inſtit moral. par. 2. lib. 6. cap. 12 quæſit 3 & alij apud ipſos,* qui hoc colligunt *ex cap. cit. Ex frequent.* in illis verbis, *Vel ab officialium ſuorum.* nõ deſunt tamen, qui oppoſitum ſuſtineãt; videlicèt non poſſe à Vicario, ſine ſpeciali commiſſione inſtitui præſentatum; & ad prædictum textum reſpondent, ſermonem non eſſe de inſtitutione ſpecificè, ſed generaliter accepta, nempe de titulo, qui confertur, ſiue ab Epiſcopo, ſiue ab eius officialibus, ſiue denique à quocumque alio habente de Iure facultatem hanc; at loquendo de inſtitutione ſpeciali, quæ ſit poſt præſentationẽ, quæ eſt à Patrono, dicunt non poſſe inſtitutionem hanc fieri à Vicario, niſi illi ſpecialiter committatur: & hoc probãt *ex cap. fin de offic. Vicarij in 6.* vbi expreſsè dicitur, non poſſe à Vicario beneficia conferri: ſed ad hunc canonem reſpondet *Azor. ex Gloſſa, & Abbate* aſſignans diſcrimen, ex eo quod inſtituere eſt neceſſitatis, quia præſentatus à Patrono, ſi eſt idoneus nequit nõ inſtitui; at conferre non eſt neceſſitatis, ſed liberalitatis: & idem ſentiunt communiter Doctores per textum *in cap fin. citato.* 29

Capitulum autem tempore, quo ſedes vacat poteſt etiam inſtituere, vt habetur *ex cap 1. de inſtitutione in 6.* & ratio eſt, tum quia ſede vacante repræſentat Epiſcopum eius vicem gerens, vt *ex cap. unico in 3. notab. de Maioritate, & Obed. in 6.* tum quia ſuccedit in omnibus actibus iuriſdictionis, quæ de Iure communi pertinent ad Epiſcopum, vt ex multis Iuribus, & Authoribus probat *Sbroz. lib. 1. cap. 15. nu. 1.* & hæc breuiter tacta ſufficiant. redeo nunc ad quæſtionem principalem, quæ *à Dyno,* proponitur hic *à nu. 31.* qui examinat hinc inde rationes pro negatiua, & pro affirmatiua ſententia.

Opinio, quæ ſuſtinet inualiditatem inſtitutionis prędictæ ſuaderi poteſt argumẽto deſumpto à paritate rationis; nã irritũ eſt, quod tutorio nomine ſit, ab aliquo, qui per errorem tutor exiſtimatur, vt colligitur ex varijs Iuribus videlicèt *ex L. Titiũ §. à Matre ff. de Adminiſtr. & peric. Tutorũ, et L. ſi is qui ff. de eo, quod pro Tut. &c. & L. Qui Niquæ ff. de Reb. eorũ, qui ſub tut.* in quibus Legibus declarãtur inualidæ diſtractiones bonorũ, quæ ſiunt ab eo, qui putat, ſe eſſe tutorẽ, cum nõ ſit; vel ab eius procuratore; & ſi maneãt, poſſunt ea bona à Pupillo vindicari: ex qua doctrina poteſt hoc ipſum dicide inſtitutione, quæ ſit ab illo, qui per errorem exiſtimatur eſſe legitimus Inſtitu- 30

tu-

Digitized by Google

tutor, & reuera caret poteſtate ad inſtituendum.

Sed opinio, per quam tenetur, validã eſse talem inſtitutionem, probari poteſt non minus efficacibus argumẽtis, quàm probetur prior ſententia, ex vtroque Iure deſumptis; nam *in cap. Conſultationibus, de Iure Patronatus* expreſsè deciditur, quod, ſi quis bona fide reperiatur in poſseſſione Iuris patronatus, cum in re patronus non ſit, & pręſentet Clericum, qui ab Ordinario inſtituatur ad beneficium, etiam ſi poſtea, veritate apparente, ille, qui præſentauit priuetur iure patronatus, & id reſtituatur alteri habenti verum titulum; nihilominus Clericus inſtitutus non eſt neceſse, vt iterum a legitimo patrono præſentetur, & inſtituatur. Aduertitur tamen in fine eiuſdem Canonis, hoc locum habere, quando patronus putatiuus eſt in poſſeſſione Iuris patronatus; quia, ſi in poſſeſsione non inuenitur, etiam ſi exiſtimetur patronus, non erit legitima eius præſentatio, & inſtitutio facta vi talis præſentationis; ſed oportebit iterum præſentari à vero patrono, & de nouo inſtitui. Quæ autem dicta ſunt ſecundũ ius canonicum, confirmantur ex Iure ciuili, per quod diſponitur, eſse validos actus, qui fiunt ab eo, qui communi errore exiſtimatur iuriſdictionẽ habere: vt patet per L. *Barbarius. ff de Officio præt, & per L ſi Arbiter ff. de ſent. & interloqu.* Ex his efficaciter deduci poterit argumentum à pari, quo probetur hæc ſecunda ſententia; eſt enim eadem omnino ratio. & hanc ſententiam defendunt ferè omnes, quos laudat, & ſequitur *Couarr. lib. pract. quæſt. cap. 36. nu. 6.* quibus addo *Menochium conſil. 90. n.* 115. 128. *Guttier. in pract. quæſt. lib. 3. qu. 42 à nu. 4. Azorium in inſtit. moral par. 2. lib. 6. cap. 23. quæſito 6.* Bar*boſam in collect. cap. Conſultationibus cit. nu. 1. & ſequent.*

31 Dicendum igitur eſt cum hac ſententia, quam veram cenſeo, & vtrique iuri ciuili, & canonico conformem, vt patet ex citatis textibus: ratio autem eſt, quia pertinet ad bonum communitatis, vt ſimiles actus procedentes ex communi errore, ſuſtineantur vt validi; & hoc fuit motiuum illius diſpoſitionis, quæ habetur *in L. Barbarius*, vt oſtendunt communiter Doctores.

Sed inſtabis dicens, diuerſam eſse rationem de actibus, de quibus eſt ſermo in Lege prædicta, & de actibus, de quibus procedit præſens quæſtio; nam illi ſpectant ad publicum officium, hi verò fiunt priuata authoritate, & ſic in his deficit vtilitas communitatis. Ita diſcurrũt aliqui, quos refert *Barboſa loc. cit. n. 2.* quibus reſpondeo cum eodem Barboſa, & aio, eandem eſse rationem de vtroque genere actuum; vtilitas enim communis exigit, vt tam illi, quam hi actus ſuſtineantur, ad vitandum graue detrimentum, quod obuenire poſſit, ſi geſta, quæ authoritate priuata fiunt, ſtante errore communi declaranda eſſent inualida, quod probat idem Author ex nonnullis Iuribus canonicis, præſertim *ex cap. cũ dilectus de conſuetud. &c.*

Ad argumentum autem pro contraria ſententia deſumptum ex varijs Iuribus reſpondet, & benè *Dynus nu. 33.* ibi ſermonem non eſſe de errore communi, ſed ſingulari, qui nihil operatur in præiudicium veritatis, vt colligitur *ex L. Cum quidam §. Quod dicitur ſi putetur ff. de acquiren vel amit. hæreditate.* Plura, quæ ſpectant ad iudicandum, quando geſta ex communi errore procedentia valida ſint cenſenda, legi poſſunt apud *Rebuffum in d. L. Barbarius Sanchez lib. 3. de matrim diſp. 22 num.* 49. *Baſilium Pontium eod. tract. lib. 5. cap. 20.* & apud alios, quos ego refero, & quorũ ſententias examino in explicatione Bullæ Cruciatæ *part. 2. tr. 5. c. 1. ſect.* 12. tũ in prima, tum in ſecunda editione. 32

REGVLA II. ET III.

Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit II.

Sine poſſeſſione pręſcriptio non procedit III.

MAteriæ, de quibus in prædictis Regulis agitur, ſeſe mutuo inferunt; & ideò intelligentia vnius neceſſariò requitit perfectam alterius notionem; in vtraque enim fit mentio de poſseſſione, & præſcriptione. nequimus tamen determinare, quando poteſt, aut non poteſt poſseſsor pręſcribere, niſi ſciamus quid ſit poſseſſio, quidue præſcriptio, & pariter niſi ſciamus, quare ad præſcriptionem poſtuletur poſſeſſio, & qualis ſit mala, qualis verò bona fides neceſsaria

ad ipſam præſcriptionẽ; proinde termini, qui in vtraque regula continẽtur, antequã quæſtiones aggrediar, ſunt declarandi,

CAPVT I.

Explanantur Verba vtriuſque Regulæ.

Voces, quæ aliqua indigent declaratione, ſunt illæ duæ, nempe, *Poſſeſſio, & Præſcriptio*, quia aliæ, nempè, *Malafidei*, *&c.* quoad verbalem ſignificationem, ſunt adeò claræ, vt nullam poſtulent explicationem; requirunt tamen, vt aliquæ de illis inſtituantur, & decidantur quæſtiones, in ordine ad effectum, ſcilicet in ordine ad iudicandũ, quænam eſſe debeat poſſeſſio, vt præſcriptionem non impediat? quod in ſerie quæſtionum præſtabitur. deueniõ nunc ad verborum interpretationem incipiens à verbo, *Poſſeſſio*.

1 Dico igitur quod Poſſeſſio, ſi ſpectetur quoad ſignificationem conſiſtentem in vocabulo, appellatur à pedum poſitione, ſeu ſeſſione; eſt enim vſus quaſi pedum, vel ſedium poſitio, vt notat *Rebuff. L. Quæſtio eſt. 115. ff. de verb. ſignif.* & habetur L. *1. ff. de acquir. vel amit. poſſ.* & hoc quia ſuper bona immobilia, in quibus proprijſsimè locum habet poſſeſſio, vt ſuper fundum, vel agrum, ponebatur pes ab illo, qui poſſeſſionem capiebat. cæterum conſiderando poſſeſ-

2 ſionem ipſam, quòad ſignificationem realem, poterit ſic definiri. Eſt incorporalis detentio corporis, animi, & Iuris adminiculo. ita communiter Authores. *Siluest. verb. Poſſeſſor 1. p. nu. 2. Molina tract. 2. de Iuſt. diſp. 12. num. 3. Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 3. dub. 9.* & alij. hanc tamen definitionem declarans Molina, ibidem inquit, per eam potiùs explicari modum, ſeu actum, quo poſſeſſio acquiritur, quàm ipſam ſecundum ſe, & exponit ſenſum definitionis hunc eſſe, videlicet. Eſt apprehenſio rei corporalis, vera, vel ficta corpore, & animo, iuriſque adminiculo; tunc enim res corporalis dicitur verè apprehendi, quando manibus acquiritur; vel, ſi eſt res immobilis, pedibus tangitur. fictè autem dicitur apprehendi, quando exercetur aliquis actus, qui Iuris diſpoſitione æquiualet veræ apprehenſioni. Plures autem, &

3 diuerſi generis ſunt actus, qui, fictione Iuris, æquiparantur actui vero, nempe apprehenſioni corporali, cuiuſmodi eſt traditio inſtrumẽti, videlicèt illius ſcripturæ, in qua continetur Ius, ſeu titulus, quo mediante vendens acquiſiuit rem: rurſus traditio clauium ante ipſam domum, vel locum, in quo repoſita eſt res, quæ venditur: appoſitio cuſtodis facta ab emptore, & plures alij, de quibus diſtinctè Authores agunt, & præſertim *Molina tract. cit. diſp. 13. à nu. 8.* & fusè *Gomez in legem 45. Tauri, incipiens à nu. 45. & deinceps*, vbi etiam declarat conditiones requiſitas, ad hoc, vt prædicti actus rationem habeant actus ficti, & æquiualeant actui vero, & omnia ex diuerſis Iuribus deducit, & confirmat. in hac autem re eſt omnino animaduertẽdum, poſſeſſionem comparari non poſſe per actum fictum, quando non interuenit voluntas illius, qui rem prius poſſidebat, vt apertè conſtat *§. Illud. inſt. de rerum diuiſione*, & ex multis notat *Molina diſp. cit. nu. 5.* Ex quo rectè infertur, quod res, quæ ſub nullius dominio ſunt, & fiunt primi occupantis, vt feræ terreſtres, & volatiles, theſauri, & ſimilia, non incipiunt ab aliquo poſſideri, niſi per actum verum, nempè per verã apprehenſionem, quæ ſe habeat, vt adminiculum corporis. 4

Alia pars traditæ definitionis, cum dicitur, *Animi adminiculo*, appoſita eſt ad ſigni ficandum, quòd ad poſſeſſionem capiendam, neceſſariò requiritur voluntas illius, in quem tranſire debet poſſeſſio, aliàs non haberetur ipſa poſſeſſio; & ideò depoſitarius tenens rem depoſitã non dicitur illam poſſidere. 5

Vltima denique pars eſt, *Iuris Adminiculo*: hæc autem particula non apponitur ad denotandum, quod omnis vera poſſeſſio comitem habeat Iuſtitiam; interdum enim eſt iniuſta, qualis eſt ea, ſecundum quam latro dicitur rem furtiuam poſſidere; ſed ponitur ad ſignificãdum, quod Ius veluti permittat talem poſſeſſionem, non autem quod impediat, ſicuti impedit, ne pura detentio, vt ſic, loci religioſi, aut rei ſacræ apud Laicos exiſtimetur poſſeſſio, vt colligitur *ex L. Qui vniuerſas §. Namque. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* 6

Poſſeſſio autem multiplex eſt; nam alia eſt Iuris, alia facti: illa ſecundum aliquos, quos ſequitur *Leſſius cap. cit. dub. 9. num. 41. ex Bartol. in L. 1. ff. de ac-* 7

acquir. vel amitt. poſſeſſ. Eſt ius inſiſtendi rei, tamquam ſuæ, non prohibitę poſſideri. Singulæ autem partes huius definitionis ſunt declarandæ. Dicitur eſſe, *Ius*, vt diſtinguatur à poſſeſſione facti, inferius explicanda. Secundo dicitur, *inſiſtendi rei*, & per hanc particulam poſſeſſio ſecernitur à dominio, quod eſt Ius diſponendi de re: hoc autem Ius inſiſtēdi, quod conceditur poſſeſſioni, conſiſtit in hoc, quod poſſeſſor poſſit pacificè rem detinere, & contra perturbatores Iuris remedijs ſe defendere. Tertio per illam particulam, *Tanquam ſuæ*, ſignificatur, quod inſiſtentia fieri debet nomine ipſius inſiſtentis, & non alterius, aliter non erit vera poſſeſſio; & ideò Tutores, qui inſiſtunt pro pupillo, & Curatores pro minore, non dicuntur poſſidere bona pupilli, &c. ſed pupillus, ſeu minor erit verus poſſeſſor.
8 Limitatur tamē à Leſsio *dub. cit. n. 42.* in ſeruo, & filio non emancipato, qui non ſibi acquirunt, ſed domino, & patri, idcircò Dominus, & pater dicuntur poſsidere per illos, etiamſi hi non habeant animum acquirēdi nomine Domini, & Patris.

9 Denique dicitur *Rei non prohibita*, quia nequit dari vera iuris poſſeſsio illius rei, ſi Ius talem poſſeſsionem prohibeat, & impediat.

10 Definitio hæc, cuius partes hactenus declarauimus, non placet Molinæ; quia nequit conuenire, vt ipſe ait, iniuſte poſsidenti, qui Ius non habet ad inſiſtēdum rei, quā tamen verè poſsidet; nā Ius ad inſiſtendū rei eſt in eo, qui iniuſtè eſt à poſſeſsione deiectus, & re vera non poſsidet; & ideò diuidēs ipſe *Molina* poſſeſsionem, in eam, quæ eſt iuſta, & in eā, quę eſt iniuſta, ait, illā compleri in ratione poſſeſsionis, per inſiſtentiam actualē, vel quaſi habitualem, in ratione autem iuſtæ poſſeſsionis compleri per Ius inſiſtendi: Propterea n. 3. aliā tradit definitionem poſſeſsionis, ſed parum à præcedēte diuerſam, ſic dicens [Eſt inſiſtentia actualis, aut quaſi habitualis in re aliqua ex apprehēſione, corpore, & animo, Iuris adminiculo proueniens] Et hæc ſatis ſint iuxta Authorum placita de poſſeſsione Iuris. Alia verò appellatur poſſeſsio facti, quæ eſt ipſa rei detentio; ex qua, ſi iuſta fuerit, oritur Ius; ſi verò iniuſta, tale Ius non oritur in foro interno.

11 Rurſus diuiditur poſſeſſio in ciuilem, & naturalem, Ciuilis, quæ ita vocatur, in quantum per Ius ciuile eſt introducta; ſolo animo habetur & retinetur.

Datur etiam poſſeſſio, quam Authores ciuiliſſimam appellant, nempè illa, quæ transfertur ſolum diſpoſitione legum, abſque adminiculo corporis, & animi, quamuis ille, in quem transfertur id ignoret, vt notat *Couar. lib. 3. variar. reſol. cap. 5 nu. 6.* cuiuſmodi eſt poſſeſſio maioratus, & aliorum bonorum ſpectantium ad primogeniturā, quæ quidem bona in regno Caſtellę trāſeunt ad hæredem, qui eſt proximior cognatus, vel agnatus defuncti. Non deſūt tamen, qui negent, poſſeſſionem acquiri abſque vllo actu apprehenſionis vero, vel ficto; ſed oppoſitum, tamquam verius defendunt alij, quos laudat, & ſequitur *Caſtropalaus par. 7. tract. 31. diſp. vnica p. 24. §. 2. nu. 16.* 12

Naturalis poſſeſſio eſt illa, per quam res ſimul corpore, & animo detinetur, vt dicitur *L. Poſſidere initio, & L. Quemadmodum ff. de acquir. poſſeſſ.* 13

Pro complemento autem huius declarationis aduerto, quod res incorporeæ, nempè Iura, & actiones, vt notant Authores non dicuntur, propriè loquendo, poſſideri, vt colligitur *ex Inſtit. de Interdic. initio, iuncta Gloſs. verbo, Quaſi poſſeſſione*; ſed nihilominùs, vt aduertit *Molina diſp. 12. nu. 4.* frequenter etiam de rebus incorporeis dicitur poſſeſsio; & ſic dicimus poſſidere *Beneficiū, Commēdam, Vſum fructum, &c.* qua propter ſi quis voluerit definitionem poſſeſſionis aſſignare, quæ comprehendat tum res corporeas, tum incorporeas, deberet omittere dictionem illam, videlicèt, *Rei corporalis*, & ſimpliciter dicere. Eſt apprehenſio rei vera, vel ficta, &c. ita habet *Molina loc cit. ex Couar.* Et hæc ſufficiant pro declaratione huius vocis. Si quis autem plura de hac eadem re depoſcat, legat Authores citatos. 14

Aliud nomen declarandum quoque erat, nempè, Præſcriptio, quæ, prout facit ad preſentem materiam, ſolet communiter accipi, quatenùs idem ſignificat, ac exceptio, ſeu oppoſitio, per quā impeditur actio illius, qui intendit recuperare rem, cuius erat dominus, & ab alio fuit præſcripta trāſacto tempore per leges definito. & de hac præſcriptione paſſim agunt Iuriſtæ, & Canoniſtæ, & & præſertim *Couar. in reg. Poſſeſſio par. 1. initio. Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 60. Leſ-* 15

Leſſius lib.2.cap.6.dub. 1. & ex Recentioribus *Ioannes Delugo de Iuſt. to.*1 *diſp.* 7. *ſect* 1. *& ſeq. Caſtropalaus part.7 tr.* 30 *diſp vnica p.* 22. *§.* 15. *Eſt* autem præſcriptio hæc, quoddam Ius varijs legibus introductum, quo mediante poſt elapſum determinatum tempus, & poſitis conditionibus à Iure requiſitis, poſſidens acquirit dominium rei poſſeſſæ. & hoc diſpoſitum fuit, ob publicum bonū communitatis, ad vitandas, & terminandas lites, & ne rerum dominia manerent incerta.
16 Nonnulli autem diſtingunt tamquam diuerſa præſcriptionem, & vſucapionem, putantes illam dari in rebus immobilibus, hanc verò in mobilibus; ſed vt benè notat *Molina diſp. cit. num.6. Leſſius dub.* 1. *num.*4. *& Caſtropalaus p.cit.* §.1.*nu.*4. *ex Couar.* in Iure non inuenitur diſcrimen, & vtraque conuenire poteſt tam immobilibus, quā mobilibus; licet re vera differant in aliquibus, nam præſcriprio importat oppoſitionem contra actionem ab alio intentatam, eo modo, quo declarauimus, quod tamen non conuenit vſucapioni. Secundo vi præſcriptionis interdum extinguitur actio alterius, ſiue ſit realis, ſiue perſonalis, & talis extinctio non dicitur vſucapio, ſed præſcriptio; & ſic colligitur, præſcriptionem vniuerſaliorē eſſe vſucapione; omnis enim vſucapio dici poteſt præſcriptio, non autem è conuerſo; nihilominùs ab Authoribus vtraque indiſcriminatim accipitur.
17 Vſucapio autem ſic definitur. *L.*3 *ff. de Vſucap. ſeu vſurpation:* Vſucapio eſt acquiſitio, vel adiectio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. Rurſus idem *Molina num.*7. Aduertit, nomen hoc, Præſcriptio, ſeu Vſucapio, primariò conuenire ipſi actuali acquiſitioni dominij, & etiam conuenire continuatæ poſſeſſioni tendenti, & diſ... ad comparādum dominium, quæ ... per ordinē ad ipſam acquiſitionē, ... inquam ad terminū, idē nomē ſortitur: quod exemplo deſumpto ex naturali philoſophia confirmat; in qua Philoſophi ſolent appellare generationem ipſam, introductionem formæ ſubſtantialis, quæ in eodem momento fit, & facta eſt, eamque pariter appellant præuiam alterationem, quatenus tendit ad introductionem formæ, à qua, tanquam à terminō, ſumit eamdē denominationem, & vti hæc, cum ſit ſucceſſiua poteſt impediri, & interrumpi; ita etiā, ait ipſe, præſcriptio, quāmuis ſumpta pro actuali acquiſitione dominij nequeat impediri; nihilominus, ſi ſumatur veluti in fieri, in ipſa continua, & ſucceſſiua poſſeſſione vſque dum compleatur, poterit ob varias cauſas impediri, & interrumpi, vt infra in quæſtionibus videbitur.

Præſcriptio quòad tempus à lege requiſitum diuerſificatur iuxta varietatem rerum præſcribendarum; ideoque, quantum attinet ad res præſcribendas, aliud appellatur iuxta leges longum tempus, quale eſt decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes; aliud lōgiſſimum, nempè tempus triginta, & quadraginta annorum; aliud verò centenariū; aliud denique dicitur immemorabile, videlicèt illud, cuius initium memorari nequit, quod differt à centenario, de cuius initio poteſt aliquando memoria haberi; & ideò præſcriptio procedens ex poſſeſſione continuata per tempus immemorabile erit magis priuilegiata, quàm ſit illa, cuius poſſeſſio eſt ſolū per tempus centenarium. Cæterum aliqui cenſent magis priuilegiatam centenariā, quatenus ſtante humanæ vitæ breuitate, his temporibus nemo, aut rariſſimus peruenit ad centum annos, & dari poreſt tempus immemorabile breuius centenario. 18 19

Denique aduerto, in iure plures requiri conditiones ad præſcribendum. Quatuor autem ex Silueſtro enumerat *Leſſius cap cit. dub.* 2. & hæ ſunt. Poſſeſſio, Titulus, ſaltem probabiliter præſumptus, Bona fides, & Continuatio poſſeſſionis. poſſent etiam aliæ aſſignari, tum ex parte rerum præſcribendarum, nam aliquæ res nequeūt præſcribi, vt libertas hominis, res ſacræ, & religioſæ, ſicuti habetur *in L. vltima ff. de preſcript.* 30. *ann. & ex inſtit. de vſucap.* §. *Sed aliquando;* tum ex parte perſonæ præſcribentis; nam qui ſunt vſu rationis deſtituti, nequeunt inchoare præſcriptionē, ad quam requiritur voluntas acquirendi, quę non repetitur in illis: quamuis poſſeſſionem continuare poſſint, ſi inchoauerint tempore, quo rationis vſum habebant, vt aduertit *Caſtropalaus p. cit.* §. 3. id varijs iuribus probans. Cæterum admoneo Lectorem, ne à me expectet examen diuerſarum quęſtionum, quæ inſtitui ſolent de præſcriptione, pro 20

ut

ut dependet ab omnibus prædictis conditionibus; hoc enim eſſet egredi à proprio inſtituto explicandi has regulas & recedere ab iis, quæ in eiſdem regulis continentur. itaque, cum in duplici hac regula, quam explano, ſolum fiat mẽtio, & agatur de præſcriptione, prout poſtulat poſſeſſionem, & non quamcũque, ſed illam, quæ non ſupponit malã fidem in poſſidente; idcircò quæſtiones, quas inſtruere intendo, verſabuntur circa varia dubia, quæ inſurgere poſſũt de poſſeſſione bonæ, aut malę fidei, declarãdo quãdo cenſenda ſit bona, quando verò mala fides: & hoc non ſolum pro foro externo, & iudiciali, ſed etiam pro foro interno conſcientiæ, cum quibuſdam annexis; quoad alias verò conditiones, de quibus non eſt ſermo in his regulis, ſatis mihi erit ſupponere eas interuenire.

CAPVT II.

Explicatur, quaenam ſit bona, aut mala fides in ordine ad præſcriptionem.

21 NOmine fidei in his regulis non intelligitur iudicium illud, quod cõmuniter fidem appellare ſolemus; nempè illud, quo alterius dictis aſſentimur; ſed intelligitur actus propriæ conſcientiæ, videlicèt iudicium, quo credimus, aliquod, quod poſſidemus, eſſe noſtrum, vel eſſe alienum; & in hoc ſenſu nomẽ fidei vſurpant Doctores; & ideò ſi quis poſſideat, exiſtimans rem poſſeſſam eſſe ſuam, dicitur bona fide illam poſſidere; contra verò mala fide diceretur poſſidere, iudicans rem eſſe alienam. Quod autem nomen fidei interdum ſumatur pro conſcientia, habemus frequenter, non ſolum apud Authores, ſed etiam apud ſacras literas: & iuxta hanc ſignificationẽ, loquitur de Fide *Innocent. VI. Summus Pontifex*, in Concilio generali Lateranenſi, quod refertur *in cap. fin. de præſcript.* vbi ſic dicitur. [Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat, abſque bona fide, præſcriptio, tam canonica, quàm ciuilis] & in fine eiuſdem capitis tali pacto cõcludit [Vnde oportet, vt qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienę] eodem modo nomen hoc ſumitur in diuinis literis, nempè à *S. Paulo ad Rom. cap.* 14. cùm ait, [Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt] videlicèt omne, quod non eſt ſecundum conſciẽtię dictamen, eſſe peccatum. ita locum hunc Diui Pauli Commentatores exponunt: ac proinde colligimus, quod in his regulis idem importatur per fidem, ac per conſcientiam, quæ, ſi erit animo conformis, vocabitur bona fides, quatenus eligitur id, quod eſt iuxta rectę rationis dictamen; contra verò, ſi non adſit talis conformitas, ſed potius difformitas inter animum, & conſcientiã, tunc erit malafides. His quoad nominis ſignificationem pręhabitis, determinanda, & declaranda eſt qualitas fidei ad præſcriptionem neceſſaria, quod nonnullis quęſitis pręſtabitur.

Quęres primò. num dubitans an res ſit ſua, poſſit eam legitimè præſcribere? ad hoc quęſitum reſpondent communiter Authores diſtinctione adhibita, & aiunt, vel dubium prędictum inſurgit ante poſſeſſionem inchoatam, vel poſtea; ſi antea non erit Bona fides ſufficiens ad pręſcriptionem. ita colligitur *ex L. Bona fides ff. de acquir. rerum domin.* & id docet *Couar. reg. poſſeſſor par. 2. §. 7. n. 3. Ioannes Medina de reſtitut. quæſt. 17. Molina diſp. 63. nu. 8. in prima concluſ. Leſſius cap. cit. dub. 5. num. 6. Cardinalis De Lugo diſp. 7. cit. ſect. 5. num. 17. & 18. & alij.* Ratio autem eſt, quia qui dubitat, an res ſit ſua, illam vſurpans grauiter peccat, exponens ſe periculo capiendi rem alienam: præſcriptio autem nõ poteſt inchoari cum peccato; & ideò, cùm neque ſpeculatiuè, neque practicè poſſit dubitans exiſtimare rem illam eſſe ſuam, non haberetur bona fides ad præſcribendum. *Si verò* dubium incidat poſt captam poſſeſſionem, & a poſſidente fiat debita diligentia ad veritatem inquirendam, & tali inquiſitione poſita, adhuc remaneat dubium, nõ impeditur, neque interrumpitur poſſeſſio; quia priuilegium poſſeſſionis ſolum vetat, ne poſſeſſor, qui bona fide cœperit poſſidere, ſpolietur, niſi poſitiuè probetur, rem illam non eſſe ſuam, ſed alienam. ita Authores citati, & communiter alij. 22

Sed in contrarium poſſet quis inſtare ex Iuribus, quę bonam fidem ad præſcribendum requirunt; bona autem fides, vt patet ex eius deſcriptione ſuperius tradita,

dita; eſt prudens iudicium, quò quis ſibi perſuadet, rem eſſe ſuam, & tale iudiciū nequit inueniri in eo, qui dubitat.

Reſpondeo inueniri formaliter bonā fidem, quatenùs habetur iudicium practicum, quo poſſidens in tali caſu iudicat licitè poſſidere rem illam. ſic reſpōdet *Delugo ſect* 3. *nu.* 18. & addit, in hoc ſenſu ab aliquibus contra *Couarruuiam* meritò aſſeri, non dari ſtatum medium inter bonam, & malam fidem, nempè inter illa duo iudicia practica, quibus iudicauimus hic, & nunc, licitè, aut illicitè rem à nobis poſſideri: quamuis, vt notat *Leſſius dub.* 3. *cit. nu.* 14. ſpeculatiuè dari poſset medium inter vtramque fidem, quod euenit, quando poſt inchoatam poſſeſſionem incidit dubium, num res poſſeſſa ſit propria, an verò aliena, &
22 tunc enim non haberetur poſitiua exiſtimatio pro poſſidente, neque haberetur contraria; vnde hoc pacto dici poſſet dari ſtatum medium. & ita conciliantur hę duę ſententię, quę primo aſpectu videntur contrarię.

23 Quęres ſecundò, cur dubium, an res ſit mea, an verò alterius impediat inceptionem, & non continuationem poſſeſſionis?

Reſpondeo rationem prędicti diſcriminis fundari in illo iuris axiomate communiter recepto, quod in dubijs potius reo, quàm actori fauendum ſit *L. Fauorabiliores ff. de reg. iur. & cap. Cum ſunt partium iura obſcura de reg. iur. in 6.* applicando autem axioma huic quęſito, dico, quod eo tempore, quo quis vult inchoare poſſeſſionem, ſe habet, vt actor intendens ſpoliare poſſeſſorem re ſua; idcircò debet prius probare rem non eſſe illius; & ſi id non probat, ſed dubitat, ille ſe habebit tanquā reus, & in ſua poſſeſſione eſt relinquendus. contra verò, quando quis cępit rem bona fide poſſidere, alius intentās ſpoliare poſſidentem ſe habet, vt actor, & poſſidens, vt reus; ideòque, niſi ille probet rem eſſe ſuam, & non poſſidentis, ipſi poſſidenti fauendum eſt, ac proinde re poſſeſſa non erit ſpoliandus.

24 Quęres tertiò, ſi quis ex ignorantia inuincibili, ſiue Iuris, ſiue facti, cenſeat rem aliquam, quam poſſidet, eſſe ſuam, cum tamen vera ſit aliena, an talis poſſeſſio iuuet ad pręſcriptionem?

Reſpondeo eſſe varias ſententias, quarū prima affirmat; eamque tuetur *Ioannes Medina Cod. de Reſtit. quæſt.* 17. *coroll.* 3. quamque probabilem appellant *Molina*, *Leſſius*, *Caſtropalaus*, & *Delugo ſect.* 3. *cit. n.* 32. Secunda verò id negat, loquendo de ignorantia Iuris, quamuis conueniat cum prima, quando eſt ignorantia facti. Plures ita ſentientes affert *Caſtropalaus par.* 7. *tr.* 30. *diſp. unic. p.* 22. § 8. *nu.* 2. *Ioannes de Dicaſtillo lib.* 2. *de Iuſt. tract.* 1. *diſp.* 1. *dub.* 12. *n.* 199. qui hoc probant nonnullis iuribus. Alij verò admittunt opinionem Medinę in acquiſitione fructuum ex re poſſeſſa perceptorum, quia putant, quod ignorantia circa fructus ſit ignorantia facti, & non Iuris; hoſque Authores, & etiam contrarios affert ibidem ipſe *Caſtropalaus nu.* 3. *in* 2. *limitatione.*

Sententia hæc non leui innititur fundamento, cum in iure videatur expreſſa, & pręſertim *in* L. *Nunquam* 31. *ff. de Vſucap.* vbi ita dicitur [*Nunquam* in Vſucapionibus Iuris error poſſeſſoribus prodeſt] & Gloſsa ibi in declaratione caſus hoc ipſum docet nonnulla afferens exempla. quòd autem error facti non noceat, colligitur *ex L. cit. & clarius ex* L. *ſecunda ff. pro emptore* § *ſi a pupillo*, vbi his verbis id declaratur [Si à pupillo emero ſine tutoris authoritate, quem puberem eſſe putem, dicimus vſucapionem ſequi; quod ſi ſcias pupillū eſſe, putes tamen pupillis licere, res ſuas ſine tutoris authoritate adminiſtrare, non capies vſu; quia Iuris error nulli prodeſt.] in prędicto autem textu manifeſta ſit mentio de vtraque ignorantia facti, & iuris: illa habetur, ſi emens contrahens cum pupillo cenſebat, eum fuiſſe puberem, & non pupillum, quę eſt ignorantia facti, qua non obſtante admittitur pręſcriptio: contra verò ſi emens non ignorabat pupillarem ætatē, ſed neſciebat, pupillum non poſſe contrahere abſque tutoris authoritate, eſt ignorantia Iuris impediens vſucapionem.

Denique alij quaſdam huic opinioni apponunt reſtrictiones, quas refert *Caſtropalaus loc. cit. à num.* 3. inquiunt enim non procedere, quando eſt ignorantia Iuris dubij, de quo apud Authores diuerſę ſunt ſententię: talem autem ignorantiam aiunt, dici non poſſe ignorantiam iuris, quia ius dubium, & incertum, non eſt ius de cuius ratione eſt, eſſe manifeſtum; ſecundo alij limitant 25

in

in præſcriptione fructuum; putant enim errorem circa fructus eſſe errorem facti, in quantum poſſeſſor exiſtimat ex re propria percipere; quamuis non deſint, qui hoc diſcrimen inter fructus, & rem ipsã non admittant. Alij tertiò id concedunt, quando error eſt iuris neque reſiſtentis, neque aſſiſtentis; ſed Caſtropalaus ex multis negat hanc differentiam, & aſſerit, bonam fidem non impediri, neque eſſe obligationem reſtituẽdi fructus perceptos ex contractu inualido, qui à iure eſt reprobatus, ſi tempus præſcriptionis, quod eſt triẽnium, ſit lapſum. Tertiò aliqui limitant, prædictam opinionem non procedere in minore, milite, ruſtico, & muliere. Quartò plures non concedunt eamdem opionem, quando agitur de præſcriptione non exigente titulum, ſed tantum bonam fidem, & decurſum temporis per legem definiri. inter tot opinionum varietatem breuiter, quid ſit reſoluendum, exponam.

26 *Dico* igitur, primam ſententiam probabilitate non carere: & ad iura, quæ videntur contrarium ſtatuere, quatenùs non admittunt præſcriptionem, quando poſſeſſio oritur ex ignorantia iuris, reſponderi poſſet, ea procedere ex præſũptione, nempè præſumere malam fidem in foro externo, quia non ita facile, & frequenter contingit ignorantia inuincibilis in ordine ad ius: cõtra verò ignorãtia facti ſæpè eſt inculpabilis; & ideò leges, quæ ſpectant id, quod frequentius accidit, ſtatuerunt, ignorantiam iuris, & non facti nocere præſcriptioni. ita reſpondet in fauorem huius opinionis *Caſtropalaus* §. 8. *cit. nu*. 8. & in hac ſola frequentia ponit diſcrimen inter ignorantiam Iuris, & facti in ordine ad præſcribendum: hinc addit, quod ſi conſtaret, eſſe inculpabilem ignorantiam Iuris, præſcriptio valeret non ſolum in foro conſcientiæ, verum etiam in foro externo: fatetur tamen difficilem eſſe probationem ignorantiæ inculpabilis; nam aduerſus præſcriptionem iuris, & de iure non admittitur probatio, regulariter loquẽdo, niſi in caſu extraordinario, & ex benignitate Iudicis; ſed admiſſa, & conſtita ignorantia inculpabili præſcriptio effectum haberet: ſic diſcurrit Caſtropalaus [illegible]

27 Dico ſecundò, alteram ſententiam oppoſitam, quæ ſuſtinet, non valere præſcriptionem procedentem ex ignorantia Iuris, quàmuis inculpabili, eſſe valdè probabilem, & communiorem; non quia ignorantia iuris nequeat eſſe inuincibilis, & conſequenter inculpabilis; in multis enim caſibus eſt admittenda, vt demonſtrabimus infra, explicãtes Regulam 13. in qua de re hac agitur; ſed quia talis ignorantia non ſolet eſſe ita frequens, & non ita facilè præſumitur, ideò potuerũt leges ſtatuere, vt beneficium præſcriptionis non proſit habenti ignorantiam iuris, etiam inculpabilem, ita tamen, vt præſumptio malæ fidei non ſit ad impediendam ipſam præſcriptionem pro foro tantum externo; ſed ſit motiuum, ob quod legiſlator iudicauerit, diſpoſitionem legum, quoad præſcriptionem, nõ habere locum, quando eſt ignorantia iuris, & ea laborantem cenſeri poſſeſſorem malæfidei iuridicè, quidquid ſit de mala fide theologicè conſiderata.

Quęres quarto, an bona fides ad præſcriptionem requiſita, talis eſſe debeat, vt neque venialiter ſit mala? 28

*D*ubium hoc proponit, & latè examinat *Cardinalis Delugo ſect*. 3. *cit. à nu*. 36. & ait, Doctores de illo non loqui, ſed quod illud ſupponi videatur à *Molina diſp*. 64. §. *Ad hoc argumentum*. Antequam autem ad illud reſpondeat, præmittit ipſe *Delugo*, prędictam culpam leuem ex duplici capite prouenire poſſe: primò ex defectu aduertentię, videlicèt, ſi poſſidens rem alienam non benè aduertit ad obligationẽ, quam habet, inquirendi, an res illa ſit aliena, nec ne; ſecũdò non ex defectu talis aduertentię, ſed ex eo quod poſſidens non adhibeat diligentiam illam, quam ſub veniali tenetur adhibere, quamuis illam appoſuerit, ad quam ſub peccato mortali adſtringebatur. His pręmiſſis reſpondet idem *Delugo num*. 37. in vtroque caſu culpam venialem non obſtare effectui pręſcribendi: quod confirmat nu. 41. & incipiens à primo caſu, id probat, quia leuis culpa ex defectu aderutentię non conſtituit hominem ſimpliciter iniuſtum, nec tollit denominationem, ſeu ſtatum habitualem iuſtè poſſidentis: ſicuti peccatum veniale contra fidem, quod euenit ex ſemiplena deliberatione, non auffert ſtatum credentis, & habitualiter fidelis, & conſequenter nec tollit priuilegia, quę hunc ſtatum conſequuntur. probat etiam hoc ipſum in ſecundo caſu, quando nimirum culpa venialis oritur

C ex

Digitized by Google

ex omiſſione diligentiæ ad inquirendam veritatem, & inquit, ex negligentia leui quoad maiorem diligentiam non fieri malam fidem circa rem poſſeſſam, ſed circa omiſſionem illius diligentię; ideò poterit conſcientia duo dictare, nempè eſſe obligationem ſub culpa veniali apponēdi maiorem aliquam diligentiam, & eius omiſſionē, ait, eſſe venialem; & pariter dictare, non eſſe obligationem dimittendi rem poſſeſſam, ſed adhuc poſſe eam retineri; nam culpa illa venialis circa maiorem diligentiam non reddit malā, neque venialiter, detentionem rei, ſed omiſſionem maioris diligentię. Ex his tandem concludit *Delugo*, manere bonā fidem circa retentionem, quæ ſufficiens eſt ad inchoandam, & etiam ad continuandam illius rei præſcriptionem.

29 Cęterum, vt declarem, quid de re hac ego ſentiam, dico, non eſſe eodem modo iudicandum in vtroque caſu; quādo enim priori modo euenit caſus, eſto vt probabile detur, non tolli bonam fidem, neque impediri præſcriptionem; nihilominùs, ſi caſus poſteriori modo contingat, cenſeo auferri bonam fidem, quę eſt neceſſaria ad præſcribendum. vt autem hoc oſtendam, ſuppono in hoc ſecundo caſu non interuenire defectum aduertentię; nam ſi talis admitteretur defectus incideremus in caſum priorem; poſita igitur plena aduertētia, qua poſſidens cognoſcit, ſe omittere partem illius diligentię, ad quam hic, & nunc tenetur, non video qua ratione ſit excuſādus, iudicandusque poſſeſſor bonæ, & nō malæ fidei; quia, ſi ſciat, & nolit apponere diligentiam illam, ad quam obligatur, licèt ſit leuis, & qua poſita non eſſet difficile veritatem latentem apparere, & non appoſita occultam manere, videtur grauis omiſſio non ſecundùm ſe formaliter, & preciſè ſpectata, ſed cauſaliter, & in ordine ad effectum, quē cauſare poteſt, nempè ad occultationem veritatis; & ideò continuatio poſſeſſionis non exiſtimari debet legitima, neque licita rei poſſeſſę retentio.

Ad rationem autem, qua Delugo loquens de ſecundo caſu probat ſuam ſententiam, Reſpondeo, duo illa dictari nō poſſe à recta conſcientia; quamuis enim obiectum illius omiſſionis ſecundum ſe conſideratum appareat leue, cauſaliter tamen, vt oſtendimus, eſt graue; idcircò negandum eſt, detentionem rei malā non reddi, & bonam fidem circa retentionem permanere.

Quęres quintò, an conſcientia erronea, qua quis credit illicitè poſſidere rem aliquam, cum tamen licitè eam poſſideat, ita conſtituat poſſidentem in mala fide, vt præſcriptionem impediat? 30

Reſpondeo, impediri præſcriptionem, quamuis mala fides ex errore conſcientię procedat. ita expreſsè ſancitum eſt *in L. Si fur* §. 1. *ff. de Vſucap.* vbi ſic dicitur [Si quis id, quod poſſidet, non putat ſibi per leges licere, vſucapere dicendū eſt, etiam ſi erret; non procedere tamen vſu capionem, vel quia non bona fide videatur poſſidere, vel quia in iure erranti non procedat vſucapio] hanc etiā ſententiam tuetur *Gloſſa* ibidem in explicatione caſus ver. ſecundo dicit. *Paulus de Caſtro*, alijque Commentatores, quibus addo *Molinam diſp. 63. num. 11.* qui tamen vult, quod ſpectato ſolo iure naturali, legibuſque communibus præſcriptionis in caſu poſito locum haberet præſcriptio, niſi obſtaret lex; quia error in ſola conſcientia practica non tollit illud ius, quod, tali conſcientia ſecluſa, haberetur. Hanc reſtrictionem fundatā in alijs legibus impugnat *Delugo ſect. 3. nu. 33. ver. Ego exiſtimo*, probans legē citatam eſſe conſonam alijs legibus, & naturę rei; ſed quidquid ſit de hoc, ipſe Delugo poſt multa concludit in fine numeri 27. quod prædictus error impediat præſcriptionem, ſiue ſit in principio poſſeſſionis, ſiue in continuatione: idemque videtur ſentire *Leſſius c. 6. cit. dub. 4. Aloyſius Turrianus de iuſt. diſp. 47. dub. 2. n. 9.* & huic ſententię adhęreo, nō ſolum vi *dictæ L. Si fur*, ſed aliarum, quę expreſsè requirunt bonam fidem in poſſidente ad præſcribendum, & adducunt, poſſeſſorem malę fidei nunquam præſcribere; vt dicitur in hac regula, & *in cap. vlt. de præſcript.* & demum in varijs iuribus, quę continentur in Rubrica de Vſucap. Ex quocumque autem oriatur mala fides, neque ratio, qua mouetur *Molina* eſt efficax; quamuis enim error in ſola conſcientia practica nequaquam tollat ius, quod tali conſcientia ſecluſa quis haberet; nihilominùs hoc verificatur de illo iure, quod fundatur in legibus rigoroſæ iuſtitiæ, & non in aliquo priuilegio conceſso vi legis; quia ius hoc regulari debet iuxta modum illum, quo conceditur priuilegium; & ideò quia ob com-

Digitized by Google

mune bonum leges concedunt priuilegiũ præſcriptionis poſſidentibus bona fide, durante eadem bona fide per aliquod determinatum tempus ab eiſdem legibus definitum; idcircò remota bona fide, & mala vigente, ceſſat fundamentum huius beneficij, & priuilegij, & ſic nulla eſſe poterit præſcriptio, ſeu vſucapio.

31 Quæres ſextò, ſi Titius v. g. poſſideat mala fide rem, quam ex errore putat eſſe Sortis cum reuera non Sortes, ſed Caius ſit illius rei dominus, reſpectu cuius ipſe Titius malam fidem non habeat, nũ mala illa fides reſpectu Sortis impediat, vt Titius præſcribat in ordine ad Caium? Nonnulli, & graues Authores laudantur à *Caſtropalao tract.* 31. *diſp. vnica pun.* 22 §. 10. *nu.* 2. qui ſuſtinent, malam fidẽ reſpectu vnius non impedire præſcriptionem cõparatione alterius, in ordine ad quem eſt bona fides. huic opinioni aſſẽritur *Molina tr.* 2. *de iuſt. to.* 3. *diſp.* 723. *num.* 4 Sed placet diſtinctio, quam idem *Caſtropalaus ibidem num.* 2. præmittit, docens, vel eſſe ſermonem de vtraque fide comparatione rerum, vel perſonarum: ſi primum, ait, conſiſtere poſſe malam, & bonam fidem, quando res illæ aliquo modo diſtinguuntur; ſi ſecundum inquit nu. 3, non poſſe conſiſtere. V. g. Sit aliquis fundus poſſeſſus à Titio; poterit euenire, vt ipſe Titius reſpectu vnius partis fundi bonam fidem habeat, malam verò reſpectu alterius partis. ita habetur. *in L. ſi quis fundũ ff de acquir. & amitt. poſſ.* ſimiliter dicendum eſt de hypotheca; reſpectu enim vnius poterit eſſe bona fides; mala verò comparatione alterius: & eodem modo eſt diſcurrendũ de proprietate, & de vſufructu. *S*i autẽ ſecundum dicatur, ſcilicet, ſi caſus verſatur circa perſonas; v. g. Si Titius poſſideat rem, quam putat eſſe Franciſci, cõparatione cuius malam fidem habeat, & tamen res ſit Ioannis, reſpectu cuius Titius nullam habet malam fidem, tunc hoc nõ obſtante cenſebitur poſſeſſor malæ fidei. ita *Caſtropalaus, & Couar. Reg. Poſſeſſor* 2. *par.* § 8 *nu.* 5: *Sanchez lib.* 2. *in decal. cap.* 23. *nu.* 237. *in fine.* & alij apud ipſos. & probari hoc poteſt *ex L. Aut qui aliter,* § *Si quis dum putat, ff. Quod vi. aut clam.* & apertè *ex L.* 1. §. *Si per eum ff. de acquir. poſſeſ.* Ratio autẽ, quæ hanc ſententiam ſuadet, alia eſſe nequit, niſi diſpoſitio iuris; quia ex ſolo iure prouenit beneficium, & priuilegium præſcriptionis.

CAPVT III.

An Hæres immediatus præſcribere valeat rem illam, quæ à defuncto mala fide fuit poſſeſſa.

SErmo non eſt de re, quæ ad hæredem peruenit alio titulo, quàm titulo hæredis, vt titulo legati, emptionis, vel alterius ſimilis; in his enim locum non habet præſens quæſtio; ſed ſermo tantùm eſt, quando quis ſuccedit in bonis defuncti, tamquàm hæres: quo poſito, caſus ita formatur. Titius rem aliquam nõ bona, ſed mala fide poſſideat, poſt cuius mortem, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſuccedat in eiuſdem bonis Caius: inter quæ bona ſit res illa, quam Titius mala fide, vt diximus, poſſidebat: quæritur, num Caius poſſit præſcribere rem illam, incipiens à tempore, quo ipſe ſuccedens bona fide rem illam cępit poſſidere, non volens vti acceſſione temporis, vt loquuntur Iuriſtæ, ſcilicèt nolens continuare tempus ſuæ poſſeſſionis cũ tẽpore illo, quo poſſedit anteceſſor?

Dicendum eſt, non poſſe ab hærede immediato rem illam præſcribi; obſtat enim huic præſcriptioni mala fides anteceſſoris. Concluſio eſt communis apud Doctores, Iuriſtas, & Canoniſtas, & latè *Couarr reg poſſeſſor part.* 2. §. 9 *per totum. Molina diſp.* 65. *concluſ.* 2. *nu.* 4. *Leſſius lib.* 2 *cap.* 6. *dub.* 13. *nu.* 41. *De Lugo diſp.* 7. *ſect.* 5. *nu.* 59. *Caſtropalaus diſp. vnica punct.* 21. §. 9. & plures alij, quos ipſe citat. *P*robatur primò ſententia hæc ex Iure; nam expreſsè eſt definita *in L. cum hæres ff. de diuerſis, & temporal. præſcript.* vbi ſic dicitur [Cum hæres in ius omne defuncti ſuccedat, ignoratione ſua defuncti vitia non excludit.] ita apertè definitur in textu, & habetur etiam *in* §. *Diutina Inſtit. de vſucapion. & L. Si mala fide. C. communia de vſucapion.* 32

*P*robatur ſecundò Concluſio ratione fundamentali, videlicèt, quia hæres vniuerſalis repræſentat perſonam defuncti, eique in omnibus ſuccedit oneribus. 33

*P*robari etiã tertiò ſolet, quia iuris fictione vna, eademque reputatur poſſeſſio defuncti, & hæredis, & conſequenter de-

ſun-

functi poſſeſſio, cum vitioſum habuerit initium ob malam fidem, tota etiam ex eiuſdem Iuris fictione cenſetur vitioſa. Hanc rationem nudè ſumptam putat infirmam *Delugo nu.* 59 idque probat, quia non magis vna eſt poſſeſſio hæredis cum poſſeſſione defuncti, quàm fuiſſet vna ipſius defuncti poſſeſſio pro ſequẽti tempore, ſi ſuperuixiſſet, cum eiuſdem rei poſſeſſione pro tempore præcedente; vnde ſi ponamus, quod defunctus habuiſſet malam fidem pro primo tantum anno, & bonam fidem pro ſequenti tempore, mala fides præcedens non noceret poſſeſſioni eiuſdem cum bona fide pro ſequenti tempore; & ideò poſſet ex tunc præſcriptionem inchoare: ergo à pari, quamuis hæredis poſſeſſio vnam faciat poſſeſſionem cũ poſſeſſione defuncti; nihilominùs mala fides præcedens non nocebit, nec impediet, quin eadem poſſeſſio pro ſequenti tempore cum bona fide ſufficiens ſit ad præſcriptionem inchoandam. ita *Delugo* diſcurrit; & ideò reiecta hac ratione, ſe fundat in ſecunda, nempè in eo, quòd hæres vniuerſalis ſuccedat in omnes obligationes, & onera; ac proindè, cum anteceſſor ob malam fidem, atque iniuſtam rei acceptionem, & retentionem contraxerit obligationem reſtituendi rem illam, impediendi eiuſdem rei præſcriptionem, reſarciendi omnia damna, &c. ad hæc etiam omnia tenebitur hæres.

Sed poſſet quis reſpondere, argumentum illius tertiæ probationis non eſſe abſolutè ſpectandum, ſed tantùm contra eos, qui volunt, quod poſſeſſio completa quoad tempus, & neceſſaria ad præſcribendũ conflari poſſit ex vtraque poſſeſſione, nempè partim ex illa defuncti, & partim ex illa hæredis, ſi ipſe hæres de ſua poſſeſſione bonam fidem habuerit; contra hos igitur valet argumentum illud, non autem abſolutè contra alios, qui conſiderant poſſeſſionem hæredis ſine reſpectu ad poſſeſſionem defuncti.

34 Dicendum eſt ſecundò ſententiam negatiuam, quàm aſſerui in præcedenti concluſione, eſſe ſuſtinendam etiam in caſu, quo hæres inuentarium confecerit. ita contra aliquos oppoſitum ſentientes, ſed concluſionem hanc tuentur nonnulli, vt *Couarr. loc. cit. Molina diſp. ſupra cit. nu.* 4. *Caſtropalaus* § *illo 9. in fine primi numeri*: Probatur autem ratione; quia confectio inuentarij non tollit, quòd hæres rem habuerit à poſſeſſore malæ fidei, neque pariter tollit, quòd eadem res recipiatur titulo hæredis; imò per talem inuentarij confectionem hoc ſignificatur.

Limitant nonnulli ſententiam principalem primæ concluſionis, in qua aſſeruimus malam fidem defuncti nocere bonæ fidei hæredis, & volunt non procedere in præſcriptione extraordinaria, qualis eſt præſcriptio triginta, vel quadraginta annorum; nam hæc titulũ non requirit; & ideò per eos ſatis eſt bona fides poſſidentis nulla habita ratione ad titulũ, qui, licèt defectũ in defuncto habuerit, non poterit tamen nocere bonæ fidei ſucceſſori. Sed communior ſententia docet oppoſitum, nempè malam fidẽ defuncti, etiam in hoc caſu nocere hæredi; & hoc, quia iuris fictione hæres refert perſonam defuncti, eiuſque deficientem, & vitioſam poſſeſſionem continuat; reſpectus autem iſte non perit etiam longiſſimi temporis decurſu, quia licèt præſcriptio triginta, aut quadraginta annorum non requirat, niſi bonam fidem, & non titulum; nihilominùs, cum hæres fictione iuris non poſſideat fide propria, ſed ex mala fide defuncti, idcircò non poterit præſcribere. Cæterum *Leſſius du.* 13. *num.* 42. *ver. Aduerte tamen.* non exiſtimat improbabilem contrariam ſententiam, cui adhæret *Caſtropalaus* §. 9. *cit. nu.* 3. *in fine.* 35

Dicendum tertiò, malam fidem defuncti non nocere hæredi mediato, qualis eſt hæres hæredis immediati; poterit enim hæres iſte mediatus præſcribere. ita ex alijs docet *Molina diſp.* 65 *cit. nu* 4. *Leſſius vt ſupra nu.* 47. *Caſtropalaus n.* 4. Ratio eſt, quia fictio malæ fidei, quã diximus, ſe extendere ad immediatum hæredem, non tranſit ad mediatum, ſi mediatus bona fide poſſederit; quoniam iura vetant plures fictiones ex eadem cauſa. rectè itaque notat *Leſſius*, quod quamuis vera illa mala fides, quæ erat in defuncto poſſit in hærede immediato parere fictionem; & veluti vmbram malæ fidei; nihilominus ficta hæc; & vmbratilis mala fides nequit aliam ſimilẽ cauſſare in ſucceſſore; vmbra enim non parit vmbram, quæ à vero corpore cauſſatur. Ex hac ratione diluitur argumentum *Ioannis Delugo nu.* 61; poſtquam enim retulit exceptionem hanc, ait non ſubſiſtere, 36

res quia ratio aſſignata non videtur procedere de ſucceſsore mediato vniuerſali; cum ille, cui à defuncto facienda erat reſtitutio, & cui erant reſarcienda damna ob iniuſtam detentionem rei poſſeſſę, nõ agat contra hæredem mediatum, ſed contra defunctum; & quia hæres eſt obligatus ad omnia debita defuncti iuxta vires hæreditatis, ſequitur ad eadem debita teneri, non obſtante ſua bona fide. Hoc argumento vtitur *Delugo* ad rationem pro contraria ſententia repellendam; ſed reſponderi poterit, quòd, quamuis creditor, cui à defuncto iniuria facta fuit, ius habet agendi contra ipsũ defunctum, & contra eius bona; nihilominus hoc intelligendum erit de bonis, quæ adhuc cenſentur bona defuncti, nõ autem de bonis, quæ titulo iuſtæ præſcriptionis tranſierunt in alterius dominium; quapropter, ſi hæres immediatus per tempus à legibus definitum bona fide rem poſſederit, quamuis ipſe diſpoſitione, & fictione iuris non eximatur à reſtitutione, quatenùs mala fides defuncti vitioſam reddidit poſſeſſionem immediati hæredis, quia tamen vitium non extenditur ad inficiendam aliam vlteriorem poſſeſſionem, vt ex legum diſpoſitione probauimus; idcircò creditor defuncti, elapſo tempore ad præſcribendum requiſito, amittit ius ad agendum contra hæredem mediatum, cuius bona fides iuſtam facit eius poſſeſſionem, poſitis requiſitis ſupra declaratis. Ex quibus omnibus patet veritas illius rationis, qua concluſio hæc probari ſolet, & conſequenter argumentum contrarium adductum non euincit [illegible]

37 Dicẽdum eſt quartò, in ijs hæredibus, qui à Iure appellantur *ſui*, requiri, vt cõpleatur illud idem tempus ad præſcriptionem neceſſarium, quod requirebatur in prędeceſſore defuncto, qui poſſidebat bona fide rẽ alienam, ſed abſque titulo; quo caſu longioris temporis præſcriptio neceſſaria eſt. Exemplo concluſionem declaro. Ponamus v. g. rem à defuncto poſſeſſam fuiſse ex mobilibus, ad quorũ pręſcriptionem iuxta Ius commune cũ titulo ſufficit triennium, ſed abſque titulo requiruntur triginta anni *L. ſicut in rem, & l. ſi quis emptionis C. de præſcrip. 3. vel 40. ann.* hoc poſito. Sit Titius, qui bona fide, at ſine titulo, huiuſmodi rem poſſideat, & aliquibus elapſis annis, puta decem, moriatur; in cuius bonis ſuccedat Caius filius, qui eſt hæres ſuus; hoc caſu ipſe Caius non poterit rem illam alienam per trienniũ præſcribere; quia cenſetur fictione iuris cõtinuare idem dominium cũ Titio patre; & hoc ratione ſuitatis; ideòque deberet longiori tempore cum bona fide rem illam poſſidere, nempe vſque dum compleretur tempus requiſitum ad præſcribendam rem ſine titulo, quod eſt tempus 60. annorum; hoc autem cum limitatione eſt intelligendum, videlicèt, niſi velit ſuccedere in bonis Titij ſui parẽtis virtute alterius tituli, & non vt ſuus; tũc enim ſufficiens erit triennium cum bona fide, quod eſt in iure definitum ad præſcribendam rem cum titulo. Si verò Caius non eſset filius Titij, & conſequẽter non hæres ſuus, tunc per triennium cum bona fide præſcriberet. quæ opinio eſt communis, eamque fusè declarat *Couarr. loc. cit. Gomez to. 1. variarum reſolutionum cap. 9. nu. 19.* quem ſequũtur *Molina in fine diſp. 65. & diſp. 180. num. 3. Leſſius dub. 13. cit. nu. 13. Delugo ſect. 5. cit. nu. 65.* & alij.

Hæc autem ſententia de duplici hærede, & diſcrimine inter vtrumque ad præſcribendum non placet *Caſtropalao dict. §. 9. num. 6.* ſupponit enim, quòd hæres ſuus non ſolùm continuet poſseſſionem ſui prædeceſsoris, ſed habeat aliam poſseſſionem diſtinctam, & diuerſam, ratione cuius poſſit vſucapere; ſed, ni fallor, non videtur ab ipſo *Caſtropalao* ſufficienter id probatum fuiſse; idcircò communem ſententiam non deſero, pro qua ſolum videtur explicandum, quid requiratur ad hoc, vt quis ſit, & dicatur hæres ſuus; & in quibus differat ab hærede non ſuo, et extraneo; quod equidem breuiter exponam. Aio igitur,
hoc nobis declaratum eſse *in §. Sui, & §.* 38
Cæteri. Inſtit. de hæred. qualitate. vbi habetur, quod, vt quis dicatùr ſuus hæres, poſtulantur tres conditiones; prima, vt tempore mortis illius, cuius eſt hæres, fuerit in eius poteſtate, & comprehenduntur etiam ſub hac lege poſthumi, qui, licet verè nunquam fuerint ſub poteſtate patris; nihilominùs ſufficit, quòd, ſi nati eſsent patre viuente, in eius poteſtate futuri fuiſsent, prout decernitur in *in §. Poſthumi inſtit. de hæreditatibus quæ ab inteſt. &c.* Secunda, vt in eadem linea nullus alius ſit medius; & ideò nepos ex filio procreatus, quæ [illegible] uis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

uis ſit in poteſtate aui, habeatque primam conditionem, non tamen erit hæres ſuus comparatione aui; quia inter ipſum, & auum interponitur alius, nempè Pater, qui eſt Filius ſui aui; ſi tamen hic filius intermedians petiret, vel exiret è patria poteſtate per emancipationem, & conſequenter amitteret ſuitatem, tunc nepos cenſeretur immediatus, & eſſet hæres ſuus: idemque dico de reliquis deſcendentibus, vt ſunt pronepotes. Tertia conditio eſt, vt ille, qui eſt hæres ſuus, non deſcendat è fœmina; & ideò, ſi filia ſit hæres ſua comparatione patris, aui, vel proaui, ſub cuius poteſtate manet, ſi tamen ex eadem fœmina generetur filius maſculus, non erit hæres ſuus; quia (vt rectè notat *Molina diſp. 179. nu. 2.* nemo comparatione fœminæ dicitur hæres ſuus, quamuis illa ſit mater, aut auia; cum deſcendens nequeat eſſe in poteſtate matris, aut auiæ, ſed tantum in poteſtate aſcendentium per lineam maſculinam paternam; ex quibus etiam deducitur, quod nullus ex aſcendentibus poſſit eſſe hæres ſuus reſpectu deſcendentium, ſed tantum deſcendentes reſpectu aſcẽdentium. Rurſus ſuitas hæc nequit conuenire collateralibus, ſed tantum ijs, qui ſunt in rectā lineā. Deficientibus autem his conditionibus, vel aliqua ex illis, ceſſat ſuitas, ac proindè hæres non dicetur ſuus, ſed extraneus. De hac materia fusè tractat *Gomez cap 9 cit. à nu. 7. & Molina diſp. illa 179.* omninò legendi: ſatis nobis fuit pro materia præſenti pauca aliqua attigiſſe.

CAPVT IV.

Vtrum præſcriptio non ſolum pro externo, ſed etiam pro interno foro conſcientiæ ſuſtineri poſſit

TRes de re hac inuenio ſententias, quarum duæ ſunt contrariæ, altera verò media inter vtramque.

39 Prima ſuſtinet leges pro præſcriptione eſſe validas pro foro externo, non autem pro foro interno. ita aſſerunt aliqui, quos citat *Couar. reg. Poſſeſſor, 3. p. à n. 3.* quod probãt, quia lex poſitiua humana nequit praualere contra legem naturalem, quæ dictat, rem eſſe reſtituendã vero domino; ergo poſſidens bona fide rem alienã, quandocũque ipſi poſſidenti innoteſcat verus dominus, & ceſſet bona fides, in qua fundabatur præſcriptio tenebitur rem illam domino reſtituere.

Secunda ſententia directè oppoſita aſſerit, quòd beneficium præſcriptionis locum habeat etiam in foro interno: & hæc opinio est valdè communis, quam defendit *Gloſſa in cap. Vigilanti de præſcrip. verbo Nouerit.* & quamplures pro illa referuntur Authores antiqui, & recentiores *à Caſtropalao diſp vnica pu. 23. § 2. nu. 4 à Ioanne de Dicaſtillo lib. 2. de iuſtit. tract. 1. diſp. 1. dub. 12 nu. 167 à Cardinali Delugo diſp. 7 ſect 1. n. 5. & Barboſa cap. Vigilanti nu 4.* 40 Fundatur ſententia hæc in eo, quòd Reſpublica propter bonum commune poteſt leges condere, quæ vim habeant etiam in foro conſcientię, vt certum eſt; & tales ſunt leges, quę præſcriptionem ſtatuunt poſitis debitis requiſitis: expedit autem bono communitatis, vt, eo ipſo determinato tẽpore cum bona fide, poſſidens faciat ſuam rem alienam poſſeſſam.

Tertia, quæ eſt media, diſtinguit hoc pacto: ſi verus dominus ſit culpabiliter negligens in re ſua recuperanda, poſſeſſor poſt tranſactum tempus definitum à lege poterit ſua conſcientia præſcribere rem illam, & in hoc conuenit cum ſecũda ſententia; at ſi nulla interuenerit negligentia, & culpa ex parte domini, tunc non videtur æquitati conſonum, vt nequeat rem propriam recuperare; præſcriptio enim in pœnam eſt introducta; & ideò pœna hæc non habet locum, quãdo nulla eſt culpa ex parte veri domini: & in hoc conuenit cum prima. defendunt hanc tertiam ſententiam *Medina Cod. de reſtitut. qu. 16. Adrianus in 4. de reſtitut. quæſt. de præſcriptione §. mihi autem ſine præiudicio.* 41

Dicendum eſt cum Authoribus ſecundæ ſententiæ, quæ eſt valdè cõmunis, & mihi videtur certa, cũ nitatur principijs valdè notis, videlicet in poteſtate, quã habet Princeps diſponẽdi de bonis ſuorũ ſubditorum, quando id expedit Reipublicæ, ſicuti in varijs caſibus poteſt priuare aliquem dominio propriarum rerum, illudque alteri applicare, quando ita exigit rectã totius communitatis gubernatio: in caſu autẽ noſtro bonum regimen communitatis poſtulat, vt bona fide poſſidentes rem alienam per aliquod temporis ſpatium, eiuſdem rei dominium acquirant, & hoc ad lites tollẽdas, & ne dominia incerta perſiſtant, vt notat *Gloſſ. in d. cap. Vigilanti, verb.* 42

Se-

Segnitiem, de præſcriptione. & confirmatur ex eo, quòd Ius Canonicum approbare manifeſtè videtur leges præſcriptionis, vt colligitur *ex cap. fin. de præſcriptione.* vbi refertur Concilium generale Lateranenſe, quod ita reprobat præſcriptionem, quæ eſt cum mala fide, vt conſequenter approbet eam, quæ eſt cum bona fide: verba autem Concilij hæc ſunt [Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali iudicio diffinimus, vt nulla valeat abſque bona fide prę ſcriptio, tam canonica, quàm ciuilis, &c.] ex his verbis ſatis apertè colligimus, à Concilio ſolum reprobari prę ſcriptionem cum mala fide, & admitti illam, quæ eſt cum bona fide, cum dicat, nullam præſcriptionem valere abſque bona fide; ſi enim hanc non admitteret, debuiſſet vtramque reprobare, ſiue ſit cum mala, ſiue cum bona fide; & ideò in fine illius capituli ita cõcludit. [Vnde oportet, qui prę ſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.] ex hac autem generalis Concilij ſententia meritò infertur beneficium præſcriptionis, concurrentibus requiſitis conditionibus, pro vtroque foro externo, & interno prodeſſe, aliàs illud non debuiſſet approbari, ſed reprobari à ſacris Iuribus.

43 Dicendum eſt ſecundò, Præſcriptionem, quam dicimus valere etiam pro foro conſcientiæ, non ſolum eſſe intelligendam in rebus mobilibus, ſed etiã in immobilibus, & quòad vtramque dominium vtile, & directum. Eſt contra aliquos relatos à *Caſtropalao §. cit. nu.* 5. qui volunt, res immobiles præſcribi, quoad dominium vtile, & non quòad directum: ſed alij oppoſitum tuentur, quos ibidem adducit idem *Caſtropalaus*, qui ex varijs Iuribus cõcluſionem probat, in quibus talis reſtrictio, quoad res immobiles nequaquam inuenitur.

44 Ad rationem pro priori ſententia cõcedo, legem poſitiuam, & humanam præualere non poſſe contra legem naturalem; ſed nego leges præſcriptionem ſtatuẽtes eſſe contra legem naturalem: imò aſſero illi eſſe conformes, vt oſtenſum eſt; & ideò neganda eſt conſequentia, quæ ex falſo antecedente illata fuit.

45 Ad rationem vltimæ ſententiæ, quæ eſt *Medinæ, & Adriani*, & procedit cũ diſtinctione, Reſpondeo, id, quod aſſumitur, nempè æquum nõ eſse, vt aliquis ſine culpa ſpolietur proprio iure, verum eſse, quando ſpoliatio imponitur, vt pœna, quæ neceſsariò culpam præſupponit; at quandò ſpoliatio, ſeu priuatio alicuius iuris, vel rei, non fit in pœnam delicti, ſed in bonum publicum Reipublicæ, tunc ſpoliatio non habet rationẽ pœnę: & hoc euenit in caſu noſtro; vt enim ſupra adnotaui, leges ſtatuentes præſcriptionem editæ ſunt in bonum cõmunitatis, ob varia incõmoda, quę euitãtur admiſsa præſcriptione: quamuis ea potuerit ſecundariò, & veluti acceſſoriè intendi, tamquam pœna, contra culpabiliter negligentes, vt notauit *Molina diſp. 61. num. 9.*

Sed obijcies probando *ex d. cap. Vigilanti de præſcript.* motiuum principale, & primarium, ob quod introducta fuit ipſa præſcriptio, fuiſse in pœnam negligentiæ, vt tali modo domini procurarent res amiſsas recuperare, ne dominia manerent incerta, & confuſa; & ideò *in §. Ephesinus ibidem* Alexander III. Summus Pontifex ſic loquitur [Epheſinus enim legislator ſolum propter vitãdam miſerorum ſegnitiem, & longi temporis errorem, & confuſionem primus tricennali, vel quadragenali præſcriptioni vigorem legis impoſuit, nobis autem tàm in rebus cognitis, quàm latentibus placuit, non habere vigorem.]

Reſpondeo *cum Gloſſa ibidem Verb. Placuit*, ſermonẽ eſse de poſſeſsore malę fidei, qui prę ſcribere non poteſt, ſiue id ſciatur, ſiue ignoretur à vero domino: & hoc manifeſtè colligitur ex verbis antecedentibus, in quibus Pontifex poſt quam dixerit, nullam etiam antiquam dierum poſſeſſionem iuuare alicui poſſidenti cum mala fide, ſtatim refert legẽ ab Epheſino editam, nempè, vt prę ſcriptio locum haberet, quando poſſeſsor eſt triginta, vel quadraginta annorum, & hoc noluit Pontifex approbare; & ideo ſtatuit, non habere vigorem: ex his vero nil colligitur contra concluſionem, in qua eſt ſermo de poſſeſſione cum bona fide. 46

CA-

CAPVT V.

De Poſſeſſione ad Præſcriptionem requiſita.

CVm abſque poſſeſſione nequeat pręſcriptio procedere, vt Summus Pōtifex in regula quarta expreſsè determinat, operæ pretium eſt, vt declaretur, qualis eſſe debeat poſſeſſio hæc. Supponitur enim duplex illa poſſeſſionis acceptio, quam initio in expoſitione regulæ pręmiſimus, nempè Naturalis, & Ciuilis, & vtramque ibidem explanauimus.

Dicendum eſt primò, ſolam naturalē
47 poſſeſſionem non eſſe ſufficientem ad præſcribendum. Eſt communis ſententia, eamque docet *Dynus in hac regula nu.29. 30. Abbas in cap. cauſam nu. 7. de Præſcript.* Couarr. Regula *Poſſeſſor par. 2. nu 7. Molina tract. 2 diſp. 62. initio. Leſſius lib 2. cap. 6. dub. 2. nu. 1. Ioannes Delugo diſp. 7. ſect 2. num. 12. Caſtrapalaus par. 7. tract. 1. de iuſtit. in genere diſp. onica punct. 22.* § 4. *num. 4. & alij*.

Probatur concluſio hæc per textum *in L. Acquiritur nobis* §. *vltimo ff. de acquirendo rerum dom. & L. 1.* §. *Cum autem ff. de acquirenda poſſeſſione.*

Probatur etiam ex definitione ipſiuſ-
48 met naturalis poſſeſſionis ſuperius tradita, in qua diximus, eam conſiſtere in apprehenſione, & detentione corporali rei: hanc autē poſſeſſionem nudè ſumptam ſatis non eſſe ad poſſeſſionem, quæ requiritur ad præſcriptionem, patet non ſolum ex iure citato, & Doctorum ſenſu, verum etiam ex abſurdis, quæ deducerentur; nam ſequeretur, Depoſitariū, Cōmodatarium, Pignoratarium, & ſimiles, rem alienam corporea apprehenſione detinentes, eſſe in vera poſſeſſione illius rei, & propterea has poſſeſſiones per plures annos continuando, rem illā poſſe pręſcribere; quod tamen eſt manifeſtè falſum, & nemo aſſeruit: ergo ſola naturalis poſſeſſio non ſufficit. hinc
49 ob eamdem rationem Tutor, Curator, Procurator, quamuis apprehendant, & corporaliter detineant rem aliquam nomine alterius, nequeunt virtute talis poſſeſſionis pręſcribere, ſicuti neque illi, qui ſunt incapaces dominij, vt Seruus, Religioſus, &c. qui ſunt inhabiles ad poſſidendum ea poſſeſſione, quam hęc regula, & alia iura poſtulant ad pręſcriptionem. maneat igitur ex dictis ſolam naturalem poſſeſſionem ſatis nō eſſe ad pręſcribendum.

Dicendum eſt ſecundò, ad pręſcrip- 50
tionem inchoandam, oportere, vt poſſeſſioni naturali coniungatur ciuilis ſuperius explicata. Concluſio hęc ſuaderi poterit tum iuribus citatis pro pręcedēte concluſione, tum etiam authoritate eorum, qui ſententiam in priori concluſione poſitam docent: & adduco etiam *Molinam* pręter locum citatum *in diſp. 62.* qui hoc ipſum docuit *eodem tract. 2.*
diſp. 12. nu. 6. Ciuilis autem hæc poſſeſ- 51
ſio conſiſtit in illo animo, quo quis ita rem detineat, vt velit media apprehenſione, & detentione poſſeſſionem acquirere, ſiue pro ſe ipſo, ſiue nomine alterius; vt euenit, quando poſſeſſio acquiritur per procuratorem, vel per tutorē, aut curatorem pro pupillo, aut minore: & tunc completè dicitur poſſidere principalis, qui procuratorem in hunc finem inſtituit, ſeu pupillus, minor, &c. Controuerſia autem eſt inter Doctores, an prędictæ duæ poſſeſſiones naturalis, & ciuilis, ſint duæ poſſeſſiones eſſentialiter, ſeu ſpecie inter ſe differentes, vel ſint vna tantum, & accidentaliter ſolū
differentes? Dubium hoc proponit, & 52
examinat *Dynus reg cit. à nu* 14. & nō-nullos pro vtraque parte laudat Authores, eorumdemque rationes expendens, & tandem *nu.* 28. declarans ſuam ſententiam ait, duas eſſe, & ſpecie differentes: ſed res eſt parui momenti, & ad pręſens inſtitutum, quidquid detur, nihil, aut parum facit, dummodo ſupponatur, ad veram, & completam poſſeſſionem inchoandam neceſſariò requiri veramque poſſeſſionem naturalem, & ciuilem: per naturalem autem intelligi debet non
ſolum ea, quę reſultat ex apprehenſione, 53
& detentione vera, qualis eſt corporea; ſed vel hæc, vel alia ęquiualens mediante aliquo actu, qui fictione iuris ęquiualeat veræ apprehenſioni, vt aduertit *Caſtropalaus* §. 4. *nu.* 2. quales autem ſint huiuſmodi actus, declarauimus ſupra in explicatione regulę, & fuſè de illis *Molina tract. 2. cit. diſp.* 13. loquens de actibus veris, & fictis ad comparandam poſſeſſionem.

Dicendum eſt tertiò, quòd quamuis 54
ad poſſeſſionem inchoandam exigatur

vtra-

Digitized by Google

vtraque poſseſſio naturalis, & ciuilis, vt
oſtenſum fuit; nihilominùs acquiſita ipſa
poſſeſſione, ſi deſinat naturalis, manente
ciuili, non deperditur propter hoc, ne-
que ceſſat poſſeſſio illa ciuilis, quam Iura
requirunt ad prȩſcriptionem. ita *Molina*
diſp. 12. *cit. à nu.* 6. & ideò, ſi legitimè, &
iuridicè poſſidens rem aliquam perſeue-
ret in eadem voluntate poſſidendi, licet
corpore diſcedat à re poſſeſſa, nec in ea
cuſtodem, neque alium loco ſui relin-
quat, & conſequenter deſinat naturalis
poſſeſſio, hoc non obſtante, dicetur verè
eamdem rem poſſidere: & hoc, quia in
Iure, vt mox oſtendam, maxima ratio
habetur de ciuili poſſeſſione; idcirco re-
ctè dicunt Authores, ciuilem poſſeſſionē
manere in dormiente, & in eo, qui nihil
cogitat de ipſa re poſseſſa, & hanc ſuffi-
cere ad præſcriptionem, etiam ſi natu-
ralis poſseſſio deperdita fuerit. Cõcluſio
efficaciter probatur *ex L. Clam.* §. *Qui*
ad nundinas profertur ff. de acquirend.
vel amitt. poſſeſſ. vbi habetur, quòd, ſi
quis rem immobilem naturaliter, & ciui-
liter poſſideat, & poſtea ab eadem re
modo explicato diſcedat ad nundinas
proficiſcens, ſi animo eidem rei adhuc
inſiſtat, dicitur rem illam poſſidere.

55 Dicendum eſt quartò, ſi ceſsante poſ-
ſeſſione naturali in eo, qui diſceſsit, a-
lius occupet rem illam, animo acquiren-
di talem poſseſſionem, eam vtique ac-
quiret, non autem ciuilem, quę rema-
nebit in eo, qui diſceſsit; cum hoc tamē
diſcrimine, vt poſſidens ciuiliter dicatur
abſolutè, & ſimpliciter poſſidere, alius
verò cum addito diminuente, nempe
ſolum naturaliter, & maximè, ſi iniuſtè
etiam hoc modo poſſideat: dixi, ſi ani-
mo acquirendi naturalem poſſeſſionem
rem illam occupet; nam, ſi id faciat ab-
ſque tali animo, ſed tantum animo de-
tinendi, & vtendi re illa, non diceretur
naturaliter poſſidere. *ſic Molina diſp.* 12.
cit. nu. 9. *&* 10.

56 Dicendum eſt quintò, in caſu prædic-
to, ſi ciuiliter tantum poſſidens reuer-
tatur ad poſſidendam rem immobilē, at-
que ad rehabendam poſſeſſionē naturalē
impediatur ab alio, vel putet ſe pręua-
lere non poſſe aduerſus illum, & ideò
deſiſtat, cenſebitur à poſſeſſione etiam
ciuili deiectus; & ille, qui violenter im-
pedivit, acquiret, quamuis iniuſtè ciui-
lem poſſeſſionem, vt colligitur *ex L. Clā.*
§. *citato, & notat Molina nu.* 8. *diſp. cit.*

Dicendum eſt ſextò, poſſeſſionem, ſeu 57
prȩſcriptionem iam incœptam poſſe ali-
quando interrumpi, quod euenit ob ali-
quod impedimentum; quod ſanè duplex
eſt, videlicèt vnum naturale, aliud ciuile;
& ideò interruptio alia eſt naturalis, alia
ciuilis. Naturalis habetur, quando im-
pedimentum conſiſtit in defectu alicuius
ex illis, quę eſſentialiter requiruntur,
ſicuti carentia debitę poſſeſſionis, vel
defectus tituli, bonæ fidei, &c. Cæterum
aliqui ſunt docentes, ob defectum tituli; 58
aut bonę fidei non interrumpi, ſed dor-
mire præſcriptionem, itaut redeunte po-
ſtea bona fide valeat continuari tempus
ſubſequens cum prȩcedente. Alij tamen
putant omninò interrumpi, & huic ſen-
tentiæ, vt veriori aſſentitur *Caſtropalaus*
§. 16. *nu* 4. apud quem Authores pro v-
traque parte videri poſſunt. Ciuilis autē
interruptio reſultat in triennali prȩſcrip
tione, quæ eſt fauorabilis, & ideò perſi-
ſtit etiam lite durante; ſed, ſi in fine litis
feratur ſententia contra poſſeſſorem, tunc
tenebitur poſſeſſor rem reſtituere illi, in
cuius fauorem lata fuit ſententia. ita ha-
betur *ex L.* 2. §. *vlt. Si rem alienam ff.*
pro emptore. Molina diſp. 78. *nu.* 12. &
apud ipſum *Abbas, & Couarr. lib.* 2. *cap.*
6. *dub.* 16. *num.* 49. *Caſtropalaus loco*
cit. nu. 3. Rurſus prȩſcriptio, quę perfi- 59
citur decennio, aut vicennio cum titulo,
vel ea, quę ſine titulo completur tricen-
nio, vel lõgiori tempore, non interrum-
pitur per citationem, ſed per litis con-
teſtationem apud legitimum iudicem;
cum hac tamē conditione, vt actor vin-
cat; ſi verò ipſe actor ſuccumbat, non
cenſebitur præſcriptio interrupta: ita
cõmuniter Authores citati, & alij.

CAPVT VI.

De caſibus, ſeu modis, in quibus præ-
ſcriptio non procedat, aut inter-
rumpatur, dormiat, aut
continuetur.

IN hac quæſtione præſcriptio non ſu- 60
mitur, quatenùs dicit actum com-
pletum, ſeu in facto eſſe; quia hoc pa-
cto nequeunt ei conuenire ſupradicta,
quę in titulo proponuntur; nam eo mo-
mento, quo præſcriptio eſt perfecta, trāſ-
fert dominium rei prȩſcriptæ in illum,
qui præſcribit, & locum non habet in ea
interruptio, dormitio, &c. ſumi ergo

bet in fieri, & quando adhuc non eſt
completa, neque dominium translatum,
ſed tendit ad ſui complementum, & eſt
veluti in via; tunc enim ipſi accidere
poſſunt ſupradicta, quæ examināda pro-
ponuntur, de quibus latè agunt Iuriſtę, &
Canoniſtę, & pręſertim *Panormit. in*
cap. Illud nu. 5. cap. Transmiſſa num. 4.
de præſcript. Couarr reg. Poſſeſſor. par.
2. *§.* 12. & alij antiquiores: ex Recentio-
ribus verò *Molina tract. 2. diſp. 78. Leſſi-*
us lib 2 cap 6. dub 16. Caſtropalaus par.
7. tract. 1. de iuſtit. in genere diſp. vnica
pu. 22. §. 16. Ioannes Delugo tract. de
iuſtit. diſp. 7. ſect. 8 *à num. 144. & alij.*
Quę autem à laudatis Authoribus de
his fusè pertractantur, paucis comprehē-
dam, quantum mihi videtur pertinere
poſſe ad perfectam huius regulę intelli-
gentiam.

61 Dico igitur primò, pręſcriptionem
duplicìter poſſe non procedere, ſeu non
currere. *Primò*, vel ob aliquod impedi-
mentum, propter quod nequit inchoare,
puta, quia non habetur ciuilis poſſeſſio,
aut non eſt titulus, aut deficit bona fi-
des, aut denique, quia eſt res, quę alie-
nari non poteſt ob Iuris reſiſtentiam, vt
eſt fundus dotalis, maioratus, bona
aduenientia filij familias, & ſimilia: ita
Leſſius loc. cit ex Couarr. Secundò vel
ob aliquod impedimentum ſuperueniēs
poſt ſui inchoationem, propter quod
nequit procedere: & hęc interruptio eſt
in duplici differentia: alia enim eſt natu-
ralis, alia ciuilis: prior euenit, quando
impedimentum ſuperueniens, eſt ex
defectu alicuius conditionis earum, quę
ſunt neceſſariæ ad eſſentiam præſcripti-
onis, v. g. ſi deſit poſſeſſio, vel in poſſi-
dente ceſſet bona, & mala adueniat fi-
des; poſterior autem interruptio, nem-
pè ciuilis, fit per aliquem actum Iuridi-
cum, ſcilicet per citationem, vel litis
conteſtationem, vt communiter ani-
maduertunt Authores, qui huic ciuili
62 interruptioni apponunt aliquas limitati-
ones, docentes, quòd pręſcriptio trien-
nalis non interrumpatur per conteſtati-
onem litis, ſed vlterius tendat, & ad ſui
terminum currat; & ſi ille, qui pręſcri-
bere volebat in lite ſuccumbat, & con-
demnetur, tenebitur rem illam reſtitue-
re actori: vt habetur *in L. 2. §. vlt. ff. pro*
Emptore L. Iulianus §. Quantum ff. ad
Exhibendum, & L. ſi poſt acceptum ff.
de rei vendic. & communiter Doctores; ſi
verò poſſidens non ſuccumbat, expleto
triennio poterit illam ſibi retinere, ma- 63
nente bona fide. Pręſcriptio autem vi-
cennalis, & tricennalis per conteſtatio-
nem litis interrumpitur, ſi lis fiat coram
legitimo Iudice; cum hac tamen condi-
tione, quod ſi actor, vel litem ſponte
deſerat, vel in illa ſuccumbat, vel do-
losè litem aduerſus poſſeſſorem intēret,
idque animo interrumpendi præſcriptio-
nem faciat, qui quidem animus doloſus
ex varijs circumſtantijs colligi poterit;
tunc, quocumque modo ex his lis ab ac-
tore moueatur, nō interrumpitur præ-
ſcriptio, ſed vlterius progreditur, & cō- 64
tinuatur. ita communiter Authores. No-
tat tamen *Leſſius in fine illius dubita-*
tionis, præſcriptionem contra actionem
Fiſci per ſolam citationem interrumpi.

Dicendum eſt ſecundò, præſcriptionē 65
tunc dormire, quando inchoata ceſſat
ad aliquod tempus, quo expleto, iterum
ipſa expergiſcitur, & ſubſequens tēpus
continuatur cum præcedente, ad inte-
grandum, & complendum tempus à
lege definitum, vt eo elapſo, dominium
rei tranſeat in præſcribentem. caſus autē
in quibus præſcriptio dicitur dormire,
deſignantur ab Authoribus; puta, quā-
do eſt tempus belli, & Ius dici nequit,
vel tempore peſtis, ad quam vitandam
homines ad aliam diffugiunt regionem,
vel ſi Eccleſia, contra quam tentatur
præſcriptio, careat Rectore, vel denique
ſi ille, aduerſus quem pręſcribitur, agere
non poſſit, vt eſt vel filius familias, vel
pupillus durante pupillari ętate, quæ in
maſculis durat vſque ad 14. annum, in
fœminis vſque ad 12. vel etiam vxor,
quæ cenſetur impotens ad agendum vi-
uente marito. Hæc de pręſcriptione
ſufficiant: ſi quis plura deſiderat, legat
laudatos Authores.

CAPVT VII.

Num Præſcriptionis beneficium in hoc Siciliæ Regno vim habeat?

HActenus ſum loquutus de priuile-
gio pręſcriptionis, ſeu vſucapio-
nis ſiſtens in terminis iuris communis, &
oſtendi, tale priuilegium non ſolum in
externo, verū etiam in interno conſcien-
tię foro proficuum eſſe. poſſet tamen
quis inquirere, num in hoc Regno vi-
ge-

gorem retineat? fateor, valde difficilem mihi eſſe huius rei deciſionem: difficultas planè oritur ex communi Iuriſconſultorum placito; vndè ad eorum mentem exploranɗam plures ex illis conſului, qui vniformiter meæ petitioni reſpondentes dixerunt, in hoc Regno beneficium præſcriptionis, ſaltem in ea amplitudine, quam leges concedunt, nequaquam admitti; excipi tamen centenariam, aut immemorabilem; eam vero, quę eſt tricenaria, vel quadragenaria omninò reſpui. hæc fuere Iuriſtarum reſponſa: imò non defuerunt aliqui ex illis, qui ita præſcriptionem abominati ſunt, vt aſſeruerint iniquiſſimum eſſe præſidium, ſic
66 *Antoninus Amato* in ſuis forenſibus, & practicis reſolutionibus *lib.* 1 *reſol.* 43. *n.* 22. Difficile igitur ſupereſt mihi motiuum, vt rem hanc tam magna obſcuritate inuolutam elucidare poſſim, & definire, quid tandem ſit determinatè cõcludendum: hoc autem aio, non abſolutè conſiderãdo præſcriptionem ipſam; etenim quid de illa, vt ſic, ſit ſentiendum, in præcedentibus quęſtionibus ſufficienter declaraui; ſed loquor de illius praxi in hoc Regno. Cæterum, ne penitus indeciſam difficultatem hanc relinquam, non nulla, quæ mihi occurrunt, pro noſtris regnicolis breuitèr aperiam.

67 Dico igitur primò nimium exceſſiſſe *Antoninum de Amato* dũ loco ſuperius citato iniquiſſimum remedium appellat præſcriptionem; cum non ſolum à Iure ciuili, ſed etiam à Canonico ſit approbata, admiſſaque à *Legiſtis*, Canoniſtis, & Theologis, quando intercedit bona fides in præſcribente, & eſt elapſum tẽpus ab ipſomet iure definitum; quapropter præſcriptio, poſitis debitis conditionibus, non erit exiſtimanda iniquiſſimũ, ſed valde æquum remedium, & rectæ rationi conſentaneum, ad flammam, vt ita dicam, litium extinguendam, & ad incertitudinem dominorum tollendam.

68 Dico ſecundò, quamuis præſcriptio ſit conueniens, & bono communi faueat; nihilominùs nil prohibet, quin in aliqua regione reijciatur ob aliquem honeſtum finem, qui in tali regione vigeat; & ideò, ſiue per leges municipales, ſiue per conſuetudinem legitimè inductam, iuxta *cap. final. de conſuetudine*, lex præſcriptionis poteſt abrogari, vel ſaltẽ modificari: & de hac cõcluſione nulla eſſe poteſt dubitatio; quia leges humanæ ſępè vel abeunt in deſuetudinem, vel limitationem aliquam recipiunt per legẽ ſpecialem municipalem derogantem iuri communi.

Dico tertio, in hoc Siciliæ Regno nullam extare legem poſitiuam, quæ abroget pręſcriptionem, imò expreſsè eſt approbata à *Rege Martino in Conſtitutionibus huius Regni conſt.* 57. vbi de ipſa præſcriptione eſt ſermo. 69

Dico quartò, quòd in noſtra M.R.C. non admittitur præſcriptio, niſi centenaria, vel immemorabilis, & Iudices ad illam non admittendam fundantur in quadam pragmatica, quæ extat inter alias regni pragmaticas, & in ordine eſt 17. in qua ſtatuitur, vt Iudices ſolum iudicent facti veritate inſpecta. 70

Remanet videndum, an hic ſtylus nõ admittendi præſcriptionem Iuris communis vim habeat etiam in foro interno conſcientiæ ita? vt v. g. Si Titius per viginti, aut triginta annos bona fide, & cum legitimo titulo poſſederit aliquod prædium, putans ſuum eſſe, & prædicto tempore elapſo, agnouerit, prædium ſpectare ad Sortem, qui de hoc notitiam nequaquam habeat, poſſit in tali caſu continuare poſſeſſionem illius prædij, an potius obligetur illud Sorti reſtituere iuxta ſtylum noſtrę curiæ?

Reſpondeo cum diſtinctione, ſi conſuetudo huius Regni fundata eſt cum præſumptione, quatenùs Iudicibus nequit conſtare, num poſſeſſio illa Titij fuerit cum bona, vel mala fide, ita ut ſi conſtaret bona fides non ferrent ſententiam condemnantes Titium ad reſtituendum Sorti prædium, in tali caſu exiſtimo, non adſtringi Titium ad hanc reſtitutionem, ſed poſſe frui beneficio præſcriptionis; quia in foro externo iudiciali ſolum præſumptiuè, modo explicato, præſcriptio non admittitur; ſed ſi abſolutè, & non ex præſumptione non admitteretur præſcriptio, etiam ſi conſtaret bonam fidem in poſſidente affuiſſe per totum tempus à Iure definitum, & in hoc vigeret legitima conſuetudo derogans Iuri communi, tunc cenſeo Titium in foro conſcientiæ teneri ad prædium Sorti, vt vero Domino, reſtituendum. ducor ad hoc aſſerendum, quia beneficium præſcriptionis cum nõn procedat immediatè ab aliqua lege naturali, aut diuina, ſed à ſola lege poſitiua humana, poteſt lex iſta pati modificationẽ

& etiam abrogationem ob varios fines,
vt patet in multis legibus Iuris commu-
nis: & ideò potuit lex iſta præſcriptio-
nis in hoc Regno ob aliquem honeſtum
finem ex parte abrogari, & conſequen-
ter, poſſeſſorem lege hac nequaquam
ſuffultum teneri ad reſtitutionem prædij.
Vtrum autem talis conſuetudo, ſit le-
gitimè in hoc Regno introducta, nolo
hìc examinare, ſed alijs prudentibus re-
linquo expendendam, & decidendam.
Et hæc pauca ſatis ſint mihi dixiſſe, &
tetigiſſe de ſtylo noſtri Regni: ſi quis plu-
ra deſiderat, legat *P. Thomam Tamburi-
num* noſtræ Societatis Profeſſorem in-
genio, & eruditione valdè conſpicuum,
qui in explicatione *Decalogi lib.* 8 *tract.*
1. *cap.* 4. §. 2. latè rem hanc pertractat.

REGVLA IV.

Peccatum non dimittitur, niſi reſti-
tuatur ablatum.

REGVLA V.

Peccati venia non datur, ni-
ſi correcto.

CAPVT I.

Aliqua traduntur pro vtriuſque Re- gulæ dilucidatione.

HÆ duæ regulæ, quarum prima ſumi-
tur *ex Sancto Auguſtino epiſtola*
14. *ad Macedonium*, & ſecunda *ex cap.
Legatur* 24. *quæſt.* 2. ſunt inuicem con-
nexæ, vt rectè animaduertit *Dynus ini-
tio explicans quintam.* & hoc, quia am-
bæ de eadem agunt materia; proinde,
quæ in varijs quæſtionibus ſum dicturus,
commnnia erunt vtrique regulę. Verū-
tamen iuxta methodum, & ordinem à
me ſeruatum, antequam nonnullas in-
ſtituam quæſtiones ex eiſdem regulis
decerptas, breuem quamdam præmitto
terminorum declarationem, & exordiū
ſumo à primo, nempè ab hoc nomine,
Peccatum, oſtendendo differentiam,
1 quæ in iure, & apud Doctores reperitur
inter hæc tria, videlicèt, peccatum, deli-
ctū, & crimen, de quibus agunt *Rebuffus
L.* 228. *ver. Sciendum eſt. ff. de verborū
ſignificatione*, & alij Canoniſtæ: clarius
verò id explicat Gloſſa in prædicta re-
gula, *Peccatum. ver. pro expeditione*,
his verbis [Peccatum conſiſtit in facien-
do, quia dicitur prauus actus; ſed de-
lictum dicitur deſertio boni, & dicitur
delictum, quaſi derelictum; ſed crimen
eſt peccatum grauius, accuſatione, &
damnatione dignum, & dicitur illud,
quod poteſt duci in publicam accuſati-
onem, & in foro contentioſo poteſt pu-
niri.] ita ait Gloſſa: ex cuius verbis aper-
tè habemus diſcrimen inter tria prædi-
cta nomina; nam peccatum conſiſtit in
commiſſione, ſeu in operatione contra
præceptum; delictum autē in omiſſione
mala, per quam homo non exercet a-
ctum aliquem, ad quem ex præcepto te-
netur, crimen verò, licet importet ope-
rationem prauam, & in hoc cōueniat cū
peccato, differt tamen à peccato, in quā-
tum crimen ipſum denotat non quod-
cumque peccatum, ſed peccatum valdè
graue, quod poteſt eſſe materia accuſa-
tionis, & condemnationis in foro exter-
no iudiciali, & in eodem foro puniri.
Cæterum, quamuis hæ differentiæ inter 2
prædicta tria, iuxta Iuris rigorem ſint
admittendæ, nihilominus ſępè confun-
di ſolent nomina hæc, iuxta illud vulga-
re proloquium. Nemo ſine crimine viuit;
quod non eſt intelligendum de crimine
iuxta ſtrictam ſignificationem, quatenùs
importat graue, & atrox peccatum, ſed
de leuibus culpis, quibus etiam homi-
nes magnæ ſanctitatis omninò carere
nequeunt, dicente *Sancto Ioanne in ſua
prima Epiſtola canonica cap.* 1. [Si dixe-
rimus, quoniam peccatum non habe-
mus, *ipſi* nos ſeducimus, & *veritas* in
nobis non eſt] & hæc quoad primam
dictionem, quę vtrique regulæ eſt com-
munis; reliquæ verò dictiones, quæ cō-
tinentur in priori regula, cum quoad
ſignificationem verbalem ſint perſpicuę,
ideò de eis nihil occurrit dicēdum. Qua-
propter tranſeo ad poſteriorem regulā,
& declaro dictionem illam, nempè, *Ve- 3
nia*, quę multiplicem habet ſignificatio-
nem; aliquando enim ſumitur pro licē-
tia; ſic *in Eccleſiaſtico cap.* 25. *num.* 34.
[Ne des mulieri nequam veniam prode-
undi] idest licentiam, vt exponunt cō-
mentatores, & *in L. Venia, C. de in Ius
vocando* eodem modo ſumitur pro li-
centia, vt notat *Ioannes Monachus in
expoſitione huius regulæ num.* 4. Rurſus
interdum importat id, quod impunitas;
hinc dare veniam ſignificat concedere
impunitatem in foro externo, videlicèt

re-

relaxationem à pœna; non autem à culpa; & ita accipitur *in cap. Denique. Ver. Vnde nec à tali conſuetudine. diſt. 4.* & notat ibi *Gloſ. ver. Venia*. Demùm aliquando venia ſignificat indulgentiam à culpa: & hoc pacto ſumitur in hac regula, vt notant Commentatores, & *Barboſa hic num. 7.* qui etiam addit, ſumpſiſſe pro remiſſione reatus ad pœnã æternam.

4 Alia dictio, nempè, *Niſi*, de ſui natura eſt exceptiua, & aduerſatur iis, quæ immediatè ante ſe ſupponit; pluréſque ſunt eius effectus, de quibus agunt Iuriſtæ; ſed, prout ſpectat ad præſens inſtitutum, ſatis erit vnum afferre; videlicet, dictionem hanc eſſe talis naturę, vt ſi ipſam præcedat affirmatiua oratiõ, neget; ſi verò præcedat negatiua, affirmet: ita communiter Doctores, quos laudat *Barboſa tract. de dictionibus vſu frequent. dict. 117. nu. 5.* & vt rectè inquit *Dynus* exponendo primam regulã *nu. 4. & Ioannes Andreas ibidem nu. 1.* dictio, *Niſi*, poſt negatiuam ponit; poſt affirmatiuam priuat, idest tollit: Sed interdum, vt animaduertit *Dynus nu. 2.* præcedit negatiua, & tamen dictio, Niſi, ſequens non ponit, ſed priuat, vt videtur colligi ex *L. Nemo ex his. ff. de Regulis Iuris*; ad quod reſpondet idem *Dynus*, illam negatiuam in *Lege* citata æquipollere affirmatiuæ, vt patet conſideranti verba illius Legis; ideò, cum in præſentibus regulis dictio hæc ſequatur negatiuam, facit hunc ſenſum in prima, quòd, reſtituto ablato, dimittitur peccatum, & in ſecunda, quòd, poſita correctione, conceditur venia, idest peccati remiſſio.

5 Denique vltima dictio explicanda eſt, illa, nimirum, *Correcto*: per hanc autem dictionem ſignificatur emendatio vitæ, ſeu, vt declarat *Dynus nu. 5.* cordis contritio. ſubdit autem idem Author triplicem eſſe correctionem, nempè Verbalẽ, Realem, & Mentalem: inquit tamen, Verbalem, & realem nihil apud Deum prodeſſe quoad remiſſionem, niſi mentalis interueniat. & hæc breuiter ſufficiant quoad ſignificationem verborum, quæ in his regulis continentur. Supereſt nunc nonnullas quæſtiones ex prædictis inſtituere; ſed antequam id faciam, animaduerto, quod Commentatores, declarando priorem regulam, ex illa formarunt quaſi omnes controuerſias in materia ſpectante ad Iuſtitiam commutatiuam, quæ dictat, iniurioſè ablatum eſſe reſtituendum, vt peccatum remittatur; & ideò in eiſdem controuerſijs loquuntur de vſura, furto &c. vt patet legenti *Dynum*, *Ioannem Andream*, *Ancharanum*, & alios; quapropter, ſi ego in explicanda hac regula prædictorum veſtigia ſequi vellem, oporteret me diffundere agendo de materia reſtitutionis, cuius tractatio eſt extra intentum, & longè abeſt à meo præſenti inſtituto; & ideò rectè me proceſſurum cenſeo, ſi omittam agere de materijs pertinentibus ad ſpeciem Iuſtitiæ: tantummodo igitur proponam examen de obligationibus, quibus ligatur peccator iniuſtè proximum lædens, & de modo, quo ab illis ſe diſſoluere poſſit: de his enim rebus agens non inſtituo quæſtiones, de quibus nihil Commentatores pertractauerint; nam de prædictis rebus, explicantes regulam, plura dixerunt.

Quod verò ad poſteriorem regulam attinet, quæſtiones ex illa deducendæ, & examinandæ, reſtringuntur ad vltimã illam dictionem, *Correcto*, de qua expoſitores quæſtiones formant; de reliquis autem, quæ in hac regula habentur, cõtrouerſias non inſtituunt; tum quia ſatis videtur ſatisfactũ ex ijs quęſtionibus, quę in explicatione præcedẽtis regulę exagitatæ ſunt, tum etiam quia ſecundum ſe quæſtionum minimè capacia ſunt; idcircò id ipſum ego præſtabo, ne in qualitate controuerſiarum ſeligenda à celeberrimorum Canoniſtarum ſenſu diſcedã; 8 quamuis ex neceſſitate materiæ cogar aliquid ad theoricam ſpectans permiſcere, quod etiam ſeruatum deprehendo ab eiſdem commentatoribus.

CAPVT II.

Quot, & quænam ſint obligationes, quas ob iniuſtam læſionem peccator contrahit, & quis nam ſit modus, quo ab illis ſe eximere poſſit?

Obligationes, de quibus agere intendimus, nil aliud ſunt, niſi vincula quędam, quibus ille, qui peccatum commiſit, aſtringitur non ſolum ad emendationem, ſed etiam ad compenſationem, ſeu ſatisfactionem exhibendam illi perſonæ, contra quam fuit peccatum; & 6

ideo

ideò vox illa, *Reſtituatur*, quæ habetur in Regula 4. non eſt reſtrigenda ad reſtitutionē bonorum tantùm temporalium, vt ſunt bona externa, ſed extenditur ad reſtitutionem honoris ablati, aut famæ læſę; & ideò vox illa intelligēda eſt, quatenùs omnem ſatisfactionem ex Iuſtitia debitam ſub ſe comprehēdit latè ſumpto vocabulo, vt aduertunt Doctores. *Nauarr. in manuali cap. 17. nu. 11. Couarr. in decret. par. 2. initio n. 2. Sotus tract. de Iuſt. lib. 4. quæſt. 6. art. 1.* & alij: meritò autem id dicunt, quia quòad obligationem hanc vi iuſtitię commutatiuæ, & in ordine ad remittendum peccatum eadem militat ratio. His prę-miſſis, quòad vocabuli ſignificationem, inquirimus, & numerum, & qualitatem harum obligationum.

7 Dico igitur primò, triplicem eſſe hanc obligationem, nempè quòad Deum, cuius præceptum, mediante peccato, cōtemnitur; quoad publicum, ſeu ad Iudicem, qui regit, & ad quem ſpectat diligenter curare ob commune bonum vniuerſitatis, ne delicta committantur, & commiſſa puniantur, *cap. Vt famæ §. Reſpondemus. de ſent. excom. Gloſſ. ibidē Ver. Impunita: & L. Ita vulneratus. §. Quod ſi quis ff. ad L. Aquil. & L. Congruit ff. de off. præſid.* & denique quoad illum, qui læſus eſt, ita *Anchar. initio.* Vt autem peccatum dimittatur quòad omnes, oportet, vt peccator omnibus prædictis ſatisfaciat.

8 Cæterum contra concluſionem hanc poſſet quis probare, in multis caſibus remitti peccatum abſque eo, quòd ille, qui deliquit, ſatiſfaciat omnibus enumeratis perſonis; ad hoc autem oſtendendum, ponamus delictum contra proximum, v. g. Furtum; & fur poſtea pœnitens reſtituat ablatum; in hoc caſu quòad Deum, virtute perfectæ pœnitētiæ, nempè contritionis, peccatum eſt remiſſum: & quia præſtita eſt ſatiſfactio in ordine ad perſonam læſam, mediante reſtitutione, cenſetur etiam remiſſa offenſa; & tamen nulla eſt poſita ſatisfactio in ordine ad Iudicem: & vice verſa poteſt contingere, quòd peccatum ſit remiſſum quòad proximum læſum, & quoad Iudicem, cui ſatisfactum ſit; non autem ſit remiſſum in ordine ad Deum; vt eueniret, ſi peccator interius contritionem de peccato non haberet, & ſic in alijs ſimilibus: ergo non requiritur neceſſariò ad obtinendam veniam de peccato commiſſo, vt tribus prædictis perſonis detur ſatisfactio.

Reſpondeo, delicti remiſſionem concedi iuxta modum, quo fit ſatisfactio illi, cui eſt debita; & ideò, ſi fiat Deo per veram pœnitentiam, & reſtitutionem rei per furtum ablatæ, quando fur eſt ad id potens, remittitur peccatum quoad ipſum Deum, & quoad proximum, non autem quoad Iudicem; nam Reus in foro judiciali debet ſubire pœnam condignam, vt dicatur huic foro ſatisfacere. Contra vero, quamuis pœnam debitam in foro externo ſuſtineat, ſi interius pœnitentiam non agat, non ſatisfacit Deo. Aio igitur, prædictum triplex ſatisfactionis genus non eſſe ita intelligendum, vt ſemper, & in quocumque caſu ad remittendum peccatum neceſſariò interuenire debeant tres illę ſatisfactiones; ſunt enim diuerſæ, & non habent inſeparabilem connexionem, niſi in eo caſu, in quo exiguntur à perſona læſa, & peccator illas exhibere valeat. His poſitis argumentum in contrarium nihil probat aduerſus concluſionem hoc pacto declaratam.

CAPVT III.

An aliquando contingat, vt correctus peccati veniam, aut in externo, aut in interno Foro non obtineat?

IN præcedēti capite continebatur materia ad priorem regulam ſpectans; & ideò ſermonem inſtitui de obligationibus, quibus peccans ligatur, & de medijs adhibēdis, quibus ipſe peccator his vinculis ſe ſoluere poſſit; quod fit media ſatiſfactione, quam triplicem eſſe declaraui; nunc verò placet ingredi materias, quæ poſteriori regulę conueniunt: pro qua quęritur, an interdum detur caſus, in 9
quo peccator, quàmuis correctus, ſeu emendatus, nihilominùs veniam, idest remiſſionem peccati, non obtineat? quã dubitationem tangit, & breuiter ſoluit *Anchaeranus* in explicatiōe regulę in quinta oppoſitione; poteſt autem quæſitum hoc habere locum, tum in foro externo, ſiue Laico, ſiue Eccleſiaſtico, tum etiam in foro interno conſcientię in ordine ad Deum, à quo obtinenda eſt remiſſio: hæc autem omnia in præſen-

ti

ti quæſtione ſunt diſcutienda, & exordium ſumo à foro iudiciali externo.

10 Dicendum eſt primò, ſi quis emendetur, non ſtatim cenſeri ita ſufficienter ſatisfeciſſe, vt remittẽda ſit in foro iudiciali pœna, quam delictum commiſſum meretur. Concluſio eſt certa, & communis; quia non tollitur obligatio, quã quis per peccatum contraxit contra Iudicem, niſi ſubeat pœnam.

11 Dicendum eſt ſecundo, Si offenſa ſit Eccleſia liberabitur peccator, mediante pœnitentia iniuncta, & abſolutione. probatur, quia excommunicatio non aufertur per ſolam reſipiſcentiam ipſius excommunicati, niſi obtineat ab Eccleſia abſolutionem, vt expreſsè habetur *in Cap. Cum deſideres* §. *Tertio loco. de Sentent. excommunicationis*. Ita *Sotus in 4. diſt. 22. qu. 1. art. 1. Vgolinus de cenſur. tab. 3. cap. 6. nu. 5. Suarez eodem tract. diſp. 9. ſect. 5.* & alij: & ratio eſt, quia peccator ante abſolutionem, & pœnitentiam iniunctam non dicitur cõpletè ſatisfeciſſe in ordine ad Eccleſiam; & ideò licet ſit correctus, videlicet emẽdatus, nihilominùs veniam peccati non obtinet.

12 Dicendum eſt tertiò. Etiam ſi quis de offenſa facta Deo, per contritionem perfectam, cordis remiſſionem obtineat quò ad culpam, & pœnam æternam, tamen nõ ſemper liberabitur ab omni pœna; nã requiritur, vt vel in hac vita ſoluat medijs bonis operibus factis in ſtatu gratiæ, aut medijs indulgentijs, vel in alia vita ſuſtineat pœnas purgatorij, vſque dum plenè ſatisfaciat. Hæc concluſio eſt certa, & communis apud omnes Catholicos. Quod verò attinet ad culpam, poſſet quis petere, vtrum defacto detur caſus, in quo peccator reſipiſcat mediante perfecta contritione, & hoc non obſtan-

13 te, veniam à culpa minimè obtineat? cui petitioni, vt ſatisfaciam, placet illã examinare, quod non erit, vt reor, lectori ingratum.

Citari ſolent aliqui, qui videntur aſſerere, nõ ſemper verè contrito dari peccatorum veniam, & pro hac ſententia *Ioannes Delugo tract. de pœnitent. diſp. 5. ſect. 8.* affert *Franciſcum Syluium in ſupplemento Sancti Thomæ qu. 1. art. 1.* cuius mentem, & doctrinam fusè examinat, quod poſt eum præſtitit *Arriaga eodem tract. diſput. 12. ſect. 2. ſubſect. 1.* Doctrinam autem, quæ *Syluio* attribuitur, acriter prædicti Authores impugnant: & *Delugo* ait, accedere ad ſententiam Michaelis Baij reprobatã *à Pio V. & Gregorio XIII.* ſed de re hac nolo facere iudicium; ſolum aduerto, quòd conſiderando ea, quæ ibidem à *Syluio* dicuntur, inuenio ab ipſo diſtingui varias contritionis ſpecies, & ſub eodem nomine indifferenter ſumpto comprehendi, tum perfectam, tum imperfectam contritionem, nempè attritionẽ; rurſus perfectam ſubdiſtingui in triplicem, prima eſt, quæ charitate informatur; & de hac contritione expreſſe aſſerit, ſemper coniunctam habere peccatorũ remiſſionem, vt determinat *Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* & de eadem idem Author procul dubio loquitur *3. p. quæſt. 86. ar. 1.* dicens ad fidem pertinere, per pœnitentiam tolli omnia peccata, in quocũque numero, & grauitate ſint, ita vt nullum detur immane ſcelus, quod per pœnitentiam remitti non poſſit. Alia verò contritio, quæ ab eodem Syluio vocatur perfecta, ea dicitur, vt ipſe inquit, quæ eſt valdè acris, & vehemens; & de hac ſecunda loquens ait, non rarò coniunctam habere remiſſionem; quibus verbis videtur agnoſcere cõtritionem talis naturæ, quę licèt non rarò coniunctam habeat veniam delictorum, aliquando tamen non habeat; hoc enim videtur ipſe indicare per dictionem illam, *Non raro.* Denique admittit aliam contritionẽ, quę nõ ſit ita vehemens, ſed tamẽ perfectior attritione, de qua affirmat, interdum habere prædictam remiſſionem ſine Sacramento re ſumpto; ſed id non eſſe ordinarium, neque admodum frequens, & quãdò id fiat, ait, eſſe nobis ignotum. Afferuntur pro hac ſententia *à Syluio loc. cit.* in ſupplemento, Verbo. *Idem ſenſiſſe, & à Leandro in ſuis quæſtionibus moralibus part. 1. tract. 5. diſp. 1. qu. 26.* afferuntur inquam, *Scotus in 4. diſt. 4. qu. 2. & diſt. 17.* §. *ad argumentum, & diſt. 19.* citatur etiam *Caietanus in ſua ſummula. Verb.* Contritio: ſed nõ benè, quia neuter de prædicta ſentẽtia ſermonem habet, vt conſtare poterit legenti; ſolum reperio *in Scoto diſt. illa 17. qu. 1.* §. *ad argumẽtum*, quod, declarans quædam verba S. Ambroſij, dicat, contritionem tantam eſſe poſſe, vt per ipſam etiam ante confeſſionem deleantur peccata, non autem dicit, dari contritionẽ, vi cuius interdum remittantur, interdũ

vero

Digitized by Google

verò non remittantur peccata. Citatur etiam à *Syluio, & Leandro,* Molanus, de quo nihil poſſum aſſerere, quia præ manibus illum non habeo. & hæc breuiter dicta ſint circa mentem prædictorũ Authorum, quorum doctrinam examinare, & qualificare non pertinet ad pręſens inſtitutum; videri enim poteſt *Delugo loco cit.* fusè expendens mentem Authorum, qui à *Syluio* adducuntur; & ideò illis omiſſis aperio meam ſententiam, directè reſpondendo ad quęſitum in titulo propoſitum.

14 Tenendum eſt primò, nunquam defacto, & in hoc rerum ordine accidere, quòd verè contrito, vi perfectæ contritionis, peccatorum venia non concedatur. Concluſio hęc non ſolum communis eſt apud Theologos, & Patres, quos laudat *Suarez tom. 4. in 3. partem diſput. 8. ſect. 1. per totam,* ſed etiam colligitur ex varijs locis ſacrę Scripturę, & Conciliorum, quæ ab eodem Suario afferuntur, & ponderantur, in quibus apertè Deus promittit verè pœnitentibus peccatorum remiſſionem: ex quibus ſufficit nobis, aliquos adducere textus: & primus ſit locus ille percelebris, qui habetur *Ezechielis* 18. vbi de impio loquens Deus, ait [*Si impius* egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quę operatus eſt, vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.] Rurſus *Zachariæ cap. 4.* dicit Deus. [Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.] & ideò *Propheta in* 50. dicit [Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies] & *Sapientiæ* 12. habetur, [*Deum* diſſimulare peccata hominum propter pœnitẽtiam.] Hæc, & plurima alia loca habentur; in quibus Deus veniam peccatori pœnitenti promittit.

15 Tenendum eſt ſecundò, nullum dari peccatum adeò graue, quod defacto per veram contritionem non deleatur. Cõcluſio eſt certa; nam loca Scripturę, & Conciliorum, in quibus pœnitenti promittitur remiſſio, loquuntur abſolutè, & ſine limitatione; ergo nequimus nos illam adhibere: idem etiam dicendũ eſt de numero peccatorũ nullus enim datur numerus peccatorum, quàmuis magnus, qui per contritionem non remittatur.

An autem contritio ex natura ſua, an
16 verò ex diuino beneplacito habeat vltimò diſponere peccatorem ad gratiam ſanctificantem, & ad remiſſionem peccatorum, ſolet examinari in Theologia ſcholaſtica, & non facit ad præſentem quęſtionem, in qua moraliter, & non ſpeculatiuè procedo: breuiter tamen explico, quid ſentiam, & aio iuxta communiorem Authorum ſententiam, in contritione vim diſponendi ad gratiam eſſe ex Dei voluntate; in ipſa tamen contritione eſſe quamdam congruitatẽ, vt à Deo ad vltimò diſponendum peccatorem ordinetur: & hoc probatur à Theologis *in 3. part. S. Thomæ* in tractatu de pœnitentia: ſicut etiam ibidẽ agitur, in quo conſiſtat ratio formalis, ſeu motiuum, per quod contritio ſpecificetur; ſeu, an perfecta contritio debeat eſſe in motiuo charitatis erga Deũ, an vero ſufficiat eſſe ex motiuo ſpecialis pœnitentiæ? quæ omnia loco cit. à Theologis diſcuti conſueuerunt, nunc verò ſatis ſit illa tetigiſſe, & vt certum ſupponere, quòd vera, & perfecta contritio, in quocumque actu conſiſtat, ſemper coniunctam habeat peccatorum veniam ex Dei promiſſione, vt ſupra ex ſacris literis apertè oſtendimus.

Sed aduerſus prædicta, nempè de re- 17
miſſione, quæ verè contrito conceditur, poſſet quis curiosè inſtare, inquirens, cur detur à Deo remiſſio delictorum ob ſolã pœnitentiam, qua peccator interiùs deteſtetur peccatum commiſſum, & in foro humano iudiciali non detur; quamuis reus verè pœniteat ſe crimẽ patraſſe, vt expreſsè habetur *in L. Quod ſi fugitiuus initio §. ſi mutato conſilio. ff. de Aedilitio edicto.* vbi notat *Gloſſa Ver. Pœnitentia,* Vitium animi pœnitentia non purgari, *& L. Qui ea mente ff. de furtis,* dicitur, delictum, quod quis commiſit, per pœnitentiam non remitti; quia ob pœnitentiam nemo deſinit eſſe nocens.

Quæſitum hoc proponitur *à Dyno* in 18
expoſitione huius regulę, quod etiam poſtea breuiter tetigit ibidem *Anchoranus*: reſpondet autem *Dynus*, ideò hoc eſſe, quia ea, quæ faciliùs ligant, faciliùs diſſoluunt, ſeu quæ faciliùs ligantur, faciliùs diſſoluuntur, vt colligitur *ex L. Nihil naturale ff. de regulis iuris. & ex L. Fere. eodem tit.* vbi habetur, quod eo genere aliquid diſſoluitur, quo ligatum eſt; & ſic dicitur, quòd quibus modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur. hanc doctrinam applicans *Dynus* huius quæſtioni ſolutioni, do-

cet

cer certuin eſſe, quòd, ſpectando ius diuinum, faciliùs quis ligatur, quatenus ſola mentis cogitatione, ſeu voluntatis conſenſu peccando ligatur; & ideò è cõuerſo per ſolum actum voluntatis, nempè per contritionem liberatur, ſeu ſoluitur vinculis, quibus per peccatum erat deuinctus: ſed ſpectando ius humanum, & ciuile, per ſolam animi cogitationem, niſi prodeat in actum externum mediante ſatisfactione, reus non ſoluitur obligatione, qua erat ligatus ad ſuſtinendam pœnam, quam delictum meretur. Hæc dicuntur à *Dyno* pro ſolatione quęſiti, ſed vt clariùs, & breuiùs reſpondeam, aio, verum diſcrimen eſſe deſumendum, ex eo quòd, loquendo ſecundum conſcientię forum, Iudex, qui iudicare debet, eſt *D*eus optimus M. qui intuetur corda omnium; idcircò intuens cor verè, & perfectè contritum de culpis commiſſis, illas remittit: & contritio poterit aliquando mediante diuino auxilio, eſſe adeo magna, & perfecta, vt tota pœna debita peccatis relaxetur; in foro autem humano Iudex nequit reſpicere pœnitẽtiam internam; proinde in hoc foro nequit Reus diſſolui vinculis, quibus ob delictum erat ligatus, niſi per actus externos ſenſibiles. & ſic patet diſcrimen quòad hoc inter vnum, & alterum forum. Aduerto tamẽ, hæc, quę dicta ſunt, procedere de crimine, quatenus eſt offenſa contra Iudicem humanum, ſeu Rempublicam; nam, ſi loquatur de crimine, per quod læditur proximus noſter, etiam in foro diuino requiritur ad remiſſionem delicti actus externus, per quem ſatisfiat proximo offenſo iuxta leges iuſtitię.

CAPVT IV.

Vtrum in aliqua rerum ſerie detur peccatum ex ſuis intrinſecis irremiſſibile.

IN præcedenti capite locutus ſum de remiſſione peccati in hoc rerum ordine; & adhærendo communi ſententiæ deductę ex ſacris litteris, & Patribus, dixi, nullum de facto dari peccatum, quãtumuis graue, quod per veram pœnitẽtiam, ſeu contritionem remitti nequeat: nunc verò pro ampliori doctrina placet quæſtionem dirigere ad ſtatum poſſibilitatis, & ad aliam rerum ſeriem. Quæſtio licèt ſecundum ſe conſiderata ad theoricam potius, quàm ad praxim ſpectet; nihilominùs occaſionem ad illam exagitandam mihi ſubminiſtrant regulæ prędictę, quas in præſentia explico, cum in eis agatur de remiſſione, & relaxatione peccati. hoc autem punctum aliquo modo tetigiſſe videtur *Ancharanus* in expoſitione poſterioris regulæ in quinta oppoſitione, quærens, an peccatum etiam correcto, ſeu pœnitẽti non remittatur? non erit igitur abs re quęſtionem hanc inſtituere, præſertim cum illa paucis ab hinc annis in hac Panormitana vniuerſitate fuerit à *P*rofeſſoribus exagitata. Vt autem maiori claritate, & diſtinctione procedam, in varios Paragraphos eam diuido.

§. I.

Declaratur caſus, & probatur.

DEcernat Deus non remittere vllum 19
Titij peccatum, & decretum hoc ſufficienti credibilitate reuelet eidem Titio, qui nolens credere committat peccatum infidelitatis; peccatum iſtud ex ſuis intrinſecis principijs eſſet irremiſſibile; quia, ſi poſſet remitti, poſſet eſſe falſa reuelatio de non remittendo vllo Titij peccato: cum autem repugnet, reuelationem eſſe poſſe falſam, ſequitur peccatum dicens ordinem ad reuelationem ex ſuis intrinſecis habere irremiſſibile eſſe. Hęc eſt opinio à quodam *Pro*feſſore explicata, & probata, quę eſt examinanda, & videndum, an mereatur cenſuram aliquam? Vt autem clarius, & diſtinctius diſcutiantur tum opinio, tum ea, quæ continentur in explicatione caſus, omnia ſigillatim ſunt diſcutienda, ac diuidenda.

§. II.

Ponitur concluſio, & fundamentali ratione probatur.

OPinio hæc, vt iacet, aliquam Theo- 20
logicam meretur cenſuram: abſtineo tamen à declaranda cenſuræ qualitate. Probatur concluſio. Opinio, vt iacet, contradicit ſacris litteris, dictis Patrum, lumini naturæ, & eſt noua, ac ſingularis: ergo aliquam Theologicam meretur cenſuram. Cõſequentia eſt ma-

niſeſta; antecedens verò quatuor continet partes, quæ diſtinctè ſunt probandę.

§. III.

Aduerſatur ſacris litteris.

21 QVamplura, & penè infinita ſunt loca ſacrę Scripturæ, in quibus ſuper omnia reliqua Dei attributa commendatur eius miſericordia, ex quibus quiſque poſſet facilè colligere, nullam dari iniquitatem, & malitiam, quæ vinci nequat à benignitate, & miſericordia diuina. Celebris eſt textus *in cap.* 2. *Ioelis:* vbi Profeta ſuadens, & inuitans peccatores ad pœnitentiam, aſſumit, tamquam medium, excellentiam, & magnitudinem benignitatis, & miſericordiæ Dei ſuper malitiam, ſic dicens, [Quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & pręſtabilis ſuper malitia] ſimilis locutio habetur *in Iona cap.* 4. vbi ſic loquitur Propheta [Scio enim, quia tu Deus clemẽs, miſericors es, & patiens, & multę miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia.] & rurſus *Regius Vates in Pſal.* 144 extollere volens miſericordiam ait [Miſerationes eius ſuper omnia opera eius,] *& Apoſtolus* Iacob *in ſua Epiſtola Canonica cap.* 2. inquit. [Miſericordia ſuperexaltat iudicium,] nempè iuſtitiam, vt aliqui exponunt, vel, vt alijs placet, ſententię rigorem contra peccatores. Ex his, & multis innumeris locis admonemur, miſericordiam Dei in ſuis operibus præſtare reliquis eius attributis, & eſſe ſuper omnem malitiam. Si autem darētur peccata aliqua ex ſuis intrinſecis, & eſſentialibus principijs irremiſſibilia, oppoſitum eueniret, quatenùs, ſpectando miſericordiam ſecundum ſe comparatiuè ad malitiam in ordine ad totam latitudinem proprij obiecti adęquati, inueniremus malitiam præſtare ſuper miſericordiam, ſeu malitiam hominum maiorem eſſe, quàm ſit bonitas, & miſericordia Dei in ordine ad creaturas: quod horrēt aures audire, & accedit ad errorem Caini dicentis ad Deum, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear, *Geneſ.* 14. nam quamuis ſecundum aliquos verba hæc importauerint peccatum deſperationis, nihilominùs, vt ibidem notant *Martinus Del Rio, & Cornelius à Lapide*, verba prędicta ſignificant infidelitatem; nam dicunt, Cainum putaſſe peccatum ſuum à Deo remitti non poſſe: & addit *Cornelius* ex hoc errore initium duxiſſe Nouatianorum hæreſim exiſtimantium, dari aliqua peccata irremiſſibilia, de cuius errore fit mentio *à S. Thoma lib.* 3. *contra Gent. cap* 156. *in fine*.

Ad hoc argumentũ ex ſacris litteris 22
deſumptum dupliciter reſpõdere poſſes aduerſarius. Primò in locis prædictis ſermonem eſſe de miſericordia operante in hoc ordine rerum, non autem in alio ordine, de quo procedit quæſtio.

Contra eſt, quia encomia, quæ ſacrę litteræ tribuunt miſericordiæ, procedũt abſolutè, ſeu de miſericordia ſpectata ſecundum ſuam intrinſecam perfectionem, & non vt reſtricta huic, vel alteri ſeriei; aliter dicere quis poſſet multa, quæ in eadem ſcriptura in laudem diuinæ naturæ aſſeruntur, verificari ſolum in hoc ordine rerum, & non abſoluté; ſicuti quod Deus ſit verax, & mẽtiri nõ poſſit, &c. hoc autem aſſerere nefas eſt; cum hæ proprietates fundentur eſſentialiter in infinita perfectione diuinæ naturæ, & non reſpectu ad ſeriem rerũ: ſicut etiam laudes, & proprietates diuinæ miſericordiæ; alias nil conſtans, & firmum haberemus in ſcriptura, ſi prædicta explicatio eſſet admittenda.

Secundò reſponderi poterit irremiſſi- 23
bilitatem, quæ prędicto peccato infidelitatis tribuitur, prouenire ex efficacia diuini Decreti, per quod Deus decreuit non remittere vlla peccata Titij, & ex veracitate diuinæ reuelationis, cui repugnat falſitas, quæ haberetur, ſi infidelitas illa eſſet remiſſibilis; non autem prouenire ex intrinſecis ipſius peccati independenter à decreto, reuelatione, &c. Sacra autem Scriptura commendãs miſericordiam ſuper malitiam, &c. loquitur de illis abſolute, & non ex ſuppoſitione huius caſus; ſicuti de facto aliqua peccata, quæ Deus decreuit nunquam ſe remiſſurum, dici poſſunt irremiſſibilia.

Sed contra eſt; quia latet in hac reſpõſione ęquiuocatio; cõfunditur enim vna irremiſſibilitas cum alia; nam irremiſſibilitas, quæ dici poteſt de illis peccatis, quæ de facto Deus decreuit nunquam condonare, vt peccatum *Luciferi*, & aliorum damnatorum, eſt irremiſſibilitas extrinſeca oriens ex immutabilitate diuinę voluntatis, & non ex prædicatis intrin-

ſecis, & eſſentialibus ipſorum peccatorum, vt patet; nam, ſi per impoſſibile fingeremus Deum mutabilem, & decernentē peccata illa, quæ prius noluit remittere, velle remittere, ſtatim peccata illa remanerent ſecundum ſua eſſentialia remiſſibilia per Dei miſericordiam; quod tamen non eſſet, ſi peccata ex ſuis intrinſecis eſſentialiter haberēt irremiſſibilitatem; nam, cum intrinſeca eorum prędicata reſtarent immutata, etiam irremiſſibilitas, quatenus poneretur eſſe aliquid eſſentiale.

Cęterum irremiſſibilitas, quam impugno, eſt illa, quæ ab aduerſario fingitur intrinſecè, & eſſentialiter contineri in ipſiſmet peccatis, quæ licèt ponantur aliquem dicere ordinem ad Dei decretū de non remittendo, & ad reuelationem, &c. nihilominùs immutabilitas diuini Decreti, & infallibilis veritas diuinæ reuelationis, ex quibus deberet reſultare irremiſſibilitas intrinſeca in peccato, non ſe haberent formaliter, & tamquā obiecta per ſe terminantia actum infidelitatis, ſed merè per accidens; (quod pro modo ſupponendum eſt, infra in ſolutione argumentorum contrariórum demōſtrandum) & ideò nequeunt mutare eſſentiam ipſorum peccatorum.

§. IV.

Eadem opinio contradicit Patrum doctrina.

24 EX multis Patribus, quos adducere poſſem, ſatis mihi erit aliquos citare, qui clarius pro noſtra ſententia loquuntur: & primus ſit.

Sanctus Chryſoſtomus hom. 19. cap. 4. Geneſ. circa medium. vbi ſic inquit. [Nullum eſſe peccatum, quantumcūque graue, quod Dei miſericordiam vincat] *& in Pſal. 50. to. 5. pag. mihi 920. lit. G.* ait. [Quid enim eſt peccatum, ſi cum Domini benignitate conſeratur? Araneæ tela ventus fiat, & araneæ tela diſrumpitur: Deus vult, & peccatum non diſſoluetur?] *Hom. 3. de Pœnit. to. 5. pag. 174. litt. B. ait.* [Dei autem benignitas nullam nouit menſuram, ſed neque eius bonitatem vllo ſermone quis interpretari poteſt: tua quidem malitia modo aliquo circumſcribitur; menſuram autē nullam habet medicamentum; malitia verò tua qualiſcumque tandem fuerit, humana eſt malitia: Dei autem benignitas erga homines nullo eloquio enarrabilis eſt.] & paucis interiectis [Quantum ſcintilla ad pelagus collata, tantidem eſt hominis malitia, ſi eam componas cum benignitate Dei, imò verius non tantidem, ſed tanto amplius præcellit clemētia Dei; pelagus enim, & ſi eximiæ ſit magnitudinis, ſuum tamen habet modum; Dei autem clementia nullo clauditur fine] Ex his verbis à Sancto Chryſoſtomo prolatis colligimus, ab ipſo comparari Miſericordiam, & benignitatem Dei cū malitia humana, ſi abſolutè, & in ſe ſpectētur, nā aſſerit in infinitum malitiā ſuperari à miſericordia, & benignitate: proinde nequit iuxta doctrinam huius Patris dari malitiam, ſeu peccatum, quod ex ſuis intrinſecis ſit inſuperabile à Dei miſericordia, ſeu benignitate, ſeu ex ſuis eſſentialibus ſit irremiſſibile.

Sanctus Ambroſius de obitu Theod. circa medium explicans illud *Iacobi 2.* miſericordia ſuperexaltat Iudicium, inquit, quod miſericordia ſuperabundat peccatum; nec ſuperabundaret, ſi darētur peccata ex ſe irremiſſibilia.

Sanctus Auguſtinus lib. med. cap. 2. ait. Deum eſſe mirabilem in operibus ſuis, mirabiliorem in operibus pietatis. *S. Thomas in explicat. Pſal. 35.* ſuper illa verba. *Domine in Cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes: Iuſtitia tua ſicut montes*, inquit [Iuſtitia Dei alta eſt, veritas altior, ſed miſericordia eſt altiſſima.] Hæc autem omnia declarat ibidem Sanctus Doctor, & confirmat illis verbis *Pſal. 14.* [Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.] oſtendit Sanctus Thomas his verbis miſericordię eminentiam ſuper iuſtitiam: quod tamē non eſſet, ſi in aliqua peccata poſſet iuſtitia ſuas exercere operationes, & non poſſet miſericordia: quod eueniret, ſi darentur peccata aliqua ex ſe irremiſſibilia; tunc enim talia peccata punirentur à Deo, & remitti non poſſent, & hoc ex intrinſecis principijs ipſorum peccatorum.

Lyranus ſuper eadem verba. *Domine in Cælo miſericordia tua, &c.* ait. Per ſublimitatem cæleſtis loci voluiſſe Dauid oſtendere eminentiam miſeridordiæ ſuper omnia alia attributa: Hæc autem eminentia deficeret, ſi darentur peccata intrinſecè irremiſſibilia, circa quę non poſſet miſericordia operari, ea condonā-

do. Alios Patres vide apud *Lorinum in explicat. Pſalm.* 144. *verſ.* 9.

Meritò autem Patres, cæterique alij pij Authores extollunt Dei miſericordiam; quia inter alias eius perfectiones habetur, quod per nullum aliud attributum ita reſplendeat infinita Dei potentia, ſicuti reſplendet per ipſam miſericordiam; & ideò Eccleſia illam commẽdans ait [Deus, qui omnipotentiam tuã parcendo maxime manifeſtas.] & in alia oratione antonomaſticè inquit. [Deus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.]

§. V.

Repugnat naturali lumini propter abſurda, quæ ſequuntur.

25 Tertia pars probationis procedebat ex repugnantia, quę reperitur inter opinionem hanc, & dictamen rectæ rationis, quod colligitur ex abſurdis, quæ ex illa inferuntur.

Primò ſequeretur, miſericordiam non fore infinitam in omni genere miſericordię; quia non extenderetur ad omnem miſeriam ſubleuandam; peccatum enim eſt ſumma hominis miſeria: daretur autẽ aliqua miſeria, cui ex ſuis intrinſecis Deus opitulari non poſſet, & infirmitas, quæ à medico cæleſti curabilis non eſſet.

26 Secundò ex eadem ſententia ſequeretur, quòd, ſicuti dari poſſet peccatum intrinſecè irremiſſibile, poſſet etiam dari peccatum intrinſecè impunibile, ſi caſus figuratus transferatur de irremiſſibilitate ad impunibilitatem tali pacto. Decernat Deus non punire Titij infidelitatem, & decretum hoc eidem Titio reuelet: ſi Titius diſcredat, peccaret peccato infidelitatis, & peccatum iſtud diceret eſſentialem ordinem ad reuelationem, & ad decretum, quibus repugnat punitio; ſi enim daretur, falſa redderetur reuelatio; ergo infidelitas illa ex ſuis eſſentialibus haberet impunibilitatem, quod eſt contra illud principium lumine naturę notum, ſcilicet, Omne malum ex ſuis intrinſecis eſt pœna dignum. Diſcurſus ex ſuppoſitione prędictæ ſententiæ eſt legitimus; abſurdum verò videtur manifeſtum, & nequit aſſignari diſparitas inter irremiſſibilitatem, & impunibilitatem quantum ad hoc; imò poſſet eodem diſcurſu etiam oſtendi, dari opus ſupernaturale, & honeſtum, quod ex ſuis principijs intrinſecis non ſit præmio dignum, ita formando caſum. Decernat Deus nullum dare præmium operationibus bonis, exercendis à Petro, & hoc decretum reuelet eidem Petro, qui fidẽ præſter reuelationi; iſte autem actus ex ſuis intrinſecis dicens ordinem ad reuelationem, ſi præmio afficeretur, falſam redderet reuelationem, quod repugnat; ergo repugnabit etiam, actum hunc eſſe aptum ad pręmium, & hoc ex ſuis intrinſecis: quod eſt contra aliud primum principium dictans, omne bonum ex ſe eſſe prœmio dignum, ſicut omne malum caſtigatione dignum: quæ omnia ſunt abſurda, niſi dicamus, extrinſecè talia prædicata conuenire prædictis, vt *infra cap.* 2, melius demonſtrabitur. Immò ſequeretur, in aliqua ſerie dari opus infinitæ dignitatis, vt fuerunt opera Chriſti, quod opus ex ſuis intrinſecis eſſentialiter non eſſet præmio dignum: ſed hoc eſt abſurdum, ergo & illud, vnde ſequitur. Probatur ſequela, formando eumdẽ caſum tali pacto. Decernat Deus nullũ dare præmium tali homini etiam bene operanti, eidemque reuelet hoc decretum, & ipſe, cui fit reuelatio, firmiter id credat per actum ſupernaturalem; talis actus, ſi procederet à perſona diuina hypoſtaticè vnita naturæ humanæ, haberet infinitam dignitatem, vt ſuppono ex 3. p. & tamen ex ſuis intrinſecis foret eſsẽtialiter incapax præmij; quia, ſi præmio affici poſſit, reddi poſſet falſa reuelatio, quod repugnat. Hoc autem patet ex abſurdo, quia videtur contradicere alteri principio, quod eſt lumine naturæ notũ, v.g. omne bonum honeſtum eſse præmio dignum.

Tertiò ſi rectus eſset modus arguendi, quo vtuntur aduerſarij, ſequeretur quod, ſicuti ex decreto de nõ condonãdo peccato Petri, & reuelatione de hoc decreto eidem Petro ſufficienter propoſita transfunditur in peccatum infidelitatis eiuſdem Petri, iuxta ſuperiùs dicta, irremiſſibilitas intrinſeca, & eſsentialis, ita ſi decretum ſupponeretur eſse de non concorrendo ad actum infidelitatis cum reuelatione ſimiliter facta, transfunderetur improducibilitas intrinſeca, & eſſentialis in ipſum actum infidelitatis, quod non ita facile ſuaderi poteſt; quia nequit intelligi quo pacto decretum liberum Dei reddat intrinſecè improducibi- 27

cibile illud, quod præſcindendo à tali decreto, nullam in ſuis prędicatis eſſentialibus inuoluit contradictionem: immò longè difficilius eſt vitare, quominus aliud decretum Dei poſſit transfundere intrinſecam, & eſſentialem incapacitatem in aliquo actu noſtro fidei in ordine ad habendam maiorem intenſionem. v. g. ſupra quartum gradum; vt patet, ſi decretum ſit de non concurrendo cum Petro, niſi ad actum fidei intenſum, vt quatuor dumtaxat, & poſtea eidem Petro proponeretur reuelatio ſufficiens, quæ obliget ad credendum. & eodem modo formari poſſunt infinita argumenta iuxta infinitam materiarum varietatem, quam ſortiri poſſet actus fidei, & decretum de modo, quo Deus velit ad talem actum concurrere.

28 Quartò ſequeretur dari poſſe aliquod ens creatum ex ſuis intrinſecis eſſentialiter inannichilabile, ſcilicèt quod non poſſet à Deo anichilari; quod eſt falſum, & repugnat doctrinæ Patrum, & Theologorum aſſerentium, omne ens creatum libere conſeruari à Deo, ita vt, ſpectata eſſentia ipſius creaturæ, quantum eſt ex ſe, annichilari poſſet; quamuis extrinſecè poſſit eſſe inannichilabilis, ex ſuppoſitione liberi decreti, quo Deus decernat per totam æternitatem velle creaturam illam conſeruare; nã talis innannichilabilitas non oritur ex principijs intrinſecis ipſius creaturæ, ſed ex immutabilitate diuini Decreti: & datur de facto reſpectu illarum rerum, quæ per totã æternitatem ſunt duraturæ: id autẽ, quod impugnamus, eſt, dari poſſe creaturam, quæ ex ſuis eſſentialibus id habeat.

29 Vrgebis. poſſibilis eſt iuxta aliquorum ſententiam duratio creata, quæ ex ſe, & intrinſecè habeat coexiſtere toti æternitati, & conſequenter neceſſario faciat durare creaturam, cui tribuitur per totam æternitatem: & hanc opinionem docuit *Arriaga in Phyſicis.*

Reſp. ab eodem Authore *in p. par. tr. de Angelis d.* 2 *ſect.* 1. *à nu.* 3. hanc opinionem reiectam fuiſſe, & hoc, vt ipſemet fatetur *num.* 6. quia doctrinæ Patrum, & communi Theologorum ſenſui eſt contraria; & ideò ipſe *Arriaga* relinquens primam, quam docuit in Phyſicis, hanc poſteriorem eſt amplexus.

30 Quintò. ſi vera eſſet ſententia authoris, ſequeretur, Deum eſſe cauſſam per ſe malitiæ huius numero infidelitatis, hoc autẽ aſſerere eſſet error contra fidem. Sequela verò ita probatur. Irremiſſibilitas iſta ſupponens in actu infidelitatis rationes communiores, & vniuerſaliores, videlicèt rationem actus vitalis, liberi, peccaminoſi, &c. procederet à Decreto, veluti vltimum prædicatum intrinſecum eſsentiale, & culpabile, cõſtituens talem numero infidelitatem in ſpecie ima culpabilem; ergo Deus mediante ſuo decreto eſset cauſa per ſe huius numero malitiæ, quod erat mihi probandum: quemadmodum in rebus naturalibus, quod cauſat vltimum prædicatum conſtitutiuum ignis, aeris, &c. nempe formam, &c. cenſetur vera, & per ſe cauſsa ignis, aeris, &c. quamuis non cauſset materiam.

Dices irremiſſibilitatem hanc non eſſe in genere malitiæ, ſed in ratione pœnæ, quam Deus imponere poteſt tali infidelitati; & ideò non ſequitur prædictum abſurdum, quod inferebatur, ſcilicet, Deum eſse cauſam huius numero malitiæ.

Contra eſt, quia vel pœna hæc ponitur independens à Dei voluntate, ita vt, ſi Deus vellet, per miſericordiam eam relaxare non poſset, & hoc dici nequit abſque errore, quia ſequeretur maius eſſe demeritum hominum, maioremque malitiam, quàm ſit bonitas, & miſericordia Dei, quod eſt contra ſacras litteras, & dicta *Patrum*, neque aduerſarij hoc aſserunt: vel hæc irremiſſibilitas, quæ ponitur habere rationem pœnæ, dicitur eſse depẽdẽs a libero Dei decreto, quod affirmat Aduerſarius, vt ſuum errorem tegat. Sed velit nolit, vel non vitat errorem, vel nihil noui aſserit, quod ab omnibus nõ dicatur, & non ſit etiã in hac ſerie, vt apertè nunc oſtendã. Cum enim dicitur irremiſſibilitas hęc depẽdere à decreto, &c. vel intelligitur ita primordialiter dependere à libero Dei decreto, vt ſimul reſultet in intrinſecis prædicatis ipſius infidelitatis aliquod aliud prędicatum eſſentiale, ita vt, ſi per impoſſibile ceſsaret Dei decretum, & ipſe Deus mutaretur, non poſset infidelitas remitti, ſtante prædicato illo irremiſſibilitatis, quod poſitũ eſt primordialiter in peccato intrinſecè reſultaſse ex decreto; vel poſset remitti: ſi primum, quod videtur aduerſarius ſuſtinere, iam incideremus in abſurda prædicta, quatenus daretur aliqua malitia, quæ à boni-

tate,

rate, & miſericordia Dei vinci nõ poſſit; nam, quamuis initio, & in ſuo fieri, vt ita dicam, dependentiam habuerit a libero decreto, poſtea verò maneret intrinſecè affixa ipſi peccato independenter à à libero decreto. Si vero eligatur ſecundum membrum, ſcilicet, ita irremiſſibilitatem reſultare, vt, ceſſante decreto, ipſa etiam deſineret, tunc nihil diceretur, quod ab omnibus non aſſeratur; nam, vt ſic, nullum prædicatum intrinſecum, & eſſentiale poneretur in tali peccato, ſed irremiſſibilitas orıretur ab extrinſeco, & conſequẽter infidelitas prædicta extrinſecè tantum eſſet irremiſſibilis dependẽter à diuino decreto, per quod Deus ab æterno decreuit, nunquam à ſe remittendum fore tale peccatum: & defacto ita ſe habet Deus reſpectu peccatorum Dæmonum, & hominum damnatorum, quæ extrinſecè dicuntur irremiſſibilia.

Ex his omnibus patet nil aduerſario proficere refugium ad diuinum decretũ; quia, vel non liberaretur eius opinio ab errore, vel nihil noui, aut quod non ſit in hac ſerie, affirmaretur.

31 Sextò ſequeretur ex eadem opinione, nõ poſſe peccatũ remitti, non ſolum per habitum gratię, ſed neque per viſionem beatificam, & etiam per vnionem hypoſtaticam cum perſona aliqua increata; quæ malè ſonantia videntur, & piarum aurium offenſiua; diceretur .n. maiorem eſſe efficaciam malitiæ, quàm ſanctitas vnionis hypoſtaticæ, quatenùs malitiam ſuperare non poſſet.

§. VI.

Oſtenditur nouitas, & ſingularitas huius opinionis.

32 INter alia, quæ contra hanc ſententiã opponi poſſunt, eſt eius nouitas; nã plures reuoluens authores, neminem inueni, qui eam, vt prolata fuit ab Aduerſario, docuerit, & innuerit; & ideò, quamuis alios defectus non haberet, ſolus iſte ſufficiens eſſet ad eam abijciendam, & è noſtris ſcholis relegandam. Cautum enim eſt profeſſoribus noſtris, & ſtudiorum præfecto in Regulis communibus *Magiſtr. ſuper facult. num. 6.* ne nouæ introducantur quæſtiones, nec opiniones, quæ idonei nullius authoris ſint. & hoc ipſum admonet noua Congregatio Generalis in ordinatione *pro ſtudijs ſuper nu. 9.* Cæterum Aduerſarius ad fugiendam opinionis nouitatem allegat pro ſe quatuor ex noſtris authoribus in quodam ſuo manuſcripto, ſcilicet Cardinalem Delugo, Ioannem Martinòn, Giattinum, & Ouiedam. Sed egregè decipitur; nam hi ab ipſo citati, vel aliam docuerunt ſententiam diuerſam ab hac, quam tuetur ipſe Aduerſarius, vel etiam hanc aliam non ſequuntur. & vt hoc apertè demonſtrem, operæ pretium duxi prædictorum doctrinam diſtinctè examinare.

§. VII.

Expenditur Doctrina Cardinalis Delugo, Martinòn, &c.

QVærens ipſe Cardinalis *tract. de Pœnit. diſp. 7. ſect. 5. num. 73. & diſp 8 ſect. 1. num. 4.* Vtrum omnia peccata poſſint per pœnitẽtiam deleri, reſpondet affirmatiuè: & loquendo defacto, & in hoc ordine rerum, ait, eſſe de fide. addit tamen in alia rerum ſerie non repugnare, dari peccatum, quod ex ſuis intrinſecis ſit irremiſſibile per pœnitentiã: & ad hoc probandum format caſum in hunc modum. Faciat Deus decretum nolendi remittere peccatum homini etiã pœnitenti, & tale decretum alteri reuelet, itaut ille, cui ſit reuelatio teneatur fidem huic reuelationi præſtare, & tamẽ non credat, committens peccatum infidelitatis; tale peccatum ex ſuis principijs intrinſecis eſſet irremiſſibile per pœnitentiam; nam, ſi poſſet remitti, poſſet falſa eſſe reuelatio Dei de nõ remittendo vllo peccato homini pœnitenti; cum ergo eſſentialiter repugnet, poni illud peccatum, & ſubſequi eius remiſſionem, fatendum eſt, illud peccatum per ſua prędicata intrinſeca tale eſſe, vt nulla pœnitentia poſſit auferri. Hæc eſt doctrina Cardinalis, quam eiſdem ferè verbis tradit *Martinòn loc. cit.* cuius caſus eſt omninò diuerſus ab illo, quem ponit author iſte, de quo loquimur; nam hæc duo ſunt valdè diuerſa; nẽpè vtrum dari poſſit peccatũ ex ſuis eſſentialibus irremiſſibile, & aliud, vtrum dari poſſit peccatum irremiſſibile per pœnitentiam. Suppono enim varijs medijs a Deo peccata remitti poſſe, videlicet, vt aliqui aiunt, per ſimplicem, & extrinſecam condonationem ſine vlla pœnitentia, 33

aut

aut alia intrinſeca mutatione ex parte
Peccatoris, per ſolam infuſionem gratiæ
ſine actu peccatoris, per actum pœnité-
tiæ formalis, per actum charitatis, per
lumen gloriæ, & viſionem beatam incō-
poſſibilem cum peccato, per vnionem
hypoſtaticam, &c. Cum igitur peccatum
tot medijs ſit remiſſibile, ex eo quòd in
aliqua ſerie nō ſit remiſſibile per aliquod
ex prædictis medijs, non rectè infertur
abſolutè eſſe irremiſſibile; quia argumē-
tari à ſecundum quid ad ſimpliciter eſt
fallacia. *Delugo* autem agens de pœni-
tentia quærit, vtrum in aliqua ſerie repu-
gnet peccatum remitti per pœnitentiam?
& reſpondet negatiuè figurando prædic-
tum caſum: vtrum autem hæc ſententia
ſit vera, nec ne, in ſequenti quæſtione vi-
debitur; ſed certum eſt ex tali opinione
nihil inferri poſſe contra diuinam miſe-
ricordiam; nam ſemper tale peccatum
remanet condonabile à diuina miſeri-
cordia: quod tamen dici nequit in ſen-
tentia Aduerſarij, qui abſolutè vult, dari
poſſe peccatum ex ſuis intrinſecis irre-
miſſibile de potentia abſoluta, quæ qui-
dem opinio à nemine defenditur, neque
proponitur, & ſic nemo eſt, qui faueat
huic authori.

Dices doctrinam *Delugo* videri, quòd
34 authori faueat: primo, quia ſe explicans
nu. 4. cit. dicit, non repugnare peccatum
remitti non poſſe etiam pœnitenti; dic-
tio enim illa, *etiam*, eſt implicatiua, vt
dicunt Iuriſtę, quatenus exprimit ca-
ſum magis dubitabilem, & implicat
illum, qui eſt minus dubitabilis: & ideò
in caſu noſtro cum apponat Cardinalis
particulā, *etiam*, videtur caſus ab ipſo nō
reſtringi, & coarctari ad ſolum pœnitē-
tem. Secundò, quia *Giattinus, Ouiedus*,
& alij interpretantur Cardinalem loqui
abſolutè. Tertiò à paritate rationis; nā
ſi eſt poſſibilis caſus, in quo peccatum
ex ſuis intrinſecis ſit irremiſſibile per
pœnitentiam, erit etiam poſſibilis alius
caſus, in quo per alia etiam media redda-
tur irremiſſibile. Hæc mihi obiecit qui-
dam Recentior.

Reſpondeo ad primum, Dictionem il-
lam, etiam, vt notant plures apud *Bar-
boſam de dict. vſu frequen. dict.* 112. *nu.*
13. non ſemper eſſe ampliatiuam, cum
aliquando ſit reſtrictiua, quod idem au-
thor ibi oſtendit varijs exemplis; & in-
terdum, inquit, importare idem, quod,
videlicèt; igitur, quamuis à Cardinali ea
apponatur, cum inquit, *etiam pœnitenti*,
non cogimur ſumere particulam hanc
ampliatiuè, quoniam alias habere poteſt
ſignificationes; quin addo pluries à Car-
dinali dictū fuiſſe peccatū, eſſe irremiſſi-
bile in illa ſerie per pœnitentiam, & non
appoſitam fuiſſe particulam hanc, & ideò
non debemus eius mentem deſumere
ex eo quod vna tantum vice ſit appoſita
prędicta particula. Denique, & efficacius
dico, quod licet dictio, *etiam*, vt dixi, ſit
implicatiua aliorum caſuum, nemo tamē
dixit eſſe implicatiuā caſuum magis du-
tabilium, ſed minus dubitabilium; inter
modos autem, quos omnipotentia di-
uina in ſuis theſauris habet ad delenda
peccata, excellentiora ſunt vnio hypo-
ſtatica, lumen gloriæ, viſio beatifica, &c.
Igitur quamuis Cardinalis dicat poſſe
dari peccatum irremiſſibile etiam per
pœnitentiam, hoc non innoluit eſſe irre-
miſſibile per alia media prętantiora, ſed
ad ſummum per alia minus nobilia, vt
eſt extrinſeca condonatio; & ideo ſenſus
eſſet ad ſummum, poſſe dari peccatum
irremiſſibile, non ſolum per extrinſecam
condonationem ſine actu pœnitentiæ,
ſed etiam ſi poneretur actus perfectę pœ-
nitentiæ; & hęc procul dubio fuit mens
Cardinalis, qui declarans excellentiā,
& efficaciam pœnitētiæ ad delenda pec-
cata, vt patet ex titulo, finxit caſum, in
quo non repugnet, peccatum remitti nō
poſſe etiam per pœnitentiam.

Ad ſecundum reſpondeo, ab Autho- 35
ribus citatis non explicari doctrinam
Cardinalis vniuerſaliter, & in omni caſu,
ſed in eo caſu, quem ipſe ponit, vt mox
videbitur; & quamuis daremus, ab eiſdē
vniuerſaliter exponi, non eſt de illis
curandum, cum textus ſit clarus.

Ad tertium conſtanter nego eam- 36
dem eſſe rationem, de irremiſſibilita-
te per tale determinatum medium, &
de irremiſſibilitate abſoluta, & hoc ex
abſurdis, quæ ſequerentur ex hac, quæ
tamen non ſequerentur ex illa, vt ſu-
pra demonſtrauimus. Et addo, quod,
quamuis arguenti concederem, eam-
dem eſſe rationem de irremiſſibilitate
in ordine ad pœnitentiam, & in ordine
ad alia media poſſibilia, ſi diſtributiuè
ſumantur, nego tamen, eamdem eſſe
rationem in ordine ad omnia alia media
collectiuè accepta, & hoc ob abſurda,
quæ ſequerentur, de quibus ſupra, & prę-
ſertim, quia daretur malitia, quæ non

ſolum

ſolum extrinſecè, verum etiam intrinſecè, & ex ſuis eſſentialibus non poſſet ſuperari à bonitate, omnipotentia, & miſericordia Dei; & ideò eſset maior illis, & magna imperfectio poneretur in ipſis attributis: ſicuti, quamuis concederemus creaturā aliquam non poſse à Deo produci in ordine ad hunc, vel aliū finem, magna tamē eſset imperfectio, ſi ob nullum finem eſset producibilis, perſeuerante ſine implicantia ratione creaturę. Similiter, licèt daremus creaturam produci non poſse in hac, vel illa duratione, non rectè inſerretur, ergo in nulla: & ſic in alijs ſimilibus, in quibus nō valet argumentari à quolibet ex multis diſtributiuè ad omnia collectiuè.

§. VIII.

Expenditur Giattinus.

37 VEnio nunc ad *Giattinum*, qui *in ſua Logica qu.4. art.7.* examinans, num in creaturis dari poſſit indiuiduum immultiplicabile in ſua ſpecie, occaſione cuiuſdam doctrinę obijcit. *Ver. Dices 4. pag.* 214. ex tali doctrina ſequi, dari poſſe peccatum eſsentialiter irremiſſibile, ad quod probandum format eumdem ferè caſum, quem figurauit Cardinalis Delugo. Ad hanc autem inſtantiā dupliciter reſpondet; primò, ſe obligatū non eſſe ad reſpondendū difficultatibus, quæ oriuntur ex aliqua ſententia, quam ſolum ſupponit, & non probat eſse veram, ſed ſolum ex illius ſuppoſitione aliquam tantum ſequelam probat. Secundò reſpondet, negari poſse in ea ſententia ſequi, dari poſse peccatum eſſentialiter irremiſſibile, & de hoc rationem aſsignat, dans diſparitatem inter actum fidei vnicum immultiplicabilem, & inter peccatum eſsentialiter irremiſſibile; nam in decreto verſante circa actum fidei vnicum, Deus aliquam exercet libertatem, quod probat declarando caſum; at talem libertatem Deus exercere non poſset circa irremiſſibilitatem, vt etiam ibi probat.

Rurſus obijcit difficilius argumentū, per quod impugnari poſſit actus fidei eſsentialiter immultiplicabilis, & infidelitas eſsentialiter irremiſſibilis; & præſertim quia ſequeretur, decretum Dei, verſans circa vtrumque, ſe ipſum deſtruere; & fuſius proſequitur id probare: poſtea verò contra arguētem oſtendit ipsū in maiores incidere anguſtias, vt ibi probat: & tandem reſpondens ad difficultatem *pag.* 216. *in fine*. diſtinguit duplex munus, quod decretum Dei exercere poſset cum rebus diuerſis. *P*rimum eſt per modum cauſsæ determinantis, nempè in genere cauſsæ efficientis circa exiſtentiam, aut negationem exiſtentiæ aliquarum rerum. Secundum autem munus eſt, reſpectu alicuius actus ſe habere per modum obiecti; nā hoc ipſo, quod decretum ponitur exiſtens, ſtatim reſultat poſſibilitas alicuius actus, quo cognoſci poſſit ipſum decretum. Hac diſtinctione poſita, ſoluit difficultates in contrarium tum circa immultiplicabilitatem actus fidei, tum circa irremiſſibilitatem peccati, nempè infidelitatis, v. g. Petri; & ait, quòd *D*ecretum poſſit per modum obiecti cauſsare actum eſsentialiter incondonabilem, ex ſuppoſitione tamen, quod talis actus attingeret decretum Dei: & in hoc ſenſu explicat mentem Cardinalis Delugo, relinquens ſub dubio, num verè dari poſſit talis actus, qui ſincera attingat ipſum decretū, vt realiter, & verè exiſtens; à qua ſententia ego nō diſsentio, quia ex ſuppoſitione procedit; nego tamen dari poſse huiuſmodi actum infidelitatis, qui ex ſuis intrinſecis feratur in decretū, & reuelationem Dei, vt verā in re, prout infra, ſoluēdo præcipuū fundamentum, quo aduerſarius nititur, fusè demonſtrabo. & ipſemet *Giattinus* videtur id innuere, dum ait, quod actus infidelitatis poſset ferri in decretum, quod putetur exiſtere, & verè non exiſtat, & homo diſcredat ex cōſcientia erronea; tunc.n. actus infidelitatis nō erit ſupernaturalis, ſicuti eſt actus fidei, qui per ſuam entitatem habet eſse verum, & ideò eſsentialiter cōnectitur cum ſuo obiecto.

Vndè colligitur, quod ſententia Giattini potius faueat, quàm aduerſetur meæ ſententię; quia ex vna parte conditionatè loquitur, admittens hunc actum, qui attingat ipſum decretum; ex alia parte negat ſimpliciter, vt vidimus ſupra, dari poſse peccatum eſsentialiter irremiſſibile; impoſſibilitas autem alicuius rei ſatis eſt, vt ex vno tantum capite habeatur, quamuis non colligatur ex alijs capitibus.

§. IX.

§. IX.

Aperitur Ouiedi ſententia.

38 DEnique remanet examinanda doctrina *Ouiedi*, & miror, qua ratione potuerit aduerſarius aſſerere, ab *Ouiedo* non negari ſententiam Cardinalis, cũ ille expreſsè reijciat huius ſententiæ fundamentum; quia, poſtquam *nu.* 141 docuit veritatem catholicam, videlicèt nullum peccatum dari defacto, quod per veram pœnitentiam remitti nequeat, ſtatim numero immediatè ſequenti ſubdit hæc verba. [Veritatem hanc voluit *Lugo diſp.* 8. *cit. ſect.* 1. tantum certam eſſe fidei certitudine de peccatis, quæ defacto fieri poſſunt ſecundum præſentem prouidentiam, &c.] Pronomen illud, *hanc*, eſt relatiuum ad pręcedentia proximiora, vt notant Doctores; proinde in caſu noſtro refertur ad veritatem illius ſententiæ, de qua *Ouiedus* loquutus fuerat, repetendo opinionem Cardinalis, qui de remiſſione, & remiſſibilitate peccatorum per pœnitentiam ſermonē habuerat, & de irremiſſibilitate eorumdem in alia rerum ſerie dixerat, dari poſſe ex ſuppoſitione illius caſus: eodem modo procedunt Martinòn, & Giattinus. falſum igitur eſt ab eiſdem exponi mentem Cardinalis, quaſi abſolutè, & vniuerſaliter loquentis.

Nolo autem hìc prætermittere, quod in ſuo manuſcripto dicit Aduerſarius, qui adducens *Ouiedum loco cit.* inquit, ab Ouiedo referente doctrinam Delugo eam non negari. miror hoc potuiſſe eũ aſſerere, cũ expreſsis verbis ab ipſo Ouiedo negetur; & ideò placet verba Ouiedi referre. nam *num.* 18. poſtquam ſententiam Delugo retulerat, addit hęc formalia verba. [Dixi, caſu, quo peccatum connexionem haberet eſſentialem cùm reuelatione, quam puto non habiturum peccatum illud infidelitatis, quod committeretur in prædicto caſu, quia illud met peccatum numero poſſet committi ex conſcientia erronea, qua quis ſibi certò perſuaderet, exiſtere illam reuelationem, & eſſe ſufficienter applicatã, &c.] Vide quàm apertè *Ouiedus* fateatur, quòd peccatum illud infidelitatis nõ haberet in eo caſu connexionem eſſentialem cum vera reuelatione. Quapropter ſatis mirari nequeo, quo pacto ingenium adeò illuſtre in verbis ipſa luce clarioribus caligare potuerit.

§. X.

Vtrum infidelitas, qua Petrus v. g. diſſentit à reuelatione Dei ſibi reuelantis, quòd peccata ipſius nunquã ſit remiſſurus, habere poſſit eſſentialem ordinem ad eamdem reuelationem, vt veram, ex quo ipſa infidelitas intrinſecum prædicatum irremiſſibilitatis ſortiatur?

VNicum, & principale fundamentũ, ex quo aduerſarius ſuam ſententiã deduxit, tactũ à nobis fuit in explicatione caſus initio poſita, nempè peccatum illud infidelitatis, commiſſum à Titio inuoluere eſſentialem ordinem ad reuelationem, & Dei decretum, quibus repugnat falſitas, ſed ſi peccatum illud eſſet remiſſibile, falſa eſſe poſſet reuelatio, quòd contradictionem implicat. ergo, &c. hæc eſt ratio vnica, & fundamentalis, quæ nunc eſt ſoluenda: negãdum autem erit in peccato infidelitatis inuolui ordinem eſſentialem ad reuelationem Dei, vt veram. 39

Ad hoc autem fundamentum, tamquam falſum, penitus euertendum, duas valdè efficaces affero rationes. Prima procedit demonſtrando obiectum formale, per ordinem ad quod ſpecificatur infidelitas, conſiſtere non poſſe in reuelatione Dei, vt vera. Secunda oſtẽdit actum infidelitatis, quem Deus decreuit non condonare, ſi ponatur contineri in obiecto, circa quod verſatur ipſum decretum, neceſſariò ſupponendum eſſe intrinſecè remiſſibilem: ſi verò non continetur, non poſſe per ordinẽ ad illud ſortiri irremiſſibilitatem.

Ponderatur prima Ratio.

PRo huius rationis intelligentia ſunt aliqua ſupponenda, tum ex principijs vniuerſalibus, tum ex particularibus in materia de fide. Suppono igitur, prędicata eſſentialia in actibus, ſiue voluntatis, ſiue intellectus deſumi ab obiecto formali terminante, & ſpecificante actũ; ex alijs verò rationibus, quæ accidentaliter reperiũtur in obiecto formali, nullum eſſentiale prędicatum reſultare in actibus, & hoc ex communi conſenſu, & 40

ratione ipſa eſt manifeſtum. Rurſus ſuppono diſcrimen, quod inuenitur inter actum fidei diuinæ, & actum infidelitatis oppoſitæ; in illo enim eſt eſſentialis ordo ad reuelationem, vt veram; & ideò ſi alicui proponatur credendum aliquod myſterium, quod ſit re ipſa falſum, ſed in talibus circumſtantijs, & ſub talibus motiuis, vt hìc, & nunc fiat credibile; & ille, cui proponitur, crederet, actus ille, quamuis honeſtus, non eſſet veræ fidei ſupernaturalis, vt communiter docent Theologi, & non ob aliam rationem, niſi quia obiectum formale fidei eſt diuina reuelatio, vt vera, quoàd exiſtentiam; contra autem actus infidelitatis reſpicit, vt obiectum formale, reuelationem diuinam, non vt determinatè veram, ſed vt prudenter putatiuè veram; nam, ſi quis credere nolit, quandò debet, vel ex cõſcientia erronea, putans aliquid eſſe reuelatum, cum in re non ſit reuelatum, hoc non obſtante diſcredat, infidelis eſſet, & infidelitas tenderet contra primã diuinam veritatem, cui eodẽ modo opponitur tum infidelitas, quando reuelatio verè datur, tum quando putatur dari, & non datur, itaut ſint peccata eiuſdem rationis; ſicuti in reliquis peccatis videmus. V. g. Fractio ieiunij, ſiue ex conſcientia vera, ſiue ex erronea, eſt eiuſdẽ infimæ ſpeciei; & ſimiliter periurium erit eiuſdẽ rationis, ſiue ſit falſum, quod aſſeritur, ſiue putatiuè falſum, quamuis re ipſa ſit verum. Similiter actus imprudentiæ idem erit, quando quis præcipitanter, & inconſideratè eligit aliquod opus, vel iudicium fert de illo, non attẽdens prius ad regulas prudentiæ, adeò vt per accidens ſe habeat conformitas, aut difformitas realis cum recto apperitu reſpectu obiecti formalis terminantis hunc actum imprudentiæ; nam obiectum per ſe erit abſtrahens à vera, & reali difformitate, & ab eius negatione. Sicut etiam obiectum formale odij eſt id, quod æſtimatur à nobis malũ, ſiue ſit abſens, ſiue præſens; nam præſentia, & abſentia ſunt qualitates, quæ accidunt obiecto odij, & per ordinem ad illas odium nullum ſortitur prædicatum intrinſecum, & eſſentiale; quemadmodum amor, cuius obiectum formale eſt id, quod nobis eſt bonum abſtrahens à pręſente, vel abſente; & ſic in alijs, quorum ratio eſt, quia in vtroque peccatorum genere eſt idem dictamen rationis ſecũdum ſpeciem, cui opponitur vtrumque peccatum; & ita etiam eſt dicendum de infidelitate. Ex his colligere poſſumus, in caſu præſenti reuelationem, vt realiter veram, & vt putatiuè tantùm veram, eſſe qualitates, quæ accidunt obiecto formali infidelitatis, & non per ſe, ſed tantum concomitanter ſe habere in terminando ipſum actum infidelitatis; idcircò infidelitas nequit per ordinem ad illas ſortiri aliquod prædicatũ eſſentiale, quod, vt dictum eſt, nequit haberi, niſi illud, quod determinat, ſe habeat, tamquam terminus, ſeu ratio per ſe.

Sed vrgebis. non videtur repugnare
infidelitas aliqua, quæ per ſe feratur in 41
reuelationem diuinam, vt verã; & ideò
non repugnabit infidelitas, quæ habeat
ex ſuis intrinſecis prædicatum eſſentiale,
cui repugnet remiſſibilitas; quia, cum
talis infidelitas dicat ordinem ad reuelationem,
vt veram, cui repugnat falſitas,
quæ tamen daretur, ſi infidelitas hæc
poneretur remiſſibilis, idcircò erit intrin-
ſecè irremiſſibilis.

Reſp. negando, dari poſſe infidelitatẽ, niſi fictè, & chimericè, quæ eſſentialiter reſpiciat reuelationem, vt determinatè veram: primò, quia eſt contra communem ſenſum Theologorum exiſtimantiũ, peccatum infidelitatis, ſiue ſit contra veram reuelationem, ſiue contra putatam, eſſe omninò eiuſdem ſpeciei infimæ quod ſignum eſt, per accidens, & nõ per ſe vtramque qualitatem ſe habere reſpectu obiecti formalis, & ſpecificatiui vtriuſque infidelitatis; & apud Authores nullum ſignum, aut veſtigium reperitur de hac altera infidelitate. Secundò, quia fingi nequit, quo pacto Infidelitas ferri valeat per ſe in reuelatonem, vt veram: quod ſequenti diſcurſu fiet manifeſtum, ſupponendo caſum initio huius quæſiti formatũ, ex quo ſic argumentor. Si facta reuelatione de decreto illo, Titius nolit credere, quando debet, vel euidentem cognitionem habet de exiſtentia diuinæ reuelationis, vel non habet euidentem, ſed obſcuram cognitionem; ſi primum dicatur, tunc non poſſet Titius diſſentire iudicando, non dari talẽ reuelationem; quia, poſita euidẽtia, eſſet intellectus neceſſitatus, ſaltẽ quoàd ſpecificationẽ actus: ſi ſecundũ, tunc certũ eſt, obiectum infidelitatis fore reuelationem, vt ſic, abſtrahentem à vera, & putata reuelatione; quia diſſenſus, quo

Ti-

Titius diſſentit à tali reuelatione, vtroq; modo contingere poſſet; atque adeò infidelitas eſſet eiuſdem rationis, & ſpeciei; ergo fingi non poteſt infidelitas, cuius obiectum per ſe ſit reuelatio, vt vera. Et ex hoc diſcrimine inter actum fidei ſupernaturalis, & actum infidelitatis oppoſitæ apparet diuerſitas in ordine ad ſpecificatiuum vtriuſque actus, & ad prædicata eſſentialia, quæ ipſis actibus conueniunt, prout reuelationem reſpiciunt: hoc autem diſcrimen non aduertens Aduerſarius in ſuo manuſcripto confundit hos duos actus in ordine ad obiectum, à quo ſpecificam deſumunt rationem.

Ponderatur ſecunda Ratio 2.

42 IN ſecunda ratione oſtendendum propoſui actum Infidelitatis, quem Deus decreuit non remittere, nullo pacto habere poſſe intrinſecam irremiſſibilitatem, ſiue contineatur in obiecto terminante *diuinum* decretum, ſiue non contineatur. Vtraque hæc pars manifeſtè probatur. prior quidem tali pacto. *Si* Infidelitas prædicta eſt incluſa in obiecto, neceſſariò ſupponeretur ex ſe intrinſecè remiſſibilis, euaderet autem irremiſſibilis extrinſecè, quatenùs Deus vult illam non remittere; quia, ſi ſupponeretur intrinſecè irremiſſibilis, vanum, & ſuperfluum eſſet Dei decretum, quia, etiã ipſo non poſito, iam in ipſa infidelitate haberetur irremiſſibilitas, & non poſſet *D*eus illam velle non eſſe, cum vniformiter, & eodem modo illa ſe haberet, ſiue ſit, ſiue non ſit tale decretum: quemadmodum non eſt poſſibile decretum, quo Deus liberè feratur ad ponendam animalitatem in homine; quia homo intrinſecè, & eſſentialiter eſt animal independenter à tali decreto; idcircò homo, vt habeat animalitatẽ, nequit terminare aliquod liberum *Dei* decretum, ſeu contineri in aliquo obiecto terminãte decretum. Ex his autem patet, non poſſe actum illum infidelitatis, quẽ Deus ſtatuit non condonare, contineri in obiecto decreti: quæ erat prior pars oſtendenda.

Poſterior verò pars eſt euidens, quia, ſi actus hic infidelitatis non eſt obiectũ, neque continetur in obiecto, in quod fertur decretũ, ex nullo capite poteſt fieri intrinſecè irremiſſibilis; nam ex ſe irremiſſibilitatem non habet, neque eam habere poterit per ordinem ad decretũ, cum ſupponatur decretum non verſari circa ipſum actum infidelitatis. Addo, quòd, ſi hoc diceretur, locum non haberet quæſtio, quę procedit ex ſuppoſitione, quod Deus decernat non remittere talem actum infidelitatis; & ideò hic actus erit obiectum, ſeu continebitur in obiecto huius decreti: hanc verò ſuppoſitionem tollit poſterior hæc pars, quatenus aſſerit infidelitatem prędictam non contineri in obiecto decreti. Maneat igitur ex dictis ſatis demonſtratum, quòd, quamuis infidelitas hæc ſit obiectum terminans decretum, non poteſt tamen, niſi extrinſecam irremiſſibilitatem habere per ordinem ad decretum, & reuelationem, & nullo pacto intrinſecam irremiſſibilitatem.

§. XI.

Examinatur ſententia Eminentiſſimi Cardinalis Delugo de intrinſeca peccati irremiſſibilitate in alia rerum ſerie.

DE re hac quæſtionẽ inſtitui, eamque exagitaui ſupra §. 7. abſtinui tamẽ ab examinanda veritate opinionis, quã tuetur ipſe *Cardinalis Delugo tract. de Pœnit. diſp. 7. ſect. 5. nu. 73. & diſput. 8. ſect. 1. nu. 4.* ſolùmque ibidem eam adducere volui, vt probarem, opinionem Cardinalis non procedere abſolutè, & de totali irremiſſibilitate per omne medium, ſed tantum reſtrictè per determinatum medium, nempè per pœnitentiã: nunc verò placet diſcutere veritatem huius ſententiæ, etiam in ordine ad vnicum pœnitentiæ medium: & vt hoc melius fiat, præmitto verba formalia, quibus ipſe Cardinalis ſuam mentem explicat *diſp. 8. cit.* vbi fuſiùs, quàm priori loco eam declarat. 43

Refertur doctrina Cardinalis.

[POtuiſſet enim Deus, ſaltem de potẽtia abſoluta nolle remittere peccatũ homini etiam pœnitenti, & potuiſſet hoc decretum alicui reuelare, ita vt homo obligatus eſſet ad illud credendũ, quo caſu, ſi homo culpabiliter nollet credere illi reuelationi ſufficienter propoſitæ, peccaret grauiter contra fidem; &

lud quidem peccatum ex ſuis principijs
intrinſecis eſſet irremiſſibile per pœni-
tentiam; nam, ſi poſſet remitti, poſſet eſ-
ſe falſa reuelatio Dei de non remittendo
vllo peccato homini pœnitenti; ſi enim
remitteretur, falſum eſſet, quod nunquã
eſſet remittendum. cum ergò eſſentiali-
ter repugnet poni illud peccatum, & ſub-
ſequi eius remiſſionem, fatendum eſt, il-
lud peccatum per ſua prædicata intrin-
ſeca tale eſſe, vt, nulla pœnitentia poſi-
ta, poſſit auferri.] Hæc Delugo.

Iudicium fertur de allata doctrina.

DOctrinam hanc diuturno, & dili-
genti examine, pro, modulo meo,
cõſideraui, & in illa, ni fallor nonnullæ
latent æquiuocationes, quas diſtinctè in
ſolutione argumentorum ponderabo.

44 Suppono tamen prius, omne intrinſe-
cum prædicatum, quod reperitur in
peccato illo infidelitatis immediatè de-
ſumi per ordinem ad reuelationem, cui
homo credere noluit, & pariter omne
prædicatum in reuelatione contentum
deſumi per ordinem ad decretum, de
quo eſt reuelatio, quæ eſt eiuſdem decre-
ti manifeſtatio, & expreſſio; proinde
omnia prædicata huius infidelitatis vlti-
mò reſolui debent, tamquam in primã
radicem, in ipſum decretum. Videamus
nunc gradatim quid dicat decretum;
procul dubio, ſi attentè conſideretur, nõ
dicit aliud, niſi voluntatem non remit-
tẽdi peccatum illud, atque adeò termi-
natiuè, tamquam obiectum, fertur in ne-
gationem actualis remiſſionis peccati;
de eius tamen radicali remiſſibilitate,
aut irremiſſibilitate, nihil ſtatuit, neque,
vt reor, quicquam ſtatuere poterit; cen-
ſeo enim nihil facere poſſe circa talem
remiſſibilitatem; nam omne peccatum,
quantumuis graue, vinci, & ſuperari po-
teſt ab omnipotentia, & miſericordia
diuina; & auferre remiſſibilitatem eſt de-
trahere omnipotentiæ, & infinitę miſe-
ricordiæ, quæ eſſentialiter habet ſe ex-
tendere poſſe ad omne peccati genus
remittendum; & ideò prædicatum, quod
mediante reuelatione, peccatũ ſortitur
per ordinem ad decretum, eſt circa ne-
gationem actualis remiſſionis, non autẽ
circa radicalem remiſſibilitatem ipſius
peccati, ſecundum quam ipſum peccatũ
intrinſecè ſubiacet diuinæ omnipotẽtiæ,
& miſericordiæ.

Dices Hoc numero peccatum infideli- 45
tatis ratione illius ordinis, quem eſſenti-
aliter habet ad decretum, & reuelatio-
nem, ſortitur intrinſecum prædicatum,
cui repugnat remiſſio; ergo intrinſecè
fit irremiſſibile. Antecedens eſt certum:
Conſequentia verò probatur; quia illud,
cui ex ſuis intrinſecis repugnat actus ſe-
cundus, eſt tale, vt ipſi repugnet actus
primus, ſeu potentia ad actum ſecundũ.
V. g. ſi alicui repugnabit calefieri, repu-
gnabit potentia ad recipiendam calefac-
tionem; talis enim potentia eſſet vana,
& de ſolo nomine: ergo, ſi huic numero
peccato ex ſuis intrinſecis prędicatis re-
pugnat remiſſio, repugnabit remiſſibili-
tas, atque adeo fiet intrinſecè irremiſ-
ſibile.

Pro huius argumenti ſolutione, quod 46
eſt in hac materia potiſſimum, & vnicũ,
ſuppono ex principijs vniuerſalibus,
quòd in ijs, quę naturaliter ſunt menſu-
rata, & regulata, nequit inueniri exceſ-
ſus, aut defectus, per quem recedant à
ſua menſura, & regula, vt inductione
eſt manifeſtum: hoc autem commune,
& notiſſimum principiũ debet applicari
rei noſtrę; & ideò dicendum, quòd illud
peccatum eſt quid menſuratum per ordi-
nem ad decretum. (omitto reuelationẽ,
quia non aliud facit, niſi notificare de-
cretum, eidemque ſe accommodare) hoc
præhabito, aio, non poſſe concedi huic
peccato, plus eo quod præſcribitur à
ſua menſura, quæ eſt decretum; & cum
decretum, vt ſupponimus, ſolum diſpo-
nat de remiſſione, & nihil de remiſſibili-
tate, aut irremiſſibilitate, circa quas
nihil poteſt, ſequitur, vt repugnantia,
quæ admittitur ratione ordinis in ipſo
peccato, non debeat tranſilire limites
decreti, quod eſt eius menſura: ſi autẽ
ſe extenderet ad auferendam non ſolum
ipſam actualem remiſſionem, ſed etiam
ad tollendam remiſſibilitatem, excede-
ret propriam menſuram, quod eſt impoſ-
ſibile. Quod autem decretum verſari
poſſit ſolum circa actum ſecundum, &
non circa primum, nulla eſt ratio efficax
contrarium ſuadens, ſicuti defacto de-
cretum Dei ita vult non remittere pec-
catum Luciferi, vt circa eius intrinſecã
remiſſibilitatem, & radicalem non ſe
immiſceat. His præſuppoſitis reſpondeo
in forma ad argumentum, diſtinguendo
eius antecedens. Sortitur intrinſecum
prædicatum, cui repugnat remiſſio, eo
modo

modo, quo præſcribitur à decreto, concedo; diuerſo modo, nego antecedens, & conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia repugnantia, quæ reſultat in peccato illo, eſt reſtricta ad actualem remiſſionem, quia ita diſponitur per decretum; proindè vi illius ordinis peccatum ſortitur, vt ita dicam, irremiſſionem non autem irremiſſibilitatem. Ad probationem verò conſequentiæ reſpondeo, diſtinguendo etiam antecedens tali pacto. Cui repugnat actus ſecundus, repugnat primus, quando ratio repugnantiæ viget in vtroque, concedo; nego tamen quando viget ſolum in actu ſecundo, vt euenit in caſu noſtro, in quo ratio repugnantiæ, quę ponitur in peccato, eſt vi ordinis ad ſuum terminum formalem, & ſpecificatiuum, qui eſt decretum, in quo ſolum de actu ſecũdo diſponitur: paritas autẽ deſumpta ex ſubiecto, cui repugnat calefieri, non valet; quia repugnantia ad calefactionem recipiendam, loquendo iuxta naturam rerum, non eſt menſurata ab aliquo extrinſeco ſe habente, vt menſura; ſed oritur ex intrinſecis ipſius ſubiecti exigentis non ſolum remotionem calefactionis, ſed etiam calefactibilitatis. Cæterum, ſi per impoſſibile fingeremus ſubiectum illud deſumere repugnãtiam ad recipiendam in ſe calefactionẽ per ordinem ad aliquod extrinſecum menſurans reſtrictè ipſam repugnantiã, eamque ſolum reducẽs ad actũ ſecundũ, tunc in ſubiecto eſſet ponenda repugnãtia ad actualem calefactionem, ſalua manente calefactibilitate, quę ſupponitur non aliundè deſtructa. ita diſtincto hoc ſecundo antecedente, neganda eſt vltima conſequentia ob rationes dictas.

47 Remanet autem ſatisfaciendum alteri difficultati contrariæ; videlicèt, talem potentiam eſſe vanam, & de ſolo nomine, cui ſic reſpondeo. Licèt hic, & nunc ex ſuppoſitione decreti nequeat reduci in actum; nihilominùs, ſi per impoſſibile remoueretur decretum, aut ſi ſupponeremus non fuiſſe, remaneret idem numero peccatũ infidelitatis ab intrinſeco remiſſibile, cuius potentia defacto reduci poſſet in actum ſecundum, & omnes tenemur in multis alijs id fateri. V. g. poſito decreto Dei repugnat reduci ad actũ remiſſionis peccata dæmonum, & aliorũ damnatorum; & tamẽ non dicitur vana, & de ſolo nomine remiſſibilitas; quia radicalis, & intrinſeca potentia ad actualem remiſſionem remanet in ipſis peccatis, vt omnes fatemur, & ſolum talis potentia impeditur, ne exeat ad actũ ſecundum vi decreti extrinſeci. Et hæc ſatis ſint de hac tota quæſtionę, cuius diſcutiendæ occaſionem mihi præbuit præſentis noſtræ Regulæ examinatio.

REGVLA VI.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

CAPVT I.

De impoſſibili, eiuſque ſpeciebus.

PLures in corpore Iuris ciuilis extant Leges, hoc ipſum ſtatuentes, ex quibus deſumpta eſt pręſens Regula; nempè *ex L. Si ſtipuler ff. de verb. obligat.* vbi ſtatuitur ſtipulationem, aut promiſſionẽ, vt ait *Gloſſa*, de re impoſſibili nõ valere: item *ex L. Si quis in graui ff. ad Senat. Conſult. Syllan.* & denique *ex §. Impoſſibilia Inſtit. de Hæredib. Inſtit.* his præhabitis deueniendum eſt ad terminorum explicationem. Aio igitur, impoſſibile vt ſic, vniuerſaliter ſpectatum appellari illud, quod exiſtere nequit. Ita *Petrus Peckius in expoſitione huius regulæ nu. 2. & 3.* 1

Impoſſibilium autem variæ, & plures ſunt ſpecies, quas ſingillatim declarat *Gloſſa* hic; reducuntur tamen ad duas, nempè ad impoſſibile de Iure, & ad impoſſibile de facto; quamuis alij eas ad tres reducant, ſcilicet ad impoſſibilitatem *Naturæ*, Iuris, & facti; & hoc, quia ex tribus capitibus ſubotitur omnis impoſſibilitas; aliquæ enim res naturaliter ex ſuis intrinſecis habent fieri non poſſe, ex eo, quod natura ipſa pręſtet impedimentum; & hoc dupliciter procedit, vel abſolutè, etiam de potentia *Dei*, vt eſt Chimera apud Philoſophos, & Hircoceruus; vel quamuis abſolutè non implicet contradictionem exiſtere; nihilominus excedunt facultatem humanam, vt tangere Cœlum digito, & alia ſimilia, quæ licet vi diuina non repugnent; ſpectata tamen hominum natura, perinde ſe habent, ac ſi fieri nequeant, & hæc dicuntur impoſſibilia naturę. Alia ſunt impoſſibilia de Iure, quę procedunt à Lege prohibente, ne aliqua fiant, vel quia ſunt contra bonos mores, vel contra aliud 2

honeſtum motiuum pertinens ad bonum Reipublicæ. Denique alia dicuntur impoſſibilia non ſimpliciter, quia non repugnat. etiã ab hominibus ea aliquando cauſari; verumtamen, cum non fiant niſi cum maxima difficultate, exiſtimantur impoſſibilia: hæc autem difficultas latitudinem habet, in quantum ſpectata qualitate vnius determinatæ perſonæ iudicatur maxima, ſeu extrema; reſpectu tamen alterius non ita grauis, ſed minor, aut parua, ſeu ferè nulla.

3 Habemus exempla in ipſo Iure, videlicèt *in L. Cum hæres §. Non eſt ſtatu liber. ff de ſtatu liberis*. ibi enim dicitur, quòd, ſi alicui ſeruo concedatur libertas, apponatur tamen conditio maxime difficilis, vt mille ſoluat hæredi; conditio hæc reſpectu talis perſonæ, qualis eſt ſeruus, cenſetur impoſſibilis, & ideò libertas inutiliter concederetur. Authores vero, qui ad duas tantum ſpecies reducunt omnes impoſſibilitates, id faciunt, quia ſub impoſſibili defacto ponunt impoſſibilia de natura, & etiam perplexa; & ſub impoſſibili de Iure ponunt ea, quæ ſunt turpia, & inhoneſta, quę, cum prohibeãtur, vel à Iure naturali, vel diuino, vel & humano, & vt ſic, moraliter fieri nequeãt, dicũtur impoſſibilia de Iure: ea enim dicimus à nobis fieri poſſe, quod iuſtè facere poſſumus, vt rectè aſſerit *Gloſſa in cap. faciat 22. quæſt. 2. Ver. quod poteſt*. Hac breui explicatione præmiſſa deuenio ad aliquas quæſtiones.

CAPVT II.

An impoſſibilitas contractum afficiens illum vitiet, vel potiùs reijcienda ſit, vt validus remaneat?

4 SErmo in hac quęſtione eſt à me reſtrictus ad contractus, prout diſtinguũtur à diſpoſitionibus vltimarum voluntatũ, à matrimonio, & à quibuſdam gratuitis conceſſionibus, quæ à Summo Pontifice emanant; quę omnia, cum ſpecialem contineant difficultatem, propterea ſeparatim de illis erit agendum. Loquendo igitur de contractibus in ſenſu explicato, antequã deciſiones aggrediar, ſuppono, caſum varijs modis euenire poſſe, iuxta diuerſitatem formæ, ſub qua ipſa impoſſibilitas adijcitur contractui; interdum enim apponitur per modum conuentionis, interdum verò per modum conditionis ſuſpenſiuæ, aut reſolutiuæ, interdum denique apponitur, vt purus modus.

His omnibus præhabitis, & præſuppoſitis, dicendum eſt primò. Si ſpectemus Ius tantum naturale, & præſcindamus a Iure poſitiuo, ſiue ciuili, ſiue canonico, quæcumque diſpoſitio ſub cõditione impoſſibili celebrari poterit, ita vt tali conditione non impleta, corruat diſpoſitio. eſt communis Doctorum conſenſus. *Molina tr. 2. de Iuſt. diſp. 206. concl. 1 Rebell. de obligat Iuſtitiæ par. 2. lib. 2. qu. 10. ſect. 4 Pontius de* Matrim. *lib. 3 cap. 3. nu. 2. & alij.* 5

Probatur concluſio efficaci ratione, quia omnis diſpoſitio, ſiue gratuita, ſiue oneroſa vim habet in quantũm dependet à libera voluntate ipſius diſponẽtis, ſi in Iure tantum naturali ſiſtamus; & ideò ſi diſponens vult, vt diſpoſitio in quacumque materia, ſiue inter viuos, ſiue in vltima voluntate, vim non habeat, niſi dependenter à tali, vel tali conditione, nõ poterit diſpoſitio vim habere, ſi cõditio non adimpleatur; & quia ratione impoſſibilitatis nequit impleri, idcircò inutilis redditur diſpoſitio. Recurrendum igitur eſt ad Ius poſitiuũ in illis caſibus, in quibus ipſum Ius ſtatuit, diſpoſitionẽ non vitiari per adiectionem conditionis impoſſibilis, ſed reijci debere potius cõditionem prædictam. Quæſtio autem præſens, & ſequentes procedunt ſpectãtes Ius poſitiuum.

Dicendum eſt ſecundò. Impoſſibilitas adiecta contractui, ſi afficiat eius ſubſtãtialia, ita illum vitiat, vt nulla remaneat obligatio: quod euenit, quando promiſſio eſt de aliqua re, vel abſolutè impoſſibili, vel ſaltem excedente humanam poteſtatem: v. g. ſi quis celebrans contractum promittat Titio ſe daturum Chimerã, aut Solem, aut Lunã, aut magnum montem, videlicèt Ætnam, vltra mare transferre, &c. tunc per adiectionem talis impoſſibilitatis irrita, & inutilis erit obligatio. ſic expreſsè habetur *in L. ſi ſtipuler initio ff. de Verb. oblig. & in L. Impoſſibilium de Regulis Iuris* & in hac concluſione nulla apud Authores eſt controuerſia, eamque manifeſtè docet *Gloſſa* in Iuribus cit. *Decius in ea Regula Impoſſib. n. 1 Dynus, & Ioannes Andreas* explicantes Regulam hanc canonicam, & alij ſcribentes. Ratio autẽ 6

con-

concluſionis eſt in promptu, & ſatis clara; quia, cum omnis obligatio conſiſtat in dando, vel faciendo, vt habetur *in L. Stipulationum initio de Verb. oblig.* ſi res impoſsibilis danda, vel facienda promittatur, perindè eſt, ac non promittere; & ideò hæc duo inuicé pugnãt, nempe ſe obligare, & ſe obligare ad aliquod impoſsibile; talis .n. impoſsibilitas intrinſecè vitiat ſubſtantiã huius contractus, & hoc tum in contractibus bonæ fi-
7 dei, tum ſtricti Iuris, vt rectè docet *Caſtropalaus in opere moral. par. 7. tract. 32. diſp. 1. pu. 7. nu. 3* licet *Ancharanus* in explicatione huius Regulæ excludat contractus ſtricti Iuris, docens non vitiari per adiectionem conditionis impoſſibilis: ſed immeritò quidem, cum non ſis maior ratio de vno genere contractus ac de alio: & hoc dixi, ſi impoſsibilitas afficiat ſubſtantialia contractus; quia, ſi afficeret accidentalia, aut eſſet de re aliqua impertinente ad talẽ contractũ, tunc contractus non vitiaretur, & ſolũ arbitrio Iudicis, aut boni viri eſſet moderandus quoad illam qualitatem, & reducendus ad ſtatum poſsibilitatis.

8 Dicendum eſt tertiò. Si celebretur contractus, & in illo fiat promiſsio de re aliqua, quæ licèt ſit poſsibilis, nihilominùs ſecundum ius aliquod naturale diuinum, aut humanum ſit prohibita, vt ſunt res turpes, vel res indifferentes vetitæ tamen Iure aliquo; tũc iuxta regulã hanc inualida erit obligatio; quia poſita prohibitione res illa cenſeretur impoſsibilis de Iure. ita expreſsè habetur in L. *Generaliter, & L. veluti ff. de Verb. oblig. & § ſi impoſſibilis, 76. Quod turpi. Inſtit. de inutil. ſtipul.* puta, ſi quis promitteret homicidium, ſacrilegiũ, vel aliud peccatum à ſe committendum, nulla reſultabit in promittente obligatio ad prædicta executioni mandanda. ſimiliter in Iure Can. hoc ipſum diſponitur *in cap. fin. de pactis*, vbi ſic Pontifex cõcludit [Iuxta legitimas ſanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de Iure, vel defacto nullam obligationem inducit.]

9 Dicendum eſt quartò. Si impoſsibilitas non reperiatur in re promiſſa, ſed adijciatur contractui per modum conditionis affirmatiuæ inutilis erit contractus. V. g. ſi dicatur, promitto me daturum Titio centum aureos, ſi cœlum digito tangat, vitiabitur ſtipulatio; quia cum natura conditionis ſit ſuſpendere actũ vſque ad ipſius conditionis adimplementum, & prædicta conditio defacto nunquam impleri poſſit, obligatio ceſſat; & quamuis non ſit impoſsibilis donatio centum aureorum; nihilominùs, prout ſtat ſub tali conditione cenſebitur eſſe quid impoſsibile, ad quod nemo obligari poteſt, vt in præſenti regula aſſeritur. & de hac concluſione nulla apud Authores eſt controuerſia, aut dubitatio; eaque eſt expreſſe definita *in L. Non ſolum ff. de Actionib: & obligat.* vbi dicitur, quòd non ſolum ſtipulationes, ſed etiam cæteri contractus, vt emptiones, locationes, &c. adiecta conditione impoſsibili ſunt nullius momẽti; huiuſque rei ibidem ratio aſsignatur, quia in illa re, quæ ex duorum, ſiue plurium conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur; & ideò in contractu, cui additur conditio impoſsibilis, ea vt tali cognita, non poterit contrahentium voluntas interuenire. Hoc autem confirmatur ex conſueto, & communi vſu loquendi; nam quando negare volumus, & non concedere, quod petitur, reſpondere ſolemus, Concedam tibi, quod petis, ſi cælum manu tanges, vel quid ſimile.

10 Dicendum eſt quintò. Si conditio rei impoſsibilis apponatur contractui negatiuè, validus erit contractus, vt, ſi dicas, Promitto, centum Titio me ſoluturum, ſi ipſe cęlum manu non tangat. ita docet *Dynus in explicatione huius regulæ nu. 11. & Ioannes Andreas n. 1* & hoc probatur ex natura contrariorum; quia, ſi affirmatiua eſt impoſsibilis, neceſſariò ſequitur, quòd negatiua oppoſita ſit poſsibilis, vt citati Authores rectè animaduertunt; & ideò, cum ſit impoſſibile defacto, quòd homo tangat cælum, poſſibilis erit negatio talis contractus, ac proinde contractus initus ſub hac cõditione negatiua cenſebitur initus ſub cõditione poſsibili, & conſequenter validus.

CAPVT III.

An Matrimonium ſub conditione impoſſibili initum vitietur; an potius tali conditione reiecta, validum remaneat?

11 PRoponit quæſitum hoc Gloſsa *in L. 1. de conditionibus inſtit.* in fine illius

illius commenti, & nihil reſoluit, ſed tantum refert quorumdam opinionem dicẽtium valere tale matrimonium. Alij vero quamplures Iuriſtæ, & Canoniſtæ latè examinant quæſitum, inter quos eſt *Sanchez lib. 5 de matr. diſp. 3. & Baſilius Pontius eodẽ tr. lib 3. c. 4. & ſequent.* Nõ vitiari autẽ matrimonium, & reijciẽdam eſſe conditionem impoſſibilẽ poterit efficaciter ſuaderi ex Iure Canonico, nempè *ex cap. fin. de condit.* vbi expreſsè Pôtifex ſtatuit, in matrimonio cõditiones, quæ nõ ſunt contra ſubſtantiã coniugij, firmo manẽte contractu, pro nõ adiectis haberi; ex alia parte plures rationes, quę inualidatẽ matrimonij ſuadent, examinat *Sanchez diſp. cit.* potiſſima autem ea mihi videtur eſſe, quę probat diſſenſum; nam adiectio conditionis impoſſibilis eſt manifeſtum, & indubitatum ſignum interni diſſenſus; mutuus autem contrahentium conſenſus eſſentialiter requiritur, vt pars Sacramenti matrimonij; & ideò conſenſu deficiente, non ſolum nequit eſſe validum hoc Sacramentum, ſed neque contractus naturalis, in quo fũdatur ratio ipſius Sacramenti. Et confirmatur, quia vel conſtat mens, ſeu intentio contrahentiũ, vel non conſtat; ſi conſtat, ſtandum erit tum quoad validitatem, tum quoad inualidatem intentioni ipſorum contrahẽtium, à qua totaliter dependet contractus; ſi verò non conſtat recurrendum erit ad coniecturas, inter quas videtur eſſe appoſitio conditionis, quæ, cum ſit impoſſibilis, eſt ſignum diſſenſus, & nullo pacto ſoditium conſenſus. hoc modo ſuaderi poterit inualiditas, non obſtante dicto textu canonico incontrarium, qui reuera magnam continet dubietatem, ita vt plures ſint Authores relati à *Baſilio lib. cit. cap.* 4. qui fatentur, illum percipere non poſſe, vel eſſe mirabilem, & omninò reconditum, &c. & hoc, quia his Authoribus difficile apparet poſſe inueniri rationem, ob quam Eccleſia præſumere queat conſenſum; cum appoſitio talis cõditioois ſit potius ſignum diſſenſus; ſed nihilominùs, vt veritas prædicti textus ſoluatur, dici poterit, ideò à Pontifice validum tale matrimonium exiſtimari, & reijciendam eſſe conditionem impoſſibilem, quia aliunde colligit, mẽtem contrahentium volentium validè contrahere.

12 Pro deciſione autem huius celeberrimæ, ſed implicatæ quæſtionis ſupponẽdum eſt primò, ſub triplici forma adijci poſſe conditionem impoſſibilem contractui matrimoniali; primò per modum veræ, & rigoroſę conditionis ſuſpenſiuæ, itaut diſpoſitio effectum non habeat, niſi adimpleatur conditio; ſecundò, ſi apponatur, vt pactum, per quod effectus non ſuſpendatur, ſed obligetur contrahens ad executionem illius rei, quæ in conditione includitur; tertiò ſub forma conditionis non ſuſpenſiuæ, ſed reſolutiuæ, videlicèt, vt de præſenti ſit conſenſus, ſeu effectus diſpoſitionis, ſed remaneat obligatio in futurum adimplendi conditionem; ea vero non adimpleta, ceſſet diſpoſitio; hic autem tertius modus differt à ſecundò, quatenus in illo ita continetur obligatio exequendi rem in conditione poſitam, vt licet ea non ponatur, firma tamen maneat diſpoſitio; in hoc autem tertio modo non poſita cõditione in futurum reſoluatur, & corruat diſpoſitio.

Supponendum eſt ſecundo, tria eſſe matrimonij bona, quę à Doctoribus cõmuniter aſſignantur, & declarantur *in cap. omnia itaque. 16. qu.* 2. nempè bonum fidei, prolis, & Sacramenti. hæc autem tria bona, quamuis quoad executionem non ſint de eſſentia matrimonij, ſunt tamen quoad obligationem, vt habetur ex *S. Thoma in 4. diſt. 31 qu. 1. art. 3. in corpore* cuius mentem exponit *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 29. nu.* 12. & aliorum authoritate confirmat. 13

Hæc autem tria bona conſtituuntur in matrimonio ad compenſanda tria detrimenta, ſeu incommoda, quæ in ipſo matrimonio inueniuntur; eaque videlicèt ſunt, perpetua Seruitus, Voluptas, quæ repetitur in actu matrimoniali, mẽtem vehementer diſtraheos, & abſorbẽs, & omnia Sollicitudo in ſatisfactione exhibenda alteri coniugi, & in educanda prole; quæ quidem tria incommoda compenſantur tribus prædictis bonis: & ſic primum incommodum rependitur bono ſacramenti, quatenùs coniuges mutuo amore ſe diligunt ad exemplum Chriſti Domini, qui Eccleſiam ſuam, vt ſponſam dilexit: ad quem finem ipſi coniuges ſpecialem gratiam à Deo recipiunt vt facilius, & alacriori animo ſuſtineant tale vinculum perpetuum. ſecundum autem incommodum compenſatur bono prolis, quæ generatur, & educatur in Dei obſequium; & quamuis hoc non ſẽ- 14

per

per habeatur, ſatis tamen eſt, incluſum eſſe in fine ioctinſeco, ad quem ordinatur matrimonium; denique tertium incommodum compenſatur bono fidei, ſeu fidelitatis, qua mediante cooiuges inuicem obſtringuntur ad debitum reddeodum, & non ad faciendam alteri copiam proprij corporis. his omnibus pręmiſſis deuenio ad concluſiones, quæ ad principale quæſitum huius quæſtionis directè tendant.

15 Dicendum eſt primò. Conditiones, quę ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, ſi contractui appooantur, non reijciontur, ſed vitiant ipſum matrimonium, illud irritaotes. Eſt communis Doctorum ſententia, quam colligunt *ex cap. fin. de condit. appoſitis*, vbi id expreſsè definitum habemus, quod etiam confirmant ſcribentes; tunc autem cenſentur conditiones eſſe contra ſubſtantiam matrimonij, quando pugnant cum aliquo ex tribus prædictis bonis ipſi matrimonio conuenientibus; vt, ſi cooiugium ineatur ſub hac conditione. Cootraho tecum, donec inueniam aliam perſonam nobiliorē, aut ditiorem; vel Contraho, ſi prolis generationem euites, vel denique, ſi alteri tui corporis copiam facias, &c. Hæ autē conditiones, quia de iure exiſtimantur impoſſibiles, quatenùs ſunt inhoneſtæ, & turpes, & non quomodocumque, ſed tales, vt tendant contra tria illa matrimonij bona, ideò eiuſdem matrimonij ſubſtantiæ aduerſantur, illudque vitiaot, & inualidant.

16 An autem idem ſit aſſerendum, ſi conditio, quæ adijcitur, ſit ſecundum ſe honeſta, & licita, aduerſetur tamen bonis matrimonij, eſt valdè controuerſum apud Authores. V. g. ſi quis contrahat cum aliqua ſub hac conditione, vt ambo perpetuam ſeruent caſtitatem, conditio hæc aduerſatur bono prolis; proindè contenduot Doctores, an talis conditio debeat reijci, & validum ſuſtineri matrimonium, an potiùs, ea non reiectà, irritum reddi?

Prima ſentētia affirmat vitiari matrimonium, & conditionem non reijci. ita docent plures, & graues Authores, vt S. Thomas *in 4 diſt. 28. quaſt. vnica art. 4. ad tertium. S. Bonauentura eadem diſt. quaſt. vlt. num. 33. Sotus diſt. 29. quaſt. 1. art. 3. Ver. Prima autem, Couarr. in Decretal. par. 2. cap. 3. S. 1. nu. 3. Gutti. er. de Matrim. cap. 12. num. 11. Petrus Ledeſma eodem tract. qu. 47. art. 5. dub. 4. ad ſecundum. Sanchez lib 5. diſp. 9 n. 3 & diſp. 10. nu. 2. Baſilius* Pontius *de Matrim. lib. 3. cap. 9. à nu. 8. Henriquez in ſumma lib. 12 cap. 4 nu. 1. Filliuc. tr. 10. par. 1. cap. 4. n.* 149. & alij quamplures apud *Sanchez*. Hæc autem ſententia probatur primò ex Iure Canonico; nam *in cap finali cit.* Pontifex expreſsè affirmat, quòd conditio, quæ eſt contra bonum prolis annullat matrimonium, nulla facta diſtinctione, an conditio ſit honeſta, aut turpis, nec pooit, hanc inualiditatem procedere ex turpitudine conditionis, vt ſic, ſed ex repugnātia, quam conditio habet cum bonis matrimonij Probatur ſecundò, quia prædicta conditio deſtruit eſſentialia matrimonij; ergo illud irritat. patet conſequentia: antecedens ſuadetur, quia talis conditio non ſolum tollit copulam actualem, ſed etiam ius, & poteſtatem ad copulā, quatenùs ipſi coniuges mutuò obligaotur ad ſeruandam perpetuam caſtitatē, & ad non petendum, nec ad reddendum debitum coniugale; hoc autem directè repugnat eſſentię matrimonij, quod cōſiſtit in mutua corporum traditione; ergo prædicta conditio deſtruit eſſentialia matrimooij, quod erat antecedens probandum.

Secunda ſententia oppoſitum tuetur, videlicèt per appoſitionem prædictæ cōditionis, quàmuis aduerſetur bono prolis, non irritari matrimonium. ita multi ex antiquis, quos affert *Sanchez diſp. cit. in fine primi numeri, vt Abulenſis, Gerſon, Paludanus*, & alij etiam ex Recentioribus, qui defendunt hanc eamdē ſententiam, inter quos *Rebell. de oblig. Iuſtitia par. 1. quaſt.* 10. *nu.* 19. *Aegid. Conincb. de ſacram. diſp.* 24 *dub.* 4. *n.* 43. *Bonacina de Matrim. quaſt.* 2. *pu.* 10. *num.* 13. *& alij.* Probant autem illam varijs argumentis, ex quibus vnum inter pręcipua fundatur in matrimonio inito inter Beatiſſimam Virginem, & S. Ioſeph, quod fuit verum matrimonium; & hoc eſſe de fide vult *Suarez in 3. partem S. Thoma tom. 2. diſp. 7. ſect.* 1. id probans ex ſacris literis, & communi Theologorū conſenſu; & tameo videtur matrimoniū cootractum fuiſſe ſub conditione ſeruādi perpetuam caſtitatem. Secondo probant, quia vſus contradiſtinguitur à dominio corporum, vt de ſe patet; eſſentia autem matrimonij conſiſtit in reciproca 17

G tra-

traditione dominij proprij corporis, & non in vſu talis dominij; ergo poteſt conditio eſſe circa vſum non petendi, neque reddendi debitum, ſaluo manente dominio, & matrimonij eſſentia, quæ in tali dominio conſiſtit.

Tertiò hanc eamdem ſententiam *Bonacina loc. cit* conatur ſuadere, probans conditiones prædictas nõ repugnare eſſentię matrimonij, quia eius bonis non aduerſantur: quod oſtendit diſcurrens per illa tria bona. Non repugnãt proli, quia contrahentes non ſe obligant ad prolem impediẽdam per illicita media; Rurſus neque repugnant fidei, quia ipſi contrahentes non ſe obligant ad communicandum alteri proprium corpus; Demum non repugnant indiſſolubilitati matrimonij, quoniam vinculum perpetuum matrimonij permanet inter ipſos coniuges, non obſtante tali conditione; ergo nulla inuenitur repugnantia inter has conditiones, & inter matrimonium, eiuſque bona. ita ſuaderi poſſunt hæ ſententiæ. quænam autem ex illis mihi probabilior videatur, nunc in ſecũda concluſione aperiam.

18 Dicendum eſt ſecundò, eſſe omninò admittendam primam ſententiam, quia eſt Iuri conformior; probatur primò; quia Pontifex *in cap. illo finali* expreſſe, & ſine limitatione ſtatuit, quòd, ſi contractui matrimonij apponatur conditio repugnans bono prolis, tunc ipſum matrimonium carebit effectu; cum igitur Pontifex non diſtinguat, an conditio ſit turpis, an verò honeſta, & indifferenter loquatur, ſignum eſt, non ſe fundare in turpitudine conditionis, ſed in repugnãtia conditionis cum bono prolis, vt rectè animaduertit *Sanchez lib. 5. nu. cit.* Secundò probatur concluſio ratione, hoc pacto. Conſenſus coniugum requiſitus ad eſſentiam matrimonij, eſt incompoſſibilis cum mutua promiſſione ſeruãdi caſtitatem inter ipſos coniuges; ergo cõditio prædicta adiecta contractui matrimonij illud vitiat; conſequentia eſt certa, ſi verum eſt antecedens, quod ſic probatur. Conſenſus, quo coniuges volunt matrimonium perfici, implicitè tendit ad ſeruanda illa tria bona, & in caſu noſtro ad bonum prolis; ergo talis conſenſus eſt incompoſſibilis cum prędicta mutua promiſſione, quæ tendit ad oppoſitum; nã coniuges eo ipſo, quòd volunt ſe obligare ad vnum ex his oppoſitis, implicitè nolunt ſe obligare ad aliud oppoſitum; & ideò cum bonum prolis, & perpetua caſtitas ſint oppoſita, ſequitur, quod voluntas ſeruandi caſtitatem, implicitè inuoluat voluntatem reſpuentem bonum prolis.

Ad argumenta autem pro contraria ſentẽtia, præſertim ad primum deſumptum ex matrimonio inter Beatiſſimam Virginem, & S. Ioſeph, reſpondent Authores huius noſtræ ſentẽtiæ negantes, matrimonium illud cum ea conditione fuiſſe contractum, ſed abſolutè ſacros coniuges conſenſiſſe in Ius, & poteſtatẽ tradendi dominium ſuorum corporum, habuiſſe tamen vtrumque coniugem propoſitum ſeruandi caſtitatem. ita reſpondet *Sanchez diſp. 11. cit. nu. 6.* ſoluens confirmationem primi argumenti cõtrarij, & remittens ſe ad ea, quę dixerat *lib. 2. diſp. 28 nu. 4.* vbi initio eiuſdẽ diſputationis referens opinionem Suarij aſſerentis; de fide eſſe inter B. Virginem, & S. Ioſeph verum fuiſſe matrimonium, addit, hoc ſe minimè credere, & adducit aliquos, qui dicunt quęſtionem hanc eſſe arbitrariam, & abſque erroris periculo vtramque partem defendi poſſe. 19

Sed nolo hic diiudicare verum res iſta ſit nec ne de fide; ad argumentum vero reſpondeo cum Suarez, qui ſequens doctrinam *Hugonis Victorini lib. de Virginitate Mariæ*, ait, *ſect. cit.* verſus finem, quòd Beatiſſima Virgo in omnibus rebus ſpeciali Spiritus Sancti directione regebatur, & præſertim in re grauiſſima, quæ ad ſtatum totius vitę ſpectabat; propterea ex diuina reuelatione agnouiſſe, quod S. Ioſeph libenti animo fuiſſet conſenſurus in ſeruanda perpetua Virginitate; & ideò potuit ipſa Beata Virgo conſenſum præbere in verum matrimonium abſque detrimento ſuę integritatis, non conſentiens actualiter in carnalem copulam, neque abſolutè, neque ſub conditione, ſi Ioſeph debitum petijſſet; quia certa erat ex reuelatione quod Ioſeph nunquam debitum hoc fuiſſet petiturus; ſed nihilominus in radice & in cauſa habuit Virgo conſenſum in copulam, quatenùs matrimonium contraxit, quod de ſe ad copulam ordinatur; ſed talis conſenſus in vinculum coniugale nihil virginitati derogat; ſicuti neque firmum propoſitum ſeruandi Virginitatem pugnat cum voluntate contrahendi prędictum vinculum; quemad-

mo-

Digitized by Google

modum voluntas tradendi, & accipiẽdi dominium alicuius rei non pugnat cum voluntate non vtendi eadem re. Hæc ex Suarez, cuius doctrina, ſeu reſponſio ad hoc argumentum videtur breuiter in his ſita eſſe, videlicèt, quòd Beatiſſima Virgo certitudinem habens ex diuina reuelatione, quòd *S.* Ioſeph nunquam fuiſſet periturus ab ipſa debitum coniugale, libenter voluit cõſentire huic matrimonio, tradens poteſtatem, ſeu dominiũ ſui corporis ſuo ſponſo; ac proinde, cum nullum præceſſerit pactum inter ipſam Virginem, & Ioſeph, de ſeruanda virginitate, ideò non interfuit conditio repugnans ſubſtantiæ matrimonij, quod in prædicta traditione ſaluatur.

20 Ad tertium argumentum concedo totum antecedens, & nego conſequentiã; quia conditio illa non petendi, neque reddendi debitum, quando ponitur in ipſa matrimonij contractione impedit, ne dominium, ſeu mutua corporis poteſtas transferatur in alium coniugem, atque adeò impedit, ne reſultet eſſentia matrimonij, quæ formaliter conſiſtit in prædicta translatione, & receptione; ſecùs autem eſſet, ſi poſt initum matrimonium fieret pactum de ſeruanda perpetua caſtitate, quia tunc pactum hoc ſupponeret dominium iam translatum, & receptum, & ideò ſupponeret eſſentiam matrimonij conſtitutam.

21 Ad tertium argumentum *à Bonacina* excogitatum patet ſolutio ex dictis; nam etiam ſi impedimentum ad prolem generandam non ſit per media illicita, ſed licita, in quantum conſiſtit in pacto ſeruandi caſtitatem; nihilominùs, cum apponatur in ipſomet contractu matrimonij, pugnat cum eius eſſentia, quæ conſiſtit in vera, & voluntaria traditione proprij corporis ordinata ad petendum, & reddendum coniugale debitum: volũtas autem transferendi dominium proprij corporis non eſt compoſſibilis eodẽ tempore cum voluntate non reddendi debitum prædictum, vt ſuperius oſtensũ eſt; ac proindè conuentio de ſeruanda caſtitate, deſtruens veram traditionem, deſtruit ſubſtantiam, & eſſentiam matrimonij.

Animaduertenda eſt hìc diuerſitas,
22 quæ habetur in illis tribus matrimonij bonis in ordine ad irritandum, vel non irritandum ipſum matrimonium, quam diuerſitatem obſeruat *Sanchez lib. 2. diſp. 29. à num.* 8. & deinceps; eamque breuiter explico, & dico, in re hac eſſe attendendum, an intentio prædictis bonis contraria manifeſtetur exterius, & in pactum deducatur, vel maneat ſolum interius in ipſo contrahente? ſi primum, iam, vt oſtenſum eſt, cum tale pactum, aduerſetur bonis matrimonij, illud vitiat, quia eius ſubſtantiæ repugnat; ſi vero ſecundum, ideſt, ſi intentio aduerſetur bono Sacramenti, cũ ſit volontas contrahendi ſolum ad tempus, tunc non valebit matrimonium; nam de eius eſſentia eſt vinculum indiſſolubile, durante ipſorum coniugum vita; voluntas autem illud incundi ad tempus, quo tranſacto reſcindatur, directè opponitur illi conſenſui, qui tamquã pars ad eſſentiam ipſius matrimonij cõſtituendam requiritur, qui eſt conſenſus liber, per quem coniux coram proprio Parocho, & teſtibus dicat, velle talem coniugem, & indiſſolubili vinculo cum illo ſe vnire. Cæterum talis vis deſtruendi ſubſtantiam huius contractus non reperitur in intentione contraria alijs matrimonij bonis, quando retinetur interiùs, & alteri coniugi exteriùs non manifeſtatur, vt ab eodem acceptetur; & ideò ſi Titius v. g. contrahens cum Berta firmam habeat voluntatem impediendi generationem prolis, vel nõ ſeruandi fidelitatem eidem Bertę, ſed adulterandi, hæc voluntas, quamuis aliquo modo contraria ſit bono prolis, & bono fidei; nihilominùs non ita illis aduerſatur, vt tollat, & deſtruat ſubſtantiã matrimonij, quia ad eius valorem ſufficit, vt Titius velit hunc contractum inire, ſeu velit vinculo perpetuo ſe adſtringere cum Berta: nàm hoc poſito, remanet obligatus ad non faciendum aliquid contra bona prædicta, & huic obligationi nihil officit voluntas contraria executioni; ſicuti habemus in alijs contractibus. V.g. ſi Titius Caio ſe obliget ſoluere centum, etiam ſi promittens interius voluntatem habeat non ſoluendi; hoc tamen non obſtante, validus erit contractus; & ſic in alijs ſimilibus.

Ex his, quæ dicta ſunt apparet diuerſitas, quæ reperitur in prædictis intentionibus; nam intentio contraria bono Sacramẽti, quamuis interiùs maneat, & non manifeſtetur exteriùs alteri coniugi, irritat matrimoniũ; aliæ vero intentiones contrariæ duobus alijs bonis, niſi 23

exterius, modo explicato, detegantur, matrimonium nequaquam irritant.

Poteſt hìc aliquis inquirere, quo pacto Eccleſia valeat, conditione impoſſibili reiecta, habere pro valido matrimonium initum ſub conditione impoſſibili cum conditio illa indicet potius diſſenſum, quàm conſenſum in contrahentibus; conſenſus autem eſſentialiter ad matrimonij valorem requiritur, & ab Eccleſia, vt de ſe patet, ſuppleri nequit. Reſpondeo, difficultatem eſſe magni momenti, cuius ſolutionem nunc ſuſpendo, eam verò tradam, poſtquam idem quæſitum proponam, loquendo de conditionibus, quæ apponuntur diſpoſitionibus vltimæ voluntatis.

CAPVT IV.

Vtrum conditiones impoſſibiles diſpoſitionibus vltimarum voluntatum appoſita habeantur pro non adiectis?

24 SVb vltimarum voluntatum nomine comprehenduntur inſtitutio hæredis, fidei cõmiſſa, codicilli, legata, & donationes cauſa mortis, quæ quidem donationes, quamuis partim conueniant cũ diſpoſitionibus inter viuos, partim vero cum voluntatibus, ſeu legatis, magis tamen accedunt ad vltimas voluntates, quàm ad contractus inter viuos, vt colligitur, *ex L. final. C. de donat. cauſa mort.* vbi etiam ſtatuitur, quòd, ſi dubium habeatur, an donatio aliqua ſit inter viuos, an cauſa mortis, præſumi debeat inter viuos, vt ibidẽ ait *Gloſſa*, cui aſſentitur *Caſtropalaus par. 7. diſp. 2 pu. 14 n. 2.* & hoc, quia donatio inter viuos præcipuum obtinet locum. In quibus autem inuicem differant hæ donationes, & in quibus conueniant latè declarat noſter *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 258. & Caſtropalaus diſp. cit. punt. 13.* His præhabitis.

25 Dicendum eſt primò. In his vltimis voluntatibus, ſi apponatur impoſſibilitas per modum conditionis, vt inſtituo te hæredem meum, ſi cælum digito tãgas, valet diſpoſitio, & reijcitur impoſſibilitas. ita expreſsè habetur *in L. 1. de Conditionibus inſtitut. & L. Obtinuit de Condit. & demonſtr. & Inſtit de hæred. inſtituendis. §. Impoſſibilis conditio, & ibidem Gloſſ. in explicat. caſus*, & alij ſcribẽtes ibi, atque in expoſitione huius regulæ, *Dynus num. 12.* Cæterum, ſi non eidem perſonæ imponatur onus, & beneficium, vt ſi teſtator dicat, præcipio meo hæredi, vt cælum tangat, alias ſoluat Titio decem, legatum non valet, vt notat *Gloſſa in dicta L. 1. Ver. Non vitiari, & in d. L. Obtinuit. Ver. Adſcriptas.*

Dicendum eſt ſecundò. *Si* in vltimis 26
voluntatibus conditio impoſſibilis adijciatur negatiuè, idem eſt aſſerendum, ac in contractibus, nempè validam eſſe diſpoſitionẽ; ſi vero adijciatur affirmatiuè, diſtinguit *Dynus nu. 12.* hoc pacto; vel res ſub conditione poſita omni tempore eſt impoſſibilis, vel ab initio poſſibilis, & poſt factum redditur impoſſibilis; ſi dicatur ſecundum, valet relictũ, & tantum reijcitur conditio impoſſibilis *L. ſi mihi, & tibi §. ſi quis ſeruos ff. de leg. primo.* ſi autem dicatur primum, ſubdiſtinguit, vel conditio illa eſt in perſona honorati, (vocant autem perſonam honoratã *Gloſſa in ea L. Obtinuit. Ver. Adſcriptas, & Dynus hic num. 12.* alijque eam, quæ inſtituitur) & in hoc caſu non reijcitur conditio impoſſibilis, & vtile erit relictum, vt colligitur *ex d. L. 1. & L. Obtinuit.* ſi verò conditio illa adijciatur in perſona onerati, ſeu grauati nempè illius, cui onus præſtationis in teſtamento imponitur, vt Præcipio meo hæredi vt faciat aliquod impoſſibile, V.g. vt cælum digito tangat, alias *Titio* decẽ ſoluat, tunc legatum hoc non valebit; quod etiam animaduertit *Gloſſa dicto ver. Adſcriptas, ex inſtit. de Legatis §. finali.* Si verò quis inquirat rationem diſcriminis, nempè cur in his caſibus reijciatur conditio impoſſibilis, quando imponitur honorato, non autem quando imponitur grauato, reſponderi poteſt colligẽdo rationem diſcriminis *ex Gloſſa in d. L. 1. Ver. Non vitiari*, vbi inquit, quòd non debet beneficium auferri honorato, cum intentio diſponentis fuerit illi prouidere per ſubſequentem voluntatem.

Placet autẽ hìc animaduertere, quòd, 27
quamuis Iuris ciuilis diſpoſitione, conditiones impoſſibiles in vltimis voluntatibus habeantur pro non adiectis, vt oſtenſum eſt; nihilominùs in hæredis inſtitutione aliquando hoc deficit, vt adnotauit *Baſilius Pontius lib. 2. de matr. cap. 3. nu. 3.* nam, ſi quis ſub ſua poteſta-

te

Digitized by Google

te filium habeat, cumque in teſtamento ſuum hæredem inſtituat ſub aliqua conditione, quæ à Principe, vel à Senatu improbetur, V. g. vt in vxorem accipiat eam, quam de ſacro fonte ſuſcepit, conditio hæc vitiat teſtamentum, illudque inualidum reddit, vt habetur *in L. Filius ff. de condit. inſtitutionum*, & ibidē in explic. caſus notat *Gloſſa* cuius eſt exemplum allatum, & de re hac rationē aſſignat dicens, filium inſtitui debere ſub conditione poteſtatiua ipſimet filio, vt eadem Gloſſa aduertit *in L. Inſtitutio, cod. ſtit.* docens, filium eſſe inſtituendum, vel purè, vel ſub conditione poteſtatiua, vt expreſsè ſtatuitur *in L. ſuus* §. 1. *& L. Iam dubitari. §. primò quidem ff. de haredib. inſtituendis*, conditio autē prædicta non videtur eſſe in poteſtate filij, quia ea dicimus à nobis fieri non poſſe, quæ ſunt contra bonos mores.

CAPVT V.

Quo pacto Ius poſitiuum humanum, reiecta conditione impoſſibili, ſuſtinere poſſit, vt validum matrimonium, & vltimarum voluntatum diſpoſitiones?

PRopoſui quæſitum hoc in fine ſecundæ quæſtionis, eius tamen ſolutionem tranſtuli in hunc locum; quia, vt ibi adnotaui, difficultas communis eſt tum validitati matrimonij, tum vltimæ voluntati; videlicet, qua ratione conditio impoſſibilis vitiet contractus, non autem vitiet matrimonium, & vltimæ voluntatis diſpoſitionem; ſeu quare Ius humanū, reiecta conditione impoſſibili, poſſit ſuſtinere, vt validum matrimonium, & vltimam voluntatem, cum appoſitio conditionis impoſſibilis videatur indicare diſſenſum, & non conſenſum in contrahente? Difficultas hæc eſt adeò grauis, & ita mentem Authorum torquet, vt aliqui apertè fateantur, non poſſe huic difficultati ſatisfacere. Ordinatè autem procedendo prius examinabo difficultatem in matrimonio, poſtea verò deueniam ad vltimas voluntates.

Ad hanc enodandam difficultatem varias excogitarunt Authores intelligētias pro interpretatione *dicti cap. fin. de cond. appoſit* ex quo ortum habet difficultas; eaſque refert *Sanchez lib. 5. de matrim. diſp. 6. à nu. 2. Baſilius Pontius eodem tract. lib. 3. cap. 4. per totum* Rebell. *de oblig. Iuſt par. 2. lib. 2. quaſt* 10. *ſect* 4 & alij, qui apud hos Authores legi poſſunt, inter tot autem interpretationes eligam quid mihi veriſimilius videbitur, & incipiam à certioribus.

28 Dicendum eſt primò, in foro conſcientiæ attendendam eſſe ipſorum contrahentium mentem, ſeu intentionem; ideòq; eſi quis feriò adijciat conditionē impoſſibilem, & non intendat alio modo contrahere, inualidum erit matrimonium; ad eius enim valorem eſſentialiter requiritur conſenſus illius, qui matrimonium celebrat. Cōcluſio eſt apud omnes certa, vt animaduertit *Rebell. ſect. cit. & Pontius cap 4. cit. num.* 2. & hoc locum habet non ſolum in contractu matrimonij, ſed etiam in quocumque cōtractu, in quo requiritur conſenſus cōtrahentium.

29 Dicendum eſt ſecundò. Si contrahētes, vel alter ex illis, appoſita conditione impoſſibili ſe declaret, nolle contrahere, niſi adimpleatur conditio, tunc non ſolum in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo inualidum cenſebitur matrimonium. Concluſio apud omnes eſt certa, eamque docet idem *Rebell. ſect. cit.* alios adducens; & ratio eſt manifeſta, quia diſſenſus in matrimonio contrahendo exterius conſtat.

30 Dicendum eſt tertiò. Quando, penſatis omnibus, nequit ex coniecturis colligi, an feriò, an verò iocosè voluerint contrahentes apponere conditionem impoſſibilem, præſumitur iocosè adiecta, & contrahentes matrimonium abſolutè, & purè inire voluiſſe. ita communiter Authores ſuperiùs laudati, quibus addo *Aegidium Coninch de Sacramentis diſp. 29 dub. 3. num. 40. Gaſparē Hurtado de matrim. diſp. 7. diff 10. Martinum Perez eodem tractatu diſput. 16. ſect. 3. Petrum Oñate de contract. to. 1. diſp. 13. ſect. 4.*

31 Sed contra hanc poſteriorem concluſionem valdè difficile ſe offert argumentum, videlicèt præſumptionem eſſe pro diſſenſu, & non pro conſenſu; nam cōditio illa impoſſibilis, nempe contraho tecum matrimonium, ſi cælum manu tetigeris, indicat voluntatem contrariā, & ita defacto, cum nolumus petita concedere, reſpondemus per conditionem aliquam impoſſibilem. V. g. ſi Cœlum a ſuo motu diurno ſiſtere facias, cō-

ce-

cedam tibi, quæ á me peris: ergo non
videtur, prudenter præſumi poſſe, quòd
matrimonium contrahentes ſub condi-
tione impoſſibili voluerint verum ma-
trimonium inire.

32 Reſpondet ad hanc difficnltatem, quę
eſt magni momenti; *Rebellius ſect. cit.*
nu. 28. diſtinguens *cap. illud finale*.
in duas partes, in quarum prima Pon-
tifex loquitur de conditionibus appo-
ſitis, quæ ſunt contra ſubſtantiam
mattimonij; ideòque ait, per illas irritũ
reddi mattimonium; in ſecunda verò
parte capitis ſtatuit reijciendas eſſe ali-
as conditiones impoſſibiles, aut turpes,
quæ non ſunt contra ſubſtantiam matri-
monij, & illis reiectis, matrimonium
ſuſtineri, vt validum: rationem diſpari-
tatis inter vtrumque caſum aſſignat ipſe
Rebellius, dicens, in primo caſu Pontifi-
cem loqui de veris, & proprijs conditio-
nibus, quæ ſunt ſuſpenſiuæ conſenſuũ, in
ſecundo autem caſu nõ loqui de talibus
conditionibus, ſed de conditionibus im-
propriè, ſeu de modis, quæ ex ſe nõ ha-
bent ſuſpendere conſenſum, ſed tantum
obligare contrahentẽ, ad ſeruandum id,
quod ſub tali modo imponitur; quando
igitur eſt dubia mens contrahentium, an
ſcilicèt intenderint apponere conditionẽ
propriã, an verò modum, tunc in fauo-
rem matrimonij præſumi debet voluiſſe
contrahere ſub modo, & non ſub con-
ditione propriè dicta, ne cum iniuria
Sacramenti, ipſi coniuges inuicem ſepa-
rentur; hæc eſt opinio *Rebellij*, quam
poſtea ſecutus fuit *Pontius lib. cit. cap.*
4. num 9.

33 Cæterum huic ſententię libenter ad-
hærerem, ſi aliqua ratione efficaci Au-
thores prædicti probarent in ſecunda
parte illius *cap. finalis*, ſermonem eſſe
de conditionibus impropriè dictis, ſeu
de modis, qui conſenſum non ſuſpen-
dant; at hoc non probatur, & potius
ſupponitur, ideò non poſſum huic opi-
nioni aſſentiri. communior autem in-
terpretatio illius capitis eſt, quòd, quã-
do dubia eſt mens contrahentium, in fa-
uorem matrimonij pręſumendum ſit cõ-
ditionem impoſſibilem non fuiſſe ſeriò,
ſed iocosè appoſitam, & ipſos contra-
hentes voluiſſe verè, & abſolutè præſta-
re conſenſum in matrimonio. ita Autho-
res citati in hac vltima concluſione,
& alij.

34 Ad argumentum autem in contrariũ
adductum reſpondeo, quòd, quamuis
appoſitio conditionis impoſſibilis ſecũ-
dùm ſe ſit inditium diſſenſus, & conſe-
quenter apta ad fundandam præſump-
tionem, qua iudicemus, in contrahen-
tibus non interueniſſe cõſenſum ad ve-
rum matrimonium celebrandum; nihi-
lominùs, quia pro conſenſu, & validi-
tate matrimonij plures, & fortiores
concurrunt præſumptiones, idcircò illa
vnica præſumptio, vtpote debilior pe-
rimitur *ex L. Diuus ff. de integrum re-*
ſtitut. vbi Gloſſa Verbo exiſtimari, &
etiam ex alijs iuribus, & Authoribus
apud *Menochium de præſumptionib. lib.* 35
5. quæſt. 30. nu. primo. Quæ autem di-
catur præſumptio validior, fusè decla-
rat idem Author *quæſt. 24. præcedente*,
vbi ponit quindecim caſus, in quibus
probat maiorem efficaciam vnius præ-
ſumptionis comparatæ ad aliam, & pro-
ut ad rem noſtram ſpectat, dico ex eodẽ
Authore, illam præſumptionem eſſe
potentiorem, quæ facit ad validitatem.
ita ipſe Menochius ibidem caſu primo,
& fuſius tractatu *de arbitrarijs caſu*
427. nu. 2. & lib. 6. præſumpt. 2. Rurſus
in decimoquinto, & vlt. caſu inquit, il-
lam præſumptionem eſſe potentiorem,
& firmiorem, quę fauet animæ in ordi-
ne ad ſalutem ęternam, & delictum non
pręſumit, iuxta *L. Merito. ff. pro ſocio*
quod etiam docent aliqui relati ab ipſo
Menochio. Ex his colligo ſolutionem ad
argumentum, & dico, quòd quamuis
appoſitio conditionis impoſſibilis ſit in-
ditium diſſenſus in contrahentibus, &
fundet præſumptionem pro eodem diſ-
ſenſu, & ideò, niſi aliud in contrarium
habeatur, deberet inualidum iudicari
matrimonium pro foro externo; nihilo-
minus, quia adſunt longè validiores præ-
ſumptiones pro conſenſu, idcircò harũ
præſumptionum efficacia extinguit vim
alterius oppoſitę pro diſſenſu: eſſe autẽ
potentiores illas præſumptiones, quæ
indicant conſenſum, patet, quia faciũt
pro valore matrimonij, & non præſu-
munt delictum adeo graue, quale eſſet
celebrare exterius matrimonium ſine in-
terno conſenſu; quod certè, cum ren-
dat contra reuerentiam Sacramento de-
bitam, eſſet ſacrilegium: & licèt pecca-
tum etiam committatur apponendo io-
cosè conditionem impoſſibilem; attamẽ
non eſt tam graue delictum, ſicuti eſt ir-
ritum facere Sacramentum; deficiente

enim

enim conſenſu, nequit Sacramentum eſſe validum: ex duobus autem delictis minus in dubio, & non maius eſt præſumendum, vt oſtendit *Alciatus reg. 3. præſumpt. 6. & Menochius lib. 5. præſump. 2. nu. 24. & ſequent.* & quamplures, quos ipſi laudant. Rurſus plura alia inconuenientia ſequerentur, ſi apponens conditionem impoſſibilem, ſeriò id faceret, & nollet legitimum conſenſum præſtare; illuderet enim alteri coniugi, fingens interiùs verè matrimonio aſſentiri; & ſic eidem coniugi damna inferret in honore, & fama, ſi poſtea tentaret nullitatem matrimonij, & ſeparationem: multaque alia incommoda iuxta diuerſas circumſtantias euenire poſſent, de quibus fusè diſcurrit *Oñate ſect. cit. nu.* 144. ex his autem omnibus manifeſtè colligitur, indicia, quæ cauſant præſumptionẽ pro conſenſu, eſſe longe maiora, & potentiora, quàm ſit indicium procedens ex appoſitione conditionis impoſſibilis, pro diſſenſu: & ideò præſumptio procedens ex tali conditione extinguitur vi præſumptionum, quæ habentur pro cõſenſu: proindè ab Eccleſia rectè iudicatur in his caſibus in fauorem matrimonij, quando, perpenſis omnibus coniecturis, dubia manet intentio contrahentis, ſeriò ne, an potius iocosè voluerit ſub conditione impoſſibili matrimonium contrahere.

36 Et hæc quoad diſpoſitionem Iuris in ordine ad contractum matrimonij. Supereſt, vt examinetur ratio ſimilis diſpoſitionis inductæ à lege ciuili pro vltimis voluntatibus, nempè pro teſtamento fidei commiſſo, codicillis, legatis, & donatione cauſa mortis, in quibus, ſi apponatur conditio impoſſibilis, habetur pro non adiecta: & diſpoſitio remanet abſoluta, & pura, ac ſi conditio illa non fuiſſet adiecta, vt ſupra oſtendimus. quærimus igitur, ex quo capite ius potuit reijcere talem conditionem, & præſumere, teſtatorem voluiſſe abſolute diſponere de re aliqua, non obſtante quod conditio appoſita nihil eſſet operatura?

37 Dico igitur, rectè, & prudenter à Iure id diſpoſitum fuiſſe; quia in re magni momenti non præſumitur, teſtatorem voluiſſe decipere hæredem, legatarios, & alios, præcipuè, qui morti proximus exiſtit, quo tempore homines ſolent ſeriò diſponere de rebus ſuis: & quamuis ratio hæc videatur vim etiam habere, ſi dicatur, non eſſe præſumendum, velle in tali caſu iocosè ſe gerere, apponendo conditionem impoſſibilem cognitam, vt talem; reſpondeo tamen, quòd, licèt fictio applicari poſſit vtrique, nempe appoſitioni conditionis impoſſibilis, & ipſi rei, de qua eſt diſpoſitio, nihilominùs, quia fictio circa rem eſt longè peior, & valdè pernicioſa ob damna, & lites, quę ex illa inducerentur, idcircò in dubijs Ius præſumit fictionem minus malã, vt vitetur illa, quæ eſt deterior.

Sed inſtare quis poſſet, ſic argumentãdo. Obiectum impoſſibile vitiat diſpoſitionem vltimæ voluntatis, puta, ſi Teſtator inſtituat hæredem aliquem hominem mortuum, vel legatum faciat de re impoſſibili, V. g de Hippocentauro, ſeu de aliquo alio; ergo etiam conditio impoſſibilis vitiabit diſpoſitionem vltimę voluntatis. Reſpondeo ad hanc inſtantiam ex doctrina, quam tradit *Oñate diſp. 5. ſect. 1. nu. 242.* negando paritatem inter obiectum, & conditionem; nam conditio eſt quid extrinſecum, & eſſentiale; & ideò vitium obiecti neceſſariò redundat in ipſam diſpoſitionem, in quam non redundat vitium ſolius cõditionis; & licèt in alijs contractibus, vt ſupra oſtendimus, vitium conditionis refundatur in ipſum contractum, eſt tamen diſcrimen, ratione cuius potuit Ius impedire, ne vitium conditionis tranſeat in ſubſtantiam contractus, tum in matrimonio, tum in vltimis voluntatibus: quod fit reiecta conditione, manente tamen abſoluta, & pura ipſa diſpoſitione circa obiectum, quod eſt quid poſſibile; ſed quando vitium eſt intrinſecè in obiecto non poteſt Ius reijcere ipſum obiectum; quia illo reiecto, nequit conſiſtere diſpoſitio; nihil enim haberet, in quo poſſit fundari, vt eueniret, ſi eſſet de Chimæra; reiecta enim Chimæra, nihil remaneret; & ideò corrueret diſpoſitio. 38

REGVLA VII.

Priuilegium Perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

PRæſens Regula, quam examinandã aggredior, ex iure ciuili deducitur, nempè *ex L. In omnibus, & L. Priuilegia. ff. de Priuilegis,* & etiam ex alijs iuribus.

Digitized by Google

tibus. Supponit autem Regula hæc rationem, ſeu naturam priuilegij, & pariter celebrem illam diuiſionem in priuilegiũ reale, & perſonale: qua ſuppoſita, ſermo inſtituitur de priuilegio perſonali, de quo duę cõmemorãtur proprietates, videlicèt ita adhærere perſonæ, vt illam ſequatur, & ea extincta, extingui etiam ipſum priuilegium: quæ ſanè ex ſequentibus capitibus melius elucidabuntur.

CAPVT I.

Declaratur natura priuilegij.

1 ANtequam deueniam ad varias quæſtiones, quę ex hac regula deduci poſſunt, placet breuiſſima quadam explicatione terminos exponere; nimirum, quid ſit priuilegium, & quid ſignificet in hoc loco eſſe perſonale; recta enim horum declaratio non parùm iuuat ad deciſionem diuerſorum dubiorum, quæ ſunt proponenda. Dico igitur, quòd priuilegium eſt quædã lex priuata aliquod ſpeciale concedens: ita illud definit *Iſidorus lib. 5. Etymol. cap. 19.* & expreſsè habetur *in c. Priuilegia diſt. 3. & cap. Abbate ver. Concedimus. de verb. ſignif.* quam definitionem communiter amplectuntur Authores; vt *Emanuel. Rodriq. in quæſt. regul. to. 1. qu. 7. art. 1. Azor. in inſtit. moral tom. 1. lib. 22. quæſt. 1. Suarez de legibus. lib. 8. cap. 1. num. 3. Salas eod. tr. diſp. 17 ſect. 1. Caſtropalaus tom. 1. tract. 3. diſp. 4. pu. 1. num. 2. Gonzalez ad reg. 8. cancell. Gloſs. 35. à num. 5. & alij*, quos laudat *Barboſa in collect.. cap. Abbate cit. num. 3.* Solent tamen Doctores laudati addere prędictæ definitioni quædam alia verba, quæ magis, & clariùs exprimunt priuilegij naturam; ideoque aiunt, priuilegium eſſe quamdam ſpecialem iuris indulgentiam, ſeu ius ſingulare contra ius commune indultum. *ſic Barboſa* ex multis, loco cit. *& in d. cap Priuilegia nu. 2. & Petrus Peckius in explicatione huius regulæ*; quapropter ex ijs omnibus, quæ dicuntur ab allatis Auctoribus, ſic poſſumus definire priuilegium. Eſt lex priuata aliquod ſpeciale concedens, ſiue ſit cõtra ius commune, ſiue præter illud. Non
2 placet autem, quod ab aliquibus aſſeritur, volentibus, id ſpeciale conceſſum vi priuilegij ſemper eſſe contra ius commune, vt præſertim docet *Panormitanus in cap. olim. nu. 7. de verb. ſignif.* non placet inquam; quia plura reperiũtur priuilegia, in quibus nihil conceditur derogans iuri communi; cum ſint puræ gratiæ: & talia ſunt quamplura priuilegia conceſſa Religionibus, per quæ datur facultas abſoluendi ab aliquibus peccatis, & cenſuris, & facultas diſpenſandi in irregularitabus, votis, iuramentis, &c. vt legitur in Compendio priuilegiorum noſtræ Societatis. verbo *Abſolutio, Diſpenſatio, &c.* Rectitudo autem prędictæ definitionis facilè oſtẽdi poterit, eius particulas declarãdo; dicitur enim priuilegium *Lex*, loco generis, quatenus omne priuilegium eſt quędam lex, modo tamen explicando; & non è conuerſo; & ideò lex, cum ſit quid vniuerſalius, ponitur in definitione priuilegij loco generis. Quod autem priuilegium ſit quædam lex, declaratur; nam priuilegiũ ſi eſt perpetuum, aſſimilatur legi, de cuius ratione eſt perpetuitas; ſi vero eſt ad determinatum tempus, tunc quamuis hoc videatur deficere à ratione legis; nihilominùs quamdiù durat, ſeruandũ erit in modum legis, non ſolum interdũ ab alijs, ſed etiam ab ipſomet priuilegiato; vt euenit, quando eſt conceſſum alicui communitati, cuiuſmodi eſt prilegium fori conceſſum communitati clericorum, qui nequeunt illud renunciare, ſed tenentur ſeruare; vt ſtatuitur *in Cap. Si diligenti. de foro competen. & L. Ius publicum ff. de pact.* & ſic in alijs ſimilibus. interdũ verò, licèt ipſemet prilegiatus, poſſit priuilegium renunciare, & ad illud ſeruandum nequaquam obligari, & conſequenter videatur huiuſmodi priuilegiũ, non habere vim legis reſpectu ipſius priuilegiati; retinet tamen vim obligandi alios, ne iniuſtè impediant ius illud, quod habet priuilegiatus, vt ſuo priuilegio vtatur, & ſic in ordine ad alios habebit vim legis. Reliquę verò particulæ ſunt veluti differentia, per quã vltimò conſtituitur priuilegium, & diſtinguitur in ordine ad alias leges; dicitur autem, *Lex priuata*, quia aliæ leges tendunt ad condendum ius commune; priuilegium verò tendit ad ius priuatum in hoc ſenſu, vel quia contineat fauorem reſpectu priuatæ perſonæ, vel, ſi conceſſum ſit alicui communitati, tunc ipſa communitas ſe habet ad inſtar vnius priuatæ perſonæ, quatenus eſt pars maioris communitatis, à cuius legibus exi-

mi-

mitur. appellatur etiam lex priuata; quia ſemper per ipſum conceditur aliquod priuatum, & ſpeciale beneficium; vt rectè aduertit *Caſtropalaus loc. cit.* itaut, ſi nihil ſpeciale concederetur, inutile eſſet priuilegium, vt expreſsè habetur *in cap. in his. ver. cum autem de priuileg. & cap. Abbate. loco ſuperiùs citato.*

3 Ex his colligi poterit diſcrimen inter Priuilegium ex vna parte, & inter Legē, Diſpenſationem, Licētiam, Gratiam, ſeu Beneficium ex altera; nam à lege ſtrictè ſumpta differt, quatenus lex reſpicit ius commune, priuilegium verò ius ſpeciale: rurſus lex ſemper obligat, non autem priuilegium: denique lex interdum eſt pœnalis, nequaquam priuilegium. *D*iffert etiam à diſpenſatione in hoc, quòd diſpenſatio aliquando conceditur ad vnicum dumtaxat actum, vt euenit, cum Pontifex diſpenſat, vt aliquis abſoluatur de aliqua cenſura ipſi Pontifici reſeruata, vel ineat matrimonium cum aliqua ſibi conſanguinea; per hoc autem non conceditur aliquod ius permanens, & firmum; & ideò talis diſpenſatio non ſe habet per modum legis priuatæ; quod tamē eſt de ratione legis, vt diximus. & hanc opinionē, quatenus diſtinguit priuilegium à diſpenſatione, docet *Suarez lib. 8. de legibus cap. 2. nu. 10.* licet alij hæc duo confundere videantur; *vt Syluest. verbo, Priuilegium. qu. 3. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 1. nu. 1.* quorum ſententiam admitto, quādo diſpenſatio contra ius commune permanenter concederetur. *D*iffert etiā priuilegium à licentia; nam hæc eſt veluti trāſcendens; interdum enim eſt ad vnum actum, & tunc coincidit cum diſpenſatione; interdum verò eſt permanens, & ſtabilis, & tunc eſt quoddam priuilegium. Denique interdum licentia non eſt relaxatio alicuius iuris, & ſic non propriè diſpenſatio, quæ ſolet definiri per hoc, quòd ſit iuris relaxatio; vt ait *Gloſs. cap. Requiſitis. 1. qu. 7. Nauarr. in Enchirid. prælud. 9. nu. 15.* & alij, & talis eſt licentia, quam Prælati Regulares dare ſolent ſubditis ad 4
diſponendum de re aliqua; V. g. ad expendendam aliquam pecuniam, vel aliquid alteri donandum; licentia enim hæc non relaxat legem aliquam, neque votum paupertatis; & ideò propriè loquendo, Prælatus hanc concedens licentiam, non dicitur diſpenſare in voto paupertatis; quia votū emiſſum à Religioſis, quando profeſſionē faciūt imbibitā habet conditionē hanc, ne diſponant de re, quæ eſt pretio æſtimabilis, niſi dependenter à voluntate legitimi Superioris; proindè talis licentia nihil derogat voto paupertatis; imo eſt ſecundum illud: neque eſt contra aliam legem; quia nulla extat lex prohibens, ne Religioſus diſponat de re aliqua etiam cum facultate Superioris: quæ lex, ſi daretur, irrita, aut ſaltem illicita eſſet licentia.

5 Denique eſt diſcrimen inter priuilegium, & beneficium, ſeu gratiam; nam omne priuilegium reſpectu priuilegiati eſt quoddam beneficium, ſeu gratia. nō autem è conuerſo; quia Principe concedente alicui V. g. dignitatem, emolumentum, &c. dicitur ipſa conceſſio beneficium Principis, & non priuilegium; ſimiliter, ſi eximat aliquem Reum à pœnis, quas pro delicto commiſſo meretur, exemptio, & remiſſio dicitur gratia, & non priuilegium: & quamuis nonnulli aſſerant, de ratione priuilegij eſſe, vt illud, quod conceditur, ſit contra ius cōmune, & ſi tale non ſit, non eſſe priuilegium, ſed beneficium; nihilominus, vt rectè animaduertit *Suarez cap cit. n. 5.* eſſe poterit quæſtio de nomine; & ideò de illa non eſt valde curandum. Placet tamen mihi diſtinctio poſita inter priuilegium, & beneficium; etiamſi id, quod conceditur, non ſit contra ius, ſed præter illud.

6 Et hæc ſatis ſint quoad rationem priuilegij, vt ſic; remanet nunc declaranda alia dictio, nempè, *Perſonale*, in qua dictione latet aliqua æquiuocatio; nam, cum omne priuilegium vltimò tendat in alicuius perſonæ vtilitatem, poſſet alicui videri, ſuperfluā eſſe dictionem hāc, quia etiam non admiſſa ſubintelligeretur; & ideò vanam eſſe diſtinctionem in priuilegium reale, & perſonale; cum omne ſit perſonale. ſed res non ita ſe habet, vt fiet manifeſtum, diſtinguendo dictionem illam, *Perſonale*, quæ bifariā ſumi poteſt; primò, prout dicit perſonā, tanquam illam, quæ fruitur priuilegio, eiuſque commodum ſentit: ſecundò, tāquam ſubiectum, cui immediatè affigitur priuilegium: ſi in priori acceptione perſona ſumatur, tunc omne priuilegium erit perſonale; in hunc enim finem priuilegia conceduntur, vt ipſorum fructus perſonæ recipiant, etiam ſi ſint realia: ſi 7

verò perſona ſumatur poſteriori modo
non omne priuilegium erit perſonale;
quia dantur priuilegia immediatè adhæ-
rentia rebus; & tunc ſunt realia. V. g.
priuilegium conceſſum alicui Eccleſiæ,
aut Altari, in ordine ad lucrandas in-
dulgentias, erit reale; ſed quia eius effe-
ctus, ſeu fructus terminatur ad perſonas
particulares, vt ſic, dici poſſet perſonale.
In hac autem regula locutio eſt de priui-
legio perſonali in ſecunda acceptione:
& ſecundum illam procedit diuiſio priui-
legij in reale, & perſonale. His præmiſſis
pro terminorum explicatione, deuenio
ad quæſtiones.

CAPVT II.

De qualitatibus, per quas conſtituun-tur, & inuicem diſtinguuntur Priuilegium reale, & perſonale.

8 PLura de hac re ſcribunt Iuriſtæ in va-
rijs locis, & præſertim *in L. Quia
tale ff. ſolut. matrim. & Menochius de
præſumpt. lib. 3. præſ.* 103. *Suarez lib* 8.
de legibus cap. 3. *num* 3. *Salas eod. tract.
diſp.* 20. *ſect* 17. *num.* 124. *Azor. part.* 1.
lib. 5. *cap.* 22. *quæſito* 6. *& alij.* Placet au-
tem ad dignoſcendam diuerſitatem inter
priuilegium reale, & perſonale, hęc duo
præ oculis ponere; nempè obiectum, in
quod tanquam in finem, ſeu gratiam,
ordinatur priuilegium, & ſubiectũ, ſeu
materia, cui immediatè ipſum priuilegiũ
eſt affixum; diſcrimen autem non eſt de-
ſumendum in ordine ad obiectum, quod
non eſt aliud, niſi homo, in cuius vtili-
tatem, & commodum confertur omne
priuilegium; quia aliàs ſequeretur, om-
ne priuilegium eſſe perſonale, quatenùs
ſemper renderet in beneficium perſonæ,
quæ illo fruitur; ſed ſumendum eſt in
ordine ad ſubiectum, cui priuilegium
annectitur; proinde ſubſequentes regu-
læ ſunt attendendæ: videlicèt, Si ſubiec-
tum cui adhæret priuilegium, eſt aliqua
communitas, vt Ciuitas, Religio, Mo-
naſterium, Collegiũ, &c. quæ conſideran-
tur veluti quędam perſona ficta per iuris
fictionem, tunc priuilegium erit reale,
& erit perpetuum; quia ſubiectum eſt
perpetuum. Rurſus erit etiam reale ra-
tione loci, videlicèt Eccleſiæ, cui adhæ-
ret priuilegium, & manet, quamdiù per-
manet Eccleſia. Denique erit priuile-
gium reale, ſi conceſſum ſit intuitu ali-
cuius dignitatis perpetuò duraturę. V. g.
dignitatis Epiſcopalis, aut ſimilis; talis e-
nim dignitas, quæ ponitur, vt immediatũ
ſubiectum, cui ineſt priuilegium, perpe-
tuò durat. Cæterum, ſi priuilegium dire-
ctè, & immediatè concedatur perſonæ 9
non fictæ, ſed veræ, tunc erit priuilegiũ
perſonale, & non erit perpetuum; manet
enim pro eo tantum tempore, quo per-
ſona, quæ eſt eius ſubiectum, exiſtit. Ad-
uertendum tamen hic eſt, aliquando
priuilegium eſſe perſonę conceſſum ra-
tione generis, cuius intuitu conceditur,
nempè generis perſonarum; & tale eſt
illud, quod datum eſt minoribus quoad
ætatem, filijs familias, & ſimilibus; hæc
enim priuilegia perpetuò durant; & ideò
cenſuerunt aliqui, eſſe realia, & non
perſonalia. Ex alia vero parte, cum pri-
legia iſta immediatè adhæreant perſo-
nis veris, & non fictis, & non ratione
communitatis, nam, etiam ſi vna dum-
taxat exiſteret ſingularis perſona talis
generis, eodem frueretur priuilegio mi-
noribus conceſſo; ideò aliquo modo dif-
ferunt ab illis priuilegijs, quæ concedũ-
tur ſingulis perſonis, prout actu faciũt
communitatem aliquam, & ſunt priui-
legia realia, vt dictum eſt; proinde alij,
ob hanc rationem dicunt, tale priuile-
gium eſſe perſonale; quæ ſanè contro-
uerſia eſſe poteſt de nomine: & quam-
uis *Suarez cap* 3. *cit. num* 5. examinans
prædictas rationes concludat, tale pri-
uilegium eſſe multum ſimile priuilegio
reali; mihi tamen videtur, dicendum
eſſe reale; quia ſubiectum, cui immedi-
atè annectitur, eſt quid reale, & perpe-
tuum, nempè minoritas ætatis, vel ſu-
biectio, quam habent filij familias ad a-
liquem, &c. Quapropter aio, priuilegium 10
perſonale eſſe illud, quod, licèt conceſſũ
ſit intuitu alicuius dignitatis, quæ ſecun-
dum ſe eſt perpetua; nihilominùs, ſi in
conceſſione declaratur cauſa, ſeu moti-
uum, reſpectu cuius conceditur, reſtrin-
gitur ad talẽ determinatam perſonam.
V. g. Si concedatur Archiepiſcopo Pa-
normitano, & addantur, vt cauſa con-
ceſſionis, multa obſequia præſtita Regi
noſtro Hiſpaniarum, vel beneficia ex-
hibita Eccleſiæ; tunc cauſa reſtringit
conceſſionem, & facit, vt non extenda-
tur ad Archiepiſcopum Panormitanum
vt ſic, ſed ad tale indiuiduum; & ideò
priuilegium erit perſonale; quia ſubiec-
tum,

tum, cui immediatè adhæret, non eſt dignitas Archiepiſcopalis ſolitariè accepta, ſed modificata, per qualitatem illã ſuperadditam, nempè per meritum obſequiorum, ſeu beneficiorum præſtitorum; & ſic priuilegium cenſetur affixũ perſonæ indiuiduali, & erit perſonale; & extincta perſona, ipſum etiam extinguetur; quam doctrinam tradit *Abbas in cap. mandata. num. 1. de præſumpt.*

11 Ex his colliguntur duę regulæ, quibus dignoſci poſſit priuilegium, an ſcilicet ſit reale, an vero perſonale: & vtraque regula fundatur in qualitate ſubiecti, cui immediatè adhęret ipſum priuilegium. Prima autem regula hæc eſt; Si ſubiectũ eſt immediatè aliquod perpetuum, tunc priuilegium erit reale. *Secunda*; Si ſubiectum conſiſtit adæquatè in aliqua perſona vera, & reali, priuilegium erit perſonale: dixi, adęquatè, quia poterit Princeps moueri ad concedendum priuilegium ob aliquã cauſam, quę reperitur in aliqua perſona indiuiduali; & tale priuilegium eſſet reale: puta, ſi concedat Titio ob eius merita priuilegium pro ipſo Titio, eiuſque ſucceſſoribus, vel hęredibus; tunc enim cauſa conceſſionis erit indiuidualis, & perſonalis; priuilegium tamen erit reale; quia ſubiectũ, cui adhęret, eſt connexio talium perſonarum cum ipſo Titio: quæ quidem cõnexio eſt realis, & perpetua, & conſequenter reale erit priuilegium, quod in illa fundatur. Plures aſſignat coniecturas, eas examinans ad hoc dignoſcendũ *Menochius* omninò legendus *de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 103 per totam.*

12 Supereſt autem examinare, quid dicendum, quando penſatis omnibus, nulla ſe offert coniectura, ſeu ratio magis pro vna, quam pro altera parte, num priuilegium ſit reale, an vero perſonale: itaut intentio concedentis ipſum priuilegium colligi non poſſit ex verbis, an ſcilicet in conceſſione voluerit reſpicere rem potius, vel perſonam; & ideò intellectus maneat in æquilibrio.

Prima ſententia vult, in dubio priuilegium pręſumendum eſſe reale: ita *S. Antoninus par. 1. tit. 19. cap. 1. §. 2. in fine. Tiraquel. de primogen. quæſt. 40. num. 72. Emanuel Rodriq. in quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 56. art. 12. in fine*; citans *Specul. in tit. de inſtrum. edit.* quã opinionem plures alij docent, quos citat, & ſequitur *Barboſa in L. Quia tales ff. ſolut. matrim.* Ratio pro hac ſententia eſſe poteſt, quia priuilegium, cum ſit beneficium Principis, debet perſiſtere *cap. decet beneficium infra de reg. iur. in 6.* & ideo debet eſſe reale; ſi enim eſſet perſonale, non haberet perpetuitatem, ſed extingueretur extincta perſona.

Secunda ſententia eſt directè oppoſita, docens, priuilegium in dubio cenſendum eſſe perſonale. ita expreſsè docet *Gloſſa cap. Priuilegia Eccleſiarum 25. quæſt. 2. ver. Quod autem circa mediũ. Bartol. conſ. 189 num. 4. Decius L. in omnibus cauſis ff. de regulis iuris*, Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 27. num. 4. Tamburinus de iure Abbatum tom. 1. diſp. 16. quæſt. 11. num 5. & alij.* Ratio, qua hi Auctores id probant, eſt, quia priuilegium eſt ſtricti iuris: quapropter vt reſtringatur, potiùs eſt cenſendum perſonale, quàm reale; vt ſic enim, cõceſſio eſt minus ampla, cum minus duret, & ceſſet extincta perſona. Et confirmatur; nam præſumptio ſpecialis eſt validior, quàm ſit generalis; & ideò pręualet: vt ex multis iuribus, & Auctoribus oſtẽdit *Menochius de præſumpt. lib. 1 qu. 29. num. 7. & de Arbit. Iudic. lib. 2. cent. 5. caſu 472. num. 14.* & ideò pręſumptio reſpiciens perſonam, cum ſit ſpecialior, ceſſare facit generalem, eique pręferri debet.

Tertia opinio quamdam adhibens diſtinctionem, ambas relatas ſententias admittit; ſic enim ait: Si priuilegium eſt purum beneficium, videlicèt, ſi non includit præiudicium aliquod, neque contra ius commune, neque contra aliam tertiam perſonam; tunc in dubio præſumi debet reale, & perpetuò manſurũ, iuxta prędictã regulam *in cap. Decet.* vbi dicitur *Decet beneficiũ conceſſum à Principe eſſe manſurũ*; & iuxta aliam regulã *in cap. Olim tibi. de verb. ſignif. & in L. Beneficium Imperatoris. ff. de Conſtit. Princip.* hinc latam conuenit admittere interpretationem; quia continet fauorem, & nulla ex parte odium includit: ac proinde reale eſt cenſendum, quod ratione perpetuitatis ampliorem poſtulat explicationem, quàm priuilegium perſonale, quod non eſt perpetuum. Si verò priuilegium includit præiudicium, vel contra ius, vel contra tertium, erit odioſum, & ſtrictè interpretandum; ideòque in dubio, vt minus, quantum

fieri poterit, alteri damnum afferat, præſumendum erit perſonale; hoc enim pacto id, quod per ipſum cauſatur, non erit perpetuum, ſed temporale. Hanc ſententiam ſuſtinent quamplures, vt *Suarez cap.3.tit. de legibus nu.* 18. *Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *nu.*4. *circa mediũ*. *Baſilius Pontius eod. tract lib* 8 *ca.*18. §. 1. *num* 7. *Salas de legibus diſp.*7. *ſect.* 6. *Bonacina de legib. punct.* 1. *cit. quæſt.* 2. *num.*7. *Caſtropalaus to.*1. *tract.*3. *diſp.* 4 *pu.*2. §. 1. *nu* 6. *Merolla tom.* 3 *diſp.* 6. *cap.* 2. *diff* 2. *nu.* 22. *Diana par.*4. *tract* 3. *reſol.* 51. *Antoninus Eſcobar in vniuerſa Theologia morali lib.*5. *ſect.*1. *nu.*4. & *lib.* 6. *cap.*10 *probl.*1.

13 Dicendum eſt cum hac vltima ſententia, quæ eo modo, quo explicatur eſt valdè conformis iuri ciuili, & canonico, & ob rationes adductas vera, & amplectenda; & non ſolum quando dubium eſt negatiuum, videlicet eo tempore, quo intellectus rem conſiderans non habet rationes ſufficientes, vt vni, aut alteri parti aſſenſum præbeat, & ideo maneat ſuſpenſus; ſed etiam, quando dubiũ eſt poſitiuum, nempè quando occurrunt rationes pro vtraque parte probabiles, per quas intellectus poteſt alterutri parti aſſentiri.

14 Dices. Diſpoſitio ſpecialis derogat generali, eamque ceſſare facit, vt ſupra adnotauimus referentes ſecundam ſententiam: & docent communiter Iuriſtæ, id ex varijs iuribus deſumentes, in quibus dicitur, generi derogari per ſpeciem: hoſque Auctores, & Iura affert *Barboſa in axiomat. Iuris. vſu. frequen. axiom.* 107. *num.* 1. ergo in dubijs priuilegium nemini præiudicans cenſeri debet perſonale, & non reale; nam ſpecialitas, quę reperitur in priuilegio perſonali, vtpotè validior, præualet generalitati, quę inuenitur in priuilegio reali.

15 Reſpondeo, axioma illud plures admittere limitationes, quas affert, & probat *Barboſa in axiom cit. à n.*19. & prout facit ad rem noſtram, aio, non verificari quando genus, & ſpecies, ſeu diſpoſitio generalis, & ſpecialis ſunt compoſſibiles, vt auctoritate plurium probat ipſe *Barboſa nu. cit.* & in particulari id aſſerit *nu.* 27. loquens de priuilegiis, & dicens, per ſpeciale priuilegium non derogati generali: quod etiam multi alij docent, inter quos eſt *Gloſſa infra cap. Generi. de reg. iuris in* 6. *verb. pro ſolutione*; & *Panor. cap.*1. *de Reſcrip. nu.* 10. *Felinus num.* 3. *Tuſcus in pract. concluſ. to* 4 *lit. G. concluſ.* 36. *num.*99. *Menochius conſil.* 36. *num.*48 *tom.*1.

Pro clariori autem horum omnium intelligentia, quæ, ſiſtendo in vniuerſalibus, hactenus ſunt à me diſcuſſa, in perſcrutandis vtriuſque priuilegij, perſonalis, & realis diſcriminibus, & pro aliquorum dubiorum elucidatione, quæ contra prædicta obijci poſſunt, aliqua sũt priuilegia expendenda, quæ, licèt perſonalia, carere tamen videntur qualitatibus illis, quæ in hac regula, veluti proprietates, eiſdem priuilegijs adſcribuntur, ſeu inuoluere videntur qualitates nonnullas, quæ priuilegijs realibus annecti ſolent. Operę pretium igitur eſt hęc omnia diligenter examinare, & enodare.

CAPVT III.

Priuilegium perſonale videtur non ſemper perſonam ſequi.

Potiſſimum, imò adæquatum conſtitutiuum, per quod priuilegium perſonale diſtinguitur à reali, eſt inſeparabilis nexus inter priuilegium, & perſonam, cui illud conceditur, vt teſtatur præſens regula, & vniuerſaliter firmat Canoniſtarum auctoritas: nihilominùs commune illud axioma videtur, non habere locum in aliquo ſpeciali priuilegio. Vt autẽ veritas huius regulæ magis eluceat, exemplum pono in priuilegio illo, quo fruuntur Archiepiſcopi geſtantes pallium, nempè ornamentum illud ſignificans in Summo Pontifice plenitudinem poteſtatis, & in reliquis *Prælatis* inferioribus plenitudinem officij, vt colligitur *ex cap. Ad honorem. de auctoritate, & vſu pallij*. 16

Priuilegium autem hoc, quamuis alicui videri poſſit reale, & non perſonale, quia conceditur intuitu dignitatis, & non ſolum vni, aut alteri Archiepiſcopo, ſed omnibus: quæ duæ ſunt conditiones priuilegij realis, vt ex dictis colligi poteſt; nihilominus non ita res ſe habet: nã licèt dignitas ſit motiuum, quo Pontifex inducatur ad hoc priuilegium concedendum; tamen ſubiectum immediatum, cui priuilegium hoc affigitur, eſt perſonalis dignitas: & hoc patet ex eo quòd, mortuo Archiepiſcopo, eius ſucceſſor nequit

frui ſi nili priuilegio, niſi illud petat, &
denuò a Pontifice concedatur; & ideò nõ
eſt, ſicuti priuilegium conceſſum alicui
generi perſonarum, quale eſt priuilegiũ,
conceſſum minoribus, viduis, &c. quo
fruuntur omnes minores, & omnes vi-
duæ virtute prime conceſſionis. patet
igitur, priuilegium hoc eſſe perſonale;
tot enim ſunt priuilegia, quot perſonæ,
quæ illo fruuntur; & non ſolũ ſubiectiuè,
verũ etiã originaliter, nempè quatenùs à
Pontifice procedit. & in hoc eſt diſſimile
alijs priuilegijs, videlicèt priuilegijs mino
rũ, viduarum, & ſimiliũ, quæ, ſi ſpectentur
in ordine ad ſubiecta, nimirum ad perſo-
nas ipſas, quę illis gaudent, multiplican-
tur numero ad multiplicationem perſo-
narum; at non multiplicantur, ſi ſpectẽ-
tur comparatiuè ad ſuam originem, &
ad illud, a quo emanant; vt enim adno-
tauimus, ſub hac formalitate, ſeu reſ-
pectu, vnitatem habent; qua tamen ca-
ret priuilegium hoc, de quo loquimur.
His omnibus præmiſſis inſurgit dubita-
tio, quam in præſentia examinandam
proponimus, videlicèt, priuilegium hoc
videri deficiens a conditione, & natura
priuilegij perſonalis; quia non videtur
17 ſequi perſonam; nam Archiepiſcopus,
qui fruitur illo, ſi egrediatur è ſua pro-
uincia, ſeu diœceſi, nequit pallio vti,
vt habetur expreſsè deciſum pluribus lo
cis Iuris Canonici, videlicèt *cap. 1. §. Si
vero; & cap. Ad honorem §. Alij autem,
de Auctoritate, & vſu Pallij*; & hoc ip-
ſum communiter aſſerunt *Gloſ. ea. 1. cit.
in explicatione caſus, & cap. 2. §. In Ec-
cleſia ſua. Quarãta in ſumma Bullarij.
verbo Archiepiſcopi auctoritas. num. 32.
Zerola in praxi Epiſcop. part. 1. verbo
Archiepiſcopus, § 2. Genuenſis in praxi
curia Archiepiſc. Neapol. cap. 70. nu. 18.
Azor. in inſtit. moral part. 2. lib. 5. cap.
34. quæſito 7. Barboſa in collectan. cap.
1. cit. nu. 2 & alij* ergo, cum priuilegiũ
hoc ſit perſonale, & careat conditione
illa, quæ nempè eſt ſequi inſeparabiliter
perſonam, inferturnon eſſe de ratione
priuilegij perſonalis talem conditionem
ſemper habere.

His tamen minimè obſtantibus, aio
conditionem prædictam eſſe imbibitam
in priuilegio perſonali; ſed hoc eſſe in-
telligendum iuxta modum, & formam,
ſub qua priuilegiũ eſt conceſſum; inſepa-
rabilitas autem huius nexus, quam cum
alijs dico, cõuenire priuilegio perſonali,
prout contradiſtinguitur a reali, conſiſtit
in hoc; vt extincta perſona, neceſſariò ceſ
ſare debeat priuilegium; non autẽ, vt vbi-
cumque, & quandocũque exiſtit perſona
priuilegiata, vigeat priuilegiũ; nam, etſi
interdum detur tale priuilegium; nihi-
lominus non ſemper hoc euenit, V. g. ſi
Pontifex concedat alicui Epiſcopo, vel 18
alteri Prælato, vt in quibuſdam feſtis
ſolemnioribus applicet ſuis ſubditis ple-
nariam indulgentiam; & ad hoc conce-
dendum moueatur, non intuitu digni-
tatis vt ſic, ſed perſonę, ſeu intuitu di-
gnitatis, prout eſt in tali ſubiecto; tunc
certum eſt, priuilegium hoc eſſe perſo-
nale, & non tranſire ad ſucceſſores in
eadem dignitate: & tamen non ſequitur
pro quocumque tempore perſonã; quia
in alijs diebus non ſolemnibus priuile-
gium non habet vim, cum ſit reſtrictum
ad determinatos dies: idem etiam con-
tingeret, ſi priuilegium eſſet coarctatũ
ad locum; videlicèt, ſi facultas appli- 19
candi indulgentiam limitaretur ad talẽ
Eccleſiam, hoc eſt, eſſet conceſſa, quã-
do Prælatus in hac, vel illa Eccleſia ce-
lebrat; tunc enim extra illam non habe-
ret poteſtatem applicandi indulgentiã
hanc, & ſic de alijs ſimilibus. maneat
igitur ex dictis connexionem, quam
neceſſariò requirimus in priuilegio per-
ſonali, non eſſe, vt ſemper, & in quocũ-
que loco perſonam comitetur, ſed vt
nunquam vigeat, niſi perſona exiſtat;
quamuis dari poſſit priuilegium perſo- 20
nale, quod in quocumque loco, & tem-
pore perſonam ſequatur; hoc enim de-
pendet à voluntate illius, qui priuilegiũ
concedit. Ex his patet ſolutio ad dubi-
tationem; quæ in titulo huius quæſtio-
nis proponitur; nam benè intellecta na-
tura priuilegij perſonalis, nulla remanet
difficultas in eo, quod quæritur; quia di-
cimus, priuilegium, perſonale ſemper ſe-
qui perſonam in hoc ſenſu, quòd ſemper
poſtulet exiſtentiam perſonæ, cui ipſum
conceſſum eſt; non autem, quòd pro
quocumque loco, & tempore, etiam
exiſtente perſona, debeat priuilegium
ipſum vigere.

CA-

CAPVT IV.

An ſit contra Priuilegij perſonalis naturam extenſio ad alias perſonas.

21 HActenus conſiderauimus priuilegiũ perſonale reſtrictum ad perſonam, cui eſt conceſſum; nunc verò illud ſpectabimus comparatiuè ad alias perſonas non expreſſas in tenore, ſeu forma ipſius priuilegij, inquirendo, an ſint aliquo modo compoſſibiles perſonalitas priuilegij, & aliqua eiuſdem priuilegij extenſio ad alias perſonas non ita priuilegiatas? Pro qua re adnoto, quòd, ſi naturam huius priuilegij abſolute, & præcisè attendamus, reſponſio ad quæſitum in promptu habebitur, nempè extendi nequaquã poſſe; quia natura huius priuilegij eſt talis, vt maneat in ipſamet perſona, cui conceditur; itaut in aliam perſonam transferri nequeat: & de hoc priuilegio ſic ſpectato hoc ipſum affirmant communiter Auctores, tum Canoniſtæ, tum Iuriſtæ, vt *Ioannes Andreas cap. Ne aliqui. num.* 1. *de priuil. in* 6. *Tiraquellus de iure primogen. qu.* 32. *initio. Petrus Barboſa in L. Quia tale num.*8.*&* 22 *ff ſoluto matrim Sanchez.lib.* 7.*de matrim diſp.*47 *nu.*1.*&* 3. *Suarez de legib.lib.* 8.*cap.* 31.*num.* 1. *& plures alij*, quos citat, & ſequitur *Merolla in Theolog.morali tom.*3.*diſp.* 6. *cap.* 3.*dub.* 7.*num.*35.hoc pacto autem eſſet reſpondendum ad propoſitum quæſitum, ſi attendamus abſolutam, & præciſam naturam huius priuilegij: ſed quia interdum aliqua reperitur connexio inter perſonam expreſſam in tenore priuilegij, & inter alias non expreſſas, meritò dubitant auctores, an ratione talis connexionis, priuilegium, quamuis perſonale, nihilominus non ſit ita reſtrictum, vt maneat intra limites perſonæ expreſſæ, ſed extendi debeat ad alias? vt autem hæc omnia exactè declarentur, nonnulli examinandi ſunt caſus, de quibus ambiguitas, & controuerſia eſſe poterit; ſed priùs ab vniuerſalioribus exordium erit ſumendum, vt poſtea ad caſus ſpeciales deueniamus.

22 Dico igitur primò. Non quæcumque connexio inter perſonam expreſſam, & alias non expreſſas eſt ſatis ad hanc extenſionẽ faciendam; & ideò aio, non ſufficere connexionem, quæ fundatur in natura correlatiuorum; niſi aliquid aliud addatur, vt rectè docẽt Suarez, *Sanchez*, *& Merolla* locis citatis: & ideò inferũt, vxorem clerici coniugati, quamuis ſit marito correlatiua, non gaudere tamẽ priuilegio canonis, quod habetur *in cap. Si quis ſuadente* 17. *quæſt*. 4. vt omnes docent. Ratio eſt, quia qualitas, ob quã conceditur priuilegium hoc, reperitur in marito tantùm, nempè in clerico, in
quo eſt character ordinis. Rurſus, vt pro- 23
babilius infert Sanchez *diſp. cit. num.*3.
neque priuilegio fori gaudet vxor clerici coniugati; & plures laudat Canoniſtas pro hac ſententia, quam etiam ſequitur *Suarez diſp.cit. num.* 3. probant autem illam, ex eo quòd priuilegium hoc ſit perſonale, quatenus conceditur intuitu dignitatis, quæ reperitur in ordine, qui in ſolo viro habetur: imò vxor eſt illius incapax. tuetur autem Sanchez opinionem hanc, vt probabiliorem; nam oppoſita, quæ vult, hoc priuilegium extendi ad vxorem, eſt valdè probabilis, vt fatetur ipſemet *Sanchez*, eamque plures defendunt, quorum rationes ipſe refert *nu.*2. retenta autem ſententia negatiua, nempe priuilegium hoc non extendi ad vxorem clerici, (quod etiam de nonnullis alijs priuilegijs perſonalibus dici poterit) colligitur, quòd connexio fundata in ſola correlatione non eſt ſatis ad hanc extenſionem.

Dico ſecundò. Priuilegium, quod vni eſt conceſſum, ob rationem in illo tantũ 24
exiſtentem, communicatur alijs, quando ex materia, vel verbis eiuſdem priuilegij, aut ex iuris diſpoſitione, aut ex vſu, talis extenſio colligitur. ita Suarez quem ſequitur *Merolla* locis citatis. ex quo inferunt, priuilegia, quæ marito ratione nobilitatis conueniunt, communicari vxori: & hoc, quia in iure ſic diſponitur. *L. mulieres.Cod.de dignit.lib.* 12. vbi Imperator ſic inquit. [Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus.] & *L. Fœmina.ff. de Senator.* Cæterum quia nobilitas diuerſę rationis eſſe poteſt; interdum enim procedit ex ſanguine, interdum vero aduenit marito ob aliquod officium, ſeu dignitatẽ; idcircò iuxta diuerſitatem nobilitatis diuerſa erit communicatio, ſeu extenſio priuilegij in vxorem: & de hoc puncto fusè agũt Doctores in Tract. de Priuilegijs, hoc ipſum etiam exagitantes de priuilegijs, quibus fruitur pater, an ex-

ten-

tendantur ad filios; vbi etiam de priuilegio aui, an extendatur ad nepotes, & domini, ad famulos; & ſic de alijs ſimilibus, quæ omnia legi poſſunt apud prædictos authores; nam ex profeſſo pertractare de re hac non pertinet ad præſens inſtitutum; cum ſatis fuerit ſtatuiſſe, priuilegium perſonale non extendi ad alias perſonas intuitu coniunctionis, ſeu connexionis, vt ſic; niſi aliunde fundamentum talis extenſionis habeatur, modo ſuperius explicato: & ideò nonnullos dumtaxat caſus examinabimus, in quibus extenſio hæc videtur admittenda: vndè conſequenter infertur, non eſſe de ratione priuilegij perſonalis tranſmitti nō poſſe ad alios.

CAPVT V.

An priuilegium immunitatis à ſolutione vectigalium, quo gaudent Clerici, extendatur ad eorumdem famulos.

25 SVpponit præſens quæſtio, priuilegiū huius exemptionis non eſſe reale, ſed perſonale; vt ex multis adnotat *Squillante tract. de priuileg. Cleric. cap. 8. num.* 2. quatenus eſt conceſſum intuitu illius dignitatis, nempè ordinis clericalis, qui in Clerico reperitur; & ideò, eo mortuo, priuilegium hoc, quod erat in illo, ſtatim ceſſat. Hoc præſuppoſito, facilè decidenda videtur quæſtio, negādo videlicèt, extenſionem hanc fieri poſſe ad famulos Clericorum; quia tranſmiſſio ad alios cenſetur directè oppoſita priuilegio perſonali; vt patet ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, dum eius naturam declarauimus.

26 Pro completa autem huius quæſtionis intelligentia, oportet duplex famulorum genus conſiderare, nempè famulos, qui perpetuò obligati ſunt ſeruire Clericis, & alios, qui non perpetuò, ſed ad tempus addicti ſunt ſeruitio Clericorum: & rurſus hi etiam diſtinguēdi; nam aliqui interueniunt recipientes à Clerico domino ſingulis diebus alimenta, videlicèt panem, vinum, & alios cibos; alij verò non recipiunt alimentum à domino in cibo, & potu, ſed in pecunia quotidie ſoluenda. His omnibus præhabitis, refero aliquas opiniones auctorum variè ſentientium de re hac.

27 Prima autem ſententia nullam faciēs diſtinctionem de famulorum qualitate abſolutè aſſerit, priuilegium exemptionis à ſolutione vectigalium, quo fruuntur Clerici, extendendum eſſe ad eorumdem Clericorum famulos. ita *Riccius in praxi aurea reſol. 293. Squillante de priuileg. Clericorum. cap 8 nu. 17. & apud ipſum Oldradus conſil. 293. Carauita ſuper ritu M. C. V. ritu 46. num. 27. Bellettus. in diſquiſit. Cleric. tit. de exempt. Clericorum, &c. §. 7. nu. 2. pag.* 365. & in eadem ſententia videtur eſſe *Surdus deciſ.* 35. loquens de famulis Monachorum Carthuſiæ. Probari autem ſolet hæc opinio, *ex L.* 1. *&* 2. *C. de Epiſc. & Cleric.* vbi Imperator Conſtātinus ſtatuit, priuilegium exemptionis ab extraordinarijs oneribus Clericis cōceſſum extendi etiam ad eorum familiares. Confirmatur ex Iure Canonico *cap. Eccleſiarum ſeruos.* 11. *quæſt.* 2. ibi enim decernitur, ſeruos Epiſcoporum, & Clericorum angarijs non eſſe fatigandos.

Secunda ſententia eſſe poteſt illa, quā innuit *Surdus loc cit.* iuxta aliquorum ſenſum, nempè famulos, qui inſeruiunt, recipientes à domino pro obſequijs quotidianum cibum, frui eodem priuilegio immunitatis; ſecus, ſi in locum ciborum recipiant tantum menſtruam, aut diurnam mercedem in pecunia; nam hi videntur habere propriam, & diſtinctam familiam ab ea, quam habet Dominus; & ideò eius priuilegio frui non debent: non ſic illi, qui inſeruiunt recipientes mercedē in quotidianis cibis; tunc enim videntur facere veluti vnum corpus cū proprio domino, & conſequenter debēt eſſe immunes ab oneribus. 28

Tertia denique ſententia magis reſtrictè procedens, extendit priuilegium hoc ad ſeruos perpetuos, nempè ad mācipia: ita *Baldus in L.* 1. *num.* 2. *& L.* 2. *num.* 4. *Cod. cit. Abbas cap. Non minus. num.* 14. *de immun. Eccleſiarum:* Ripa *tr. de Peſte. tit. de* Remed. *ad conſeru. vbert. nu.* 128 *Menochius de Arbit Iud. lib. 2. cont. 6. caſu* 562. *num* 20. *&* 21. *Suarez in Defenſione Cathol Fidei. aduerſus Anglic. ſectæ errores. lib 4. cap. 29. num.* 12. *Carolus de Graſſis de effect. cleric: effect. 3. num.* 152. *&* 153. *pag.* 291. *Barboſa in L.* 1. *Cod. cit. num.* 12. *& de Iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *num.* 58. & alij apud ipſum; ratio autem, qua nituntur ad eximendos hos tantum famulos eſt, quia mancipia enumerantur 29

inter bona ſui domini, & ideò cum bona
clericorum ſint exempta à communibus
oneribus, erunt etiam & mancipia, quæ
ratio non habet locum, ſi ſermo ſit de
ſeruis temporalibus, qui ſunt liberi. Hæ
ſunt authorum ſententiæ; quid autẽ pro
babilius mihi videatur, mox aperiam.
Dicendum eſt primò, famulos, qui in-
ſeruiunt clericis, recipientes pro obſe-
30 quijs mercedem, ſiue quotidianam, ſiue
menſtruam, ſolum in pecunia, non gau-
dere exemptione. Conclusio eſt contra
primam ſententiam, conformis tamen
ſecundæ: Probari autem poteſt, quia ex
vna parte grauamen vectigalium non eſt
impoſitum bonis Clericorum; nam ea,
quæ medijs pecunijs receptis emunt hi
famuli, non continentur inter bona
clericorum, tum ante, tum poſt emptio-
nem; ex alia verò parte nullum reperi-
tur priuilegium, per quod famuli præ-
dicti eximantur, vt mox dicam, reſpon-
dens ad rationem, in qua fundantur au-
ctores illius ſententiæ, nempè *in L.* 1. C.
de Epiſc. & aio, ibi manifeſtè eſſe ſermo-
nem non de quibuſcumque ſeruis, ſed
tantum de perpetuis, videlicèt de man-
cipijs, vt patet ex ipſomet textu. Ad
confirmationem deſumptam *ex cap. Ec-
cleſiarum ſeruos* eodem modo reſpon-
deo, videlicet loqui de mancipijs, vt
exponit ibidem *Gloſs.* declarans caſum,
& alij Canoniſtæ, quos laudat, & ſequitur
Suarez loco cit. Hæc tamen opinio eſt
contra *Angelum Mariã Verricelli in
quæſt. moral. tract.* 8. *miſcellaneo. qu.*
9. vbi ſuſtinet, eadem immunitate gau-
dere famulos clericorum, etiam ſi pro
ſtipendio recipiant tantùm pecuniam;
quia æquiualentèr dicuntur recipere vi-
ctum a Domino: ſed auctor iſte probare
debuiſſet ęquiualentiam hanc; neganda
igitur eſt illi talis æquiualentia; latum
enim diſcrimen eſt, vt patet ex ratione
fundamentali, qua prædicta concluſio
probata eſt.
Sed vrgere quis poſſet efficaci argu-
31 mento, probans, ex prædicta doctrina
ſequi lęſionẽ immunitatis eccleſiaſticæ;
quia, etiã ſi onus gabellę directè impoſitũ
nõ ſit clericorũ bonis, nihilominus indi-
rectè idem onus redundat in ipſos cleri-
cos, niſi priuilegiũ perſonis eccleſiaſticis
conceſſum extendatur ad prædictos fa-
mulos; nam, ſi famuli laici in emendis
rebus ad proprium victum, ſeu veſtitum
ſpectantibus, deberent gabellam ſoluere,
poſtularent pinguiorem mercedem à
domino, vt illi inſeruiant. puta, ſi ga-
bellæ onus iſtis rebus nõ ſit impoſitum,
ſtipendium iuſtum eſſet tantùm duorum
ſolidorum, ſoluendum ſingulis diebus;
poſita verò gabella pinguius ſtipendium
peterent, V. g. trium ſolidorum, & ſic
Eccleſiaſtici cogerentur maius hoc ſti-
pendium ſuis famulis erogare, ſi velint
eorumdem famulatu vti; & conſequen-
ter grauamẽ gabellæ redundaret in ipſos
Eccleſiaſticos: ad vitandum autem tale
inconueniens, debet priuilegium per-
ſonale exemptionis, quo gaudent ipſi
clerici, extendi ad quoſcumque famu-
los.
Reſpondeo, tale grauamen eſſe per 32
accidens, & tantum indirectè; quod au-
tem aliquod remotè afferat nocumentũ
perſonis Eccleſiaſticis, non eſt curandũ;
quia non quodcumque indirectum gra-
uamen cenſeri debet contra eccleſiaſti-
cam immunitatem, vt adnotat noſter
*Molina tr. 2. de Tributis. diſp. 663. Verſ.
ex eo autem*; & probat à ſimili, videlicèt,
quando mercatores ſoluunt tributa ex
mercibus, quas vendendas aſportant,
& res cariùs vendunt; tunc enim non
ſequitur, quòd minori pretio debeant
vendere clericis, quàm vendant laicis;
ſed æquali pretio vtriſque vendunt; pro-
inde, licèt indirectè Eccleſiaſtici emen-
tes ab his mercatoribus ſoluant re ipſa
tributa, quæ ſoluta fuerunt à mercato-
ribus, non ſequitur fieri contra Eccleſi-
aſticam immunitatem; quia hoc eſt per
accidens, & valdè remotè: ſic *ex Mo-
lina*.
Dicendum eſt ſecundò, famulos, qui 33
inſeruiunt clericis ob quotidianum ali-
mentum præſtandum à domino in cibis,
& potu, eſſe exemptos; quia res,
quas in ſtipendium à Domino recipiunt,
vel conſiderantur, quando emuntur ab
ipſis clericis, & tunc nequeunt clerici
emẽtes ſubijci oneri gabellæ; vel poſt
emptionem, & tũc iam enumerãtur inter
bona ipſorum clericorum, & retinent
exemptionem eo modo, quo illam ha-
bent reliqua bona Eccleſiaſticorum, etiã
patrimonialia: cum verò poſtea res illę
transferuntur ad famulos in ſtipendium,
nequit habere locum gabella, quæ vt
ſupponimus, non eſt impoſita huic acti-
oni, ſed tantùm emptioni.
*D*icendum eſt tertiò, ſeruos perpetu- 34
os, nempè mancipia, eſſe omninò exẽp-

tos

tos à tributis, vt patet tum ex iure ciuili, tum ex canonico locis ſuperius citatis; & ratio eſt ſuperius tacta ex *Suarez* afferente, mancipia computari inter bona domini; & ideò ſicuti omnia alia bona, quando manent ſub dominio perſonæ eccleſiaſticæ ſunt exempta, ita etiam & mancipia.

Ex his quæ dicta ſunt inferri poſſunt nonnulla tamquam ſimilia, & affinia.

35 Et primò, priuilegium hoc clericorum extendi ad eorum filios, & ad reliquos de familia, qui aluntur ab ipſo Domino, & hoc ob rationem aſſignatam; nam alimentum, quod his ſubminiſtratur, eſt ex bonis ipſius clerici.

36 Secũdo poſſet, vt dubium, controuerti, num priuilegium hoc exemptionis extendatur ad Colonos clericorum? quã quæſtionem latè examinat *Menochius de Arbitr. Iudic. lib. 2. cent. 6. caſ. 562.* & præſertim à *nu.* 35. hinc inde referẽs auctores, & rationes pro vtraque ſententia; & *Bellettus. diſquiſit. cler. tit. tit. de exemptionibus. cleric.* § 7 *Barboſa de Iure. Eccleſ. cap. 39. cit. à num.* 30. vbi diſtinguens triplex Colonorum ge-
37 nus ait, aliquos eſſe colonos perpetuos, atque Eccleſiæ adſcriptitios; alios ad tẽpus, & conductitios; alios denique partiari s; hac diſtinctione præhabita, inquit, primi generis colonos eſſe immunes, & pro hac ſententia nonnullos laudat; plures autem citantur à *Bellet. to loco ſuperius allato* §. 7. *initio; & à Carolo de Graſſis effect* 1. *num.* 131. & *effect* 3. *num* 62. & 63 ratio autem huius extenſionis eadem eſſe poteſt, qua hoc ipſum ſupra probauimus de famulis perpetuis; in vtroque enim perſonarum genere eadem viget cauſa extenſionis, quam colligunt Doctores *ex L. 2. C. de Epiſcop. & Cler.* §. *omnibus clericis*; ac colonos ſecundi generis, ait, non eſſe immunes; quia, cum hoc priuilegium ſit perſonale, extenditur ſolum ad illos colonos, qui ſi grauarentur, onus redundaret in perſonam ipſius domini, vt euenit, quando aluntur ab ipſomet Domino, recipientes ab illo ſtipendium in cibis, & potu; ſecus ſi in ſola pecunia, vt diximus de famulis; quod verò ſpectat ad colonos tertij generis, nempè ad partiarios, ita eſt diſtinguendum, ſi ſermo ſit de portione, quæ debetur clericis, immunes ſunt coloni, alias grauarentur ipſi clerici; ſi verò loquamur de portionibus, quæ ſpectant ad ipſos colonos, nõ ſunt immunes; quia reſpectu talium perſonarum nullus eſt titulus fundans immunitatem. Limitat *Barboſa* hanc vltimam doctrinam in eo caſu, in quo coloni grauarentur nimio plus, quam coloni laicorum; & ideò nollent ipſi coloni laborare in poſſeſſionibus clericorũ; quia tunc indirectè grauamen redundaret in ipſos clericos, & ideò eſſet moderandũ. ita *ex Fiderico de Senis. conſil.* 1 r 1. *nu.* 3. *ex Felino. cap. Eccleſia num.* 99. *de conſtit.* explicat *Menochius. caſu cit. num* 55. qui cenſet, Iudicis arbitrio hoc determinandum fore. Ceterum caſus ille eſt valdè per accidens, & non pertinet ſecundum ſe ad rem noſtram, videlicèt ad extenſionem priuilegij perſonalis, ſed ad æquitatem fundatam in dictamine rectæ rationis; nulla enim ſe offert ratio, quare coloni Eccleſiaſticorum in imponendis oneribus plus debeant grauari, quam grauentur coloni laicorum; proinde tale maius grauamen in re ipſa directè potius, quàm indirectè renderet contra Eccleſiaſticos; idcirò erit modificanda, & reducenda ad modum quantitas illa, quam habet grauamen impoſitum colonis laicorum, ſi omnia ſint paria, & nulla ſit ratio ad talem exceſſum. Multa alia poſſunt de re hac excogitari, quæ latè expenduntur à laudatis auctoribus, & preſertim *à Menochio Carolo de Graſſis. & Barboſa*, ſed quia non faciunt per ſe ad præſens inſtitutum, ea omitto legenda apud prædictos.

CAPVT VI.

An Priuilegium exemptionis à gabellis quo in emptionibus, & venditionibus gaudent clerici, extendatur ad laicos ab ipſis clericis ementes.

CElebrem, & apud Doctores valdè exagitatam aggredior quæſtionẽ; quam ſic declaro. Ponamus quod à Principe ſupremo, ſeu à Magiſtratu, ad publicas ſubleuandas neceſſitates, gabellas proprijs ſubditis ſit impoſita, ſupra res ſiue ad victum ſpectantes. V. g. ſupra farinam, vinum, aut quid ſimile, dum venduntur; & gabella ſit vnius aurei pro quolibet dolio vini, hac lege, vt medietas illius aurei ſoluenda ſit à vendente, alia vero medietas ab emente, aut

totus aureus ab emente. Hoc poſito, quæritur, an emptor laicus in hoc caſu gaudeat priuilegio exemptionis, ſi emat à clerico?

38 Prima ſententia aſſerit, priuilegium hoc, quo clerici fruuntur, non extendi ad laicos; quamuis emant ab ipſis clericis. ita *Cardinalis, & Imola in Clem. finali. de cenſib. Bartolus. in L. Licitatio, §. finali. ff. de Publican Iaſon. in Authēt. Quas actiones. num* 41. *C. de ſacroſ. Eccleſ. Tiraquel. de Retract. lign. §.* 1. *gloſ.* 13. *nu.* 12. *Rodriquez in qu. regul. tom.* 3. *qu.* 74. *art.* 14. *Molina tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 663. *num.* 5. *&* 6. & huic ſententiæ videtur adhærere *Cardinalis Deluga* loco inferius citando, & plures alij, quos citat *Bellettus in diſquiſ. cler. tit. de exempt. cleric.* §. 8. *num.* 2. & ratio eſt, quia priuilegium exemptionis conceſsū alicui perſonæ in eius bonis nō tranſit ad alium, in quē bona illa transferuntur, vt plures docēt apud *Bellettū* §. *cit. n.* 3. *&* 4.

39 Secunda ſententia oppoſitum tuetur, videlicèt in caſu poſito ementem eſſe immunem à ſolutione gabellæ, quæ eſt impoſita contractui venditionis, & emptionis, ſi alter contrahens eſt clericus, & exemptione gaudet. ita *Baldus. conſil.* 31. *vol.* 1. *Decianus. conſil* 51. *num.* 10. 41. *&* 42. *vol.* 3 *Carolus de Graſſis effect.* 3. *nu.* 87. *&* 88. *Riccius in praxi aurea. reſol,* 187. *num.* 2. *& reſol.* 283. *Zerola in praxi Epiſcop par.* 1. *verb.* Gabella *qu.* 4 *in fine. Megalius in Inſtitut. confeſſ prima* 2. *partis lib.* 2. *cap.* 17. *qu* 6. *num* 107. *& ſequent* Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 52. *Ver. dicendum igitur;* & in hac opinione videtur eſſe *Verricellus in qu. moral. tract.* 8. *qu.* 12. appellans eam probabiliſſimam, & in conſcientia tutiſſimā; eamque etiam ſequitur *Menochius conſil.* 136. *nu.* 6. *& ſequen lib.* 2. & alij apud ipſum. Probari ſolet hæc opinio ex eo quod indirectè lęderetur immunitas eccleſiaſtica; quatenus tanto minus clericus venderet mercem illam, quanto maius eſt grauamen rei impoſitum; maioris enim æſtimationis eſt res libera omni grauamine, quàm illa, quæ eſt onerata, vt habetur *ex L. Si venditor. in fine ff. de ſeru. export.* Secūdo probatur *à Menochio num.* 10. ex natura correlatiuorū etenim ſicuti, quod prohibetur vni ex correlatiuis, intelligitur etiam prohiberi alteri correlatiuo, ita quod permittitur vni, intelligitur & alteri permiſſum; ergo, cum venditor, & emptor ſint correlatiua, ſi clericis venditoribus permiſſū eſt vendere fructus ſuos ſine ſolutione gabellæ; ita etiam permiſſum eſt laicis emptoribus. ſic diſcurrit, & probat hāc ſententiam Auctor iſte.

Tertia ſententia, quę videtur media; 40
cum tamen, vt inferius oſtendam, non diſcrepet ab immediatè precedente, cū diſtinctione procedens ait, quòd, ſi gabella ſit immediatè impoſita contractui, in quo vnus ex contrahentibus eſt clericus, & immunis onere vectigalium, tunc alter contrahens, quamuis ſit laicus, liber erit à ſolutione gabellæ; & hoc ratione connexionis, & quia grauamen redundaret in clericum, quatenus laicus vilius emeret ratione oneris, quo eſt grauatus; & ſi ipſe laicus eſſet venditor, & ratione venditionis cogeretur ſoluere gabellam, cariùs venderet, & ita ſemper grauamen redundaret in clericum, vel viliùs vendendo, vel cariùs emendo, & conſequenter Eccleſiaſtica immunitas ſemper læderetur. Cęterum ſi gabella non ſit impoſita immediatè contractui, in quo vnus ex contrahentibus eſt eccleſiaſticus, ſed ſit impoſita actui ſeparato, V. g. exportationi mercis, nempe vini, aut frumenti; & propterea *Titius laicus*, qui fuit emens frumētum à Clerico, velit poſtea frumētum illud deferre intra ciuitatem, vel extra illam, & huic inuectioni vectigal ſit impoſitum, tunc Titius non erit immunis, & priuilegium exemptionis nō extenderetur ad ipſum Titiū; & ratio eſt, quia ipſe in hac exportatione non communicat cum clerico priuilegiato. Hanc ſententiam tuentur aliqui; vt *Rolandus à Valle conſil* 61. *n.* 18. *Bellettus in diſquiſit. cler par.* 1. *tit. de exempt. cleric.* §. 8 *nu.* 4 *pag.* 368. *Thomas Delbene. tract. de publicis comitijs. dub.* 30 *sect.* 10. & eamdem ſententiam in caſu ſimili defendit *Nicolaus Baldelli* ex noſtra Societate vir eruditiſſimus in ſuo opere morali *lib.* 5. *diſp.* 37. *num.* 8. *& ſequent.* imò pro hac eadem ſententia citantur Authores ſecundæ opinionis relatæ; & meritò; quia ab hac vltima ſententia nequeunt diſſentire, neque de facto diſſentiunt; nam eximentes laicum ementem à clerico, loquuntur ſolū de illo actu, in quo laicus connexionē habet cum altero contrahente eccleſiaſtico; & ſic hæc vltima opinio non eſt diuerſa à ſecunda, ſed eſt illius explicatrix.

Hæ

Hæ ſunt ſententiæ, quas apud authores inuenio: remanet, vt declarem, quid ipſe ſentiam.

41 Dicendum eſt primò, has ſententias eſſe probabiles, tum auctoritate illorũ, qui illas defendunt, tum ob rationes, quibus ijdem auctores nituntur, quas ſuperius retuli. & eſſe probabiles cenſet *Cardinalis Delugo tract. de iuſtit. diſp. 36. ſect. 9. per totam*, vbi latè illas examinat, & præſertim diſcutit, quando indirectum grauamen eſt contra libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam; & magna ex parte adhæret illis, qui docent, id dependere ex intentione imponentis gabellam; nam, ſi imponatur animo exigendi indirectè illam ab Eccleſiaſticis, & in talibus circumſtantijs, ex quibus præſumi poſſit, gabellam imponi ea intentione, vt deſacto comprehendãtur Eccleſiaſtici; tunc inquit, lædi immunitatem eccleſiaſticam: ſecùs, ſi impoſitio non procedat ex tali intentione, & in talibus circumſtantijs. Hanc doctrinã, quatenùs ponit, indirectam læſionẽ immunitatis eccleſiaſticę dependere ab intentione prædicta, reijcit *Sanchez in conſilijs lib. 2. cap. 4. dub 55. á nu. 4* quia mala intentio, quamuis ſit peccatum, nihilominus non ſufficit ad reddendam iniuſtam impoſitionem illam, ſi ex alijs capitibus ſit iuſta: & pariter ſatis non erit, vt imponens gabellam incurrat cẽſuram excommunicationis, quæ eſt impoſita contra eos, qui medijs tributis grauant Eccleſiaſticos. Ita *Sanchez*. ſed, quidquid ſit de hoc puncto, cuius determinatio non pertinet ad præſens inſtitutum, ſatis mihi erit, non quodcumque indirectum grauamen eſſe ſufficiẽs, vt lędatur immunitas eccleſiaſtica; & tale eſt illud indirectum, de quo ſupra loquutus ſum, nimirum illud, quod prouenit ex venditione mercium, in qua mercatores ob gabellas ſolutas augent pretium mercium vendendarum, quod augmentum clerici ementes á mercatoribus ſoluunt: propterea, cum grauamẽ hoc procedat ex cauſis remotis, & non immediatè ex ipſo contractu venditionis, & emptionis, ideò non cenſetur eſſe contra iura, quæ pręſcribunt, & concedunt Eccleſiaſticis exemptionem a ſolutione vectigalium; & hoc rectè adnotat noſter *Molina tract. 2. de iuſt. diſput. 663 ver Ex eo autem*; & notat etiam *Delugo ſect. cit. num. 133.* qui tandem deueniens ad prædictas ſententias qualificandas *num. 142.* ait, probabilem eſ- 42
ſe ſententiam, quę aſſerit, non eſſe contra immunitatem exigere gabellam à venditore laico, etiam quando vendit clerico; quia tunc non exigitur gabella à clerico, ſed à laico, qui eam ſoluere debet ex pretio, quod recipit à clerico emente: & nihil obſtat, quòd al quando ratione gabellæ, quam ipſe venditor ſoluere cogitur, cariùs vendat, & clericus emens realiter ſoluat augmentum pretij, quod eſt impoſitum ratione gabellę; id enim eſt per accidens: & idem ferè euenit in caſu ſimili, quando ſcilicet mercatores, qui ſoluunt gabellam in ingreſſu vrbis ob merces, quas vendendas aſportã, augent earumdem mercium pretium, illudque auctum exigunt indiſcriminatim ab emptoribus, ſiue laicis, ſiue clericis. ita habetur ex doctrina ipſius Delugo, qui ad iuſtificandam hanc indirectam exactionem gabellę prærequirit conditionem illam, nempè, vt impoſitio gabellę non ſit ex intentione exigẽdi indirectè gabellam à clericis. eamdem doctrinam tradit *num. 144.* quando gabella eſt impoſita laicis emẽtibus à clerico, quia tunc nihil exigitur à clerico, ſed à laico tantùm; quamuis per accidens ſequatur, clericum viliùs vendere res ſuas, in quantum laicus grauatus onere gabellæ minus pretium ſoluit clerico vendenti.

43 Denique idem Author *num. 145.* ait, ſententiam contrariam eſſe etiam probabilem, nempè illam, quæ docet, laicum contrahentem cum clerico eſſe immunẽ à ſolutione gabellę, & eius probabilitatem fundat in eo, quòd, hac ſententia poſita, tolli videtur libertas perſonis eccleſiaſticis; quia laicus onere gabellæ grauatus, vel viliùs emit, vel cariùs vẽdit, & ſic grauamen redundat in ipſum clericum, vel vendentem, vel ementẽ; nam contractus, cui impoſita eſt gabella, indiuiſibiliter reſpicit vtrumque contrahentem. hanc rationem probabilem cenſet ipſe *Delugo*, ſed poſtea illam ſoluit, & in fine illius ſectionis concludit, quòd immunitas vnius contrahentis nõ videatur in hac materia immunem reddere vtrumque contrahentem.

44 Dicendum eſt ſecundò, ex prædictis ſententijs probabiliorem eſſe ſecundam, tum quia plures habet patronos, quàm habeat prima; tum etiam quia

ſolidioribus nititur fundamentis, vt pa-
tet illa conſideranti.

Dicendum eſt tertiò. Non obſtante
45 maiori probabilitate, quam, vt dixi, a-
gnoſco in ſecunda ſententia, relatum mi-
hi fuit, praxim eſſe contrariam, qua-
tenus emens, cui eſt impoſita gabel-
la, illam ſoluere cogitur, quamuis con-
trahat cum clerico; & è conuerſo, ſi ga-
bella eſt impoſita venditori, & laicus eſt
vendens, clericus verò emens, laicus nõ
ſit exemptus, ſed totam gabellam ſoluit;
& quando vtrique eſt impoſita, videlicèt
emptori, & venditori, tunc ſi vnus ex
his eſt Eccleſiaſticus, nihil ſoluit, ſed al-
ter contrahens, qui eſt laicus portionem
46 ſuam ſoluet. Hanc ſententiam damnare
nequeo; cum, vt vidimus, plures eam
tueantur: ſolum grauis, ex ſuppoſitio-
ne talis opinionis, inſurgit dubitatio;
nempè an gabella, quam debet laicus
cedat in vtilitatem clerici contrahentis,
V. g. vendentis; an potiùs in beneficium
Principis, ſeu magiſtratus, à quo gabel-
la illa fuit impoſita? hinc inde ſunt pro
vtraque ſententia, & authores, & rati-
ones; nam aliqui volunt, eſſe ſoluendam
clerico; & magna ex parte ſe fundant in
eo, quòd gabella ſit pars pretij illarum
mercium, quibus ipſa gabella eſt anne-
xa; volunt enim hi authores per impo-
ſitionem gabellæ ſtatim augeri pretium;
& ideo, ſi eſt impoſita emptori laico, &
iſte emit à clerico, debet ipſi clerico ſol-
uere, vt partem pretij, ipſam gabellam;
quando vero emẽs eſt Eccleſiaſticus, re-
tinet ſibi gabellam, & reliquam pretij
partem ſoluit laico venditori.

Alij vero oppoſitum ſuſtinent, aſſerẽ-
tes in tali caſu gabellam cedere in vtili
tatem *Principis*, ſeu communitatis, quę
illam impoſuit, & negant, gabellam eſſe
ſemper partem pretij. Controuerſiam
hanc, quæ apud Doctores eſt ſatis cele-
bris, fusè exagitaui in quodam tractatu
adhuc in lucem nequaquam edito; &
determinaui quid probabilius mihi viſũ
fuit; ſed deciſio non facit ad præſentem
materiam; nam ſiue clerico, ſiue com-
munitati, aut Principi gabella ſit ſoluẽ-
da, perindè eſt in ordine ad hanc quę-
ſtionem, in qua quæritur, num priuile-
gium perſonale immunitatis à ſolutionẽ
gabellarum, quo gaudent clerici, extẽ-
datur ad laicos contrahentes cum ipſis
clericis? controuerſia enim illa proce-
dit, ſupponendo abſolutè, eſſe à laico
ſoluendam, & ſolum dubitatur, cui ſolui
debeat; & ideò huius dubitationis reſo-
lutio, vt patet, eſt extra præſens inſti-
tutum; proinde eſt hìc omittenda; & a-
lia occaſione, quæ mihi ſe offeret, ape-
riam, quid de illa ſit ſentiendum.

Sed objicies contra ſecundam conclu-
ſionem, in qua ſtatuimus, probabiliorẽ 47
eſſe ſententiam, quæ docet, priuilegium
hoc, quo gaudent clerici, extendi ad
laicos contrahentes cum ipſis clericis:
objicies, inquam, afferendo alium caſum
ex L. Locatio §. *vlt ff de public. & vec-
tigal* vbi expreſsè ſtatuitur, quod quam-
uis fiſcus ſit immunis à ſolutione vectiga-
lium; nihilominus mercatores, qui emunt
fructus prædiorum fiſci, non ſunt immu-
nes; ergo in caſu noſtro, quamuis clerici
ſint immunes, non erunt tamen immu-
nes laici, qui emunt ab ipſis clericis; vi-
detur enim par ratio.

Reſpondet ad hoc argumentum *Me-
nochius cap. cit* aitque, in dicta L. *Loca-* 48
tio, ſeu in *L. Licitatto*, ſermonem eſſe de
actu ſeparato, & remoto, non autem de
connexo, & immediato; & ponit exem-
plum, per quod vterque actus declara-
tur, & nos ſupra explicuimus, referen-
tes tertiam ſententiam, quam diximus
non eſſe ſecundæ ſententiæ contrariam.
Sed, vt verum fatear, ſolutio hæc, quam
dat *Menochius* optima eſſet, ſi rexcui
quadraret; nam certum eſt, priuilegium
hoc; quo clerici gaudent, non extendi
ad laicos in actibus remotis, & non con-
nexis cum clerico, ſed tantum in actibus
proximis, & immediatis, in quibus vnus
ex contrahentibus eſt clericus, vt ſupe-
rius declaraui. Cæterum huic ſolutioni
acquieſcere nequeo, quia conſiderando
textum, in eo nullum verbum inuenio,
ex quo colligatur, ſermonem eſſe de ac-
tu ſeparato, & remoto; nam ibi, poſtquã
dicitur Fiſcus immunis eſſe ab omnium
vectigalium ſolutione, ſtatim additur,
mercatores, qui emunt fructus ex præ-
dijs Fiſci, non eſſe immunes: ſermo igi-
tur eſt de actu immediato, per quem
mercatores emunt a Fiſco: & ſic argu-
mentum remanet in ſuo robore; & ideo
alia via eſt procedendum, vt ſoluatur
obiectio contraria. Dico igitur caſum,
de quo eſt ſermo in Lege illa, eſſe diuer-
ſum; nam præſens quæſtio loquitur de
extenſione priuilegij, quo gaudet alter
contrahens, qui vi priuilegij eſt immu-
nis; nam, licet plura ſint priuilegia, qui-
bus

Digitized by Google

bus gaudet fiſcus, vt patet per totum titulum. C. *de priuil. Fiſci*, nihilomi nùs priuilegia, quæ ibi enumerantur, ſũt illa, quæ inter cæteros creditores competunt fiſco; & ideò immunitas in gabellis non conuenit fiſco virtute alicaius ſpecialis priuilegij, ſed ratione talis perſonæ; nam fiſcus eſt Rex, ſeu aliquis ſupremus Princeps: Rex autem eſt incapax obligationis ſoluendi gabellas, vel quia ipſi ſolui debeant, vel ſi ſoluendæ ſint alicui communitati, Rex, ſeu Princeps ſupremus eſt ſuperior communitatis, & nõ comprehenditur in ſtatuto, per quod imponitur gabella, quæ ſubditos tantùm afficit: & addo Regem non eſſe ſuperiorem Eccleſiaſticis circa ea, quæ ſpectant ad exemptionem ſoluendi tributa; proinde nequit grauare laicos, quandò immediatè contrahunt cum ipſis Eccleſiaſticis; quia grauamen, vt oſtenſum eſt, redundaret in ipſos Eccleſiaſticos: ſecus autem eſt dicendum in caſu illo, de quo agitur *in L. Locatio*; nam poteſt Rex grauare mercatores laicos ementes à fiſco, quia laici in hoc ſunt ipſi Regi ſubditi. Ex his patet, quo pacto ſoluendum ſit prædictum argumentum deſumptum *ex L. Locatio*; ſolutio autem fundatur in diuerſitate tituli, per quem perſona eſt immunis, vt declaratum eſt.

49 Obijcies. Priuilegium, quo fruuntur Eccleſiaſtici eſt perſonale; & ideo nequit tranſire ad alios, vt expreſsè colligitur *ex L. Quia tale. ff ſoluto matrimonio*: ergo priuilegium hoc immunitatis à ſolutione gabellarum, cum ſit perſonale, non poterit extendi ad laicos ementes à Clericis.

Reſpondeo, in connexis priuilegium perſonale poſſe interdum ad alium trãſire, vt in quibuſdam caſibus rectè probat *Menochius conſil. cit. nu.* 22. tunc enim connexio extendit priuilegium perſonale, quando ablata extenſione, priuilegiatus grauaretur, vt euenit in caſu noſtro, in quo, vt ſupra demonſtrauimus, clericus grauaretur, ſi laicus cõtrahens cum ipſo Clerico deberet ſoluere gabellam immediatè affixam contractui, in quo contrahentes ſunt Clericus, & laicus. Ad Legem autem adductam in contrarium facilis eſt interpretatio; nam ibi locutio eſt de beneficio perſonali, quod extincta perſona etiam extinguitur: quod à me non negatur, imò defenditur iuxta præſentem regulã Iuris Canonici, quam explico; ſed dico, in Lege citata non eſſe locutionẽ de extenſione priuilegij ratione prædictę connexionis, per quam ipſa perſona, quæ fruitur priuilegio, læderetur in re ipſa, de qua eſt priuilegium, niſi fieret prædicta extenſio; & ideò ad argumentum poſita hac declaratione pro antecedente, neganda eſt conſequentia. Plura alia addit ibidem *Menochius* pro defenſione huius ſententiæ, apud quem legi poſſunt.

CAPVT VII.

An Priuilegium à Summo Pontifice alicui Sacerdoti conceſſum recitandi matutinum paulo poſt meridiem extendatur ad ſocium non priuilegiatum, eadem obligatione aſtrictum?

PRima ſententia abſolutè affirmat, 50
eamque tuentur quamplures videlicet *Henriquez lib. 7. indulg. capit.* 30. *num.* 4. *Suarez de legibus lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 7. *Bonacina eodem tract. diſput.* 1. *qu.* 3. *pu.* 7 § 2. *nu.* 6 *Portellius de dubijs regul. verb. hora canonica nu* 8. *Caſtropal. par.* 1 *diſput* 4 *quæſt.* 13. *n.* 2. *Merolla in Theologia morali part.* 3. *diſput* 6. *cap* 3. *dub.* 7. *n.* 134. *Diana par.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 35.

Secunda ſententia negat, quam tuetur Arriaga *tom.* 4. *tract. de legibus diſp.* 32. *nu.* 13. dicens, valdè difficilem ſibi videri hanc extenſionem; hoc autem probat nonnullis rationibus inferiùs examinandis.

Tertia ſententia, quadam adhibita limitatione, amplectitur primam, nempè quando priuilegiatus abſque ſocio horas perſoluere ſine incommodo non poſſet; eam verò non approbat vniuerſaliter, ita *Bartholomæus à Sancto Fauſto lib.* 2. *de hor. can. quæſt.* 122.

Dicendum eſt cum Auctoribus primæ 51
ſententiæ, quam ego breuiter tetigi in explicatione Bullæ Cruciatæ *p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *ſect.* 2. *in fine ſeptimæ concluſionis*.

Probari autem poteſt concluſio, pri- 52
mò, quia ex vna parte priuilegiatus iſte, non debet cogi ad inquirendum ſocium,

qui eodem priuilegio fruatur; hoc enim eſſet valdè onerosum, & ſæpe moraliter impoſſibile, proinde ex hoc capite redderetur priuilegium inutile; ex alia verò parte, modus recitandi cum ſocio eſt laudabilis, & magis conformis ritui Eccleſiæ, quæ ſocialiter præſcribit horas recitãdas in choro; quia oratio, in qua plures coadunantur, procul dubio eſt Deo gratior, & ideò Chriſtus Dominus *Matth.* 18. dixit [Vbi ſunt duo, vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.] his verbis oſtendens, modũ in communitate placere, & conſequenter abundantiora auxilia, & gratias eſſe ita orantibus impertiturum. Si autem priuilegiatus, de quo eſt ſermo, non poſſet hora illa poſt meridiem, ſimul cum ſocio matutinas preces peragere, ſequeretur, priuilegium in eius fauorem conceſſum redundare in damnũ, quatenus impediret, quin ipſe priuilegiatus poſſet in recitatione Matutini ſeruare modum laudabilem, & Eccleſiæ ritui conformiorem.

53 *S*olet etiam aſſignari alia ratio, nempè priuilegium hoc concedi ad laborem priuilegiati minuendum; at ſi cogeretur ſine ſocio recitare, leuamen nõ haberet: ſed ratio hæc, quamuis non contemnẽda, non eſt tamen vniuerſalis, quia plures ſunt, qui æquè commodè recitare poſſunt matutinum, ſiue ſtatim poſt meridiem, ſiue poſt veſperas, & completorium; idcircò ratio hæc pro talibus locũ non habet. remanet ergo ratio prior à me aſſignata, quæ eſt valde congrua, & pro omnibus militat.

54 Ex his patet ratio, quare dicamus priuilegium hoc perſonale extendi poſſe ad ſocium; quamuis enim ſocius non ſit ſimpliciter neceſſarius ad vſum huius priuilegij, quia priuilegiatus poſſet abſque ſocio horas perſoluere; nihilominùs ſufficit, modum recitandi cum ſocio eſſe laudabiliorem, & priuilegiatum non eſſe illo priuandum in vſu priuilegij; imò intelligitur caſus iſte comprehenſus implicitè in conceſſione priuilegij, vt rectè animaduertit, *Suarez loc. cit*, addens, in rigore hanc non eſſe extenſionem priuilegij, ſed iuridicam interpretationem illius comprehendentis non ſolum ea, quę ad eius vſum ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſine quibus ipſum priuilegiũ inutile redderetur, verum etiam ea, quæ pertinẽt ad maiorem decentiam, & ipſiuſmet priuilegiati commoditatem.

55 Sed contra hanc ſententiam probans oppoſitã negatiuam inſurgit *Pater Arriaga* loco ſuperiùs citat. vbi conatur oſtendere, abſurdum aliquod conſequi ex affirmatiua, ſic diſcurrens. *Si* quis haberet priuilegium recitandi officium vna die, pro tota ſeptimana, quod, vt ipſe teſtatur, audiuit cuidam fuiſſe conceſſum, ſequeretur, poſſe aſſumere, vt ſocium, quemcumque alium ſacerdotem, qui audiendo ipſum priuilegiatum, & cum illo recitãdo ſemel officium, eximeretur ab obligatione recitandi reliquis diebus cuiuſdam hebdomadæ: hoc autem aſſerere difficile videtur. Neque iuuat dicere, eſſe facilius recitare cum ſocio, quã ſine illo; hoc enim non ſufficit ad ſtatim eximẽdum ſocium à ſua obligatione, qua aſtringitur ad horas canonicas perſoluendas; nam priuilegiatus in vſu ſui priuilegij poſſet admittere in ſocium aliquem alium, qui non tenetur ad horas recitandas. Hæc ex Arriaga, qui aliqua alia congerit, quæ, cum non faciant aduerſus ea, quæ ego ſuſtineo, iure illa omitto.

56 Reſp. tamen directè ad argumentum, negãdo eius ſequelam; quia ex eo, quòd aliquo caſu ſpeciali admittitur extenſio priuilegij perſonalis ad alias perſonas, non debet inferri eſſe admittendam in quocumque alio caſu; poterit enim reperiri ratio ſufficiens in aliquo determinato caſu ad illud extendendum, quæ ratio non inueniatur in alio, vt euenit in præſentia; nam extenſio priuilegij ad ſocium in recitandis matutinis horis ante tempus conſuetum, fit ex rationabili cauſa ſuperiùs aſſignata, quæ talis eſt, vt extenſio hæc præſumatur comprehenſa in conceſſione priuilegij; at nulla habetur probabilis cauſa ad id præſumendum in caſu conficto ab Arriaga: imò inter vnum, & aliud priuilegium plures interueniunt diſparitates, quoad extenſionem hanc vt mox demonſtrabo. Et primo extenſio prioris priuilegij eſt ſolum ſecundùm quamdam extrinſecam circumſtantiam, nempe quoad tempus, obligatione manente illæſa, quoad ſubſtantiam officij; at extenſio poſterioris priuilegij deſtruit ſubſtantiam ipſam, inquantum liberaret ſocium ab obligatione recitandi officium in reliquis diebus illius hebdomadæ: hoc autem non eſt admittendum, cum fauor ipſius priui-

legia-

Digitized by Google

legiati id minimè requiratur. Secundò in caſu prioris priuilegij, niſi fieret extenſio, imponeretur ſocio nouum, & duplex onus, quod non haberet, non adiuuando priuilegiatum; quatenùs aſtringeretur iterum repetere officium recitando illud hora conſueta: & ideò ad tale vitandum onus, vt fugeret ſocialem hanc recitationem: quod redundaret in præiudicium, & damnum ipſius priuilegiati: at in caſu ſecundi priuilegij, ſocialis recitatio, quamuis ponatur, nō liberare ſocium ab onere recitandi in reliquis diebus, nullam tamen nouam obligationem imponit ipſi ſocio, quam non haberet, ſi priuilegiatum non adiuuaret; quia ſiue recitet cùm illo, ſiue non recitet, ſemper tenebitur perſoluere horas alijs diebus: quod non contingit in vſu prioris priuilegij, in quo ſocius obligaretur ad repetendum officium, ſi non ſatisfaceret ſuæ obligationi recitādo alternatim cum priuilegiato. Tertiò videtur magnū inconueniens ſine cauſa eximere aliquem aſtrictum ad horas recitandas, vt vnico tantum die perſoluens officium cum aliquo, liberetur per totam hebdomadam, ne recitet: nulla autem apparet cauſa ſufficiens ad talem exemptionem. Ex his manifeſtè patet diſcrimen inter extenſionem vnius, & alterius priuilegij; & quam infirmum ſit argumentum tali paritati innixum.

CAPVT VIII.

Vtrum Priuilegiatus duos ſocios adhibere poſſit, vt ſecum matutinas preces modo explicato ſimul perſoluant.

57 Vidimus, poſſe à priuilegiato adhiberi ſocium ad recitandas matutinas horas paulo poſt meridiem, ita vt ſocius ſuæ obligationi ſatisfaciat: ex hac autem ſententia, alia maior inſurgit dubitatio, videlicet, an ſicuti licitum eſt priuilegiato vnum ſocium inuitare ad idem priuilegium participandum, ita etiam ſit licitum duos ſocios adhibere, qui in modum chori recitent cum ipſo priuilegiato? ſermo eſt de ſocijs, qui aſtricti ſunt horas canonicas quotidie perſoluere, vel ratione beneficij, vel ordinis, vel ratione profeſſionis religioſæ. Caſum hunc apud Authores, quorum plures ad hunc effectum peruolui, neque exagitatum, neque ſimpliciter tactum inuenire potui. Ratio autem dubitandi eſt, quia ſicut à priuilegiato conceſſimus adhiberi poſſe vnum ſocium non priuilegiatum, ex eo quòd hoc pacto vſus priuilegij reddatur conformior iuri, & ritui Eccleſiæ; vt ſupra diximus, ita adhibere duos ſocios ad modum chori, erit magis eidem ritui conformis: ergò, ſi conformitas proueniens ex conſociatione vnius erit licita, erit etiam licita duorum conſociatio. Hæc poteſt eſſe ratio, qua ſuaderi poteſt pars affirmatiua.

58 Hoc tamen non obſtante, dicendum eſt, plures ſocios non priuilegiatos, & adſtrictos ad horas canonicas perſoluēdas, adhiberi non poſſe in exercitio prędicti priuilegij. Probatur concluſio, primò, quia nullus author, quantum videre potui, id docere auſus eſt, cū tamē expreſſè id plerique admittāt de vno tantū ſocio. Secundò probatur ratione fundamētali ex principijs vniuerſalioribus; nam priuilegium hoc, cum ſit odioſum, vtpotè valde exorbitans à iure communi, ſtrictè eſt regulariter intelligendum, & interpretandum, vt communiter docent Authores Iuriſtæ, & Canoniſtæ, quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 8. de mat. diſput. 1. nu. 4 Suarez de legibus lib. 8 cap. 27. num.* 5. & ideò debet ita explicari, vt, quantum minùs fieri poteſt, lædat ius; & quantum ſatis eſt, ne ipſi priuilegiato inutile reddatur, aut nociuum; ſed adhibere vnum dumtaxat ſocium, ſatis eſt, vt priuilegium hoc ſit vtile, & non impediat laudabilē conformitatem cum modo conſueto, quem ſeruat Eccleſia; igitur ſatis erit huius priuilegij tenorem ſic interpretari.

59 Ex his patet reſponſio ad rationem dubitandi; nam licèt ex vna parte conſociatio prædicta videatur fauorabilis, quatenus reddit recitationem officij diuini, ritui Eccleſiæ conformem; ex alia tamen parte, quia per hanc conſociationem tempus recitandi ab Eccleſia præſcriptum omninò tollitur, conſociatio hæc erit odioſa, cùm in modo repugnet ritui Eccleſiæ: proindè ſtrictè interpretanda: & ideò ſufficit, vt in vnius tantùm conſociatione habeat effectum.

CAPVT IX.

Vtrum Priuilegium recitandi preces canonicas per Codicem breuiorem, aut diuerſum extendatur ad ſocium, qui priuilegiatum in horis perſoluendis adiuuet.

STatuimus in præcedenti capite, priuilegium recitandi matutinas horas diei ſequentis, paulò poſt meridiem, extẽdi poſſe ad alterũ non priuilegiatũ, adiuuantẽ in recitatione priuilegiatum; nunc verò examinandum proponimus, an idem dicendum ſit, ſi priuilegium fuerit quoad breuitatem, aut diuerſitatem officij? V. g. Titius ſacerdos obtineat à Summo Pontifice, poſſe ſuæ obligationi ſatisfacere, recitãdo ſingulis diebus officium trium dumtaxat pſalmorũ, & trium Lectionum, vel officium cum Breuiario diuerſo à Romano: inuitet poſtea Titius Petrum, vt ſecũ alternatim horas perſoluat; quæritur, an Petrus non priuilegiatus ſatisfaciat ita horas recitando?

60 Dico primò, probabile eſſe Petrum non priuilegiatum frui poſſe priuilegio recitandi horas canonicas, iuxta Breuiarium trium pſalmorum. Hæc fuit ſententia Patris *Henrici in ſumma lib. 7. de indulg. cap. 30. nu. 4.* qui eam probat ratione correlationis, quatenùs priuilegium, aut ius diſponens in vno ex correlatiuis debet extendi ad aliud correlatiuum. in eadem ſententia eſt *Nauarrus* quadam tamen adhibita diſtinctione,
61 *in commẽtario de oratione, & horis canon. cap. 10. num. 69. in octauo quæſito*, vbi duas proponit quæſtiones, quarum ſcilicet prima eſt, an ſatisfaciat ſuę obligationi recitans partem officij, ſecũdum breuiarium trium lectionum, ſi ad hoc ſit diſpenſatus, & partem ſecundũ Breuiarium Romanum? Secunda quæſtio eſt, num aliquis non habens priuilegium recitandi iuxtà breuiarium trium lectionum, ſi vſque ad primam recitaui cum ſuo hero habente tale priuilegium, teneatur, cum poſtea ſolus recitat, recitare reliquum iuxta formã Breuiarij trium lectionum, vel potius Breuiarij Romani? Has duas quæſtiones Nauarrus reducens in vnam, quærit, nũ ſatisfaciat ſuæ obligationi recitans partem horarum eiuſdem diei, iuxta formã vnius breuiarij, aliam vero partem, ſecundum formam alterius? idque tali pacto ipſe reſoluit dicens, quòd, ſi ſecundũ rubricam vtriuſque breuiarij, officium fieri debeat de eodem Sancto, vel de eadem Feria, aut Dominica, ſatisfaciat recitans partem iuxtà vnum breuiarium, & partem iuxta aliud; ſi tamen ſit diuerſitas, quatenùs in vno officiũ ſit de Sancto, & in alio ſit officiũ de Feria, tunc ait, non ſatisfacere, ſed debere continuare reliquum officij iuxta illud breuiarium. vtramque partem probat ibidem Nauarrus congrua ratione, quæ apud eum videri poterit.

In eadem Nauarri ſententia, ſed abſolutè, & ſine prædicta diſtinctione diuerſitatis officij, eſt *Petrus Anello Perſicus tract. de hor. canon. cap. 6. dub. 2. num. 20. & 21.* qui tamen ſecum ipſe mouens difficultatem hoc modo obiectionem format. Iſte talis non habet priuilegium, quod tamen habet eius herus: ergo quando non recitat ſimul cum illo, nequit vti priuilegio recitandi iuxta officium trium lectionum. Ad quam tamen obiectionem reſpondens inquit, id verum eſſe, quando ipſe ſolus cœpiſſet recitare officium alicuius diei, & ſolus illud perficeret, tunc enim non poſſet vti breuiario trium lectionum, ſecùs quando dimidium officij particularis recitauit cum habẽte priuilegium; quia, ſi cum eodem non potuit perficere, poterit vti eodem priuilegiati breuiario, ne cogatur, vel repetere officium legitimè recitatum, vel recitare horas, vel veſperas, de diuerſo ab illo, de quo recitauit matutinum, & laudes. Hæc eſt huius Authoris ſententia docentis, in quocumque caſu ſocium ſatisfacere, ſi poſtea ſolus proſequatur recitare iuxta formam Breuiarij priuilegiati. 62

Eſt etiam alia ſententia, quam tuetur *Bartholomæus à S. Fauſto tract. de hor. can. lib. 2. quæſt. 121.* in præcedente capite citatus, qui in titulo quæſtionis proponens tum priuilegium hoc, tum aliud quoad temporis anticipationem, de quo ſupra, vnica deciſione reſpondet approbans opinionem, quam tuetur Hẽriquez, quando priuilegiatus nequit cõmodè officium recitare ſine ſocio, non approbat autem illam, quando poteſt. Hæ ſunt ſententiæ, quas inuenire potui 63

de

de hac re; ſupereſt, vt quid ipſe ſentiã, declarem.

64 Dicendum eſt primò, opinionem, quã tuetur Henriquez, abſolutè intellectam non eſſe admittendam, neque tutam videri, ducor; quia ex vna parte certum eſt connexionem, ſeu conſociationem illam non fundari in eo, quòd eadem ratio inueniatur in vtroque; quia in vno militat fauor priuilegij, quo caret alter; neque fundari in neceſſitate, id eſt in eo, quòd non poſſit priuilegiatus vti ſuo priuilegio abſque interuentu alterius ſocij; quia hæc opinio abſolutè, & ſine limitatione procedit, & non cum illa reſtrictione, quam ponit Bartholom. à S. Fauſto: ex alia verò parte ceſſat omninò ratio illa, qua ſupra probauimus, conſociationem eſſe licitam in vſu priuilegij, quoad temporis anticipationem, vt mox videbimus, aſſignando diſparitatem inter vſum vnius, et alterius priuilegij: ergo opinio hæc abſolutè, & ſimpliciter intellecta, non eſt admittenda, neque tuta videtur.

Diſparitas autem eſt, quia ſocius adiuuans priuilegiatum, quoad ſolam temporis anticipationem, perſoluit ſubſtantialiter totum id, quod debet, & quoad aliquam tantùm extrinſecam circumſtantiam recedit à iure communi, nempe quoad tempus; proinde non videtur eadem eſſe ratio.

65 Dicendum eſt ſecundò, ſententiam quã limitatè docet *Bartholomaeus à S. Fauſto*, non placere; & quamuis non ità clarè falſa exiſtimari debeat; nihilominùs, quia nonnulli profeſſores ex noſtra Societate à me conſulti illam non admittunt, idcircò eam, vt probabilem, & in praxi tutam docere non audeo: & probari hoc poteſt; quia incommoditas illa, quæ ſuſtinenda eſſet à priuilegiato, non videtur ſufficiens, vt ſocius non priuilegiatus poſſit mutare ritum proprij officij; nam ſi eſſet incommoditas notabilis, potius eſſet excuſandus ipſemet priuilegiatus ad recitandum; ſi verò talis non ſit, ſed tantùm exigua, non eſt ſatis, vt ſocius, ad illam auferendam, mutet proprium officium, ad quod recitandũ ſtrictè obligatur. Verumtamen non deberet priuilegiatus in tali caſu eſſe ità delicatus, vt tali medio fugiat aliquam paruam moleſtiam.

Et hæc quoad primum punctum, nẽpè quoad diuerſitatem officij conſiſtentẽ in ipſius breuitate. Quod verò ſpectat ad ſecundum, videlicet ad diuerſitatem ſolius ritus; non occurrit aliquid, quod ſit magni momenti, præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, ex quibus colligitur ſolutio huius ſecundi puncti. Solùm hîc adnotari poterit, in permutatione vnius officij cum alio, quando æquiualerent in quantitate, non inueniri inconueniens aliud, quod reperitur, quando mutatio fit in officium notabiliter breuius.

Hæc autem omnia dicta ſint, præſcindendo ab illa controuerſia, quæ exagitari ſolet apud Authores, nempè an mutatio vnius officij cum alio, ſeu longioris cum breuiori, ſit culpa grauis, an ſolum leuis? quam opinionem fusè examinat *Leander de Sacramentis Eccleſiæ tract. 6. diſp. 13. quæſt. 27. & 28.* Controuerſia autem iſta, quæ examinari ſolet in tract. de horis can. non videtur hic diſcutienda; quia impertinens eſt ad præſens quæſitum. 66

CAPVT X.

Num Priuilegium celebrandi tempore interdicti, vel diuinis officijs aſſiſtendi, dilatari poſſit ad ſocium, ſeu ad familiarem?

IN hoc quæſito duo proponuntur, quæ diſtinctè ſunt examinanda, & decidenda. Primum procedit, quoad ſacrificium Miſſæ peragendum. Titius v. g. ſacerdos, qui obtinuit à Summo Pontifice, priuilegium celebrandi, quando eſt interdictum, ſiue generale, ſiue particulare, an poſſit adhibere ſocium non priuilegiatum, vt ſibi celebranti miniſtret? Secundum procedit, quoad aſſiſtentiã, eo tempore quo diuina officia celebrantur; & ideò quæritur, num Sortes habẽs priuilegium aſſiſtendi tempore interdicti poſſit ſecum familiarem adhibere? 67

Quoad primum dicendum eſt poſſe, ita *Io. Cald. tract. de Eccl. Interd. memb. 6. S. Antoninus par. 3. tit. 27. de Interd. cap. 4. verſ. item ſi in tali Eccleſia. Syluester verbo interdictum 5. quæſt. 1. verſ. quartum. Angel. verbo interd. 6. num. 6. Nauar. in ſum. cap. 27. nu. 181. Sayrus de cenſ. lib. 5. cap. 5. nu. 33. Suarez de legibus lib. 8 cap. 11. num. 7. Meratius tom. 3. diſput. 6. cap. 3. num. 131. & alij quamplures.* Ratio fundamentalis 68

K eſt,

eſt; quia, ſi priuilegiatus non poſſet ſocium adhibere, eius priuilegium inutile redderetur, quatenus ex vna parte illicitum, & prohibitum eſt celebrare Sacrum, abſque miniſtro inſeruiente, & ex alia parte impeditur, ne ſocium adhibeat vigente interdicto; ergo priuilegium eſſet omninò inutile: quod non eſt iuxtà mentem *Pontificis*, vt expreſsè colligitur *ex cap. licet vobis de priuileg. in 6.* nam facultas alicui conceſſa cenſetur data cum omnibus, quę ſunt neceſſaria ad vſum talis facultatis. Et confirmatur; quia valdè oneroſum eſſet priuilegiato, ſi obligaretur inquirere miniſtrum, qui ſimile haberet priuilegium.

69 Limitanda tamen eſt concluſio, vt locum habeat, quando ſocius, qui à celebrante ad inſeruiendum adhibetur, non dederit cauſam interdicto, neque dederit auxilium, fauorem, &c. ad committendum delictum, cuius occaſione interdictum impoſitum fuit; quia ſecus talis miniſter adhiberi non poſſet, vt habetur *in d. cap. Licet.*

70 Quoad ſecundum, dicendum eſt, priuilegium aſſiſtendi diuinis tempore interdicti extendi ad ſamiliares ipſius priuilegiati, niſi eſſent familiares alicuius Conuentus, aut Collegij, aut aliquis ex illis cauſam dederit interdicto, vt ſupra explicatum fuit. concluſio hæc eſt communis, eamque docent Authores laudati in præcedente concluſione, & alij, & habetur *in cap. licet cit.* probari autem poteſt prima pars; quia, niſi priuilegiatus poſſet familiares adhibere, quibus comitetur adiens Eccleſiam, ſi eſt perſona nobilis, Eccleſiam non adiret, & conſequenter inutile eſſet illi priuilegium. Veritas autem ſecundæ partis, colligitur ex dictis; quia ratio, quare priuilegium hoc, diximus, extendi ad familiares priuilegiati, eſt, ne redderetur inutile, quatenus priuilegiatus nobilitate ſanguinis inſignitus, non adiret ad Eccleſiam, niſi ipſum comitarentur familiares; quę ratio ceſſat in familiaribus Cõuentus, aut Collegij, vt rectè animaduertit *Barboſa in ſuis collectaneis in d. cap. Licet vobis nu.* 2. celebratio enim diuinorum, quæ fit in Cõuentibus, & Collegijs, non requirit familiarium comitatum, ſicuti eo indigent perſonę priuatæ nobiles Eccleſiam adeuntes.

71 Dubitatio tamen ex dictis inſurgere poteſt, quid ſcilicet veniat nomine familiarium? de qua re fusè egi in explicatione Bullæ *par. 2. tract. 2. cap. per totam ſectionem primam, & ſecundam*, vbi conſideraui nomen hoc, in ordine ad varia priuilegia; & iuxta priuilegiorum diuerſitatem alio, & alio modo reſpondi: in præſentia autem, agendo de priuilegio extraordinario conceſſo priuatis perſonis, & non inſerto in corpore iuris, aio, quòd, cum ex vna parte non habeat fauorem iuris ipſum inducentis, & ex alia parte contineat diſpenſationem, & relaxationem legis communis, strictè videtur explicandum; & ideo magis placet ſententia illa, quæ vult, in hoc, vel ſimili priuilegio per familires ſolùm intelligi eos, qui dominum priuilegiatũ ad Eccleſiam comitari ſolent; & ita ſentiunt expreſsè *Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 181. Rodriquez in Bullam cruciata* §. 5. *de interdicto diſp. 4. ſect. 2. dub. 7. concl. 2.* ita interpretantes priuilegium contentum *in d. cap. licet vobis de priuileg. in 6.* ſcilicet nomine familiarium, quibus conceditur poſſe vi huius priuilegij aſſiſtere diuinis in præſentia domini priuilegium habentis, nõ intelligi vxorem, filios, &c. ſed tantùm illos, qui de more Dominum comitari ſolent; & his aſſentitur *Merolla*, loquẽs de priuilegio conceſſo priuatę perſonæ, *tom. 3. diſput. 6. cap. 3. num. 137. Barboſa in collectaneis explicans cap. licet cit. num.* 5. Quapropter, cum hęc extenſio ſatis ſit, vt priuilegium ſortiatur aliquẽ effectum, & non reddatur inutile, idcircò non eſt magis extendendum cum læſione iuris communis. alias rationes hoc confirmantes vide apud *Merollam*, vbi ſupra.

Nolo tamen omittere id, quod *Merolla loc. cit.* habet pro contraria ſententia; adducit enim *Suarium*, quaſi aſſerentem *in cap. Licet*, ſub nomine familiarium, & domeſticorum venire etiam eos, qui ratione paternæ poteſtatis ipſi priuilegiato ſubijciuntur, vt ſunt vxor, filij, nepotes, &c. cum tamen *Suarez*, de hoc ibi nihil dixerit; quamuis enim ſub nomine familiarium, & domeſticorum latè ſumpto comprehendãtur omnes prædicti, nihilominùs non comprehenduntur, quando nomen strictè eſt explicandum, vt explicari debet in hoc priuilegio, & in illo, de quo eſt ſermo *in Cap. Licet*: proinde ex eo, quòd Suarez dicat, priuilegium extendi ad fami- 72

lia-

liares, & domeſticos, non debet neceſſariò inferri, quòd ipſe voluerit illud ampliare ad vxores, filios, &c. quia potuit illud ſtrictè accipere.

CAPVT XI.

Priuilegium celebrandi tempore interdicti religioſæ communitati conceſſũ, ſi vnus tantum ex illis religioſis in Conuentu reperiatur, num poſſit extendi ad familiarem eiuſdem Conuentus, vt Sacro aſſiſtat, & inſeruiat.

73 Prima opinio poterit eſſe negatiua, quæ probatur ex ipſomet textu *in cit. cap. licet §. conceditur* vbi Pontifex, cõcedẽs, vt familiares, & domeſtici illius perſonæ ſingularis habentis priuilegium poſſint admitti ad audiendum Sacrum, & reliqua diuina officia, excipit familiares, & domeſticos, alicuius Conuentus, ſeu Collegij, quos vult, non eſſe admittendos, niſi ipſi priuilegium etiam habeant: & ideò, licet huiuſmodi familiares reſpectu Cõuentus ſe habeant acceſſoriè, nequeunt tamen frui hoc priuilegio Conuentus propter prohibitionem Pontificis. & hanc opinionem negatiuã docet *Archidiaconus in dicto cap. Licet, nu. 2.*

74 Secunda opinio contrarium docet, videlicèt in caſu poſito licitum eſſe Religioſo, qui in Conuentu ſolus remanet, adhibere familiarem eiuſdem Conuentus, vt Sacro inteſſit inſeruiens. ita *Hoſt. in cap. quod nonnulli de priuileg. Angelus in ſumma verb. interdictum 6. nu. 6. in fine* & in eadem ſententia videtur eſſe *Syluest. in ſum. verb. interdictum 5. quæſt. 1. ver. quartum eum aliqui*, & apertè *Sayrus lib. 5. de cenſ. cap. 5. num. 30. verſ. ſi quæras. Filliuccius de interdict. cap. 3. num. 73. Merolla in Theologia morali par. 3. diſp. 6. cap. 3. nu. 140. & alij.*

75 Tenendum eſt cum hac ſecunda ſententia, ad quam amplectendam ducor, quia aliter priuilegiũ inutile redderetur, quatenus religioſus ille, ſolus in Conuẽtu manens, cogeretur ſacrum non celebrare ex defectu miniſtri ſeruientis. Non placet autem doctrina *Archidiaconi loc. cit.* quatenus aſſerit, in caſu poſito Religioſum illum, vel debere celebrare ſine miniſtro, ſicuti ſolebant celebrare, qui in Eremitorio habitabant, vel abſtinere à Sacro, non placet, inquam, talis doctrina, quia fortiùs obligat lex de adhibendo inſeruiente in celebratione, quam lex prohibens, ne familiares communitatis priuilegiatę fruantur priuilegio, aſſiſtendo diuinis officijs vigente interdicto, etiamſi ipſi priuilegiati non ſint; nam Sacrum Miniſterium celebrare ſine vllo miniſtro, videtur quoddam indecentius; imo antiquitus duo miniſtri præſcribebantur adhibendi, vt patet per textum *in cap. ſi quoque. de conſecrat. diſt. 1.* quamuis poſtea Pontifices modificauerint prædictum decretum, quod editum fuit à Sotero; vnde illud *S. Thomas 3. par. quæſt. 83. art. 3. ad 12.* explicat de Miſſa ſolemni. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt nunc, cõſuetudine eſſe introductum, quòd vnus tantũ miniſter in Miſſis priuatis ſufficiat, & hoc ex præcepto, quod continetur in varijs decretis diuerſorum Cõciliorum; quæ refert *Azor. part. 3. inſtit. moral. lib. 10. cap. 29. quæſt. 3.* quod tamen procedit, niſi cauſa rationabilis concurreret, ſecundum quam Sacerdos nõ habens miniſtros, in ſolemni die feſtiuo, vt declarat idem *Azor. ibidem*, ne omitteret Sacrum, excuſaretur celebrando ſine Miniſtro.

Quod verò dicitur de Eremitis, aio, quod, licèt illi potuiſſent ſine Miniſtro Sacrum conficere, hoc tamen erat ex cõſenſu, ſaltem tacito, Summi Pontificis, in quantum eo tempore, cum maximè vigeret ſtatus Eremitarum, ne perpetuò Sacerdotes abſtinerent à ſacro peragẽdo, congruum videbatur id permittere: quod hodiè nõ ita facilè permitteretur. Aliud denique aſſertum ab Archidiacono, videlicèt, vt in caſu poſito Sacerdos abſtineat, neque placet, tum quia priuilegiũ inutile redderetur; tum etiã, quia melius forſitan erit celebrare ſine miniſtro in diebus feſtiuis de pręcepto, quàm Sacrũ omittere, vt ex multis Auctoribus tamquam licitum amplectitur *Leander in quæſtionibus moralib. part. 2. tract. 8. diſp. 54. & Diana part. 10. tract. 15. reſol. 26. verſ. ſed hic obiter:* quod in diebus magnæ ſolemnitatis admittit *Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 87. in fine.*

REGVLA VIII.

Semel Malus ſemper præſumitur malus.

CAPVT VNICVM

Explicatio Regulæ, eiuſque limitationes.

1 PRocedit præſens Regula ex varijs iuribus ciuilibus, & canonicis, videlicèt *ex L. Sicuti § ijſdem ff. de accuſat. & inſcript.* vbi dicitur, quòd, cū quis per calumniam aliquem accuſauerit, ſi iterū eundem accuſet, præſumitur per calumniam id facere. Rurſus *ex L. Non omnes §. à Barbaris ff. de re militari*, vbi aſſeritur, militem, qui in militia malè ſe geſſit, præſumi etiam in poſterum non bene ſeſe habiturum. Ex Iure item canonico idem colligitur per textum *in cap. Scribam de præſumpt.* Ibi enim ex eo, quòd quis neglexerit leges præteritas, præſumitur, quòd ſit neglecturus præſentes. Ex his iuribus emanauit Regula hæc, cuius ſanè termini ſunt mox exponendi initiū ſumendo à verbo illo, *Præſumitur.*

2 Dico igitur, quod ſi huius vocis etymologiā ſpectemus, deprehendemus eam deriuare ex duplici dictione, nempè ex dictione *præ*, idest ante, & dictione, *ſumptio*; vnde ſic compoſita ſignificat acceptionem antecedentem, ſeu præcedentem, quatenùs ante probationes legitimas pro veritate ſumitur, & habetur, ſic docet *Simanca in opere de Cathol. Inſtitut. tit. 50. nu. 4.* quod opus extat in 3 tractat. magnis *tom. 11. part. 2.* Definitio autem realis, quæ præſumptioni conuenit ſub diuerſis modis ab Authoribus traditur, qui tamen idem ſignificant. Poteſt autem hoc modo firmari. Præſumptio eſt quædam veriſimilis coniectura, rei dubiæ, ex naturali cauſa, vel ex circumſtantijs negotiorum, aut perſonæ reſultans, ſic eam deſcribit *Simanca loc. cit.* & hæc quoad præſumptionem, vt ſic, vniuerſaliter ſpectatam.

4 Præſumptio diuiditur in varias ſpecies quas declarat *Gloſſ. in cap. Is, qui de ſpōſal. ver. contra. Simanca tit. cit. Menochius de præſumpt. lib. 1. qu. 2. per totam*, in cuius fine, cenſuit ex communi fere omnium ſententia, rectiùs diuidēdam fore in tres ſpecies, videlicet, in eam, quæ appellatur præſumptio iuris, & de iure, in præſumptionem Iuris tantum, & in præſumptionem hominis: quas ſpecies idem Author fusè exponit in ſequentibus, nempè *in quæſt. 3. 4. 5.* eas 5 autē ego breuiter declaro. Et prima, quæ etiam vocatur ab Authoribus neceſſaria, & violenta, quatenus proficiſcitur ex indicijs apertis, & violentis, dicitur eſſe Iuris, quia per legem inducta eſt; & appellatur de Iure, in quantum lex ſuper hac præſumptione ius firmū ſtatuit, eamque pro veritate habet. ita *Baldus in L. ſine Poſſidetis nu. 15. C. de probat. Alciatus de præſumpt. in prælud. 12 nu. 3. Felinus in cap. Quanto nu. 3. de præſump. Menochius eodem tract. lib. 1. qu. 3. num.* 18 ea autem ſic definiri poteſt. Eſt quædam legis diſpoſitio, per quam lex ſuper re præſumpta aliquid ſtatuit, illudque tamquam compertum habet, ita *Alciatus loc. cit.* hanc autem definitionem tradit etiam *Simanca*, vt ſupra, parum mutatis verbis, eumdem tamen ſenſum inuoluentibus, *& Menochius* 6 *quæſt. 3. nu. 27.* Ex eo autem quòd præſumptio hac procedat ex notis, ſequitur, vt communiter inquiūt Doctores, quòd nō admittat probationem in contrariū: quod tamen intelligi debet directè, quia præſumptio habetur à Iure pro veritate; indirectè tamen conceditur, admittere contrariam probationem, per quam totaliter non eneruetur, ſed ſolum aliquantulum extenuetur: eamque prudens iudex admittere poteſt, vt animaduertit *Menochius quæſt. cit. nu. 10. & ſequent.* & latè *eodem lib. quæſt. 65.* ratio autem, quare hanc indirectam probationem recipiat, eſt, quia, cum lex quaſdam certas requirat qualitates, vt hæc præſumptio inducatur, conſequenter non debet reijcere probationes, per quas aduerſarius oſtendat aliquam ex requiſitis qualitatibus defuiſſe, & conſequenter ob talis qualitatis defectum, non haberi conſtitutam præſumptionem Iuris, & de Iure. plures, & varios caſus affert *Menochius eadem quæſt. 65.* quos ex diuerſis Authoribus deſumpſit, & in quibus declarat probationes contrarias extenuātes efficacitatem huius præſūptionis: vnum, ego aut alterum referos pro intelligentia doctrinæ. V. g. Mulier, 7 quæ contraxit matrimonium per metū, ſi cum viro ſponte habitauerit, ſaltem per annum, & dimidium, præſumitur conſenſiſſe: ac proinde conualuiſſe matri-

tri-

trimonium, *vt Clemens III.* Pontifex decreuit *in cap ad id.de ſponſal. & matr.* habebitur enim de conſenſu mulieris præſumptio Iuris, & de iure, & quamuis his conditionibus poſitis directè eneruari nequeat præſumptio, indirectè tamen infirmari poterit, puta, ſi mulier cupiens diſſolui matrimonium probauerit qualitatem illam, ſcilicet cohabitationē diuturnam non fuiſſe ſpontaneam, ſed violentam, & coactam; quia tunc admittitur talis indirecta probatio, & probata violenta cohabitatione, tollitur præſumptio illa, quòd mulier conſenſerit in matrimonium, & metus purgatus
8 fuerit. Rurſus, ſi tutor conficiens inuentarium bonorum pupilli, deſcripſit in illo aliqua ſua bona, præſumuntur talia bona eſſe eiuſdem pupilli, vt ſtatuitur. *L. fin. §. fin. autem. C. de Arbitria tutela*. aduerſus autem hanc præſumptionem, quæ eſt Iuris, & de Iure admittitur probatio indirecta, per quam probatur bona illa fuiſſe reſtituta; ita *Baldus in L. cit. n. 7. & alij.* Multa alia exépla de re hac, quæ ponuntur à *Menochio* apud eundem legi poſſunt. Et hæc de præſumptione Iuris, & de Iure.
9 Præſumptio verò, quæ dicitur Iuris tantum, eſt quædam probabilis coniectura ex aliquo ſigno procedens, quæ gignit veriſimilitudinem, & probabilitaté, quamuis non ſequatur neceſſariò: & eā *Baldus* ſic deſcribit *in Rubrica C. de probat. num.* 4. Eſt animi Legislatoris ad veriſimile applicatio. præterea idem *Baldus* his alijs verbis eam declarat *in L. Ea quidem n. 5. C. de Accuſationibus.* Eſt ſimilitudo quędam ſufficiens ad rem dubiam, de qua creduntur credenda. de illa verò *Alciatus tract. de præſumptione in præludijs par. 3. nu 5. & Simanca de Cathol inſtit. tit.* 50. *de Præſumptione nu.* 6. eamdem deſcriptionem, parū mutatis verbis admittentes, addunt, eā haberi pro veritate, ſi aliud in contrarium non adducatur. Admittit tamen præſumptio hęc probationem contrariā, magis, aut minus efficacem, iuxta maiorem, aut minorem veriſimilitudinem ipſius præſumptionis.
10 Denique datur præſumptio hominis, quę ita appellatur, quia nullo iure eſt cōfirmata, & in hoc differt à præſumptione Iuris, quæ à lege eſt approbata. ita *Menochius qu. 5. nu. 4. citans Baldum Felinum, & alios*, definitur autem ſic ſecundum *Abbatis* doctrinam *in Cap. Quanto cit. nu.* 3. Eſt quædam ſuſpicio cauſata in animo Iudicis, vel cuiuſcumque ex varijs coniecturis, ſeu inditijs. verumtamen in definitione hac dubium facit *Menochio lib. cit quæſt. 5 num.* 17. dictio illa, *ſuſpicio*; quia, vt ipſe inquit,
eſt quid minùs ipſa præſumptione: quod 11
etiam aſſerit *Baldus in Authent. Si quis. C. de Adult. & Simanca tit. cit num.* 22. vbi docet quòd, quamuis ex iiſdem locis ducantur ſuſpiciones, ex quibus ducuntur præſumptiones, nihilominus minor eſt ſuſpicio, quàm præſumptio, & facilius aliquid ſuſpicari ſolemus, quàm illud præſumimus; & ideò non poſſumus id, quod ſuſpicamur, ſemper præſumere: licet interdum ex ſuſpicionibus præſumptiones oriantur. definiens poſtea
ipſe Simanca ſuſpicionem, ait. Suſpicio 12
eſt acceptio vnius partis cum formidine alterius. ſed, vt hæc deſcriptio vera ſit, & firma, aliquid aliud eſt ei addendum, quia, vt iacet, conuenire poteſt opinioni, de qua aſſerimus, eſſe acceptionem, ſeu aſſenſum vnius partis cum formidine partis oppoſitæ: vt autem contradiſtinguamus ſuſpicionem ab opinione, erit ſic dicendum. Eſt inclinatio intellectus magis in vnam partem, quàm in aliam, cui tamen non aſſentitur. & in hoc differt ab opinione, quæ neceſſariò dicit aſſenſum ad vnam partem, vt rectè no-
tat *Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 9 nu.* 13
4. Hæc autem licet ſint in rigore Iuris veriſſima, ſolent tamen confundi, ſumendo largè ſuſpicionem, quæ, vt ſic, dici poteſt de opinione, & de præſumptione, prout de illa loquutus eſt *S. Thomas 2. 2. quæſt. 6. art. 3. in corpore* tres ſuſpicionis gradus diſtinguens, quarum aliquæ ſunt leues, aliquæ vehementes, aliquæ demum violentæ.
Quomodo autem inuicem differant 14
Præſumptio, Inditium, Coniectura, Signū Suſpicio, Adminiculum, late declarat, & plurium authoritate confirmat *Menochius. quæſt. 6. per totam.* ea autem omitto, quia eorum exacta notitia non eſt neceſſaria ad intelligentiam præſentis regulæ; idcirco progredior ad explicandas dictiones alias.
Additur præſumptioni particula, *ſem-*
per, quæ licèt ſit perpetuitatis nota; de- 15
bet tamē reſtringi iuxta naturam actus, cui annectitur; & ideò, ſi actus continuò fieri poterit, tunc dictio, ſemper, eidem

ac-

actui adiuncta, denotat perpetuitatem; contra verò, ſi actus, cui fit additio, fit interiectus, tunc dictio, ſemper, ſignificabit rem ex interuallo fieri, ſeu congruis temporibus: in caſu autem noſtro indicat, quòd, eo tempore, quo vrget iudicium ferendum de aliquo, qui in crimẽ ſit lapſus, & non conſtat correptum fuiſſe, præſumitur in eodem delicto perſeuerare, vt habetur *Cap. Maiores* §. *Dormientes de Baptiſmo*, *& Gloſſ. ibi*
16 *verſ. Perdurare*. mutatio enim voluntatis non præſumitur, niſi probetur, vt latè ex varijs Iuribus oſtendit *Maſcard. de probation concluſ.* 1078. *nu.* 7. *&* 8. *& Barboſa in axiom. Iuris axiom.* 142. & quamplures penes ipſum. V. g. iuramento eius, qui ſemel fuit periurus, amplius fides non pręſtabitur, vt ex multis reſoluit *Peckius* in hac regula *nu.* 2. & ſic in alijs delictis, in quibus idem Author exemplificat.

17 Sed contra id, quod determinatur in hac regula, de eo, qui fuit ſemel malus, &c. vrgeri ſic poteſt. Quilibet præſumi debet bonus potiùs, quàm malus, ergo qui ſemel deliquit, non eſt præſumendus, quòd in eadem malitia perſeueret. antecedens, in quo tota difficultas conſiſtit, probatur; quia potius in homine eſt ſpectandum illud, quod ei conuenit ſecundum naturam, quàm ſecundùm accidens; bonitas autem conuenit homini ſecundum eius naturam; quia bonus, & rectus fuit à Deo creatus; peccatum vero accidit naturę humanæ: ergo quilibet homo bonus potiùs, quam malus præſumi debet.

18 Reſpondeo, quòd, quamuis homo initio bonus, & perfectus à Deo conditus fuerit; nihilominus per peccatum homo receſſit ab illa bonitate, & natura prona remanſit ad malum; ideoque peccãs præſumitur perſeuerare in eodem ſtatu, vel in opere, vel in voluntate, & effectu, niſi ex indicijs colligatur, receſſiſſe à malo per pœnitentiam. Contra hanc regulam dubitationes viginti proponit *PecKius nu.* 8 quas ſoluit poſtea *num* 9. apud quem legi poſſunt.

19 His omnibus conſideratis pro completa huius regulę firmitate, nonnullæ ſunt notandæ limitationes, quas eidem regulæ adhibet *Alciatus de præſumptione regula* 2. *præſumpt.* 7.

20 Primò enim illam limitat, aſſerens malum, in quo delinquens perſiſtere præſumitur, eſſe intelligendum de malo eiuſdem generis cum illo, in quo fundatur præſumptio, non autem de alio diuerſi generis, aut ſpeciei, nullam cum pręcedente malo connexionem habente, & de quo nullum habetur inditium, ſeu coniectura.

Secundò limitatur, quando ille, qui 21 malum patrauit per aliquod tempus probus permanſiſſet, abſtinens ſe ab illo delicto committendo.

Tertiò limitatur, vt regula nõ procedat 22 de illis delictis, quæ per ætatẽ alterãtur, ſeu ceſſare ſolent; & ideò quamuis iuuenis fuerit libidini deditus, ſenior tamen factus non pręſumitur eodem vitio laborare.

Quartò Regula hæc intelligenda eſt 23 reſpectu futurorum; quatenùs delictum committens præſumitur ſimile delictum in poſterum facturus; nam reſpectu pręteritorum pręſumptio hæc plenam probationem nequaquam facit, ſed tantum ſuſpicionem. V. g. ſi Notarius deliquit, falſum conficiens inſtrumentorum, cętera inſtrumenta non præſumuntur falſa, licet in futurum poſt condemnationem nequeat alia inſtrumenta facere.

Poſſet tamen quis inquirere, quare 24 falſitas iſta poſſit fundare præſumptionẽ de malo reſpectu futurorum, non autẽ reſpectu pręteritorum inſtrumentorum? ratio diſcriminis inter hæc non declaratur ab Alciato; mihi tamen, ſaluo prudentum iudicio, videtur eſſe, quia ante falſificationẽm, non erat fundamentum huius legalis præſumptionis de malo, & nemo pręſumi debet malus, ſed bonus, niſi de malo conſtet; at poſt falſitatem lex fundamentum habet pręſumendi malitiam: & quamuis falſitas prædicta ſufficiens ſit ad gignendam aliquam ſuſpicionem falſitatis in pręteritis inſtrumẽtis; nihilominùs non poteſt fundare legalem præſumptionem de malo.

Quinto non procedit regula in crimi- 25 ne occulto, quia non pręſumitur, quòd aliquis ſimile delictum ſit commiſſurus, imò potius præſumitur pœnitentiam acturus de crimine patrato. rationem huius aſſignans *Alciatus*, inquit, eſſe; quia in occultis interpretationem facere ſolemus in meliorem partem. *cap. Si omnia 6. quæſt.* 1. *cap. Ex tuarum de Sortilegijs*. Ita diſcurrit *Alciatus* in his li-

mi-

mitationibus, in quibus, vt ipſe ait, præſens regula locum nō habet, idque varijs iuribus, & pluriū authoritate confirmat.

REGVLA IX.

Ratum quis haberi non poterit, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

REGVLA X.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.

HÆ duæ regulæ connexionem inuicem habentes: poſtulant, vt coniunctim explicentur: ambæ enim deducūtur ex varijs Legibus in vtroque iure cōtentis; prior *ex L. Si pupilli. §. ſed ſi ego. ff. de negot. geſtis, & ex cap. penult. de ſent. excomun. in 6.* Poſterior verò *ex L. ſi fundus §. 1. ff. de pignoribus, & ex L. 1. §. deieciſſe. ff. de vi, & vi armata*, & ex alijs iuribus apud *Gloſſam* hic, & apud *Tiraquel. de retract. lig. §. 1. gloſ. 9. nu. 247. & ſequent.*

CAPVT I.

Quid ſit Ratihabitio, & quænam ad eius valorem requirantur?

AD rerum naturas perfectiùs inueſtigandas non parum confert ab earumdem definitione exordium ſumere; quapropter, cum in prædictis regulis de ratihabitione ſermo fiat, & nonnullæ quæſtiones de eius natura, proprietatibus, & effectibus ſint à me inſtituendæ; idcircò ab eius deſcriptione initiū capio.

1 Dicendum igitur eſt primò. Ratihabitio eſt quędam præcedentis actus conualidatio. ita *Geminian. conſil.* 128. *n.* 4. *ver. Ratificatio enim.* & hāc definitionē admittit *Tuſcus in pract. concl.* 10. 6 *lit. B. concluſ.* 8. eamque etiam recipit *Petrus PecKius* in explicatione *Regulæ Ratihabitionem num.* 2. Verba autem definitionis ſunt clara, & non multum indigent declaratione. Dicitur *conualidatio*, nempè approbatio, ſeu confirmatio, additurque, *actus præcedentis*, ad ſignificandum, de ratione ratihabitionis eſſe referri ad præteritum, quod fictione Iuris ſe habet, ac ſi fuiſſet præſens eo tēpore, quo actus fuit celebratus; idcircò dicitur retrotrahi: hæc autem fictio non cenſetur mendacium, aut aliqua falſitas, ſed vera, & conueniens Iuris diſpoſitio, vt in ſequenti quæſtione declarabitur.

Pro notitia dictæ fictionis eſt ſupponenda egregia *Bartoli* doctrina *in L. Si is qui. ff. de Vſucapion. ubi à num.* 21. exponit quid ſit fictio, prout de illa nunc loquimur, & quotuplex; placet autem eam breuiter percurrere. Deſcribens ergo Bartolus fictionem hanc verſus finem numeri 21. ſic inquit: Fictio eſt in re certa eius, quod eſt poſſibile, contra veritatem pro veritate à iure facta aſſumptio. Maſcardus verò *tom.* 1. *de probationibus quæſt.* 16. nonnullas diuerſas ex aliorum placito examinat definitiones, quas omnes, vtpotè inſufficientes ad explicandam fictionis naturā apertè reijcit: & quamuis aliquas dubitationes contra eam, quæ à *Bartolo* traditur, proponat, tandem eas ſoluit: & hanc *Bartoli* definitionem ait, eſſe ſequēdam. proſequitur poſtea idem *Bartolus* ad particulas huius definitionis explicādas. dicitur itaque *Aſſumptio*, nempè vſurpatio in re certa: & hoc ad diſtinguēdam ratihabitionē a præſumptione, quæ verſatur circa res dubias, & non certas; fictio verò circa certas. Rurſus additur, *Eius, quod eſt poſſibile*, quia ſuper eo, quod eſt impoſſibile, nequit dari fictio iuris. Sequitur alia particula ſcilicet, *contra veritatem*, quia ſi eſſet verum illud, circa quod verſatur fictio, non haberetur fictio, ſed veritas. præterea additur, *pro veritate*, ad ſignificandum effectum, quem habet *Ius* per ipſam fictionem; fingit enim, ratihabitionem fuiſſe ſimul cum actu tempore præterito. 2

3 Has autem particulas conuenire ratihabitioni probat varijs Iuribus idem *Bartolus*, apud quem legi poſſunt; nam hic à me ſupponuntur. Poſt traditam autem, & explicatam definitionem progreditur idem Author nu. 25. ad aſſignādas ſpecies fictionis, aitque, tres eſſe, nēpè Inductiuam, Priuatiuam, & Translatiuam, ſeu extenſiuam: quod probat ex triplici modo, quo homo ſecundum veritatem operatur: & dat exemplum in contractibus, & in alijs actibus, dicens quòd fictio imitatur naturam, & veritatem in modo operādi humano; tripliciter enim ſe habet homo in ſuis operationibus; vel aliquid de nouo ponendo v. g. emendo, locando, &c. vel de-

ſtru-

ſtruendo factum, vel illud de vna forma in aliam transferendo, & immutando; ita etiam ſe habet fictio; cum enim Ius fingit eſſe, quod non eſt, ſed poſſibile eſt, tunc appellatur fictio inductiua; cum id, quod eſt, fingit non eſſe, dicitur priuatiua; ſi verò fingat id, quod eſt vno modo, eſſe alio modo; fictio dicitur translatiua;
4 ſub quocumque autem ex his tribus modis certum eſt, quòd fictio tantùm operatur in caſu ficto, quantum veritas operatur in caſu vero, vt colligitur *ex L. 21. §. 1. C. de rei vxoria act. cap. Ad audientiam de Clericis non reſid. in fine.* & docent communiter Authores *Euerardus in Topicis loco à vi Fictionis in formatione ſecundi Argumenti pag. Mihi 665. Gonzales ad reg. 8. Cancelli Gloſ. 5. n. 28. Barboſa in axiomat. Iuris vſu freq. axiom. 97. nu. 1.* & alij apud ipſum. multa autem de re hac tradi ſolent exépla à laudatis Authoribus. V.g. *Si* quis verè non eſt ciuis, & Princeps, ſeu Magiſtratus, ad quem pertinet, ſtatuat illũ eſſe habendum, vt ciuem; tunc erit realiter ciuis: & ſic aio de illo, qui legitimatur ab habente poteſtatem legitimãdi, qui ſtatim ex illegitimo fit legitimus: ſic etiam, quamuis adeptio ſit ficta filiatio, nihilominus eumdem effectum operatur, ac vera, & naturalis filiatio; & ſimiliter, qui eſt abſens, habetur interdum
5 vt præſens, vt diſponitur *in cap. ad audientiam ſuperius cit.* & ſic in alijs ſimilibus. His omnibus de fictione breuiter præhabitis, deuenio ad ratihabitionem, & dico fieri per translatiuam fictionem, quatenus per illam coniunguntur duo extrema, quæ verè, & realiter non extiterunt ſimul, habentur tamen, ac ſi ſimul extitiſſent: & ſic vnum extremum trahitur ad aliud, quod fuit prius. & hæc quoad primam partem quæſiti.

6 Dicendum eſt ſecundò, ad legitimã, & validam ratihabitionẽ nonnullas requiri conditiones; videlicèt, vt vtrumque extremum ſit aptum ad ipſam ratihabitionem recipiendam: præterea, vt nullum ſit impedimentum ad coniunctionẽ ipſorum, aliter ratihabitio fieri non poſſet, neque mandato æquipararetur: rurſus vt ille, qui ratum habet actum præcedentem, potuerit illum efficere, ac mandare, vt aduertit *Baldus L. 1. n. 29. C. Qui admitti ad bonorum Iaſon. in L. Qui in aliena nu. 19. ff. de acquir. hered.* ceſſat ergo ratihabitio, quando actus ab initio non fuit ſub poteſtate ratum habentis, vt colligitur *ex L. Obſeruare §. Eſt enim ff. de officio Proconſulis d. & ibi Bartolus num 4. Innocen. & Abbas in cap. Prudentia de offic. deleg.* & alij,
quos citat *Barboſa* in explicat. huius re- 7
gulæ, qui docet etiam ex multis, ceſſare effectum ratihabitionis, quando fieret præiudicium alicui tertio, vt apertè colligitur *ex* Cap. *Quamuis, & cap ſi pro te. de reſcript. in 6.* & fusè declarat *Tiraquellus de Iure primigen. quæſt. 24. num.*
19. & de Retract. lign. §. 5. gloſ. 2. num. 8
71. Præterea exigitur, vt actus, ad quem ſit ratihabitio, geſtus ſit nomine ipſius, qui illum debet ratum habere, vt ſtatuitur in Regula priori loco relata; vnde, ſi negotium, quod fit nomine furioſi, vel infantis, nequit ab eiſdem, etiam ceſſante impedimento, ratum haberi; quia initio quando actus fuit factus, non poterat mandari ab eodem furioſo, vel infante.

Dicendum eſt tertiò, ratihabitionem 9
fieri poſſe explicitè, & implicitè, & non tantum verbis, ſed etiam facto; explicitè autem fit, quando expreſſè dicitur ratificari talis determinatus actus; implicitè verò cõtingit diuerſis modis fie-
ri, quos declarat *PecKius in hac regula* 10
num. 3. & ſequent. V. g. per receptionẽ literarum, in quibus continetur negotiũ geſtum; ſi enim recipiens litteras taceat, & non contradicat, cenſetur tacite ratũ habere negotium geſt; ſecundò per tacitã ratificationẽ, quæ fit. V. g. per ſolutionẽ expenſarũ, quæ factæ fuerunt in negotio geſto, alios modos vide apud *PecKiũ loc. cit.* vbi aduertit in fine ſecundi numeri, quòd non ſufficit ratihabitio tacita, quando lex requirit pro forma expreſſam ratihabitionem: quod etiam *Barboſa* animaduertit *nu.* 8.

Ex dictis in præcedente quæſtione 11
colligimus, in ratihabitione eſſentialiter includi retroactionem, nempè, tranſlatiuam fictionem in re certa, quatenùs vno modo, & vno tempore exiſtens trãſfertur, per quamdam imaginariam reductionem ad alium modum, & tempus. Poſſet quis dubitare, an fictio hæc de qua loquimur, ſit licita? videtur enim repugnare honeſtati veritatis, & ideò, vt vitioſa potiùs deteſtanda, quàm à Iure admittenda: cui dubitationi in ſequẽti quæſtione ſatisfaciam.

CA-

CAPVT II.

An fictio legalis, vt licita, amplectenda ſit, & in quibus rerum generibus locum habeat?

12 QVod attinet ad primam partem quæſiti videtur fictio, etiam legalis, eſſe cõtraria rectæ rationi, ac proindè abijcienda; quia cenſetur eſſe ſimulata veritas, & falſitatem, ſeu mendaciū inuoluere, quod eſt intrinſecè malum, vt ex communi Theologorum ſententia nunc ſupponitur: Probatur autem eſſe mendacium; quia id, quod non eſt, per eā ſimulatur eſſe, vel è conuerſo, quod eſt, ſimulatur non eſſe.

13 His tamen non obſtantibus, dicendū eſt primò, fictionem legalem in caſibus à Iure conceſſis eſſe licitam, & honeſtā, atque adeò admittendam: talem autem eſſe, manifeſtè probatur; quia fictio hæc non ſolùm excogitata, & recepta fuit à Iure ciuili pluribus locis, quæ addacuntur ab Authoribus, inter quos eſt *Barboſa in axiomat. 97. nu.* 1. ſed etiam approbatur à Iure Canonico, vt patet ex hac regula.

14 Ad rationem in contrarium non erit difficile reſpondere, diſtinguendo triplex fictionis genus: vnum enim inuoluit dolum, & continet verba, aut facta, quæ ſunt apta ad decipiendum, & tale genus fictionis eſt illicitum, & mendax: aliud verò genus nō includit aliquid deceptiuum, ſed ſolùm ex diſpoſitione Iuris vim habet cauſādi effectus illos ciuiles, quos cauſaret veritas realis; & ideò legalis hæc fictio vi extrinſecæ diſpoſitionis, cū in æquitate fundetur, eſt licita, & honeſta: tertiū denique genus non eſt quid pertinēs ad actiones Iuris, ſed potius ad mores, & cōſiſtit tū in verbis, tū in factis, & ex ſe eſt indifferens, quatenus eius vſus hic, & nunc iuxta varias circumſtātias poteſt eſſe honeſtus, vel inhoneſtus: tale autem fictionis genus verſatur in æquiuocatione; & ideò in illis caſibus, in quibus prudenter iudicamus, poſſe æquiuocari, ſiue verbis, ſiue facto aliquo, licitus erit vſus fictionis, vt fuit actio illa Chriſti Domini, quæ enarratur à *Sancto Luca cap* 24. videlicèt, quando accedens ad diſcipulos, qui Emaùs adibant, non fuit ab illis cognitus: imò poſt collocutiones, quibus Dominus eiſdem ſcripturas de ſua reſurrectione agentes declarauit, dicit Euangeliſta, quod finxit ſe longius ire: quę quidem fictio non fuit mendacium, quia Chriſtus mentiri non poterat, nec fuit ad diſcipulos decipiendos, ſed ad illos inſtruendos, & ad magnum aliquod myſterium eis ſignificandum, vt ex Sancto Gregorio hunc locū exponit *Maldonatus*: quapropter, vt melius hoc præſtaret, voluit rogatus in eodem hoſpitio ea nocte manere. Alia exēpla, in quibus fictio hæc cohoneſtatur, referuntur à Maldonato ibidem ex Sacra Scriptura, & apud eum legi poſſunt. Et hęc de primo puncto huius quæſiti. Deuenio nunc ad alterum punctum.

Dicendum eſt ſecundò, fictiones legales in omni rerum genere reperiri, vt ex alijs per inductionem oſtendit *Azor in ſumma nu 9. & Io. Baptiſta Coſta de Retrotract. cap. 4. nu. 3. & ſequent.* diſcurrendo per ſingula decem prędicamēta, varioſque fingendo caſus cuilibet prædicamēto proportionatos, quos apud citatos Authores vnuſquiſque legere poterit. 15

CAPVT III.

Vtrum Ratihabitio de damno iniuſtè illato inducat obligationem reſtituendi?

CAſus ita formatur. Titius V. g. putans ſeſe rem gratam Sorti facturum, ipſumque Sortem id ratum habiturum, vineam Caij, qui illius inimicus erat, demolitus eſt: quam demolitionem Sortes approbauit, ratamque habuit. quæritur num ob talem demolitionem ipſe Sortes ad reſtitutionem Caio faciendā teneatur? 16

Prima ſententia aſſerit, quòd ob ratihabitionem de damno contra iuſtitiam illato, qui tale damnum ratum habuit, obligatur ad illud reſarciendum; ac proindè in exemplo poſito, Sortes tenebitur reſtituere Caio pretium vineæ. ita docent aliqui antiquiores, vt *Syluester verbo reſtitutio 3. num. 6. explicans dictionem illam, Iuſſio. Armilla in ſumma verb.* Reſtitutio *§. 4. Roſella eodem verbo. 5. §. 2. Angelus in ſumma verb. furtum §. 20. Paludanus in 4. diſt. 15. qu. 4. art. 3. Nauar. in ſumma cap. 17. nu.* 133. & in eamdem ſententiam videtur inclinare *Barboſa* explicans hanc regulam *nu.* 15. Ratio autem fundamē- 17

talis, qua prædicti Authores nituntur, deſumitur ex hac regula; nempè. Ratihabitio retrotrahitur, & mandato cōparatur: ſed mandatum obligat mandantē ad reſtitutionem; ergo etiam ratihabitio; aliter non eſſet æquiparatio.

18 *S*ecunda ſententia oppoſitum tuetur, videlicet, qui ratum habet damnum injuſtè illatum, niſi alio modo in illud influxerit, non teneri ad reſtitutionem, ita docet *Vaſquez opuſc. de Reſtitut. cap. 9. §. 1. nu. 18. in ſecunda dubitatione*, vbi ait, hanc opinionem apud neminem legiſſe præter vnum *Medinam*, qui *Codice de Reſtitut. quaſt.* 7. reſpondens ad quartum argumentum, eamdocet; at verò non ſolum Medina, verū etiā alij ipſo Gabriele Vaſquez antiquiores hanc ſententiam defendunt, inter quos eſt *Petrus Nauarra de Reſtitut. lib. 3. cap. 4. nu. 69 in ſexta dubitatione Molina de Iuſt. tract. 2. diſp. 729. nu. 3. Rebell. lib. 2. de Reſtitut. cap. 13. nu. 12. Leſſius lib. 2. de Iuſtit. cap. 13. dub. 3. nu* 13. & ex Recentioribus *Cardinalis Delugo tract. de Iuſtit. diſp. 19 ſect. 2. §. 1. n. 32. Ioannes de Dicaſtillo lib. 2. de Iuſtit. tract. 2, diſp. 4. dub. 5. nu.* 105. probant hanc ſententiam ex eo, quòd Ratihabitio, vt ſic, non videtur influere in damnum antecedenter illatū; & ideò nequit obligare ad reſtitutionē eum, qui ipſum ratum habet; vndè in hoc, nempè quoad reſtitutionem, non ęquiparatur mandato.

19 Dicendum eſt, hanc ſecundam ſentētiam eſſe probabiliorem, & magis mihi placere. Ducor ea ratione, qua eius ſectatores nituntur; nam actio illa, quæ ſupponit completè productum effectū, nequit eſſe cauſa eiuſdem effectus; omnis enim cauſa, vt talis, debet eſſe prior effectu: ſed Ratihabitio prędicta neceſſariò ſupponit damnum completè illatū, quia verſatur circa actum priùs geſtum; ergo nequit eſſe illius cauſa: ac proinde non influens in damnum non poterit obligare ratum habentem ad reſtitutionem.

20 Sed inſtabis ſic. Qui ratificat damnū ſuo nomine geſtum, quamuis nō ſit cauſa damni quo ad eius primariam poſitionem, erit tamen cauſa, ne reſarciatur dānum ab eo, qui illud intulit, ita *Azor. ex Alijs tom. 3. lib. 4. cap. 12. queſito* 1.

21 Reſpondeo, prædictam inſtantiam nō eſſe contrariam huic poſteriori ſententię; quia aliud eſt eſſe cauſam damni, quando primò infertur; aliud verò eſſe cauſam, ne damnificans reſtituat, quod debet; ratihabitio autem non eſt cauſa, vt ponatur damnum, quia illud ſupponit; poterit tamen eſſe cauſa veluti conſeruans damnum illatum, quatenus impedit reſtitutionem: concluſio autem, ſicuti, & quæſtio, loquitur de ratihabitione, prout reſpicit damnum eo tempore, quo primò poſitum fuit; non autem loquitur de damno iam illato, & non recompenſato.

22 Inſtabis vlterius. ex eò quòd damnū ſit illatum nomine alterius, videtur obligari ille, in cuius gratiam fuit illatum.

Reſpondeo primò, quamuis id concedatur, non ſequi, quòd ratum habens obligetur vi ratihabitionis; nam independenter à ratihabitione ſupponeretur crimen patratum nomine, & in gratiam alterius.

23 Reſpondeo ſecundò, falſum omninò eſſe, quòd damnum cauſatum nomine alterius ſit ſufficiēs caput hanc ad obligationem; nam, vt rectè animaduertit *Sanchez dubio cit. nu.* 19. nil refert ad cauſalitatem, fieri nomine huius, vel alterius; ad cauſalitatē ſcilicet in genere cauſæ efficientis moralis, hæc, n. cauſalitas eſt, quę obligat ad reſtitutionē: fieri autem in gratiam alterius reducitur ad cauſam finalem, quæ talem obligationem non inducit, vt idem *Author* notat contra Nauarrum.

24 Ad rationem autem pro contraria ſententia deſumptam ex hac regula reſpondēt communiter Authores huius ſecundę opinionis, ratihabitionem comparari mandato, quoad aliquos effectus, & poſt latā ſentētiam: nequit autem inducere obligationem reſtituendi, quæ fundari debet in vera, & non in ficta cauſalitate.

CAPVT IV.

An ratam habens iniurioſam Clerici percuſſionem ſuo nomine factā incidat in excommunicationem, & ratum habens homicidium incurrat in irregularitatem?

25 DIcendum eſt primò. Si quis ratam habet percuſſionem Clerici ſuo nomi-

mine geſtam, etiam, abſque mandato, ſtatim incurrit excommunicationem latam à Canone. Concluſio eſt certa, &, vt iacet, definita *in cap. Cum quis de ſenten. excommunicationis in 6* ratio aſſignatur in eodem Canone, ex hac regula, nempe ex eo, quòd ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur: & hanc ſententiam confirmant communiter Authores.

26 Dicendum eſt ſecundò, ſi clerici percuſſio non fuit facta nomine meo, etiam ſi poſtea illam ego ratam habeam, non incurro in excommunicationem, quamuis grauiter peccem eam approbando. Concluſio hæc eſt etiam certa apud omnes, & expreſsè continetur *in cap. illo cit. Cum quis* §. *Si vero*, & ratio ibidem aſſignatur ab eodem *Pontifice* aſſerente, quòd nō poſſit quis ratum habere, quod eius nomine non ſit geſtum: & de his duabus concluſionibus, neque controuerſia, neque difficultas reperitur apud Authores. Dubium tamen eſt, ſi locutio ſit de irregularitate: & ad hanc difficultatem enodandam, ita caſus formatur. Titius homicidium, ſuo nomine ab alio patratum, ratum habuit; quæſitum eſt an ob talem ratihabitionem irregularis effectus ſit?

27 Prima ſententia affirmat, eamque tuentur plures, & graues *Doctores*, vt *Syluester in ſumma verb. homicidium 1. quaeſt. 7. Molina de Iuſtit. to. 4. tract. 3. diſp. 33. membro 4. Maiolus de irregul. lib. 5. cap 48* §. *6. Felinus, in cap. ſicut dignum. de homicidio Nauarrus in ſumma cap. 27. nu. 233. & conſil. 19. de homicidio, Rodriq. cap. 177. num. 12. Fernandez in medulla par. 2. cap. 10.* §. *14. nu. 11. Comitolus in reſponſ. moral. lib. 6. qu. 63. in fine.* & alij. Probant hāc ſententiam ex præſenti regula de retrotractione ratihabitionis, quæ mandato æquiparatur; & ideò ſicuti mandans aliquem occidi, ſecuto homicidio irregularitatem contrahit, ita ratum habens homicidium eamdem incurrit irregularitatem, & hoc ratione prædictæ æquiparationis: idque confirmant paritate ducta ex excommunicatione, in quam incurrit ratam habens percuſſionem clerici, vt ſupra oſtendimus *ex d. Cap. Cū quis.* & ſi reſpondeas de excommunicatione, non de irregularitate ibi eſſe ſermonem, contra arguitur dicendo, quòd hoc ipsū de irregularitate Pontifex diſpoſuiſſet, ſi de irregularitate fuiſſet conſultus, ſicut conſultus fuit de excommunicatione. & confirmatur, quia in eo loco Pontifex non ſtatuit Ius nouum, ſed iam conſtitutum interpretatur, explicando regulā Iuris, eamque applicando caſui illi ſpeciali, de quo fuit interrogatus.

Secunda ſententia in caſu prædicto negat per ratihabitionem incurri in irregularitatem, quod longè probabilius exiſtimo, tum ob multitudinem *Doctorum*, qui hanc opinionem defendunt, tum etiam ob rationem, quā fulcitur; eamque tuentur præter veteres *Sayrus de cenſ. lib. 7. cap. 4. nu. 17. Corneio de irregul. diſp. 1. dub. 2. quaeſt. 3. Villalob. tract. 21. diff. 20. num. 12. Machado lib. 1. par. 3. tract. 16 docum. 9. num. 7. Bonacina diſp. 7. quaeſt. 4 pu 8. nu 42. Diana par. 4. tract 2 reſol 13. Leander tract 2. de irregul. diſp 10. queſt. 35* & ex noſtra Societ. eodem tractatu *Henriquez lib. 14. cap. 10. nu. 2. Suarez diſp. 44 ſect. 3. n. 24. Auila par. 7. diſp. 6. ſect. 6. dub. 6. Layman ſect. 5 tract. 3 par. 3. cap. 4. num. 6. Luyſius Turrianus lib. 9. diſp. 63. dub. 3. in fine. Coninch diſp. 18. dub. 8 nu. 92. Ioannes Prapoſ. quaeſt. 5. n. 66. Caſtropalaus tom. 6. diſp. 6. punt. 15.* § *20. nu. 7.* Gibaltin *cap 4. quaeſt. 1. concl. 15 Bauny tract 11. quaeſt. 30. Ioannes de Dicaſtillo tom 1. de Iuſtit. lib. 2. tract. 1. diſp 10. dub. 14 num. 191 Ioannes Delugo to. 1. de Iuſtit diſp. 16 ſect. 2.* §. *in fine. Pellizarius in Manuali regul. tom. 7. tract. 12 cap. 5. ſect. 4. quaeſt. 82. num. 277.* & plures alij.

29 Probatur autem hæc ſententia hoc pacto. Qui nulla ratione influit in homicidium, nequit ob illud irregularitatem contrahere, at ratum habens homicidium ſuo nomine patratum nulla ratione influit in homicidium; ergo nequit ob illud irregularitatem cōtrahere. maior certa eſſe debet; quia nulla lex prohibens ſub pœna rem aliquam comprehendit eum, qui approbat, ſeu ratam habet rem illam, ſi vi approbationis nō influxerit in eamdē rem niſi apertè id exprimatur: quod patet diſcurrendo per omnes leges pœnales; & ideò rectè notant Authores, diſcrimen eſſe quoad hoc punctum inter excommunicationē, & irregularitatem; vt enim excommunicatio comprehenderet illum, qui ratā habet percuſſionem clerici ſuo nomine factam, fuit neceſſarium declarari, aliter

non comprehendiſſet. Minor autem eſt euidens, quia ratihabitio in caſu poſito, cum ſupponat homicidium iam factum, non poteſt eſſe illius cauſa, ſeu in illud influere.

30 Ad rationem pro contraria ſententia reſpondeo, regulam ratihabitionis æquiparari mandato, quoad culpam, non autē quoad pœnas, niſi id in aliqua lege exprimatur, vt exprimitur caſus de ratihabitione percuſſionis contra clericum, modo ſuperius explicato; talis vero expreſſio non habetur quoad irregularitatem, & cum verſemur in odioſis, non eſt facienda extenſio de vna pœna ad aliam, vel de vno delicto ad aliud. Ad id autem, quod aſſumitur ad probandā confirmationem, videlicèt, quòd ſi Pōtifex conſultus fuiſſet de irregularitate, ſicuti conſultus fuit de excommunicatione, illud ipſum diſpoſuiſſet, reſpondeo, hoc ſatis non eſſe, quia ad pœnæ incurſionem requiritur, vt actu ſit diſpoſitū, & non ſufficit, quòd Pontifex diſpoſiturus fuiſſet. Denique cum additur, *in Cap. Cum quis ſuperius cit.* à Pontifice non conſtitui nouum Ius, ſed tantum exponi Ius iam conſtitutum; reſpondeo, quòd quamuis non conſtituatur nouum Ius non contentum in regula hac, applicatur tamen Ius caſui ſpeciali, videlicet quando rata habetur manus iniectio in Clericum facta nomine ipſius approbantis; & tunc declarat Pontifex, ratihabitionem cōparari mandato, & eum, qui illam ratam habet ſtatim in excommunicationem incidere.

REGVLA XI.

Cum ſunt partium iura obſcura, Reo fauendum eſt potius, quam Actori.

CAPVT I.

Nonnulla afferuntur ad maiorem Regulæ declarationem.

NOn eſt multum in terminis declarandis immorandum, cum in ipſis, aut nulla penitus, aut ferè nulla cōtineatur obſcuritas; placet tamen pro maiori huius regulæ intelligentia nonnullas breuiter exhibere expoſitiones.

1 *D*ico primò, tres in iudicijs interuenire perſonas, nempè Actorem, Reum, & Iudicem; Actor appellatur ille, qui ad iudicium prouocat, & rem aliquam præſtandam petit ab alio, vt habetur *ex L. in tribus ff. de Iudicijs*, & ex hoc colligitur, reum eſſe illum, qui modo explicato prouocatur, & vocari etiam ſolet cōuentus, quatenùs conuenitur ab aliquo, vt coram Iudice defenſiones ſuas proponat: officium enim rei eſt ſe defendere, L. 1. *ff. de Edendo*. Quod etiam firmant ſcribentes, *& Tuſcus tom. 3. lit.* R. *concluſ.* 327. *nu.* 3. Reus autem in hac Regula non ſumitur reſtrictè, quatenus importat reatum alicuius criminis patrati, ſed magis vniuerſaliter, ſcilicèt pro eo, à quo Actor petit, vt rem aliquam in ſui defenſionem præſtet, quæ omnia ex Iure, atque ex diuerſis Authoribus explicat *Rebuffus in L. Iudicaſſe ff. de verb. ſignific. & Albericus in dictionario Verbo, Reus*.

Dico ſecundò, quòd Actor, & Reus vocantur partes: quare autem ita dicantur declarat *Peckius in explicatione huius regulę nu.* 2. duplicem dans expoſitionem, quarum prima eſt, quia tū Actor, tum Reus deſiderium ſuum apud Iudicem exponunt: ſicuti in actionibus, ſeu in repræſentationibus nempè in tragædijs, & comedijs, perſonę interuenientes, quæ ad alium loquuntur, ſolent partes appellari, ita Actor, & Reus in actione Iuridica manifeſtantes Iudici proprium deſiderium, dicuntur partes, in quantum vnuſquiſque ex ipſis gerit partem ſuam; ſecunda expoſitio deſumitur ex eo, quod actor, & reus conſiſtūt in vtraque parte, videlicèt in vtroque latere Iudicis, ſedente ipſo Iudice in medio, & hoc quia non ſolum locus medius eſt honoratior, ſed etiam quatenus ſignificat, quod Iudex in decidendis cauſis debet æqualiter ſe habere; ſicuti enim diameter circuli ſecās eiuſdem circuli arcum, diuidit figuram circularem in duas partes ęquales, ſic Iudex æqualiter debet ſe gerere cum litigantibus, non inclinando ex affectu potius in vnā, quàm in aliam partem, ſed indifferenter ſe habendo, vt dicitur *in L. Vbi C. ad Legem Corneliam de falſiſ.* Placet tamē tertiam aliam expoſitionem à me excogitatam aperire: & dico, actorem, & reum appellari partes, quatenus ſunt veluti duo extrema conſtantia vnum totum, nempè vnam cauſam; nam omnis cauſa legalis ex Actore, & Reo, tam- 2

quam

quã ex extremis partibus conſtare debet.
Nomine autẽ Iurium in hac regula in-
3 telliguntur probationes allegatæ ab Ac-
3 tore, & a Reo. Iura autem eſſe obſcura
idem ſignificat, quod probationes actoris
contra Reũ ſint incertæ: & tũc magis pro
Reo, quàm pro actore eſt iudicandum,
vt ſtatuitur *in L. fauorabiliores de Regul.*
Iuris. legatur *Peckius nu.* 5. vbi declarat
quãdo, & quomodo iura partium obſcu-
ra dicantur, nonnulla adducens exem-
pla ad id explicandum. legatur etiam *Al-*
ciatus de præſump Regul. 3 præſump. 14.
Menoch. lib. 2. præſump. 90. per totam. Ex
his placet aliquas dubitationes enodare.

CAPVT II.

Probatur Regula, *eiuſque ampliationes, & limitationes afferuntur.*

VEritas huius regulæ authoritate ef-
4 ficaciter oſtenditur, & primò ex Ari-
ſtotele, qui *in problem. ſec. 29. problem.* 13.
id expreſsè docet, cuius doctrina ſumma-
4 tim conſiſtit in hoc, quod actor ſemper
venire ſolet paratus ad iudicium, non au-
tem Reus; & ideò facilè contingit, quod
Reus non præmeditans, quæ cõtra ipſum
ſint ventura, omittat aliqua, quæ ad ſui
deſenſionem ſpectãt; proindè conueniẽs,
& æquum eſt, vt potius ipſi, quàm actori
faueatur. Secundò probatur ex codẽ Ari-
ſtotele ibidem, quòd in dubijs humanius
eſt liberare nocentem, quàm condemna-
re innocentem: & confirmatur *ex L. Ab-*
ſentem ff. de Pœnis, vbi dicitur, ſatius eſſe
impunitũ relinqui facinus nocentis, quã
innocentem damnari. Tertiò probatur,
quia, cum nec culpa, nec mora, nec deli-
ctum ſupponatur, præſumptio eſſe debet
pro reo. ſic *Alciatus Reg. 3 præſump. 44.*
n. 4. ver. Sed tu adde. Ex hac doctrina ſub-
ſequentes concluſiones deducere poſſu-
mus.
5 Dicendũ igitur eſt primò. Quando lata
iam eſt ſententia, ſi in ea interpretanda
aliquod occurrat dubium, interpretatio
debet fieri in fauorem Rei, ita vt, quoad
5 minus fieri poteſt, condemnetur. *L. Hæc*
enim cauſſa ff. de ſuſpect. tutor. Alex. cõſ.
46. col. 1. lib. 5. Soccin. ſen. conſ. 134. lib.
1. Decius conſ. 43. col. 1. Crauett. conſ. 74.
6 *nu. 10. & conſ. 87. nu. 2. & in conſ. 41.* vbi
auctoritate *Baldi conſ. 28. In quodam in-*
ſtrumento. lib. 1. ait, verba impropriari
ſecundum fictionem, vt reus excuſetur.
Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumpt.
90. n. 7.
Dicendum eſt ſecundò, fauorẽ Rei eſſe 6
admittendum, etiã quando per accidens
ipſe Reus eſt actor, quod euenit, quando
Reus, vt ſe defendat contra actorem, in-
tentat contra eũdem aliquod remedium.
V. g. ſi opus eſſet deleri aliquod inſtrumẽ-
tũ, ex cuius deletione Reus foret liberã-
dus, tunc licet ipſe, vt intentans deletio-
nẽ, ſe haberet, tãquam actor ex remedio
legis diffamari. C. de ingenuis, & manũ,
nihilominus, quia hoc eſt per accidens, nõ
tollit, quin pro Reo in eadem cauſa, quã-
do iura ſunt dubia, ſit decidendum. hanc
ſententiam communiter tuentur Autho-
res Decius *conſil. 487. & conſil. 686. Ca-*
gnolus in L. cit. Fauorabiliores nu 4. Fe-
linus, & Decius cap. ex litteris de probat.
Dicendum tertiò, præſumptionẽ hanc, 7
quæ eſt pro Reo, locum habere, etiam ſi
pro actore concurrerent teſtes clariores,
vel digniores. V. g. ſi pro Actore accu-
ſante eſſẽt duo teſtes clerici; pro Reo ta-
men eſſent duo teſtes laici, hi in fauorem
Rei præualerent. ita aſſerit *Gloſſa cap.*
Clerici diſt. 81. cap 32. Ver. aliquid, & plu-
res alij, quos citat, & ſequitur *Menochius*
lib. 2. præſump 90. nu. 12. Similiter quã-
uis maior fides adhibeatur teſtibus ma-
ſculis, quàm fœminis, tamen id non proce
dit fauore Rei, pro quo dignius quandoq;
teſtimonium faciunt fœminæ, vt notauit
Abbas in L. forus. de verb ſignif. Marſ.
conſ 2. num. 19. & 21. Menoch. loc. cit.
num 9.
Dicendum eſt quartò, hanc Regulam 8
& præſumptionem fauorabilem pro Reo
extendi, etiam ſi actor ſit in poſſeſſione
iuris, de quo agitur; quia data paritate
probationum inter actorem, & reum, li-
cet actor reperiatur in poſſeſſione, nihilo-
minus pro reo, non pro actore decidendũ
eſt. *cap. ex litteris & ibi* Felinus, *& alij*
de probationibus. PecKius hic ſub nu. 8.
Quod tamen quomodo ſit intelligendum
vide omnino *Felinum loc. cit.*
Contra verò, etiam ſi reus nullum om 9
nino ius habeat, ſed ſolo poſſeſſionis cõ-
modo lætetur, tunc, ſi aliunde non con-
ſtat de meliori iure actoris, reo fauere
debemus, non ſolum, quia in pari cauſſa
turpitudinis melior eſt poſſidentis condi-
tio *cap. in pari. infra eo.* ſed etiam quia
reus, facta paritate inter ipſum, & actorem
in probationibus circa petitorium, habet
in eo caſu pro ſe tum fauorem abſolutio-
nis

niſs, tum etiam poſſeſſionis. *PecKius ibidem paulò ſuperius.*

10 Dicendum eſt quintò, adeò efficacem eſſe præſumptionem pro Reo contra actorem, vt in dubio præſumatur actor temerè, & per calumniam litem intentaſſe, & conſequenter, quod in expenſis ſit etiam condemnandus, iuxtà *L. Eum qui qui temerè. ff. de iudicijs. PecKius hic num 8. Alciatus de præſumpt. Reg. 3. præſumpt. 44. num 9. verſ. ampliatur, & & tertio.* vbi declarat, quandonam actor dicatur iuſtam litigandi cauſſam habuiſſe, vt ab expenſis ſit abſoluendus: de qua re agit *Menochius de arbitrar. lib. 2. caſu 177. per tot.*

11 Controuerſia autem eſt apud Authores, an regula hæc non ſolum procedat in fine iudicij, ſeu litis, ſed etiam in principio, & medio? variæ enim ſunt opiniones; nam aliqui cenſent in principio eſſe Actori fauendum. ita aſſerit *Gloſſa hic verbo Actori*, & ita ſentiunt plures *in L. Si quis intentione. ff. de* Iudic. quos laudat *Cagnolus in L. citata fauorabiliores. num. 8. & Menochius præſumpt. illa 90. num. 11. & ſequent.* Alij verò ita declarant regulam vtriuſque Iuris, vt initio cauſſæ Actori ſit fauendum, in medio æqualiter ſit procedendum, in fine tamē pro Reo. ita *Cagnolus*, & nonnulli apud ipſum *num.* 8 à quo inter alios affertur *Baldus* apud Azonem, quaſi eleganter dicat in repetitione Paduana *L. Edita. C. de edendo*, quod libelli in litis ingreſſu ſunt fauorabiliores, in progreſſu pares, in egreſſu odioſi. ita *Cagnolus*, quamuis ex errore impreſſionis dicat, in ingreſſu odioſi. Ego verò de hac re dicam plenius, & diſtinctius infra ſub *Reg.* 32. *Non licet actori, &c à num. 5. & ſeq.*

Hæc de ampliationibus huius Regulæ ſatis ſint. Remanet, vt aliquas eius limitationes afferam.

12 Dicendum eſt ſextò cum communi ſententia, Regulam hanc eſſe limitandam, quando cauſſa, de qua agitur, eſt pia; tunc enim in obſcuris decidendum erit in fauorem cauſſæ contra Reum. ita *Tiraquell. de priuileg. piæ cauſſæ num. 146 & ſequent. Alciatus præſumpt 44. cit. num 13. Barboſa in explicatione huius Regulæ in fine. Cagnolus L. fauorabiliores, vt ſupra num.* 7. & alij. Inter cauſſas autem pias numerantur cauſſæ, in quibus agitur de validitate matrimonij, vel de libertate, aut de teſtamentis.

13 Dicendum ſeptimò, neque regulam hanc procedere in ijs, quæ ſpectant ad forum animæ; quia tunc fit explicatio, & ſumitur præſumptio contra ipſum Reum, quoniam tutius eſt pro eius anima. ita animaduertit *Gloſſa fin. cap. 2. de ſcrutinio. Ver. æſtimare. Barboſa ibidem in fine.* dicens, quòd, quando agitur de ſalute animæ, nemo præſumitur bonus *Menochius lib. 5. præſumpt. 1. num. 29.* & penes ipſum *Zabarella, Felinus, Abbas, & Alciatus.* Ex hoc principio contra Caramuelem demonſtraui in tractatu *de Conſcientia part. 4. diſcept. 6. cap.* 11. § 1. quòd dubitans, an aliquod lethale peccatum commiſerit, obligetur ad illud ſacramentaliter fatendum: quam ſententiam, quæ communis, & certiſſima eſt, varijs rationibus, & Authoritate Tridentini latè probaui, & ibidem expreſsè dilui præcipuum Caramuelis argumētum deſumptum ex paritate inter Tribunal Forenſe, & Tribunal *S*acramentale, nempe, quod, ſicuti in illo non admittuntur delicta dubia, ita neque ex obligatione ſint admittenda in hoc Tribunali; quam ego paritatem ibidem reieci oſtendens diſcrimen inter vtrumque Tribunal; nam illud forenſe inſtitutum eſt ad punienda delicta; & ideò cum punitio ſit odioſa, non eſt infligenda, niſi pro delicto certo, & in dubijs Iudex præſumit in fauorem Rei; at verò Tribunal *S*acramentale eſt inſtitutum ad liberandum Reum à pœnis; idcircò eſt Tribunal fauorabile: & conſequenter præſumptio delicti eſt in fauorem Rei, qui confitendo liberabitur, ſi forte illud patrauerit. Rurſus, vt ibidem dicebam, in Tribunali externo illa præſumptio præualet, quæ eſt pro negatione delicti; quia hæc magis fauet Reo, cum vi talis negationis præſumptæ liberetur; at in *T*ribunali interno ſacramentali præſumptio Reo fauorabilis eſt illa, quæ delictum ſupponit; quia ex tali ſuppoſitione infertur obligatio ad tale delictum aperiendum eo modo, quo eſt in conſcientia ipſius dubitantis, & ſic obtinebitur remiſſio, & liberatio à pœna æterna, quam meretur delictum, ſi in re fuit commiſſum: quæ omnia cum in eo tractatu, & authoritate, & rationibus fuſè confirmauerim, idcircò in eumdem locum remitto Lectorem.

Di-

14 Dicẽdum eſt octauò, prędicta limitari à *Menochio præſumpt. 90. nu. 24.* quãdo dubium eſt de Iuriſdictione Iudicis, quia tunc non magis Reo, quàm Actori fauendum: & hoc probatur ex Alexandro, & Iaſone *in L. de die ff. Qui ſatis dare cogãtur, & ex Alciato in fine præſumpt. 44.*

15 Dicendum eſt nonò, limitari etiam in criminalibus, quando conſtat delictũ: tunc enim non fauendum eſt Reo, ſed potius eſt damnandus, ita *Couarr. lib. 1. var. reſol. cap. 11. num. 5.* Et ex Bartolo, & alijs id aſſerit *Menoch. præſumpt. cit. num. 25.*

CAPVT III.

Vtrum in pari dubio liceat Aduocato defendere cauſam Actoris contra Reum?

PRoponit caſum hunc *Valentia in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 15. punt. 4. initio, & Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 9. nu. 49. & ſequent.* qui præcipuè fundant rationem dubitandi in pręſenti regula, inquirentes, an illa pertineat non ſolum ad Iudicem, ſed etiam aduocatum? & quid pariter ſit dicendum, pręſcindendo à Iure poſitiuo, & ſpectando Ius naturale? qua in re variæ ſunt Authorum ſententiæ.

16 Prima aſſerit, non poſſe Aduocatum cauſam pro Actore defendere, ſed debere deſiſtere, vel eligere partem Rei cõtra actorem, niſi agatur de cauſis pijs, de matrimimonio, libertate, &c. ita *Syluester verbo Aduocatus nu. 7. qu. 13. in fine.* & hanc ſententiam probat per pręſentem regulam *Cum ſunt, &c.*

17 Secunda opinio cum diſtinctione procedit, aitque, quòd, ſi attendamus Ius naturæ, poterit Aduocatus in caſu poſito defendere contra Reum partem Actoris, qui eſt ipſius cliens: & hoc, quia neque ratio Iuſtitiæ, neque charitatis dictat potius vni parti, quàm alteri eſſe fauendum: imo ſiſtendo in eodem Iure id licitum eſt etiam Iudici: veruntamen ſpectato iure humano ſuſtinet, id fieri non poſſe; quia obſtat regula hæc oppoſitum præſcribens, videlicèt in dubijs Reo eſſe fauendum: & hoc vt probabile tuetur *Valentia, vt ſupra in 1. & 2. concluſione.*

18 Tertia denique ſententia abſque prędicta diſtinctione vniuerſaliter docet, quando cauſa æquè dubia eſt, & in æquali probabilitate, vel in Iure, vel in facto, licitum eſſe Aduocato alterutram partem tueri, ita *Sanchez cap. 9. cit. nu. 52.* & quamplures apud ipſum: & probatur, quia poſita æquali probabilitate non eſt maior ratio, quare Aduocatus magis vnam, quàm alteram partem eligat defendendam; & ideo Iure ſuo vtẽs poterit ſuum clientem Actorem defendere contra Reum.

19 Dicendum eſt, probabiliorem eſſe hanc vltimam ſententiam; proinde illã amplector, tum ſpectato Iure naturæ, tũ etiam Iure poſitiuo, & ducor tum ob rationem aſſignatam, tum ob illud principium, ſecundùm quod Doctores aiũt, licere vnicuique ſequi opinionem probabilem, imò minus probabilem, ſi practicè talis eſt, vt fusè ego ipſe demonſtraui in tractatu *de conſcientia diſcept. 4. cap. 9. & 10.*

20 Sed contra concluſionem hanc vrgebis, aſſerendo pręſentem regulam, *Cum ſunt, &c.* in qua præſcribitur, in obſcuris Reo, & non Actori eſſe fauendum; propterea infertur, quòd Aduocatus, quando cauſa ſit æquè probabilis, & conſequenter obſcurum reddatur pro qua parte ſit iudicandum, debeat ſe conformare huic regulæ, vel deſiſtendo à patrocinio ſui clientis, qui ſupponitur eſſe actor, vel potius Reo patrocinando.

21 Ad hoc argumentum deſumptum ex Iure poſitiuo dupliciter reſpondet loco cit. *Sanchez*, nempè, vel loqui Regulam de Iudice; vel conſuetudine eſſe abrogatam quoad hoc: placet mihi prima reſponſio; quia, vt colligitur ex contextu, & ex commentatoribus, ſi attentè legantur, ſermo eſt de obſcuritate, quæ inuenitur in litigio quoad probationes teſtium, & efficaciam Iurium, quæ ab ipſis partibus colligantibus coram Iudice allegantur; proindè huius Regulæ diſpoſitio dirigitur ad obſcuritatem legalem, & non priuatam, & conſequenter locum non habet pręfatum argumentum.

22 *Dices* ex Iure habetur, in pari cauſa potiorem eſſe conditionẽ poſſidentis, vt ex regula Iuris Canonici 65. & etiam ex alijs Iuribus ciuilibus: reus autẽ, qui eſt cõuentus, reperitur in ſua poſſeſſione, ergo cũ eius cõditio ſit melior, nõ poterit Aduocatus defendere actorem contra Reum poſſidentem.

Reſ-

Reſpondeo, cum dicitur, in pari cauſa
23 potiorem eſſe conditionem poſſidentis, ſenſum eſſe, quòd, ſi penſatis omnibus habetur æqualitas rationum, poſſeſſor non debeat ſua poſſeſſione ſpoliari, & ſic eius conditio eſt potior; in hac verò regula non agitur de poſſeſſorio, ſed de petitorio, in quo examinantur rationes pro vtraque parte; & ideò, ſi rationes, & in Iure, & in facto ſunt obſcuræ, potius eſt fauendum Reo, quàm Actori; vndè hoc pacto diſtinguendo antecedens, neganda eſt conſequentia.

Poſſet quis ex præiactis fundamentis
24 inquirere, num Aduocatus poſſit patrocinari ſuo clienti, quamuis rationes aduerſarij ſint probabiliores? ſed de hoc puncto fusè egi in dicto tractatu *de conſcientia diſcept.4 cit. cap. 29.* quapropter ad eumdem tractatum remitto Lectorem; non enim deciſio huius quæſiti eſt neceſſaria ad præſens inſtitutum.

REGVLA XII.

In Iudicijs non eſt acceptatio perſonarum habenda.

CAPVT VNICVM.

Quo pacto intelligenda ſit hæc Regula?

1 DVo ſunt termini declarādi, nempè, Iudicia, & Acceptio perſonarum: exordium autem ſumo à primo, & dico, ſub nomine Iudiciorum in hac regula intelligi actiones illas, in quibus examinantur merita perſonarum, ſeu qualitates neceſſariæ in ordine ad aliquid iuxta merita conferendum. V.g. Prælaturam, officium, dignitatem, &c. & hæc de primo.

2 Quod verò attinet ad ſecundum dico, quòd acceptio in præſentia eſt quædā prælatio iniuſta, per quam vnus alteri præfertur, ſiue in tribuendo, ſiue in conferendo aliquid, quod ſpectatis meritis alteri magis idoneo ex debito Iuſtitiæ eſſet tribuendum, ſiue conferendum: ita *ex Petro Peckio in explicatione huius regulæ n. 2.* qui hanc deſcriptionem colligit *ex ſumma Angelica, Ver. Acceptio. perſonarum*, vbi ea aliquantulum fuſiùs declaratur & breuius ipſam explicat *S. Thomas 2.2 qu.63.ar. 1.* docens, tunc eſſe acceptionem perſonarum, quando aliquis conſiderat in illo, cui aliquid confert, non id, propter quod aliquis redditur dignus, ſed aliam cauſam, videlicet, quia eſt diues, conſanguineus, &c. hæ autem, vel ſimiles cauſæ nihil faciunt ad reddendum dignum illum, cui ſit collatio.

3 Ex his infertur, ad perſonarum acceptiones duas requiri conditiones; primò, vt ſit debitum conferendi; ſecundò, vt ex parte perſonæ, cui ſit collatio, ſpectentur qualitates illæ, quæ faciunt ad dignitatem perſonę in ordine ad rem conferendam: deficientibus enim his conditionibus, & præſertim prima, ceſſat acceptio perſonarum, vt docet *S. Thomas art. cit. ad primum. & ad vltimum*; & ideo in Deo nequit eſſe acceptio perſonarum, quia omnes gratiæ, & munera, quæ Angelis, & hominibus confert, non dantur ex debito aliquo Iuſtitiæ, ſed ex pura liberalitate, & ſua infinita bonitate: & quamuis in ſacris Scripturis interdum dicatur, quòd retributio gloriæ ſit corona Iuſtitiæ, vt habetur *in Epiſtola 2. Pauli ad Timotheū cap. 4.* & ſic videatur ex debito Iuſtitiæ conferri gloria; nihilominùs authoritas citata non facit contra ea, quæ dicta ſunt; tum quia verba illa *Sancti* Pauli varias habent explicationes apud Authores, quas ponit Cornelius à Lapide in expoſitione illius loci, tum quia, etiam ſi daremus, retributionem glorię eſſe debitam ex Iuſtitia rigorosè ſumpta, nihil contra me eſſet, tum quia initium bonorum operum procedit ex liberalitate *Dei*, & ex miſericordia, non autē ex aliquo debito, tum quia in retribuendis præmijs, & infligendis pœnis Deus æquè ſe habet non reſpiciens perſonas, ſed opera ipſa.

REGVLA XIII.

Ignorantia facti non Iuris excuſat.

CAPVT I.

Quid ſit Ignorantia, & quænam eius ſpecies, & differentia.

PRo huius regulæ intelligentia, & pro deciſione variarum quæſtionum, quæ ex illa ſunt deducendæ, & examinandæ breuem quamdam ignorantiæ, & nonnullarum quoque eius veluti ſpecie-

cierum notionem præmittamus, neceſſe eſt.

1 Supponendum igitur *ex D. Thoma par. 2. qu. 76. art. 2.* Ignorantiam eſſe priuationem ſcientiæ, & non cuiuſcumque, ſed illius, quam vnuſquiſque pro ſuo ſtatu poteſt, & debet habere.

2 Differentia autem reperitur inter hęc nempè inter ignorantiam, neſcientiam, errorem, & titubationem; nam ignorantia, vt dixi, eſt de rebus, quas quis ſcire debet: contra verò neſcientia eſt de rebus, quas ſanè, vel quis nō eſt aptus ſcire, vel ſaltem ſcire minimè tenetur. Error autem *ex L. ſi me vacuam. initio. ff. de acquirenda, & amitt. poſſ.* differt ab ignorantia; nam, vt notant Canoniſtæ, Error eſt applicatio mentis ad rem aliquam, quæ aliter ſe habet, quàm creditur. importat autem error actum poſitiuum, nempè iudicium peruerſum; at ignorantia ſecundum ſe nullam dicit actum: & vt *ex S. Auguſt.* refertur *in Cap. Quamuis. diſt.* 38. licet habēs ignorantiam rerum errare queat; non tamen ſequitur, vt continuò erret: ſed ille errat qui putat ſcire, quod neſcit, approbans pro vero falſum. Titubatio autem, ſeu dubitatio eſt, quando quis mentem ſuam applicans ad aliquid, nec affirmat falſa pro veris, nec vera pro falſis; ſed circa illud ob conflictum rationum mēs in ſuſpenſo manet. Ex his autem concluditur, quòd omnis errans, vel titubans ſit ignorans, ſed non è conuerſo. Ignorantia igitur non eſt error, ſed cauſa erroris: & ſic differunt, tamquam effectus à ſua cauſa, vt aſſerit Seraphinus *de priuileg. iuramen. priui leg.* 4. *nu.* 125.

3 Loquendo autem de diuiſionibus Ignorantiæ, quamuis ab Authoribus plures aſſignentur, vt videri poteſt apud *Alphonſum de Caſtro lib. 2. de lege pœnali cap.* 14. nihilominus diuiſiones omnes reuocari poſſunt ad tria veluti capita, nimirum ad ſubiectum, in quo ipſa reperitur, ad obiectum, circa quod verſatur, & ad actum, quem ignorans operatur, quæ omnia breuiter declaro incipiens à primo. Si igitur ignorantia ſpectetur comparatiuè ad ſubiectum, videlicet ad illum hominem, qui dicitur ignorare, erit duplex, nam alia appellatur inuincibilis, ſeu iuſta, & probabilis, quatenus à tali perſona, in qua reperitur, pēſatis omnibus, nempè capacitate, aptitudine, & alijs, qualitatibus eiuſdem perſonę, & pariter circumſtantijs extrinſecis, hic, & nunc expelli non poteſt; alia dicitur ignorantia vincibilis, ſeu improbabilis ob contrarias rationes, quatenus poteſt, adhibita diligentia, remoueri: & hęc ignorantia aliquando dicitur affectata, in quantū ipſemet ignorās, data opera, vult ipsā ignorantiā, vt liberius operetur, & ideo nō curat veritatē inquirere: aliquando verò ſolet etiam vocari ignorantia craſſa, ſeu ſupina, quæ euenit, quādo quis exhibet diligentiam aliquā ad eam expellendam, non tamen ſufficientem, ſed rudiler: & dicitur etiam ſupina per quādam analogiam ad ipsū hominem, qui dorſo incumbens faciē, & ventrem cęlum verſus conuertit; talis autem totius corporis ad cęlum conuerſio indicat hominem illum eſſe otioſum, & negligentem: metaphoricè autem applicatur homini, qui laborans ignorantia de re aliqua, ſegniter ſe habet in acquirenda vera eiuſdem rei notitia; idcirco talis ignorantia dicitur ſupina, quaſi otioſa, & negligens.

Secunda diuiſio accipitur per ordinē ad obiectum, de quo eſt ignorantia, & 4
vt ſic, alia dicitur ignorantia Iuris, alia verò facti: & de ignorantia iuxta hanc diuiſionem agitur in hac regula: illa habetur, quando quis ignorat legem prohibentem, vel aliquid præcipientē, puta ſi quis neſciret v. g. legē eccleſiaſticā, quę prohibet opera ſeruilia exercēda die feſtiuo, vel quæ pręcipit, vt fideles interſint eodē die ſacrificio Miſſæ, dicetur habere ignorantiam Iuris: at ſi legē ſciret, ignoraret tamen talem diem eſſe feſtiuum, haberet non iuris, ſed facti ignorantiam.

Tertia denique diuiſio ſpectatur in ordine ad actum, quem homo ignorans 5
exercet: & vt ſic, triplex haberi poteſt ignorantia; videlicèt, antecedens actum, concomitans, & ſubſequens illū: vocatur antecedēs, quatenus ipſa ignorantia manens eſt cauſa, vt fiat actus;
eſt tamen cauſa actus per accidens, quia 6
remouet id, quod, ſi adeſſet, actus non fieret, nempè notitiam veritatis, quā ſi homo haberet, non exerceret talem actum. v. g. ſi quis ignoraret eſſe vſurarium cōtractum aliquem, ita ut ſi defectum ſciret, vtique contractum illum non faceret, in hoc caſu ignorantia tolleret notitiam, quæ, ſi adeſſet, actum impediret; & ideò, cum ſit cauſa actus,

dicitur antecedens; nam omnis cauſa, vt talis, antecedit ſuum effectum: at cũ verè non influat poſitiuè in effectum, ſed tantum tollat impedimentum, ideò dicitur cauſa per accidens, in quantum remouet prohibens: interdum verò, cum ipſa poſita non ſit cauſa ipſius actus, neque ipſa ablata ſit cauſa, vt actus nõ fieret, ideò dicitur ſe habere ſolum concomitanter in ordine ad actum: & ob hãc rationem meritò Theologi aſſerunt ab ignorantia ſolum concomitante, neque haberi voluntarium, neque inuoluntarium, quatenus ipſa exiſtens non eſt cauſa, vt actus ſit volitus, neque ipſa non exiſtẽs, eſt cauſa, vt actus ſit non volitus. Ignorãtia verò quãdoq; appellatur ſubſequens, ſeu conſequens actum, in quantum ignorans determinat actum. V. g. contractum illum facere, & liberè omittit inquiſitionem veritatis, num ſcilicèt ſit vſurarius nec ne, & ex tali volũtate ſequitur ignorantia. Hæc breuiter circa naturam, & ſpecies ignorantiæ præmiſſa à me ſunt. Supereſt, vt ex his principijs nonnullę examinentur, & decidantur quæſtiones.

CAPVT II.

Regula hæc de ignorantia Iuris, vel facti quomodo intelligi debeat?

CVm in hac regula expreſsè dicatur, ignorantiam facti, & non iuris excuſare, occaſio exhibita fuit inquirendi eius intelligentiam; quia, ſi ſumatur, vt verba ſonant, in multis caſibus deficeret veritas ipſius regulæ; nam, interdum vt infra fusè demonſtrabitur, ignorantia de aliqua lege excuſat, & è contra ignorantia de aliquo facto non excuſabit; proindè oportet aliquem accommodatum ſenſum dare huic regulæ, in quo præſtando varia docent Authores.

6 Aliqui loquentes de ignorantia iuris aiunt, non excuſare in ijs, quæ pertinent ad proprium officium, ſeu ad conditiones talis perſonæ. ita *Nauarrus in ſumma latina cap. 23. num. 45 & 46. Vgolinus de cenſuris tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 6. Seraphinus de priuilegijs. 4. nu. 119. & ſequent. Tuſcus verb. Ignorantia concl. 11.* idem ſentit ſub alijs verbis *Menochius lib. 6. præſumpt. 23. à nu. 10. & ſeq. Maſcardus de probat. vol. 2. concl. 879. à num. 24.* & alij, quos ipſi laudant *Valentia in p. 2. diſp. 2. quæſt. 1. punct. 6. Ver. Tertio quod. Azorius par. 1. lib. 1. cap. 16. quæſt. 5.*

Sed, vt verum fatear, non video, quare dari nequeat inculpabilis ignorantia in ijs, quæ etiam pertinent ad ſtatũ talis perſonæ in indiuiduo determinatæ, vt inferius demonſtrabitur & rectè animaduertit *Suarez to. 5. in 3. par. S. Thomæ diſp. 4. ſect. 8. num 5.* 7

Proprius igitur, & germanus huius regulæ ſenſus eſt quoad præſumptionẽ in foro externo, in quo regulariter loquendo non præſumitur ignorantia in ijs, quæ ſunt iuris, & pertinent ad propriũ ſtatum, ſeu officium; contra verò eſt in ijs, quæ ſpectant ad factum, & præſertim alienum: & huic intelligentiæ cenſeo, non contradicere Authores citatos, ſi attentè legantur. Hanc explicationẽ expreſsè admittunt plures Canoniſtæ, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in ſuis collectaneis*, declarans hãc Regulã *n. 23. Suarez ſect. cit. num. 16. & 17. Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 16. num. 26* Probatur prima pars quoad præſumptionem, quia, cum vnuſquiſque teneatur ſcire, quæ ad ſuum ſtatum, ſeu officium pertinent, horum ignorantia eſt culpabilis; & cum peccatum non præſumatur, idcirco non præſumũtur ea ignorari. ſecũcunda verò pars, quæ loquitur de ignorantia facti, & ait, præſumendam eſſe, ſuadetur contraria ratione, quia nemo obligatur ſcire factũ alienũ; & ideo niſi probetur ſcientia, præſumitur ignorãtia. Dixi ſupra, regulariter non præſumi ignorantiam iuris de ijs, quæ ſpectant ad proprium ſtatum; nam aliquando præſumitur, & in ipſomet foro externo admitti debet, vt aſſerit *Sylueſter verbo lex. qu. 7. Abbas in cap. Cognoſcentes nu. 9. de Conſtitut.* & fusè oſtendit *Menochius de arbitrarijs lib. 2. cent. 2. caſu 186.* Ratio autem huius rei eſt, quia, cum non omnis lex ſit nobis à natura congenita, ideo talis legis media noſtra diligentia, & ſtudio acquiri debens; hoc autem varijs ex cauſis impediri poteſt: proindè qui ita impeditur, inuincibiliter ignorabit legem illam; & conſequenter nulla apparet ratio, ob quam non poſſit impedimentum, & ignorantia ſufficienter probari. 8

Modus autem probandi ignorantiam le- 9

legis; duplex aſſignari ſolet. Prior eſt per coniecturas, vt docent Authores, *Baldus L. 1. num. 10. ff. de legibus Abbas ibidem n. 10. Maſcardus de probat. Verb. Ignorantia concl.* 880. *Azor. in inſtitut. moral. part. 1 lib. 1. cap. 16. queſito 2. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 32. nu. 15. Menochius caſ. cit. nu. 16.* & plures alij apud ipſum. Probaretur autem cõiecturis, ſi quis v. g. probaret, tempore, quo lex fuit promulgata, ſe fuiſſe abſentẽ, infirmum, in minori ætate, & quid ſimile: quæ quidem probatio, vt notat *Maſcardus* ibidem num. 1. nequit plenam probationem facere; quia, cum ignorantia ſit in animo, non poteſt plenè exterius de illa conſtare. Poſterior modus probandi ignorantiam, quem Doctores communiter tradunt, eſt per iuramentum ipſiuſmet, qui ignorantiam allegat, & hunc modum fusè declarat *Menochius caſ. cit. initio vſque ad numerũ 16 & alij*, aduertunt tamen omnes, non eſſe ſatis iuramentum, quãdo ignorantia probari poteſt alia via; quia iuramentum admittitur in defectu aliarum probationum: rurſus notant, inſufficiens eſſe iuramentum, ſi agatur de rebus, quæ ſunt publicè notæ, de quibus ius nõ præſumit ignorantiam; ſed oppoſitum; proindè non eſt ſatis ſolum iuramentũ, quoniam iuramentum non viget contra iuris præſumptionem.

10 Sed quis inſtabit, dicendo, ſufficiens eſſe iuramentum ad probãdam ignorãtiam de lege iam publicata; quia neminem præſumere debemus, velle periurium committere, & eſſe propriæ ſalutis immemorem: præterea illa, quæ in animo ſunt nobis abſcondita, nequeunt meliori modo probari, quam aſſertione ipſius dicẽtis, iuramẽto adhibito: & pro hac ſententia innumeri ſunt Doctores, quos laudat *Sanchez loc. cit.* Reſpõdeo, inſtantiam procedere quando in foro externo nõ adſunt coniecturę contrarię, quæ efficacius probent ſcientiam in iurante; quia poſita ſufficienti legis promulgatione, & tranſacto proportionato tempore, ad hoc vt ſubditi in eiuſdem legis notitiam deueniant, eſt vehemens iuris præſumptio in eodem foro ad non præſumendam ignorantiam: & ideò non eſt iuranti fides adhibenda: propterea, vt inquit *Innocent. Cap. Cognoſcentes n. 1. de conſtitution.* deberet clarè ignorantia probari. *Bartolus in L. inter omnes. §. Recte. num. 3. verſ. Nec obſtat. ff. de Iniurijs. Sanchez loco cit.* & alij, quos citat *Menochius lib. 1. præſumpt. 77. num. 3. & ſequent.* qui poſt examen vtriuſque opinionis, ſequitur tertiam *nu. 14. in fine.* videlicèt, arbitrio Iudicis hoc eſſe reliquendum, vt multi aſſerunt: & huic ſententiæ adhæreo, quia cum hoc fundetur in varijs coniecturis deſumptis ex qualitate legis, ex tempore elapſo poſt promulgationem, ex conditionibus perſonæ ignorantiam allegantis, & ex alijs circumſtantijs hìc, & nunc occurrentibus, nequit melior norma tradi, quàm arbitrium Iudicis, qui diligenti examine omnia conſideret, & determinet quid ex his duobus præualeat, nẽpè, aut præſumptio iuris aduerſus eum, qui ignorantiam allegat, aut probationes pro ipſa ignorantia inculpabili. Et hæc quoad primum membrum huius regulæ de Ignorantia iuris.

Quoad ſecundum verò de ignorantia facti, quæ in hac eadem regula dicitur excuſare, aio, diſpoſitionem hanc procedere etiam ex præſumptione; & ideò, quamuis regulariter ignorantia facti præſumatur, vt in hac regula diſponitur; nihilominus in multis hoc fallit, & præſertim in facto proprio, imò etiam in alieno, vt fusè declarat *Menochius lib. 6. præſumpt.* 23. per totam, proponendo, & examinando plures caſus, tum in facto proprio, tum in alieno, apud quem videri poſſunt. Et hæc ſatis ſint breuiter tetigiſſe pro huius regulæ intelligentia, quatenus forum externum reſpicit; nunc autem deueniendum eſt ad intelligentiam eiuſdem regulæ, prout ſpectare poteſt ad forum internũ conſcientiæ, cuius conſideratio magis principaliter, & magis directè pertinet ad noſtrum inſtitutum; & ideò plures inſtituendæ ſunt quæſtiones. 11

CAPVT III.

Vtrum Ignorantia ſecundum ſe peccati rationem habeat?

VT ea, quę apud omnes ſunt certa, prætermittãtur, ſupponendum eſt, non omnem ignorantiam eſſe peccatũ, vt eſt ignorantia inuincibilis, quæ culpa caret; & ideò de ipſa nõ eſt nobis ſermo; ſed agimus de ignorantia vincibili, ſiue craſſa, & affectata, reſpectu illarum rerum, quæ omnes ſcire tenentur, vt ſunt myſteria fidei, præcepta Decalo- 12

Digitized by Google

gi, &c. quæue etiam ad hanc determinatam perſonam pertinent ratione alicuius officij, muneris, &c. Præterea neque eſt dubium, an talis ignorantia ſit aliquo modo peccatum, ſaltem, vt cauſa, ſeu occaſio peccati, quatenus ſic ignorans ſe exponit periculo errandi in rebus fidei, vel exercendi actum prauum, aut omittendi præceptum, dum negligit veritatem, inquirere, & ignorantiam culpabilem expellere: ſed quęſtio apud Doctores eſt, num ignorantia hæc vincibilis ſecundum ſe ſit peccatũ formaliter; an verò ſit tale ratione alicuius ſibi annexi, nempè negligentiæ?

Prima ſententia eſt illorum, qui dicũt non eſſe peccatum, niſi ratione adiuncti, videlicèt negligentiæ, ſic videtur docere Caietanus *p. 2. quæſt. 76. art. 1. Durandus in ſecunda ſentent. diſt. 22. qu. 3. Vaſquez in p. 2. eadem quæſt. art. 2. diſp. 118. 2. Corduba in quęſtionario lib. 2. quæſt. 6. propoſ. 2.* & plures alij, quos laudat *Azor. in inſtit. moral. par. 1. lib. 1. cap. 3. quęſt. 4. Verſ. Theologorum ſummiſtarumque* hanc autem ſententiam nonnulli recentiores probant etiam authoritate *S. Thomæ*, tum *in quæſt. 3. de malo. art. 7. in corpore, & 7. & 11. tum etiam 2. 2. quæſt. 53. art. 2. ad ſecundum*. probatur etiam varijs rationibus, & primò, quia ignorantia ſecundum ſe non opponitur formaliter alicui virtuti morali, ſed tantum ſcientię, quæ eſt virtus intellectualis, & non moralis; omne enim peccatum, vt inductione eſt manifeſtum, opponitur alicui virtuti; ergo ignorantia ſecundum ſe ſpectata non habet rationem peccati. Secundo ſi ignorantia ſecundum ſe eſſet peccatum, & non ratione negligentię annexę, ſequeretur, quòd quis pœnitẽtiam agens de culpa ob prętetitam negligentiam, remanente adhuc ignorantia, remaneret adhuc in illo peccatum, imò continuò peccaret, quod eſt abſurdum; eſſet enim ſimul in peccato, & in gratia; cum autem hoc concedi nequeat, dicendum eſt, ignorantiam ſecundũ ſe non eſſe peccatum, ſed tantum eſſe peccatum, in quantum eſt coniuncta cũ negligentia. alias rationes, quę fieri poſſent pro hac opinione; vide apud *Azorium cap. cit.* quas omitto, quia reducuntur ad prædictas.

13 Secunda ſententia videtur extremè oppoſita, quatenus aſſerit ignorantiam ſecundum ſe eſſe peccatum. ita nonnulli antiquiòres, quos citat *Vaſquez in p. 2. diſp. cit. cap. 1.* & ex recentioribus eam tuentur *Valẽtia p. 2. diſp. 6. quæſt. 6. pu. 2. & Azor. cap. cit. quæſit. 5.* probari autem poteſt primò ex ſacris litteris *in pſal. 24.* vbi Dauid Deum alloquẽs ait [Ignorantias meas ne memineris] & *prima ad Corinthios* Apoſtolus inquit; [Si quis ignorat ignorabitur,] ideſt improbabitur, vt ibi exponit *Cornelius à Lapide*: improbatio autem eſt propter peccata: & cum Apoſtolus dicat improbandam eſſe ignorantiam, debet ignorantia ipſa eſſe peccatum. Probatur ſecundò authoritate *S. Thomæ in 2. diſt. 22. qu. 2. art. 1. in corpore*. vbi relata opinione eorum, qui dicunt ignorantiã eſſe peccatum non ſecundum ſe, ſed ratione annexi, vel pręcedentis, vt cauſę, ſcilicet negligentię addiſcendi; vel ſequentis, vt effectus, nempè ratione alicuius actus praui, qui ſequitur ipſam ignorantiam; relata inquam hac ſentẽtia, ait, ignorantiam priuatiuè, & non negatiuè acceptam, ſecundum ſe eſſe culpam: & per ignorantiam priuatiuam intelligit eã, quæ eſt de rebus, quas ignorans ſcire tenetur. Tertiò probatur ratione, quia talis ignorantia directè opponitur pręcepto, quo omnes ſcire tenentur ea, quæ ſunt fidei noſtræ, & generalia principia iuris, & vnuſquiſque in particulari ea, quę ad proprium ſtatum, vel officium ſpectant, vt docet idem *S. Thomas p. 2. qu. 76. art. 2. in corpore*. ergo prędictarum rerum ignorantia eſt ſecundũ ſe peccatum. Quartò probatur ſic à pari. Error in fide eſt ſecundum ſe peccatum. ergo etiam ignorantia erit peccatum ſecundum ſe; eadem enim videtur ratio: nam error eſt quędam ſpecies ignorantiæ conſiſtentis in actu prauo; ignorantia autem, de qua loquimur, eſt ſine actu, cum ſita ſit in priuatione ſcientiæ: & ſicuti error opponitur pręcepto negatiuo, per quod prohibetur omnis aſſenſus contrarius diuinę reuelationi, ita ignorantia hęc opponitur pręcepto affirmatiuo, per quod aſtringimur ad habendam ſcientiam earum rerum, quas ſcire tenemur: ergo ſicuti error ſecundùm ſe eſt peccatũ, quatenus opponitur præcepto negatiuo, ita ignorantia hęc priuatiua, quatenus opponitur pręcep-

cep-

cepto affirmatiuo erit ſecundum ſe peccatum.

14 Hæ ſunt principales ſententiæ, quæ, ni fallor, poſſunt facile conciliari, ſi rectè intelligantur, & explicentur.

Pro cuius rei intelligentia ſupponendum eſt, aliquod ſecundum ſe eſſe peccatum, bifariam ſumi poſſe: primò, quatenus ab intrinſeco, & non ab extrinſeco conſtituitur formaliter diſſentaneum rectæ rationi, quamuis homini non imputetur, niſi connotando aliquod extrinſecum; nempè eſſe volontarium, & liberũ: talia ſunt odium Dei, & proximi, periurium, furtum, homicidium, &c. hæc autem peccata, vt certum eſt, ex ſe ſunt diſſormia naturæ rationali, & conſequẽter ſecundum ſe ſunt peccata. Secundò eſſe poteſt aliquid ſecundùm ſe peccatũ, quatenùs ratione alicuius adiuncti, ſortitur in genere moris tale prædicatum, per quod fit rectæ rationi diſſentaneum. V.g. curioſitas, quæ eſt vitium, quod per exceſſum opponitur ſtudioſitati, eſt ſecundùm ſe peccatum, quatenus connotat in homine, in quo ipſa reperitur, talẽ ſtatum, & conditionem, quæ non exigat ſcientiam rerum, quas ipſe homo inquirit, & vult ſcire: negatio autem huius exigentiæ conſtituit curioſitatem in ratione peccati, & mali moralis: quæ tamen inquiſitio, ſeu ſollicitudo ad ſciẽdum eaſdem res in alio homine diuerſi ſtatus, & conditionis, non eſſet rationi diſſormis: ita ſimiliter Ignorantia cum ratione ſubiecti, in quo inuenitur, poſſit ſortiri eſſe inuincibilem, aut vincibilem; quando ille, qui ignorat, reperitur in tali ſtatu, vt nequeat ignorantiam ſuperare, tunc in genere moris ignorantia carebit illo prædicato, ratione cuius conſtitueretur vincibilis, & ideò non eſt mala, & culpabilis: contra verò quando ignorans tenetur ſcire res illas, quas ignorat, & negligit earumdem ſcientiã acquirere, cum poſſit; tunc ratione negligentiæ ignorantia ſortitur prædicatũ illud, nempè eſſe vincibilẽ, & conſequẽter redditur culpabilis. Simile quid habemus in rebus phyſicis v. g. carentia dulcedinis, quæ eſt in lacte, intrinſecè eſt priuatio quatenus connotat exigentiã in lacte; at in ligno remanet intrinſecè pura negatio ob defectum prædictæ exigentiæ. Hac poſita diſtinctione ad concluſiones deuenio.

15 Dico primò, Ignorantiam ſecundum ſe non eſſe peccatum independenter à negligentia, cui eſt coniuncta, ſed quatenus ratione negligentiæ ſortitur eſſe vincibilem, & conſequenter culpabilẽ: & hoc pacto cenſeo intelligendos eſſe Authores relatos pro prima ſententia, & etiam *S.* Thomam locis citatis.

Dico ſecũdò, poſita negligentiâ, igno- 16
rantiam ſecundum ſe, & ex ſuo genere eſſe peccatum, vt volunt Authores ſecundæ ſententiæ: & ratio eſt, quia ex coniunctione cum negligẽtia, ſit intrinſece in genere moris ſuperabilis, ſeu vincibilis, vt dictum eſt de curioſitate: & hoc pacto intelligo *S. Thomam* allatũ pro hac ſententia: neque tali modo ſumpta S. Doctoris doctrina contradicit prioribus locis.

Ad argumenta autem prioris ſenten- 17
tiæ, quatenùs faciunt contra prædictas concluſiones, reſpondeo, & ad primum nego antecedens, nempè Ignorantiam, de qua eſt ſermo, non opponi alicui virtuti morali; opponitur enim ſtudioſitati per defectum, in quantum homo non ſe applicat ad ſciendum ea, quæ ſunt ſibi neceſſaria: & addo, quòd ignorantia eorum, quæ ſunt fidei, & quilibet tenetur ſcire, vt ſunt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Dominicę Incarnationis, & quæ ſymbolo Apoſtolorum continentur, opponitur virtuti fidei diuinæ, vt rectè animaduertunt *Valentia p. 1. cit. in fine. Didacus Aluarez in p. 2. diſput. 151. num. 15. in ſolutione ad 4.* & alij.

Sed inſtabis. *S*i ignorantia opponere- 18
tur ſtudioſitati, actus ſciendi eſſet actus procedens ab ipſa ſtudioſitate, at conſequens eſt falſum; ergo & illud, vnde ſequitur. Maioris ſequela probatur, quia, vt inductione eſt manifeſtum, malum morale opponitur virtuti morali, in quã tum tollit actum eiuſdem virtutis; & ideò, ſi ignorantia opponeretur ſtudioſitati, deberet proprium actum ſtudioſitatis tollere; & cum ipſa ignorantia tantum tollat actum ſciẽdi, infertur, actum ipſum ſciendi eſſe actum ſtudioſitatis. Minor verò, in qua aſſeritur hoc eſſe falſum, probatur, quia ſtudioſitas eſt virtus exiſtens ſubiectiuè in voluntate; nam eius munus eſt ponere moderationem in appetitu ſciendi, vt docet *S. Thomas 2. 2. qu. 167. art. 2. in fine corporis*, qui ſubdit ſtudioſitatem eſſe partem potentialem temperantiæ; & ideò vnuſquiſque curare debet, vt ſciat

ea

ea tantùm, quæ ſibi, iuxta proprium ſtatum, & conditionem, conueniunt, nec plus, nec minus; at ſcire eſt actus intellectus: ergo falſum eſt, eſſe actum ſtudioſitatis, cũ hi actus ſint in diuerſis potẽtijs. Et cõfirmatur. *Ignorantia* ſecundũ ſe opponitur ſcientiæ, quæ non eſt proxima materia, circa quam verſatur ſtudioſitas, cuius materia proxima eſt ſtudium diligentiæ ad ſciendum, quod eſt neceſſarium, vt aſſerit *Caietanus quæſt. cit. art. 26.*

Vt huic argumẽnto ſatisfaciam, ſuppono ex communi ſententia, actum aliquem dupliciter poſſe dependere ab aliqua virtute, & eiuſdem virtutis actum appellari, videlicet elicitiuè, & imperatiuè. V. g. actus orandi immediatè elicitur ab intellectu, imperatur tamen à virtute religionis, quæ eſt virtus reſidens in voluntate: ſeu eſt dicendum cum *Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 7. nu. 7.* quòd oratio eſt actus elicitus à Religione quoad affectum; ſed quoad petitionem eſt ab eadem Religione imperatus, quatenus eſt quædam intellectualis locutio: quamuis, vt idem Author ex multis ſubdit, dici poſſet, ſecundùm eſſe morale, & in genere virtutis eſſe elicitũ à Religione. Hac diſtinctione præmiſſa, reſpondeo ad argumentum, diſtinguendo conſequens maioris; hoc pacto: Si ignorantia opponeretur ſtudioſitati, actus ſciendi eſſet actus procedens ab ipſa ſtudioſitate elicitiuè, nego; imperatiuè, concedo maiorem: ſeu iuxta ſecundum modum reſpondendi poſitum à Suarez, ſic reſpondeo: Eſſet actus procedens à ſtudioſitate in eſſe morali concedo, in eſſe autem phyſico ſubdiſtinguo; imperatiuè, concedo; elicitiuè, nego: eodemq; modo diſtincta minore, nego conſequẽtiam: neque eſt nouum, & inſolitum in vna potentia ſubiectiuè exiſtere aliquã virtutem, & ab eadem imperari actum eliciendum ab alia potentia: & ita de facto à charitate, quæ in voluntate reſidet, imperatur interdum actus fidei eliciendus ab intellectu.

Ad confirmationem reſpondeo, ignorantiam opponi ſcientiæ, quatenus ſpectatur ſecundum eſſe phyſicum, & quatenus eſt actus elicitus ab eadem potẽtia, in qua reperitur ipſa ignorantia: opponi etiam ſtudioſitati ſecundum eſſe morale, & prout ipſa ſtudioſitas imperare poteſt homini actum ipſum ſciendi.

Ad ſecundum argumentum principale pro hac priori ſententia, reſpondeo, quòd peracta pœnitentia, remanet ignorantia ſicuti prius quoad eſſe phyſicum, non autem quoad eſſe morale; quia pro eo tempore deſinit eſſe culpabilis, & vincibilis, & incipit eſſe inculpabilis, & inuincibilis, vſque dum ignorans iterum negligat ſcire res illas, quas ſcire tenetur.

Ad argumenta pro poſteriori ſententia, quatenus fauere poſſunt aduerſarijs contra concluſiones à me poſitas, reſpõdeo, & ad primum ex authoritate ſacrarum litterarum deſumptum dico, Prophetam loqui de ſuis ignorantijs, nempè de peccatis in adoleſcentia ſua ex infirmitate, & ignorantia commiſſis, vt ibi exponit S. *Thomas*, & *Bellarminus*; quæ quidem ignorantię ſecundum ſe fuerunt peccata, modo tamen explicato. Reliqua autem argumenta pro hac poſteriori ſententia cum prædictis concluſionibus minimè contradicant, ideò intacta omittuntur. 21

Sed inſtabis cũ *Vaſquez diſp. cit. cap. 2. num. 4. & 5.* vbi conatur oſtendere à *S.* Thoma retractatam fuiſſe opinionẽ illam, quam docuerat *in 2. ſent. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1.* quo loco aſſeruit, ignorantiam ſecundum ſe formaliter eſſe peccatum; & contrarium docuiſſe *p. 1. 2. quæſt. 76. art. 2.* ad hoc verò probandum affert verba S. Doctoris, & primò ea, quæ habentur in corpore prædicti articuli, vbi ſic inquit. [Vndè propter negligentiam ignorantia eorum, quæ ſcire tenentur, eſt peccatum.] Secundò affert ea, quæ idem S. Doctor habet in ſolutione ad primum inquiens, quòd ſub definitione peccati, quam ſupra *qu. 71. art. 6.* tradiderat, nempè eſſe dictum, factum, concupitum, &c. intelligendas eſſe etiam negationes oppoſitas, ſecundum quas omiſſio habet rationem peccati: ſubdit autem hæc verba [Et ideò negligentia, ſecundum quam ignorantia eſt peccatum, continetur ſub prædicta definitione peccati, in quantum prætermittitur aliquid, quod debuit dici, vel fieri, vel concupiſci ad ſcientiam debitam acquirendam] hæc itaque verba ponderans *Vaſquez* inquit, non dixiſſe S. Thomam omiſſionem ſciendi eſſe peccatum, ſed omiſſionem alicuius dicti, vel facti ad ſciendum, quæ omiſſio explicatur nomine negligentiæ; ſi autem ſer-

ſermo fuiſſet de omiſſione alterius rei præceptæ V.g. de omiſſione Miſſæ non diceretur à S. Thoma peccatum conſiſtere in omiſſione dicti, vel facti neceſſarij ad Miſſam audiendam, ſed conſiſtere in ipſa omiſſione Miſſæ, quamuis omiſſio nõ ſit peccatum, niſi fuerit in poteſtate omittentis, medio aliquo dicto, vel facto, Miſſam audire. Ex hac verborum ponderatione deſumpta ex diuerſo modo loquendi, putat *Vaſquez* in ſententia *S.* Thomæ contenta in p. 2. Ignorantiam ſecundum ſe non eſſe peccatum, ſed tantùm ratione negligentiæ. Tertiò affert id, quod docet idem S. Doctor in ſolutione ad ſecũdum argumentum, vbi priuationem ſcientiæ, quæ eſt in ignorãtia, æquiparat priuationi gratiæ, atque eodem modo vtramque priuationem eſſe peccatum; nam quamuis priuatio gratiæ ſecundum ſe non ſit peccatum, poteſt tamen eſſe peccatum ratione negligentię præparandi ſe ad gratiam ipſam; ſicut & ignorantia eſſe poteſt peccatum ratione negligentiæ ſciendi; & confirmat hoc totum ipſe *Vaſquez*, dicens, priuationem gratiæ non eſſe peccatum actionis, ſeu peccatum actuale, licèt habeat rationem maculæ, & peccati per modum habitus: ergò neque ignorantia erit peccatum actuale, de quo in præſentia eſt ſermo. Quartò probat hoc ipſum ex doctrina, quæ habetur in ſolutione ad tertium eiuſdem articuli ſecundi; ibi enim *Sanctus Thomas* docet, peccata omiſſionis non tantum eſſe in actu voluntatis, ſed etiam in ipſa omiſſione, in quantum eſt voluntaria, & ſic negligentiam ſciendi, vel etiam inconſiderationem eſſe peccatum; hoc tamen non concedit de ipſa ignorantia; ergo vult peccatum omiſſionis pręter voluntatem, in qua etiam eſt, eſſe quoque in negligentia addiſcendi, vel in ipſa actuali inconſideratione: ſi autem peccatum huius omiſſionis cõſummaretur in ipſa ignorantia, ſicut nõ audire Miſſam conſummatur in ipſa priuatione audiendi, non diceret ſolum S. Doctor, hoc peccatum omiſſionis eſſe in negligentia addiſcendi, vel in inconſideratione. Quintò in ſolutione ad quartum docet, quòd licèt peracta pœnitentia remaneat ignorantia ſecundum quod eſt priuatio ſcientiæ, non tamen remanet negligentia, ſecundum quam ignorantia dicitur peccatum; ſi autem ignorantia ſecundum ſe eſſet peccatum, non diceret non manere peccatum; cũ autem dicat, ideo non manere, quia non manet negligentia ſciendi, neceſſariò ſentit in ſola negligẽtia fuiſſe peccatum. Confirmat hoc idem Vaſquez ex ſolutione ad quintum, vbi *S.* Thomas docet, quòd ignorans non continuo actu peccat, ſed tantum, quando tenetur acquirere ſcientiam. ita diſcurrit P. Vaſquez volens ſuam ſententiam confirmare authoritate S. Thomæ.

Sed non erit difficilis ſolutio, ſi ſpectetur duplex ille modus, quem ſuperius poſui, quo adhibito fiet manifeſta mens S. Thomæ, & poterit vtraque ſententia conciliari.

Ad primum itaque reſpondeo, nullam retractationem fuiſſe in ſentẽtia S. Thomæ; & ad verba ex p. 2. dico verum eſſe, quòd propter negligentiam ignorantia eſt peccatum, modo tamen explicato; nempè quatenus poſita negligẽtia, ignorantia redditur vincibilis, & culpabilis ſecundum ſe, acquirendo in genere moris nouum prædicatum, quo carebat nõ poſita negligentia.

Ad ſecundum locum eodem modo eſt reſpondendum; ad illa autem verba, quæ à S. Thoma ſubduntur, videlicet ignorantiam contineri ſub definitione peccati, in quantum prætermittitur aliquod, quod debeat dici, fieri, &c. reſpondeo in his verbis contineri cauſam, ob quam ignorãtia ſecundum ſe ſit peccatum; hoc autem explicatur per dictionem illam cauſalem, nempè per ly *In quantum*; omiſſio autem illius quod erat dicendum, faciendum, &c. importat negligentiam, quæ eſt cauſa, quare ignorantia reddatur culpabilis. Ad ponderationem Patris Vaſquez, quòd S. Thomas docet, omiſſionem dicti, vel facti eſſe peccatum, ſicuti docet negligentiam, quæ eſt quædam omiſſio, eſſe etiã peccatum, & reddere peccaminoſam ipſam ignorantiam (verum autem ſint duo peccata diſtincta, infra examinabitur); Neque refert, quòd, quando ſermo eſt de omiſſione alterius præcepti v. g. Miſſæ, non dicamus peccatum conſiſtere in omiſſione dicti vel facti ad Miſſam audiendam, ſed abſolutè dicamus, conſiſtere in ipſa omiſſione Miſſæ; non refert, inquam, quia eſt diuerſa ratio; nam omiſſio Miſſæ, poſito præcepto, ipſa ſecundum ſe eſt peccatum; ſed carentia [illegible]

ſcien-

ſcientiæ rerum, quas ſcire tenemur, ſortitur rationem peccati, quatenus eſt vincibilis: quam quidem vincibilitatem habet ab ipſa negligentia, modo, quo ſuperius explicauimus. quin addo, quòd ſi vrgeat præceptum audiendi Sacrum, & eo tempore quis omitteret aliquid dicere, vel facere, ex cuius omiſſione redderetur impotens ad Sacrum audiendũ, ſine vlla verborum improprietate dicere poſſemus, quòd omiſſio illius dicti, vel facti, ob quam negatio auditionis eſt peccatum, ſit etiam peccatum, quatenus reddit hominem impotentem ad ſeruandum præceptum.

24 Ad tertium reſpondeo, rectè æquiparari poſſe, quoad hunc effectum, nempè quoad rationem peccati, priuationẽ ſcientiæ priuationi gratiæ, quatenus vtraque eſſe poteſt peccatum actuale; nam eo tempore, quo peccator obligatur ad gratiam ſe diſponere, v. g. vel quia debet aliquid Sacramentum accipere, vel adminiſtrare, vel quia reperitur in periculo vitæ, & caret copia confeſſarij, & ideò tenetur elicere actum contritionis; tunc, ſi id omittatur, carentia gratiæ, quę antecedenter ſe habebat per modum peccati habitualis, & non actualis, conſtituitur in ratione peccati actualis ob defectum debitę diſpoſitionis ad ipſam gratiã recuperandam; & ſic valet paritas inter vtramque priuationem: ex hoc autem non bene colligitur, carentiam ſcientię non eſſe ſecundum ſe peccatum, poſita negligentia, quæ reddit illam peccaminoſam; ſicuti enim negligentia ad ſe præparãdum reddit peccaminoſam priuationem gratiæ in caſibus prædictis, ita, & negligentia ſciendi reddit priuationem ſcientiæ malam. Poſſet tamen aliquis alio modo non minus apto iuxta mentem Suarij huic obiectioni ſatisfacere, videlicet, dicendo, ignorantiam prædictam eſſe per ſe obiectiuè malam, ſicuti eſt omiſſio actus præcepti, quamuis formaliter, & in exercitio ſit mala ratione voluntatis; ſiuè directè, quando quis vult, ſeu affectat ipſam ignorantiam, ſiuè indirectè, quia negligit applicare ſe ad ſciendum, ita ex *Suario p. 2. de cauſis interioribus peccatorum. diſp. 5. ſect. 2. num. 4.* eamdemque doctrinã iiſdem ferè verbis docet *Malderus in p. 2. quæſt. 76. art. 2.* in fine ſecundi quæſiti, dicens quòd ignorantia trahit obiectiuam malitiam quodam modo à neglectu voluntatis, ſicuti fides accipit rationem virtutis quodam modo à bono affectu credulitatis.

Ad confirmationem negandum eſt, priuationem gratiæ non poſſe habere rationem peccati actualis in caſibus poſitis, & ſimilibus, quando peccator tenetur ſe diſponere ad gratiam ſanctificãtem.

Ad quartum reſpondeo, nihil haberi, quod meæ doctrinæ opponatur; ex eo enim quod S. Doctor dicat, negligẽtiam ſciendi, vel inconſiderationem eſſe peccatum, non infertur, quòd ignorantia, prout ſtat ſub tali negligentia, non ſit peccatum; vnum enim conceditur, aliud verò non negatur: & addo, quod *in corpore eiuſdem articuli S. Doctor* manifeſtè docet, ignorantiam ipſam eſſe peccatum, quamuis, quando eſt inuincibilis, non imputetur; vndè poſtea abſolutè concludit, ignorantiam vincibilem eſſe peccatum. 25

Ad quintum argumentum deſumptũ ex ſolutione quam S. Thomas tradit ad quartum, facilis ex dictis eſt ſolutio; nã deleto peccato per pœnitentiam, licet remaneat ignorantia, in quantum eſt phyſica priuatio ſcientię, non remanet tamen in ratione priuationis moralis culpabilis; quia peracta pœnitentia non remanet negligentia, à qua ignorãtia fiebat vincibilis, & conſequenter ſecundum ſe peccatum. 26

Ad confirmationem ex ſolutione ad quintum eadem reſponſio eſt adhibenda, nempè hominem ratione ignorantiæ non actu, & continuò ſemper peccare, ſed ſolum quando eſt negligens, & adeſt tempus acquirendi ſcientiam.

CAPVT IV.

Num peccans ex ignorantia vincibili, duo ſpecie, aut ſaltem numero diſtincta committat peccata?

IN præcedenti quęſtione determinanimus, ignorantiam vincibilem ſecundum ſe eſſe peccatum; quamuis hoc habeat, quatenus negligẽtiæ ſubeſt modo ibi explicato: ex hac autem ſententia oritur dubitatio, an ipſa ignorantia ex ſuppoſitione, quod ſecundum ſe ſit peccatum, eſſe debeat peccatum diſtinctum ab illo, quod ratione ipſius committitur? & ſi dicatur eſſe diſtinctum, an

ſit

ſit ſpecie, aut tantum numero diſtinctum?

Tres principales de re hac inuenio ſententias, & ex illis duas extremè oppoſitas, aliam verò veluti mediam.

27 Prima aſſerit ignorantiam vincibilem eſſe diſtinctum peccatum ab eo, quod ex ipſa ſequitur, & abſolutè loquens videtur id tenere in quacumque materia, ita *Almainus in ſuis moralibus tract* 1. *cap.* 6. *propoſit.* 2 *Corduba in quæſtionario lib.* 2. *quæſt.* 21. *in fine*. *Rodriguez in ſumma par.* 1. *cap.* 23. *concl.* 4. V. g. ſi quis vincibiliter ignoret præceptum Eccleſiæ prohibentis, ne die feſtiuo opera ſeruilia exerceantur, & ſtante tali ignorantia, ſe in operibus die feſtiuo exerceat, iſte duo patrabit peccata, vnũ commiſſionis, operando ſeruilia; aliud verò omiſſionis non curans ſuperare ignorantiam illam, inquirendo veritatem; & ſic ait de ignorantia præceptorũ diuinorum, & naturalium, & de ignorãtia culpabili circa myſteria Fidei, quæ omnes ſcire tenentur.

28 Secunda ſententia oppoſita, ait, neque ſpecie, neque numero eſſe diſtinctum peccatum ab eo, quod vigente ipſa ignorantiæ committitur, ſed conſtare vnum peccatum numero cum illo; quia in tantum hęc ignorantia eſt peccatum, in quantum, ipſa manente, homo ſe exponit periculo labendi in illud peccatũ, quod ipſe ignorat. ita *Merolla in Theologia morali tom.* 1. *diſp.* ., *cap.* 2. *dub.* 10. *diff.* 1. 2. & 3. fatetur tamen num. 683. cum, qui negligẽtia mortaliter culpabili non curat ſcire præcepta Eccleſię teneri ad hanc ignorantiam in confeſſione ſacramentali aperiendam, ſi defacto præceptum non tranſgrediatur, nam exponere ſe periculo violandi præceptũ eſt de ſe peccatum; quòd ſi defacto pręceptum violet, tunc non oportet manifeſtare illud periculum, ſed ſatisfacere, fatendo tranſgreſſionem ipſam v. g. *Die* feſtiuo omiſi ſacrum: & ratio eſt, quia ignorantia illa coniuncta cum tranſgreſſione vnam duntaxat conſtat peccatũ, vt patet etiam in alijs peccatis, quę ex ſcientia committuntur, ita aſſerit Author iſte num. num. 684.

29 Tertia ſententia veluti media aliquid ſumit de prædictis duabus, & cum diſtinctione procedit, aitque, res, de quibus eſt ignorantia, eſſe in duplici differentia, nam aliquę ſunt poſitę in ſpeculatione, aliæ verò pertinent ad praxim, & ſunt operabiles: ad primum genus ſpectant myſteria fidei, ad ſecundum pręcepta, ſiuè naturalia, ſiue poſitiua. Hac poſita diſtinctione docet hæc ſententia, ignorãtiã rerum primi generis eſſe ſpeciale peccatũ, ſed tranſcendere, & reduci ad illã ſpeciem, in qua reperitur virtus illa, de qua eſt præceptum. v. g. ſi quis ignoraret, furtum eſſe malum, ignorantia hęc pertineret ad ſpeciẽ iniuſtitiæ, ſimiliter ſi ignoraret, fornicationem eſſe illicitã, ignorantia hæc pertineret ad vitium intemperantiæ, & ſic de reliquis. Hanc ſententiam plures defendunt vt S. *Bonauentura in* 2. *diſt.* 22. *art.* 2. *quæſt.* 2. *n.* 24. *Vaſquez in p.* 2. *S. Thomæ diſp.* 119. *cap* 2. & 3. *Sanchez in Decalogum lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 11. *Layman in theolog. morali lib.* 1. *tract* 2. *cap.* 4. *num* 10. *Malderus p.* 2. *quæſt.* 76. *art* 2. *quæſito* 3. *Gaſpar Hurtado in eadem p.* 2. *diſp.* 5. *dub.* 3. & *alij*. Ratio, qua nituntur hi Auctores, eſt quia cognitio rerũ operabilium non præcipitur per ſe, ſed in ordine ad operandum; proindè ignorãtia oppoſita non conſtituit ſpeciem diſtinctam ab illa, ſub qua continetur omiſſio actus pręcepti, ſi pręceptum eſt affirmatiuum, vel ſi eſt negatiuum, ab illa ſpecie, ſub qua eſt actus malus: contra verò cognitio rerum primi generis per ſe pręcipitur, & non immediatè, & proximè in ordine ad praxim, vt eſt cognitio articulorum fidei; & ideò ignorantia oppoſita eſt per ſe prohibita; omnes enim tenemur myſteria fidei ſcire, etiam pręſcindendo ab operatione: & conſequenter talis ignorantia eſt ſpeciale peccatum diſtinctum ab illo, quod quis cõmittit exponens ſe periculo errandi in rebus fidei; vel omittendi actum fidei, eo tempore, quo vrget præceptum eliciendi actum ipſum fidei.

Hæ ſunt principaliores ſententię, quas inuenio apud Authores. ſupereſt, vt declarem quid de hac controuerſia ipſe ſentiam.

Dicendum eſt, tertiam hanc ſententiam, ſi aliquantulum declaretur, pręalijs mihi placere; proinde ſic eam cenſeo declarandam, pręmittendo tanquam certum, quòd obligatio ſuperandi ignorantiam, totaliter dependeat ex obligatione ſciendi res illas, de quibus ignorãtia habetur. Hę autem res ſunt in duplici differentia, nã aliquę pertinent ad ſta- 30

tum illius, qui eas ignorat; alię verò nullam cum tali ſtatu connexionem habēt. Primi generis ſunt principalia myſteria fidei, præcepta naturalia, quæ in Decalogo continentur, ſacramenta omnibus neceſſaria, ritus colendi Deum, præcepta vniuerſalia Eccleſiæ, & ſimilia, quę ſpectant ad communem ſtatum cuiuſcū que; ſub hoc etiam primo genere comprehenduntur ea, quæ pertinent ad ſtatus ſpeciales, videlicet quæ ſunt per ſe annexa dignitati Epiſcopali, vel muneri Parochiali, & ſi quis eſt religioſus ea, quę ſunt propria talis inſtituti; & idem dico de Iudice, vel Aduocato, &c. ſcientia autē prędictarum rerum per ſe pręcipitur; & ideo ignorantia huic ſcientiæ oppoſita eſt ſecundum ſe mala, & directè prohibita, ſiue ſub peccato mortali, ſiue veniali, iuxta qualitatem materię. Aliæ autem ſunt res, quæ nullam connexionem habent cum tali ſtatu, ſed debent ſciri, vt hic, & nunc vitetur aliquod peccatum, ſeu vt quis non ſe exponat periculo labendi, v. g. ſi quis inire vult contractum aliquem, cuius naturę cognitio non pertinet ad ſuum proprium ſtatum, & ignorat an ſit licitus, nec ne, iſte talis tenetur inquirere naturam talis contractus, & de illo ſcientiam habere, ne ſe exponat periculo celebrandi illicitum contractum: ſimiliter, ſi vult proijcere ſagittam in aliquod diſtans, & ignorat, an ſit fera, an homo, tunc tenetur ſuperare hanc ignorantiam ante emiſſionem ſagittę, & cognoſcere an illud ſit homo; talis autem cognitio per ſe loquendo non ſpectat ad ſtatum, ſed ſolum per accidens pręcipitur ad vitandum periculum interficiendi hominem, & ſic in alijs ſimilibus. Hanc ſententiā ſic explicatam tuentur plures *in p. 2. S. Thomæ quaſt. cit. inter quos eſt Medina in explicatione ſecundi articuli illius quæſtionis concl. 2. Suarez tract. de fide diſp. 13. ſect. 2.* vbi latè id probat à *n. 3.* qui etiā *nu. 7.* expreſsè docet ignorantiam eſſe ſpeciale peccatum, hoc ipſum defendunt *Alphonſus Curiel. §. 1. 2. 3. Salas tom. 2. tract. 13. diſp. 8. ſect. 3. num. 15.* ante medium, explicans propriam opinionem, *Adamus Tannerus tom. 2. diſp. quaſt. 9. dub. 1. nu. 12. 13. & alij*. Differt autem hęc ſententia ſic declarata à tertia, quatenus tertia illa vult, ignorantiam Decalogi non per ſe, & immediatè, ſed eſſe peccatum ratione ſolius periculi tranſgrediendi aliquod pręceptum, & non ratione ſui; hęc verò ſententia aſſerit, independenter à ratione proximi periculi eſſe peccatum ratione ſtatus exigentis talium, & taliū rerum cognitionem. His autem prębabitis pro declaratione meę opinionis illam probo ſecundum vtramque partem, quam inuoluit. & primò, quòd ignorantia earum rerum, quę ſunt ſtatui annexa, ſit ſpeciale peccatum independenter à periculo proximo labendi in aliud peccatum, quę ex ipſa ignorantia cauſetur, probatur diſcurrendo per res ipſas, de quibus eſt ipſa ignorantia; vnuſquiſq; enim fidelis tenetur ſub graui obligatione addiſcere myſteria fidei, vt myſteriū Trinitatis, Incarnationis, & ſimilia, etiā antequā adueniat tempus, in quo vrgeat pręceptum eliciendi actum fidei; ſimiliter tenetur habere cognitionē pręceptorum communium, priuſquam inſtet aliquod pręceptum; & pariter ſcire ſacramenta neceſſaria, vt eſt Sacramentū pœnitētiæ, Euchariſtię, &c. quamuis non vrgeat pręceptum confitendi, ſumendi Euchariſtiā, &c. ergo prędictarum rerum ignorantia eſt ſpeciale peccatum independenter à proximo periculo tranſgrediendi, & labendi in aliud peccatum, cuius ipſa ignorantia ſit peccatum. Antecedens huius argumenti eſt omninò certum; quia, vt communiter Authores docent, vnuſquiſque obligatur ad procurandam veram Dei cognitionem, vt latè probat *Suarez tract. de fide diſp. cit. ſect. 1. nu. 3. 4. & ſeq.* proinde ad addiſcendos pręcipuos articulos fidei, & pręcepta communia. Conſequentia autem ex iſto antecedente probatur, quia, ſi vnuſquiſque tenetur prędictarum rerum cognitionē habere, ſi culpabiliter id omittat, peccabit; & quia materia eſt grauis, & valdè neceſſaria ad hominis perfectionem, & propriam vitam inſtituendam, omiſſio erit graue peccatum, eſſe autem ſpeciale peccatum ſuadetur ex eo, quòd de ſcientia oppoſita datur ſpeciale pręceptum, vt in ſolutione obiectionum melius apparebit. Secunda verò pars, quę agit de rebus non habentibus connexionem cum ſtatu, videtur certa, vt probant exempla poſita ſuperius pro huius ſecundę partis declaratione.

Sed dices primò; Cognitio articulorum fidei cadit ſub pręceptum in ordine ſolum ad actum ſpei, & charitatis; ergo igno-

Digitized by Google

ergo ignorantia oppoſita prædictæ cognitioni non eſt ſpeciale peccatum. Probatur antecedens; quia, ſi præſcindamus à praxi, ſola ſpeculatio non videtur eſſe materia præcepti; nam vt ſic, non eſt virtus moralis; ſed tantum intellectualis: conſequentia verò probatur; quia eo modo ignorantia oppoſita alicui ſciẽtiæ eſt peccatum, quomodo ipſa ſcientia præcipitur; cum autem cognitio articulorum fidei ſit ſub præcepto in ordine ad actum ſpei, & amoris, in tantum habet rationem peccati, in quantum eſt cauſa, vt actus illi omittantur eo tempore, quo vrget præceptum ſperandi, aut amandi Deum.

32 Reſpondeo negando primum antecedens; nam, vt rectè oſtendit *Suarez diſp. cit. ſect. 2. nu. 4. 5. & 6.* Fides, ſiue conſideretur quoad res pertinentes ad Deum, cuius cognitio omnibus ſecundum ſe eſt ad vitam inſtituendam neceſſaria, ſiue in ordine ad mores, ſiue ad actus virtutum, ſpeculatiuo modo procedit, non autẽ practico, nimirũ imperando, aut illos actus in particulari dictando, quia hoc eſſet munus prudentiæ: ſolum itaque verſatur circa illos cognoſcendo eorumdem veritatem: quæ quidem cognitio, eſt maximè neceſſaria ad perfectionem vitæ chriſtianæ; proindè habet ſpecialem honeſtatem, quæ ſit materia ſpecialis præcepti: & conſequenter ignorantia oppoſita erit ſpeciale peccatum. Ad probationem autem antecedentis negandum eſt, quòd, facta præciſione à praxi, ſola ſpeculatio rerũ pertinentium ad ipſam fidem, vt tendentem in Deum, non ſit materia præcepti; & hoc, quia, vt benè notat *Suarez d. diſp. 13. ſect. 2. num. 4.* fides non ſe habet, tanquam purè medium ad virtutem ſpei, vel charitatis, ſed in ſe quãdam inuoluit honeſtatem, ratione cuius directè intenditur, & præcipitur, vt patet ex dictis: & quamuis eius ſpeculatio ſit actus intellectualis; nihilominus, quatenus poteſt imperari, & dirigi à virtute ſtudioſitatis, quæ eſt moralis virtus in voluntate reſidens, poterit ſub præceptum cadere. [illegible]

33 Dices ſecũdò. Quamuis demus, cognitionem fidei eſſe per ſe intentam præſcindendo ab exercitio aliarum virtutũ ob rationes allatas, cognitio tamen principiorum moralium, nempè præceptorum Decalogi, non eſt directè intenta niſi in ordine ad operandum, ſeu ad vitandum peccatum, quod ex tali ignorãtia contingeret ob tranſgreſſionẽ alicuius præcepti: ergo non eſt ſpeciale peccatum, cum ſit ſolum indirectè, & per accidens intenta, nempè ob vſum ipſorũ præceptorum.

34 Reſpondeo negando antecedens; & ratio eſt, quia vnuſquiſque, & præſertim homo fidelis ratione ſui ſtatus debet eſſe inſtructus ad honeſtè viuẽdum; proindè, etiamſi hic, & nunc nullum præceptum decalogi vrgeat, ſi tamen occurrat opportunitas addiſcendi modũ, quem homo ſeruare debet ratione proprij ſtatus, & ipſe hoc aduertat, & negligat addiſcere, peccabit, ſiue leuiter, ſiuè grauiter iuxta moram temporis, in quo negligit ſcire ea, quæ ſeruanda ſunt ad rectitudinem vitæ: quamuis, vt dixi, pro eo tempore nullum aliud præceptum inſtet. Idem etiam dico de cõmunibus præceptis Eccleſiæ, quorum cognitio pertinet ad ſtatum fidelis baptizati. 35

Dices tertiò. Peccatum conſiſtens in tali ignorantia nequit aſſignari cuinam ſpeciali virtuti opponatur: ergo non erit ſpeciale peccatum: antecedens ſuadetur; quia, ſi alicui virtuti opponeretur, maximè eſſet virtuti ſtudioſitatis, vt ſupra dictum eſt: hoc autem dici non poteſt; nam ignorantia varijs virtutibus opponitur; & ideò ad diuerſas ſpecies pertinet, iuxta modum, quo ſcientia oppoſita eſt debita intuitu præceptorũ. Et confirmatur à pari; nam, ſi quis, eligendo finem aliquem acquirendum in genere moris, imprudenter ſe gerit non conſultando de medijs, vel non imperãdo media proportionata, & neceſſaria ad finem illum obtinendum, peccat cõtra prudentiam, & non peccato diſtincto ab illo, quod committit eligendo finem prædictum; ita ſi quis negligenter ſe habeat in addiſcẽdis miſterijs fidei, & præceptis & alijs pertinentibus ad ſuum ſtatum, ignorantia illa [illegible] peccatum, at non ſpeciale, & diſtinctũ ab illo peccato, in quod ratione ignorantiæ labitur.

36 Reſpondeo, falſum eſſe antecedens; nam ignorantia hæc opponitur ſtudioſitati, quæ eſt ſpecialis virtus habens ſpeciale obiectum formale, quod eſt regere appetitum ſciendi, ne labatur in alterutrum ex vitijs oppoſitis, videlicet,

vt adhibeat diligentiam ad ſciendum ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſtatum proprium, & ſuperet laborem, qui requiritur in addiſcendo; & hoc eſt primum, & præcipuum munus ſtudioſitatis: ſecundũ verò, & minus præcipuum, eſt refrenare, ſeu temperare curioſitatem ad inueſtiganda inutilia: hæc autem duo officia ſpectant ad ſtudioſitatem, tamquam extremè oppoſita: quamuis *Arriaga tom. 5. de virtutibus diſput.* 56. primũ dumtaxat munus concedat ſtudioſitati; ſecundum verò dicat pertinere ad alias, & diuerſas virtutes. Ad probationem antecedentis reſpondeo, ignorantiam eſſe iudicandam ſpecialem, aut generalem culpam, ſicuti eſt ſpeciale, aut generale debitum ſcientiæ oppoſitę: cum autem aliqua ſcientia quarumdam rerũ ſit debita conſequenter, ſeu indirectè, in quantum eſt neceſſaria ad exercendos actus virtutum, vel ad vitandum aliquod peccatum, aliqua verò ſcientia directè, & per ſe ſit debita, vt eſt illa, per quam ſcimus neceſſaria ad proprium ſtatum; idcirco ignorantia oppoſita priori ſcientiæ non eſt ſpeciale peccatum, ſed habet nunc vnam, nunc aliam malitiam ſpecie diuerſam; qualẽ habet peccatum, quod ratione ipſius ignorantiæ committitur: ignorãtia autem oppoſita poſteriori ſciẽtiæ eſt ſpeciale peccatum; quia ſcientia oppoſita eſt ſpecialiter debita, & ſpecialiter eſt præcepta, vt ſupra declaratum eſt.

Ad confirmationem nego paritatem; quia conſultare, & iudicare de medijs ad aliquem finem, ſicuti etiam illa imperare, primò, & per ſe ordinantur ad operationem; proindè non aliã inuoluunt honeſtatem, aut turpitudinem, niſi eam, quæ reperitur in ipſa operatione, vel in eius omiſſione: non autem ita ſe habet ſcientia, vt explicuimus.

CAPVT V.

Quænam ſint obiecta, de quibus ignorantia inuincibilis eſſe poſſit?

VT ordinatè procedamus, diſtinguendę ſunt leges, de quibus dubitari poteſt, num de illis detur aliquando ignorantia inuincibilis? hæ autem ſunt leges humanæ, diuinæ, & naturales. His præhabitis,

Dicendum eſt primò, dari poſſe ignorantiam inuincibilem de lege poſitiua humana, tum ciuili, tum canonica. 37
Concluſio eſt communis, & indubitata, vt benè inquit *Vaſquez. p. 2. diſp. 123. cap. 1. initio. Salas tract. 13. diſp. 8. ſect. 4. num. 23. diff. 4. Sayrus in clau. reg. lib. 2. cap. 9. num. 19. in fine. Aluarez p. 2. diſp. 153. concl.* 8. & alij antiqui, & recentiores: & quamuis *Vaſquez loc. cit.* pro contraria citet *Vuillelmum Pariſienſem tract. de legibus cap.* 21. nihilominus legens doctrinam ab eo ibi traditam agnoui, ipſum loqui de ignorantia, prout verſatur circa fidem, & ius naturale, de qua re inferiùs erit ſermo. *Limitare* tamen videtur concluſionem hanc *Alphonſus de Caſtro de iure legis pœnalis lib. 2. cap.* 14. dicens, non dari ignorantiã inuincibilem de ijs, quæ ad proprium ſtatum pertinent, ita vt V. g. Epiſcopus teneatur ſcire leges Epiſcopi, *Iudex* leges Iudicis, &c. Sed concluſio probatur, quia obligare omnes ad ſciendum omnia iura, & ſtatuta edita ab humano legiſlatore excedit modum procedendi humanum: quis enim audeat damnare de peccato hominem ruſticũ, ſi ignorẽt aliqua ſtatuta, quæ fiunt à Principe, vel magiſtratu? Secundò probatur ex abſurdo, quod ſequeretur ex tali ſententia; nempè, dari non poſſe abſolutè ignorantiam inuincibilem in homine adulto: quod eſt contra communem omnium ſententiam: & probatur ſequela; quia, ſi talis ignorantia in legibus humanis non admittitur, multo minus erit admittenda in lege diuina, & in lege naturali; quæ immediatiùs ex principijs lumine naturę cognitis deducuntur: leges autem humanæ ex arbitrio & voluntate Principis procedunt; & ideò incognitæ eſſe poſſunt ſubditis. Et quãuis non ita facilè concedenda ſit ignorantia de rebus ſpectantibus ad propriũ ſtatum; nihilominus nulla apparet difficultas, quin Epiſcopus, aut Iudex V. g. aliquando abſque culpa ignoret rem aliquam, quæ ſit ſui muneris. Cæterùm concluſio hæc ex dicendis meliùs confirmabitur.

Dicendum eſt ſecundò, inter infideles admittendam eſſe ignorantiam inuincibilem circa myſteria fidei. Eſt contra 38
aliquos apud *Sayrum cap. 9. cit. num.* 20. referendo primam ſententiam, qui fune da-

dantur in illo principio, videlicet, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, & ideò aiunt, quòd, si alicui infideli non reuelantur mysteria principalia nostræ fidei, siue per prædicationem externam, siuè per internam illustrationem, id oritur ex culpa ipsius infidelis, quatenus non se disposuit, faciens quod in se est, ad acquirendam mysteriorum notitiam: diligentia autem, quam infidelis adhibere debet, ne ignorantia mysteriorum fidei illi imputetur ad peccatum, ita explicatur ab aliquibus, nempè, vt orationibus postulet à Deo illuminari, vt consulat peritos, &c. si verò vnum ex his omittat, censent hi Auctores hunc talem non satisfacere suæ obligationi, & ignorantiam, qua laborat, non esse inuincibilem, & inculpabilem. Alij verò, quos laudat *Vasquez p. 2. disp.* 120. *cap.* 2. *n.* 9. aiunt, sufficere consilium aliorum peritorum. Alij, vt idem Author refert, sunt in alio extremo, requirentes, vt non solum consulantur periti, & orationes fundantur ad Deum, sed etiam vt se præparent ad iustificationem, & ad peccatorum remissionem obtinendam. Quid verò probabilius mihi videatur, sequentibus aperiam.

39 Dicendum est tertiò. Vt infidelis censeatur habere ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem mysteriorum fidei, satis erit, si nunquam de illis notitiam habuerit, neque ab alijs eam acceperit, vel aliquid audiuerit, aut per illustrationem mentis à Deo veritas ei communicata fuerit. Conclusio hæc est certa apud omnes: illam verò docet *S. Thomas* 2. 2. *qu.* 10. *art.* 1. admittens, haberi posse de his mysterijs infidelitatem negatiuam sine peccato, licet pœna peccati primorum parentum, vt inquit ipse S. Doctor, potest etiam esse pœna propriorum peccatorum actualium, quatenus infidelis peccans contra lumen naturale indignus redditur, vt à Deo illuminetur: quin addit S. *Thomas* ibidem, tales infideles si ita moriantur, non fore damnandos ob peccatum infidelitatis, sed ob alia peccata, quæ commiserunt. Confirmatur ex verbis Christi Domini dicentis contra Hebræos: (si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent) loquitur enim de peccato infidelitatis, vt interpretatur S. *Augustinus tract.* 89. *in Ioannem inter principium, & medium*: qui locus etiam affertur à S. Thoma.

40 Dicendum est quartò. Quandò infideli proponitur fides vera, vel ipsemet dubitat, quænam sit vera fides, vt ignorantia iudicetur inuincibilis, & sine culpa, tenetur diligentiam adhibere ad veritatem acquirendam, vt omnes fatentur, aliqua tamē est inter Authores controuersia de qualitate diligentiæ, vt suprà retulimus, afferendo varia Doctorum placita: dico igitur, quòd diligentia nequit esse eadem respectu omnium; nam illa, quæ respectu vnius personæ existimatur sufficiens, respectu alterius personæ iudicabitur insufficiens; proinde arbitrio prudentis id erit determinandum, spectatis omnibus, nempè qualitate personæ, officij, & materiæ: & ideò certum est, hominem indoctum, aut vetulã excusandos fore, si consulant Parochũ; at non semper ita excusandum virum doctum: rursus aio, maiorem esse adhibendam diligentiam, quandò agitur de mysterijs fidei, quàm de præceptis humanis. quæ autem omnia cum sint certa, dubitatio est, num ad excusandam ignorantiam circa mysteria fidei non solum requiratur discutere materiam, & consulere viros doctos, & prudentes, de quibus non sit suspicio, quòd errorem ingerant consulenti, sed etiam requiratur, vt ipse infidelis instruendus preces ad Deum fundat, vt mentem illuminet, & etiam per contritionem ad peccata expianda se disponat: aliqui enim affirmant, vt diximus supra; alij verò negant.

41 Dicendum est quintò, quòd, si infidelis consulat viros doctos, de quibus esse nequeat suspicio, quòd veritatem non aperiant, satisfaciet suæ obligationi, eritque ignorantia circa aliquod fidei mysterium existimanda erit inuincibilis: ita *Medina in p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 2. *in solutione ad secundum, & tertium argumentum. Coriel ibidem dub.* 3. §. 4. *Suarez disp. cit. nu.* 3. *&* 4. *& alij apud ipsum*. Probatur, quia satis est adhibere remedium ordinarium, quale est consulere viros doctos, & probos, quandò illi haberi possunt: ergo, per se loquendo, non tenetur infidelis recurrere ad remedium extraordinarium, quale est agere pœnitentiam, orare, &c. Consequentia est certa: antecedens verò probatur; quia illud medium est ex obligatione adhibendum, cuius effectus depel-

pelli ignorantiam; talis autem effectus eſt notitia rei ſciendæ, & in caſu noſtro eſt cognitio myſteriorum, quæ ex obligatione credenda ſunt; omne autem aliud remedium non eſt ex obligatione neceſſarium; aliter in omnibus alijs, de quibus eſt ignorantia, & ex præcepto ſciri debent (V. g. pro ineundo hoc, vel illo contractu, aut pro aliquo alio, ſiue exercendo, ſiue omittendo) ſatis non eſſet conſulere viros peritos, & doctos, ſed oporteret pœnitentiam de peccatis agere, & orare ad *Deum*, quod nemo dixit.

42 Dicendum eſt ſextò, Quando non adſunt Doctores conſulendi, & periculum ſit errandi, vel ipſe ignorans ſit in periculo moriendi, tunc tenebitur recurrere ad Deum, & ab illo enixè poſtulare cognitionem veritatis, huuc caſum fuſius declarat *Curiel §. 4. cit. Ver. ſed circa.* quem vide. & hæc ſufficiant de ignorantia veræ fidei, quæ eſſe poteſt in infidelibus, remanet, vt aliquid dicatur de ignorantia inter fideles.

43 *Dicendum* eſt ſeptimò, etiam inter fideles, (quamuis rarò, & ad breue tẽpus) dari poſſe ignorantiam inuincibilem myſteriorũ fidei. eſt contra aliquos, quos citat *Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 3. nu. 20.* ſed ſententiam docent quamplures, quibus ipſe Sanchez ſe ſubſcribit. *Vaſquez diſp. 121. cap. in fine.* Probatur, quia nil prohibet dari aliquos ruſticos, qui ignorantes myſteria fidei niſi cogitauerint de præcepto ſciendi articulos fidei, vel nil de illis audierint, in tali autem caſu, cum nullo pacto ignorantia ſit volita, neque explicitè, neque implicitè, erit inculpabilis: ſed hoc rarò euenire poteſt, & non ad longum tempus; quia myſteria fidei paſſim celebrantur in Eccleſia, & à concionatoribus declarantur; & ideò moraliter eſt impoſſibile, vt aliquid de ipſis myſterijs fideles non audierint, & aliqua dubitatio eiſdem non occurrerit; proinde diuturno tempore non videtur ita poſſibile inter fideles, dari poſſe in adultis inuincibilem ignorantiam de myſterijs noſtræ fidei.

44 Dicendum eſt octauò, non dari ignorantiam inuincibilem de principijs primis Iuris naturalis, videlicèt *Bonum eſſe faciendum. Malum eſſe vitandũ. Quod tibi non vis alteri ne facias. ita S. Thomas p. 2. quæſt. 94. art. 6. Sayrus clau. reg. lib. 2. cap. 9. num. 17. Vaſquez in eadem p. 2. diſp. 122. cap. 2. Valent. diſp. 6. quæſt. 6. punt. 1. corol. 7. Salas tract. 13. diſp. 8. ſect. 4. num. 18. Suarez de legibus lib. 2. cap. 8. num. 7. Alphonſus Curiel. quæſt. cit. art. 2. dub. 4. §. 2. concl. 1. Merolla in theol. morali tom. 1 diſp. 1. cap. 2 dub. 6 nu. 144. Azor. in moral. inſtit. tom. 1. lib. 1. cap. 13. quæſt. 1. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 16. num. 33. Aluarez diſp. 153. nu. 10. concl. 8. & alij communiter.* Probatur concluſio, quia principia illa vniuerſaliſſima ſunt lumini naturæ inſita, & congenita; & ideò ratione vtentibus neque-unt eſſe incognita. Et confirmatur à pari; quemadmodum enim terminis intellectis dari non poteſt ignorantia de primis, & vniuerſaliſſimis principijs ſpeculatiuis, nempè, quòd de quolibet verum ſit dicere, eſſe, aut non eſſe, quòd omne totum ſit ſua parte maius, &c. ita neque dari poterit ignorantia inuincibilis de primis illis principijs vniuerſaliſſimis practicis; æquè enim congenita ſunt naturæ intellectuali vtriuſque generis principia.

Quod verò attinet ad præcepta iuris naturalis, quæ in Decalogo continentur, vario modo loquuntur Authores; nã inter ipſa præcepta ſunt aliqua, quæ ſine labore, & faciliſſimè deducũtur ex primis principijs vniuerſalibus, vt, Deũ eſſe colẽdũ, Parẽtes honorãdos, Filios educãdos, &c. aliqua verò nõ ita facile deducũtur. De prioribus cenſent nonnulli, ignorantiam dari non poſſe, ita *Valentia, & Salas loc. cit.* quibus addo *Curielem loc. cit. concl. 2. Ver. ſi quæras: Aluarez concl. 5.* de poſterioribus autem aiunt dari poſſe inuincibilem ignorantiam, ſed ad breue tempus, ita *Sayrus cap. cit. nu. 18. propoſ. 4.* Alij denique præcepta Decalogi duplici modo conſiderant, primò ſecundum ſe, nulla alia circumſtantia adiuncta; ſecundò, prout veſtita ſunt aliqua circumſtãtia, ratione cuius poſſunt, quamuis ad breue tempus, ignorari. ita *Corduba lib. 1. qu. 4. concl. 1. Vaſquez diſp. 122. cap. 2. Alphonſus Curiel. qu. & art. cit. §. 2. concl. 2. per totam.* 45

46 Dicendum eſt nonò, præcepta illa quæ includunt cultum Dei, vel parentũ & educationem propriorum filiorum probabilius mihi videtur, ignorari non poſſe, quia cum maximam habeant affinitatem cum primis principijs, quæ ab om-

omnibus lumine ipſo naturæ agnoſcan-
tur, ideò nulla eſt natio, quamuis barba-
ra, quæ Deum, aut ſaltem aliquod ſupre-
mũ numen nõ cognoſcat, vel quæ igno-
ret, parentes eſſe venerandos, filios enu-
triendos, &c.

Inſtabis. Poteſt dari ignorantia de
47 Deo, ergo de cultu ei debito. conſequen-
tia eſt manifeſta; nam cognitio debiti
cultus ſupponit perſonam colendam.
Antecedens probatur, quia Atheiſtæ, &
nonnulli Ethnici, Deum eſſe, omninò
negarunt: ergo defacto dari poteſt igno-
rantia de Deo, & ea admiſſa, facile eue-
niret, eam eſſe inuincibilem; nam ali-
quis puer, aut ruſticus inter Atheiſtas e-
ducatus poterit per aliquod ſaltem tem-
pus nil de Deo audiuiſſe, & conſequenter
nullum habere remorſum huius ignorã-
tiæ, & ideò inculpabiliter Deum igno-
rare.

Reſpondeo quòd, quamuis poſſit ali-
quis Deum ſub expreſſo, & formali cõ-
ceptu ignorare, non poterit tamen igno-
rare Deum ſub aliquo cõceptu confuſo,
& implicito, cognoſcendo nimirum dari
aliquod numen ſuperius: & ſic diſtincto
antecedente, neganda eſt conſequentia;
nam illud numen confusè apprehenſum
cognoſceretur veneratione dignũ, quia
cognoſceretur, vt quid excellens. Ad
probationem antecedẽtis reſpondeo cũ
*Vaſquez in p. par. diſp. 20. cap. 4. & cum
Suarez in metaphyſica diſp. 29. per tres
ſectiones*, in quibus euidenter probat, in-
tra limites naturæ demonſtrari poſſe
Dei exiſtentiam, & vnitatem, rationes
varias deducendo ex motu Cæli, vel ex
cauſis efficientibus, in quibus dari ne-
quit proceſſus in infinitum, ſed ſiſtendũ
in aliqua cauſa, quæ ſit ens à ſe, & nõ ab
alio ente dependens, quæ quidẽ cauſſa à
nobis Deus appellatur. Quod verò ſpectat
ad Atheiſtas, & alios, reſpõdet *Vaſquez*,
eos magicis artibus tũ in alijs homini-
bus, tũ in ſe ipſis varios, & mirabiles effe-
ctus expertos fuiſſe, qui omnẽ humanã,
atque viſibilem potentiam ſuperabant,
& ideò ipſos coactos medijs effectibus
credidiſſe, aut ſaltem agnoſcere potuiſſe,
dari in mundo aliquod ens ſuperius, &
ſpirituale potentioris virtutis, quàm
ſint ea, quæ ſub aſpectum cadunt: ex
quo faciliimè poterant adduci ad cre-
dendum, inueniri aliquod numen ſupe-
rius, quod in tantum illud negabant, in
quantum cenſebant, nil aliud dari præter
hæc entia ſenſibilia, & corporea: addit
etiam *Vaſquez* ex teſtimonio grauiſſi-
morum virorum, homines illos ab Athe-
iſmo eo magis detineri, quò auidiùs ma-
gicarum artium ſtudio operam dabant.
Hæc autem breuiter hoc loco ſint tacta,
cũ potius ad theologiam ſpeculatiuam,
quàm ad moralem pertineant, & fusè
examinantur in 1. parte *S.* Thomæ.

Inſtabis ſecundò, licèt lumine naturæ 48
vnuſquiſque in cognitionem Dei, ſeu cõ-
fusè alicuius ſuperioris numinis deueni-
re poſſit, nihilominus id eſſe nequit ſi-
ne diſcurſu, & ab hominibus doctis; ru-
ſtici verò neſcientes vim talis diſcurſus
poſſunt inculpabiliter Deum ignorare,
& conſequenter præceptum de Dei
cultu.

Reſpondeo, negandũ nõ eſſe in ruſticis
dari poſſe ignorãtiã inuincibilẽ de Deo,
ſed id moraliter non contingere, niſi ra-
rò, & ad breue tẽpus, quia licèt ipſi ne-
queãt immediatè ſe applicare ad cogni-
tionem Dei acquirendam, nihilominus
diuturnum tempus labi non poteſt, quin
ab alijs peritioribus aliqua de Deo au-
diant; proindè habita tali confuſa co-
gnitione tenentur diligentiam adhibe-
re ad perfectiorem cognitionem obti-
nendam, & illam omittentes ignoranc
vincibiliter, & culpabiliter Dei exiſten-
tiam.

*D*icendum eſt decimò, de alijs præ- 49
ceptis Decalogi, etiam ſi abſolutè ſumã-
tur, nempè abſque vlla circumſtantia
quæ à culpa excuſet, poſſe dari ignoran-
tiam inuincibilem etiam ad longum tẽ-
pus, non autem toto vitæ decurſu, at ſi
prædicta circumſtantia veſtiantur, dari
poſſe inculpabilem ignorantiam toto
vitæ tempore. ita exiſtimant *Conradus,
Vaſquez, Sanchez locis citatis, & Me-
rolla cap. xii. num.* 146. talia videntur
eſſe præcepta, quæ prohibent furtum,
vſuram, ſimplicem fornicationem, men-
dacium ob finem bonum, & ſimilia. pro-
bant autem laudati Authores hanc ſen-
tentiam, quæ tres includit partes, hoc
pacto: & prima pars, quatenus aſſerit,
poſſe de his præceptis ignorantiam in-
uincibilem dari, quamuis abſolutè, & ſi-
ne additione alterius circumſtãtiæ cõſi-
derẽtur, ita ſuadetur. Præcepta ſuperius
enumerata nõ ſunt per ſe nota, vt certũ
eſt, ſed aliquo diſcurſu ad ipſa agnoſcen-
da indigemus: cum itaque poſſit diſ-
curſus pro aliquo tempore non haberi;
ideo;

ideo pro eodem tempore ignorantia de illis haberi poterit, quæ ſit inculpabilis; nam diſcurſu prædicto non poſito, nullum remanet principium ex parte intellectus, per quod ignorantia vincatur; proindè inuincibilis remanet. Secũda verò pars negans, dari poſſe ignorãtiam hanc toto vitæ curriculo, ità probatur; nam præcepta iſta ſunt adeò naturæ rationali conſentanea, vt eorumdem tranſgreſſio exciret mentem ad agnoſcendam turpitudinem, quæ in obiectis prohibitis reperitur, & cognitio hæc, ex primis principijs rectè conſideratis, poterit facili negotio deduci; nam ſpectando hoc principium. *Quod tibi non vis, alteri ne facias*, infertur, rei alienæ ſubreptionem, inuito domino, non eſſe licitam; nemo enim inuenitur, qui velit, vt ſua bona, ipſo inuito, ab alio capiantur: idcircò deducet hoc ipſum de ſurreptione bonorum, quæ ſunt ſub alterius dominio: idem dico de vſura, cuius turpitudinem non erit difficile agnoſcere, ſpectando naturam pecuniæ, quæ ſecundum ſe eſt ſterilis, & non fructuoſa, niſi, prout ſubeſt humanæ induſtriæ, quæ in mutuo non apponitur à mutuante: proinde facile erit cognoſcere, ratione puri mutui, niſi concurrat alius iuſtus titulus, non poſſe à mutuante aliquid ſupra mutuum exigi. ſimiliter adhibito diſcurſu comperietur, ſimplicem fornicationem aduerſari fini, quem lex naturalis præſcribit, vt proles à parentibus benè educetur; nam vagus concubitus impedit, ne Parentes curam ponant ad ipſam prolem enutriendam, vt fusè probat *Leſſius lib. 4. de iuſt. cap. 3. dubit. 7. per totam*, reſpondens etiã ad contraria obiecta, & præſertim ad illam, in qua probatur, dari aliquos caſus, in quibus proles non periclitaretur. Deniqne rectè ratiocinando ex primis principijs colligi poterit, mendacium eſſe intrinſecè malum, & nullo bono fine cohoneſtari, quia intrinſecè opponitur virtuti veracitatis, & peruertit ordinem, quem inſtituit natura in vſu ſignorum, quibus mendax abutitur; natura enim ordinauit ſigna externa, nempe verba, geſtus, & actiones, ſeu nutùs, &c. vt id, quod exterius ſenſibiliter exprimimus, ſit menti cõforme: præterea per mendacium decipitur proximus; ideoque mendacium notabiliter lædit politicam conuerſationem inter homines; proindè formaliter, vt ſic, eſt intrinſecè malum. Non negant tamen Authores proportionata cauſa concurrente poſſe nos vti æquiuocatione aliqua, ſed tunc non mentimur, neque illa æquiuocatio eſt mendacium, neque erit illicita ex hypotheſi, quòd iudicio prudentis hic, & nunc poſſimus veritatem aliquam occultare. Ex his igitur apparet quomodo probari poſſet hæc ſententia ab Authoribus citatis. Cæterum expeditius, & verius mihi videtur, ſi diſtinguamus vnũ genus hominum ab alio; propterea dico, quòd inter infideles dari queat ignorantia inuincibilis de præceptis naturalibus, quę non ita facile deducuntur ex primis principijs, ſed indigent non ſolum vna, aut altera, ſed pluribus cõſequentijs, quę ab infidelibus moraliter non videntur poſſe humano modo deduci & ideò excuſari poſſunt; at inter fideles non ita facile eſt admittenda talis ignorantia, ſaltem ad longum tempus; quia de his, vel inſtruuntur à Parochis, aut Confeſſarijs, vel ſaltem audiendo concionatores, & alios de his rebus loquentes ſuboritur in ipſis dubitatio, animũ pulſans, quòd hoc, vel illud ſit prohibitum; & ideò tali dubio poſito tenentur diligentiam adhibere ad veritatem inquirendam, & ea omiſſa, redditur eorum ignorantia vincibilis, & culpabilis.

Hanc ſententiam ita à me explicatam, docet *Curiel §. cit. 2. concl. vltima. Trullench. in Decal. lib. 5. cap. 4. dub. 2. num. 5. & alij*. Quoad verò attinet ad tertiam poſitæ concluſionis partem dico, quòd non videtur omnino, & phyſicè impoſſibile, dari poſſe tales circumſtantias, per quas homo excuſetur à culpa etiam toto vitæ tempore.

CAPVT VI.

Traditur regula ad diſcernendum, num quis inuincibili, an potius vincibili ignorantia laborauerit?

DE re hac fusè pertractaui, dum in hoc Panormitano Collegio ſupplẽs 10
abſentiam amiciſſimi, & peritiſſimi Patris Thomæ Tamburini publicè legi tractatum de ignorantia, nunc verò ſummatim tradam, quæ ibi docui. inueſtigãda igitur eſt regula, per quam in caſi-

bus

bus definiẽdis dijudicare poſſimus qualitatem ignorantiæ.

Sententia quorumdam eſt, tunc ignorantiam eſſe inuincibilem, quando ille, qui ignorabat, appoſuit omne ſtudium ad illam ſuperãdam. Citari ſolet pro hac opinione *Almainus in tract. moral. cap.* 4.

Sed quamuis Author iſte veritatem doceat, nihilominus non ſatisfacit quęſito; quia ſolum tradit regulam pro eo dumtaxat tempore, quo quis dubitat de obiecti malitia, tunc enim, vt ſupra diximus, tenetur inquirere veritatem, diſcutiendo caſum, conſulendo peritos, &c. quæſitum autem præſens procedit de ignorantia, quæ præcedit omnem dubitationẽ, quæ de honeſtate, aut inhoneſtate obiectiua habetur, cuius qualitas à confeſſario, vel alio viro docto eſt determinanda; videlicèt, num carentia cognitionis de tali obiecto, quoad moralem malitiam fuerit, nec ne, totaliter excuſabilis?

51 Alia ſententia hanc regulam proponit; videlicèt eſſe attendendum, num pręceptum, ſeu lex, quæ ignoratur, ſit de rebus pertinẽtibus ad proprium ſtatum, vel non ſpectantibus; ſi primum, aiunt huius ſententiæ fautores, ignorãtiam eſſe vincibilem; ſecùs ſi ſecundum dicatur. Opinionem hanc docet *Angelus Ver. Excommunicatio*. 7. *caſu vlt. num.* 3. *Vgolinus de cenſur. tab.* 1. *cap.* 9. §. 8. *num.* 6. *Nauar. in ſumma cap.* 23. *num.* 47. *& alij*.

Cæterum regula hæc non placet, quia nil prohibet, dari ignorantiam inuincibilem de re aliqua pertinente ad propriũ ſtatum, præſertim quãdo eſt neceſſarius doctrinalis diſcurſus ad veritatem deprehendendam, & quando nulla ſuſpicio de malitia obiecti occurrit. His autẽ omiſſis.

52 Dicendum mihi videtur regulam ad hanc veritatem aſſequendam dependere ex multarum rerum notitia, nempe eſſe conſiderandam qualitatem præcepti; nam quo magis fuerit à primis principijs remotum, eò magis excuſabilis de illo erit ignorantia.

Rurſus eſſe ſpectandam conditionem illius, qui ignorat, an ſi doctus, aut idiota; & denique, an habuerit ſuſpicionẽ, aut dubitationem de præcepto; ſi enim talis affuerit dubitatio, fuiſſet apponẽda diligentia ad veritatem inueniẽdam, itaut diligẽtia debita omiſſa, tunc ignorantia reddita fuiſſet vincibilis, & culpabilis.

Contra verò ſi nihil de præcepto intellectui occurrerit, manifeſtè colligeretur, ignorantiam fuiſſe inculpabilẽ; quia nequit ignorantia aliqua eſſe culpabilis, niſi ſit aliquo modo voluntaria; nam vbi non eſt voluntas, nulla eſse poteſt culpa; at nihil voluntarium, niſi ſit aliqua ratione pręcognitum, ergo in caſu noſtro, ſi nulla pręhabita fuerit cognitio de præcepto, ignorantia non erit volũtaria, & vinci non poterit, & ideò erit inuincibilis, & inculpabilis, vt docent ferè omnes Authores tum veteres, quos laudat *Vaſquez p.* 2. *diſput.* 107. *cap.* 3. *& diſput.* 123. *cap.* 2. *num.* 6. tum etiam Recentiores, vt *Suarez to.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 4. *ſect.* 8. *num.* 18. *Sanchez in decal. lib.* 1. *cap.* 16. *à num.* 11. *Salas in part.* 2. *tract.* 13. *diſput.* 8. *ſect.* 11. *num.* 87. *Aluarez in ead. par.* 2. *diſp.* 144. *nu.* 6. *Sayrus in clau. reg. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 20. *Merolla in Theol. moral. tom.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 2. *nu.* 106. *& alij*.

Ex his colligi poterit regula, quam inquirimus, ad diſcernendum, quando ignorantia ſit inuincibilis: ea autem eſt exacta prædictarum circumſtantiarũ diſcuſſio.

Quæ dicta ſunt de ignorantia intelligi 53
etiam debent de obliuione, & inaduertentia, ſeu in conſideratione, nam aliqua eſſe poteſt vincibilis; aliqua verò inuincibilis. ſic loc. cit. docet Suarez, & alij.

Sed contra inſtabis primò. Vt quis 54
cenſeatur vincibiliter ignorare, & conſequenter peccare, ſufficit ex parte intellectus virtualis conſideratio de malitia obiecti; ergo non requiritur actualis cognitio: patet conſequentia; antecedens probatur; quia ſicuti ex parte voluntatis ſatis eſt conſenſus virtualis, ſeu interpretatiuus; ita ex parte intellectus virtualis conſideratio.

Reſpondeo diſtinguendo antecedẽs. Sufficit virtualis conſideratio, quatenus inuoluit dubitationem aliquam, ſeu ſuſpicionem, aut ſcrupulum de malitia obiecti, concedo antecedens, quæ non inuoluat talẽ dubitationem, &c. nego antecedens: imò nequit eſſe virtualis conſideratio malitiæ, illa cognitio, quæ nihil agnoſcit, aut cogitat, ſaltem dubitatiuè, de malitia: eadem diſtinctio

applicandã erit probationi antecedentis. Ad conſequentiam autem deductã ex primo antecedente eſt diſtinguendũ conſequẽs; cum enim dicitur, nõ requiri cognitionem actualem, ſi intelligatur de cognitione explicita malitię obiectiuæ, verum aſſeritur, ſed nihil aduerſum me; quia nolo, eſſe neceſſariam talem cognitionem; ſi verò intelligatur de omni cognitione, etiam de illa, quę cõfusè attingit malitiam, falſum aſſeritur; nam, vt ſupra probatum eſt & ratione, & anthoritate, impoſſibile eſt, eſſe peccatũ, ſeu ignorantiam eſſe culpabilem, niſi præcedat confusè notitia, dubium, aut ſaltem ſcrupulus de malitia obiecti.

55 Inſtabis ſecundò. Cognoſcere, & debere cognoſcere paria ſunt, vt communiter dicunt Doctores *Gloſ. in L. Quod te. in fine. ff. de Reb. cred.* ergo, ſi quis obligationem habet ſciendi, cenſetur ſcire; & ideò ignorantia ipſum non excuſat.

Reſpondeo, eſto illa duo pariſicentur, erat tamen probandum debitum ſciendi, quod non habetur, quando quis caret omni dubitatione; quia tunc deeſt in illo proximum principium dubitandi, vel ſuſpicandi de præcepto, & obligatione: & ita intelligendum erit dictum illud ab Authoribus vſurpatum: vel intelligendum erit præſumptiuè, & in foro externo, non autem in foro conſcientiæ. & addo non ſatis eſſe quamcumque aduertentiam ad hoc, vt actus, qui fit ex ignorantia, cenſeatur mortalis, quamuis materia ſit de ſe grauis, & apta ad culpam mortalem; nam poterit aduertentia eſſe adeò imperfecta, vt nequeat eſſe ſufficiens principium, vt homo talis conditionis, & naturæ excitetur ad perfectius conſiderandam ſuam obligationem; & ideò operatio, quę exercetur cum tali imperfecta cognitione, non excedet culpam venialem, vt rectè docet *Vaſquez diſp. 107. cit. cap. 4. in fine*, *Sanchez cap. 16. cit. num. 23.* & ſic num. 24. *& ſeq.* exponit illud dictum, quo paſſim Doctores vtuntur, æquiparantes ſcire cum debito ſciendi.

Ex hoc autem principio colligunt Do-
56 ctores, pollutionem in eo, qui eſt ſemiexpergefactus non eſſe peccatum mortale ob defectum pleni iudicij, ita *Sotus diſt. 12. qu. 1. art. 7. Emmanuel Sà in ſuis aphoriſmis Verb. Luxuria nu. 9. Bonacina de matrim. qu. 4. art. 10. nu. 4. & alij apud ipſum.*

CAPVT VII.

An de effectu, qui ex illicita actione ſequitur, dari poſſit inuincibilis ignorantia?

FVit nonnullorum Canoniſtarum sẽtentia, *in Cap. Continebatur. de* 57
homicidio, ignorantiam inuincibilem admittendam non eſſe de aliquo effectu malo, ſi quis det operam rei illicitę, de qua prauus ille effectus ſequatur; quam etiã ſententiã ex theologis tuetur *Gabriel in 4. diſt. 15. qu. 14. art. 3. dub. 2.* exẽplũ afferẽs de clerico lapidem proijciẽte, aut ſagittam emittente, ex qua emiſſione caſu aliquis tranſiens interficiatur, in eo etiam loco, vbi ſolitum non eſt aliquem tranſire; in hoc autem euentu aſſerit prædictus Author, clericum hunc teneri ad reſtitutionem damni illati, & hoc, quia operam dedit rei illicitæ, nẽpè proiectioni lapidis, aut ſagittę: quæ quidem proiectio in allato exẽplo ſupponitur clericis illicita; & ideò in effectu illo ſubſecuto, nempe in occiſione trãſeuntis, ignorantia non excuſabit clericum ipſum à reſtitutione; nam quidquid ex operatione rei illicitæ ſequitur, imputatur ad culpam, quamuis præter intentionem operantis ſequatur, vt colligitur *ex cap. Continebatur citato.* ſimiliter inferunt prædicti Authores nonnullos caſus, in quibus ad reſtitutionem obligant illum, qui exercet actionem, ex qua damnum aduerſus tertiam perſonã ſequitur v. g. ſi quis in aliena *ſylua* contra voluntatem Domini iniuſtè cædat ligna, & caſu occidat ouem, aut equum eiuſdem Domini, tenetur non ſolum ad reſtituendum pretium ligni, ſed etiam ouis, aut equi: vel ſi ad furandum domũ alienam ingreditur, & caſu aliquod ali-
ud damnũ infert; volunt. n. citati Autho- 58
res, in his, aut ſimilibus euentibus obligationem eſſe reſarciendi Domino dãnum, quod præter intentionem, & fortuitò ſequutum eſt, quamuis debita diligentia ad illud, ne ſequatur, à latrone fuerit appoſita, vel ab eodem præuideri non potuerit, aut nulla de tali damno cogitatio occurrerit. Ab hac ſententia non videtur recedere *Vuillelmus Pariſienſis tract. de legibus cap. 21.* ante medium à verbis illis [Fortaſſis autem excuſat,] quatenus negat dari ignorãtiam

tiam

tiam facti inuincibilem; ignorantia autem; de qua procedit præſens quæſitum eſt ignorantia facti, vt de ſe patet. Idcircò Author iſte non admittens ignorantiam facti excuſabilem, debet conſequenter illam non admittere, quãdo agitur de effectu, qui ſequitur ex operatione illicita: fundat autem ille hanc ſuam opinionem in eo, quod ad repellendam hanc ignorantiam non ſolum tenetur ignorans adhibere externã diligentiam, inquirendo ab alijs veritatem; ſed etiam Deum orare, emundare conſcientiam à peccatis, & implorare diuinum auxilium: quibus præmiſſis ait, Deum non fore permiſſurum ignorari id quod eſt neceſſarium, ſiue de iure, ſiue de facto: & de re hac nonnulla affert exempla, & inter alia ſequens: puta, ſi aliqua mulier noctis tempore loco propriæ vxoris alicui clandeſtinè ſupponeretur, quamuis vir de re hac nullam habens ſuſpicionem, non cogeretur aliquã externam diligentiã adhibere ad agnoſcendum, num mulier illa ſit propria vxor necne; nihilominus; niſi aliqua ipſius culpa impediat, ratione cuius *Deus* permittat, ne cognoſcat, quænã ſit mulier illa, ſi ipſe oret, & curet conſcientiã ſuam emundare, Deus varijs modis peccatum illud non eſſet permiſſurus; quia, vt inquit *Regius Vates pſal.* 144. Deus diligentes ſe cuſtodit. Hæc, & alia ſimilia docet *Pariſienſis loco cit.*

58 Sed dicendum eſt oppoſitum, amplectendo communem Theologorum, & aliorum ſententiam, videlicet dari poſſe ignorantiam, quæ procedat ex operatione illicita, & tamen circa factum conſequens ſit inuincibilis, & inculpabilis, ita *Couar. in cap. Alma mater. p. 1. §. 10. nu. 16. & cap. Si furioſus par. 2. §. 4. num. 10. in ſecunda deductione,* vbi loquens de irregularitate impoſita homicidio, & de actu illicito, ex quo homicidium ſequitur, optimam notat animaduerſionem, quæ ad præſentem pertinet caſum. In eadem ſententia eſt *Vaſquez p. 2. diſp. 107. cap. 3. num. 7. & diſp. 124. cap. 2. num. 3. Molina de reſt. tract. 2. diſp. 118. num 2. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 16. num. 31. Aluarez p. 2. diſp. 154. num. 3. & præſertim in probatione ſecundæ partis concluſionis. Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. nu. 130. & alij.*

59 Probatur primò hæc ſententia ex hac regula, quam præ manibus habemus, in qua dicitur ignorantia facti excuſare; ſed effectus ex illicita operatione pertinet ad factum, vt patet, tum ex allato exemplo, quod tradit Pariſienſis, tum ex alijs ſimilibus, quæ adduci poſſunt: ergo de tali effectu dari poteſt ignorãtia, quæ hominem à culpa excuſet, aliter dicta regula Iuris eſſet falſa, quia nunquam verificaretur. Secundò probatur, quia eo tempore, quo nulla occurrit cogitatio de effectu conſequente actionem illicitam, non apparet, cur nequeat homo excuſari, ſi ad Deum non confugiat, pœnitentiam agat de peccatis, &c. nullum enim tunc apprehendit periculum, nec malitiam in effectu ſequente, aut denique connexionem inter ipſum effectum, & operationem præcedentem; ac proinde non habet cogitationem, quæ excitet mentem ad diſcutiendam honeſtatem, aut inhoneſtatem talis effectus, & ad neceſſariũ recurſum, hic & nunc ad Deum, vt illuminet mentem ipſam ad agnoſcendam malitiam illius effectus, cum nulla occurrat ſuſpicio de huiuſmodi malitia. Tertiò probatur authoritate ex hiſtoria, quæ enarratur *cap. 38. Geneſ.* de Iuda, qui carnalem copulam habuit cum Thamar, quæ nurus ſua erat, quam tamen non agnouerat, quia Thamar ſimulatè mutauit proprium habitum viduitatis, & cooperuit ſe theriſtro, hoc eſt pallio æſtiuo meſſorum, ne à Iuda agnoſceretur, & ideò peccatum Iudæ fuit ſolum ſimplex fornicatio, & non inceſtus, vt notant commentatores in eo cap. *Cornelius à Lapide Ver. 16. & Martinus Delrio ibidem.* fuit enim excuſabilis Iuda quoad malitiam inceſtus ob ignorantiam perſonæ, & tamen dederat operam rei illicitæ putans, Thamar quamdam fuiſſe meretricem, & non nurũ ſuam. Confirmatur etiam ex *S. Thoma, qui in p. 2. quæſt. 76. art. 1. ad tertium, & art. 3. in corp.* concedit, ignorantiam inuincibilem in eo, qui occidit hominem ignorãs eſſe Patrem propriũ, talis enim eſſet homicida, non parricida, in quantum in homine interfecto inuincibiliter ignoratur circumſtantia paternitatis.

Ex his autem patet falſum eſſe, quod abſolutè docet *Gabriel*, videlicet, clericum, qui lapidem proijcit, aut ſagittam emittit, ſi caſu aliquem tranſeuntẽ interficiat, teneri ad reſtitutionem dam- 60

ni illati, falſum inquam eſt, ſi vniuerſaliter id intelligatur; quia, etiam ſi clericus exercens actionem illam emittendi ſagittam malè faciat, quatenus actio illa poſſet eſſe clericis prohibita; nihilominus, ſi debitam appoſuit diligentiam, ne damnum ſequeretur, vel nulla ipſimet occurrerit ſuſpicio de damno, quod ſecutum eſt, inuincibiliter id ignorabit; proindè occiſio ſequens non erit volita, neque in ſe, vt certum eſt, neque in ſua cauſa; quia actio illa emittendi ſagittā, aut lapidem non fuit apprehenſa, vt cōnexa cum occiſione, neque cum periculo occiſionis: illud verò axioma; ſcilicèt, quidquid ex operatione rei illicitæ ſequitur, eſſe ad culpam imputandum, intelligi debet in foro externo, & præſumptiuè, vel quando aliqua interuenerit culpa, vt rectè notat *Molina diſput. cit. & alij.* Ad illud verò, quod aſſumit Pariſienſis, & in quo ſuam fundat ſententiam, facilè reſpondetur; negando, obligationē orandi, & agendi pœnitentiam de peccatis in caſu illo poſito; nullibi enim extat tale præceptum, quādo nullum occurrit dubium, aut ſaltem ſuſpicio, quòd mulier illa, quæ exiſtimatur propria vxor, ſit alia; & ſi hoc eſſet verum, deberet vnuſquiſque vir tempore noctis lucernas accendere, vt notat ipſemet Pariſienſis, & inſpicere, num mulier illa ſit propria vxor. ad quam diligentiam valdè extraordinariam, nemo tenetur.

CAPVT VIII.

Vtrum peccatum ex culpabili ignorantia ſit diuerſæ, an eiuſdem ſpeciei cum peccato circa idem obiectum ſcienter commiſſum?

61 DE hac re in tractatu de conſcientia *diſcept.* 3. *cap.* 7. aliqua breuiter examinaui; placet nunc pro completa intelligentia fuſius de eadem re ſermonem inſtituere. Caſus ſic declaratur. Si v. g. Titius putet, hodie eſſe ieiunium ab Eccleſia indictum, cum reuera ita non ſit, & tali credulitate non obſtante frangat ieiunium, & grauiter delinquat; poſtea verò altero die, quo verum occurrit ieiunium, ſcienter non ieiunet, & etiam lethaliter peccet; quæritur, num hæc duo peccata ſint ſpecie diuerſa, an verò eiuſdē ſpeciei, itaut in ſacramentali confeſſione ſufficienter exprimantur, ſi Titius ſe accuſans dicat, bis ieiunium eccleſiaſticum fregi? Alia exempla afferri poſſunt in materia ſpectante ad ius naturale, vt ſi quis. e. c. putet, aliquam actionem eſſe ſimoniam contra ius diuinū, & naturale, cum tamen non ſit, puta, ſi cenſeat, abſque ſimoniæ labe vendi non poſſe calicem conſecratum, etiam ſpectando ſolam materiam, nempè argentum, aut aurum, & nihil in pretium recipiendo pro conſecratione, & contra talem opinionem vēdat calicem, an tale peccatum exiſtimari debeat eiuſdem ſpeciei cum illo peccato, quod reuera quis patraret, committendo veram ſimoniā? & ſic in alijs ſimilibus. In hac re variæ ſunt Authorum placita.

Prima ſententia abſolutè, & nulla appoſita diſtinctione, aſſerit peccata ignoranter, vel ſcienter commiſſa eſſe diuerſæ ſpeciei, & in confeſſione ſacramentali declaranda, hanc opinionem docet *Hadrianus de Sacram. confeſſionis quæſito* 4. §. *Venio nunc*, poſt illa verba *Ex quo ſequitur. Ioannes Medina Cod. de confeſſ. tract.* 2. *qu.* 8 *Ver. Deinde.* Ratio, qua ſententia probatur ab Hadriano eſt, quia agere contra conſcientiam ſuperaddit quamdam ſpecialem difformitatem, & a fortiori probat obligationem aperiendi in confeſſione hanc circumſtantiam, ex eo, quòd, ſi non obſtante rei bonitate, quis contra conſciētiam, ſeu cum dubia conſcientia operās obligatur in confeſſione manifeſtare, multo magis tenebitur, ſi rem malam fuerit operatus; non enim debet tali onere liberari. 62

Secunda ſententia ea eſt, quam Caietanus docet, & latiſſimè declarat *p.* 2. *q.* ... *art.* 4. *incipiens à* §. *Ad euidentiam huius dubij*, vbi plures ponit ignorantiæ diſtinctiones, eius autem doctrinam breuiter perſtringam in ſequentibus. 63

Primò enim aſſerit, peccata, quæ ſunt ſecundum ſe mala, & contra ius naturæ, vt furtum, homicidium, fornicatio, & ſimilia, eſſe eiuſdem ſpeciei, ſiue ignoranter, ſiue ſcienter fiant; quia idem eſt obiectum formale per ſe volitum, & directè intentum, proindè ſufficiens ad ſpecificandum actum malum; nam tum ignorans, tum ſciens, furtum committendo, tendit per ſe in ipſum furtum, &c.

Secundò docet peccata, quæ ſunt ex cul-

culpabili ignorantia facti, eſſe diuerſę ſpeciei ab illis, quę ſcienter fiunt, & hoc quia obiectum ſpecificans eſt diuerſum. V. g. ſi quis incautè venando, ſagittam proijcit, & hominem ex culpabili ignorantia occidit, occiſio cum non ſit per ſe intenta, ſed ſolum per accidens, non dat ſpeciem illi proiectioni, quia rationem ſpecificam tribuere debet id, quod eſt per ſe, & non per accidens volitum; proindè talis occiſio non erit per ſe in ſpecie homicidij, ſed in ſpecie periculoſę proiectionis; ſi verò ſcienter contra hominem emittatur ſagitta, tunc occiſio erit obiectum per ſe intentum, & ſpecificabit actum, reponens eumdem in ſpecie homicidij.

Tertiò *in §. De peccatis demum* auctor iſte loquitur de peccatis contra ius poſitiuum, & quę ſunt mala, quatenus prohibita, & non ſecundum ſe: & diſtinguit dicens, quòd vel ignorantia velat obiectum formale illius actus, prout eſt in genere moris, vel velat ſolam contrarietatem ad legem; ſi velat obiectū, tunc peccata contra legem ex ignorantia erunt ſpecie diuerſa ab illis, quę fiunt ſcienter: ſi verò ſola contrarietas velatur, erunt eiuſdem ſpeciei: poſtea progreditur declarans, quo pacto alterum ex his duobus ſit diſcernendum; ſed valdè obſcurè, ni fallor, doctrinam explicat.

64 Tertia ſententia eſt eorum, qui ponūt diſcrimen inter peccata, quorum malitia conſummatur in actu externo, ſeu in alia potentia diuerſa à voluntate, vt furtum, homicidium, fornicatio, &c. & inter peccata, quorum malitia completur in actu interno, ſeu propoſito explicito voluntatis, vt odium contra Deum, vel proximum, inuidia, ira, ambitio, & ſimilia. his poſitis aſſerunt, peccata primi generis ex ignorantia, aut ex ſcientia commiſſa eſſe eiuſdem ſpeciei, ſecùs peccata ſecundi generis. ita *Vaſquez par. 2. diſp. 101. cap. 5. & 6. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 14. quæſt. 6. 7. 8.* probant primum membrum, quia tam peccatum ignoranter, quam ſcienter factum eidem virtuti, eidemque præcepto opponitur, & ſolū differunt, in quantum ſcienter peccans magis expreſsè, & directè fertur in malitiam obiectiuam; ignoranter verò indirectè, & implicitè: hoc autem non eſt ſatis ad diuerſitatem ſpecificam; quia in his peccatis, quorum deformitas reperitur in actu externo, ſatis eſt ad ſpeciem tribuendam actui, voluntas indirecta, ſeu in alio; quia obiectum externum ſecundum ſe eſt malum, & rectæ rationi diſſonum; & ideo quomodocumque ſit volitum reſundit malitiam in actum: & hęc eſt ratio, cur latro furans rem aliquam ſacram committat furtum ſacrilegum, ob irreuerentiam, quę in tali actu inuenitur, quamuis voluntas latronis indirectè tantum feratur in rem illam, vt ſacram: & ſic in alijs ſimilibus, quorum malitia exterius conſummatur. Secundum autem membrum probant, ex eo quod prædicta peccata cum conſummētur interius in affectu voluntatis, eorū malitia nequit permanere, ſi varietur affectus: affectus verò mutatur, quoties ratio mouens, & alliciens non eſt eadem ex parte obiecti; proinde cum affectus, quo voluntas directè fertur in tale determinatum obiectum, aut in talem circumſtantiam, diuerſus ſit ab illo affectu, quo eadem voluntas indirectè, & implicitè fertur in idem obiectum, non erit eadem malitia ſecundum ſpeciem in vtroque caſu: & ideò quando quis ſcienter peccat v. g. odio proſequens proximum, tunc directè, & explicitè fertur in malum proximi, vt malum illius, & ex diſplicentia perſonæ; quando verò implicitè, & indirectè in idem malum fertur, nequit eſſe eadem malitia; quia ad peccatum odij formaliter ſumpti nō ſufficit velle proximo damnum inferre, ſed requiritur velle illud damnum, vt malum illius eſt, & ex diſplicentia perſonę; idcircò ſi quis interficiat aliquem, vt eius pecuniam furetur, erit peccatum iniuſtitię, & auaritię, & non odij, vt de ſe patet; quia illatio mortis non eſt ex diſplicentia perſonę, ſed ex affectu auaritiæ. Præterea, ſi quis poſt acceptum beneficium iuſtificationis peccet, non committit peccatum ſpeciale ingratitudinis, niſi fiat ex contemptu explicito beneficij à Deo recepti, ſed ſolum implicitè faciet contra gratitudinem *Deo* debitam, & ideò ex variatione intrinſeci affectus diuerſa erit ratio ſpecificās actum.

Quarta ſententia valdè cōmunis vniuerſaliter ſuſtinet, peccata commiſſa ex ignorantia culpabili eſſe eiuſdem ſpeciei cum peccatis commiſſis ex ſcientia, quando circa idem obiectum verſantur. ita *Medina p. 2. qu. 76. art. 4. Sayrus in* 65

claue

claui regia lib. 2. cap. 9 num. 38 Curiel art. cit in p. 2. dub. 2. §. 3. Suarez in 3. p. tom. 4. diſp. 22 ſect. 4. num. 14. Emanuel Sà in aphor. verb. Confeſſio nu. 25. in poſtrema editione correpta. & nu. 27. in antiqua. Coninch de Sacrament. pœnit. diſp. 7. num. 16. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 17. num. 15. Salas p. 2. tract. 13. diſp. 8. ſect. 9. num. 72. Valent. p. 1. diſp. 6. qu. 6. pu. 3. §. Supereſt autem. Cardinalis Delugo. de pœnit. diſp. 16. ſect. 4. n. 182. Franciſcus Delugo in præuio concurſu par. 2. qu. 7. n. 64. Filliucius tract. 21. cap. 10. num. 362. Bonacina de peccatis diſp. 2. qu. 8. pu. 3. nu. 29. Gaſpar Hurtado de peccatis diſp. 5. diff. 4. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 141. Merolla in Theol. morali tom. 1. diſp. 1. cap. 2. dub. 18 nu. 661. Thomas Tãburinus in methodo expedita confeſſionis. lib. 2. cap. 1. §. 14. Leander. tom. 1. tract. 5. diſp. 8 §. 7. qu. 14. & alij.

66 Dicendum eſt cum hac vltima ſententia, quæ, vt mihi videtur, eſt cęteris probabilior. Concluſio generaliter accepta eſt contra Authores primæ ſentētię, quatenus abſolutè, & ſine diſtinctione aſſerunt, peccata ignoranter, & ſcienter admiſſa circa idem obiectum eſſe diuerſæ ſpeciei: eſt etiam ex parte contra ſecundam ſententiam, quam tuetur Caietanus, qui concedens peccata, quę ſunt contra ius, & ſecundum ſe mala, vt fornicatio, furtum, & ſimilia, ſiue fiant ex ignorantia, ſiue ex ſcientia, eſſe eiuſdem ſpeciei, id tamen negat de peccatis, quæ patrantur ex ignorantia facti, contra quodcunque ius ſint: & ſic Caietanus partim conuenit cum hac quarta ſentẽtia, partim verò differt ab illa. Cæterũ concluſio non eſt contra Authores tertiæ ſententiæ; vt enim infra oſtendam, huic opinioni, quam ego ſum amplexus, ipſi aduerſari minime videntur. His præhabitis probatur cõcluſio vniuerſaliter, & à priori tali pacto: Omnia peccata, quæ habent idem obiectum formale, ſunt eiuſdẽ ſpeciei; ſed peccata ex ignorantia culpabili, & ex ſcientia, quando circa idem feruntur, habent idem obiectum formale; ergo ſunt eiuſdem ſpeciei.

67 Maior eſt certa; quia manente eodem ſpecificatiuo manent eadem ſpecificata, vt eſt manifeſtum; obiectum autem formale eſt ſpecificatiuum operationum, quæ in ipſum tendunt: Minor verò, in qua difficultas reſidet, probatur, diſcurrendo per omnia peccatorum genera, & exordior à peccatis, quæ ſunt contra ius naturale, & intrinſecè mala; & hoc probo cõtra Authores primæ ſententiæ abſque diſtinctione loquentes; vt dixi; & ſic argumentor: Homicidium v.g. Adulterium, & alia, quæ intrinſecè ſunt praua; ſi committantur ex culpabili ignorantia, retinent eamdem prorſus obiectiuam malitiam, quam habent, quando ſcienter committuntur, & nulla alia diuerſa malitia in illis eſt aſſignabilis, & ſolũ ex parte modi, quo voluntas fertur in illa diſcrimen reperitur, nẽpe ex parte voluntarij, quatenus in peccatis ignoranter patratis, malitia obiectiua eſt indirectè, ſeu interpretatiuè volita; in peccatis verò ſcienter factis directè, ſeu explicitè eſt volita; proinde differentia eſt ſecundum magis, & minus in ratione voluntarij, ſed intra limites eiuſdem ſpeciei; augmentum autem & decrementum in ratione liberi, & voluntarij non mutant malitiam obiectiuam, vt rectè animaduertit *Suarez loc. cit.* aliter alij modi, quibus homo mouetur ad peccandum, nempè ex malitia, aut ex vehementi paſſione, aut nimia fragilitate, cùm augeant, & diminuant liberum, & voluntarium, mutarent eſſentialem malitiam obiectiuam; quod eſt apertè falſum. Maneat igitur, veram eſſe minorem principalis argumẽti quoad hoc genus peccatorum, quæ ſunt ſecundũ ſe mala; & ideo ſiue fiant ex ignorantia, ſiue ex ſcientia, ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſolùm differunt ſecundum minorem, & maiorem grauitatem. Oportet 68 autem, vt eadem minor etiam probetur contra Caietanum, oſtendendo hoc ipſum de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia non iuris, ſed facti: & gratia exempli prius id probo de peccatis contra ius poſitiuum humanum; & ſumo ieiunium ab Eccleſia indictum, quod à Titio ſcienter frangatur, & ſimiliter frangatur à Sorte, ignoranter tamen, & culpabiliter, & ſic argumentor. In vtroque caſu formaliter loquendo, fractio ieiunij habet malitiam per ordinem ad legem, cui contrariatur; ergo eſt idem obiectum ſpecificans. Antecedens eſt manifeſtum; quia comeſtio illa, in qua ſita eſt fractio ieiunij, ſiue ignoranter, ſiue ſcienter facta, in tantum eſt rectæ rationi diſſentanea, in quantum habet oppoſitionem ad legem, quæ ſtatuit ieiunium; nam remo-

remota lege, nihil rationi diſſonum includeretur in ipſa comeſtione: conſequentia verò deducta ex hoc antecedente, nempè, eſſe idem obiectum ſpecificans probatur; quia obiectum ſpecificans eſt intemperantia in cibo, quæ opponitur temperantię, quam Eccleſia præcipit per legem ieiunij: neque poteſt aſſignari obiectum formale diuerſum in ordine ad vtrumque actum, videlicèt in ordine ad comeſtionem ex ignorantia vincibili, & comeſtionem ex ſcientia legis, ſed ſolum differunt, vt explicitum, & implicitum, & ſecundum magis, & minus voluntarium, quod non eſt ſufficiens ad ſpeciem variandam, ſed tantū ad peccatum ex ſcientia plus grauandum.

Idem argumentum applicari poterit peccatis, quę ſunt contra ius naturæ, & fiunt ex ignorantia facti; nam ſi quis incautè, & non poſita debita diligentia ad vitandum damnum alicui inferendū, lapidem projiciat, & hominem percutiens occidat, obiectum formale huius peccati eſt damnum corporale proximi iniuſtè illatum: idemque obiectum ſpecificatiuum erit, ſi proiectio illa, vt illatiua damni fiat ex ſcientia: proinde vtraque proiectio erit eiuſdem ſpeciei iniuſtitiæ, & diſcrimen eſt ſecundum magis, & minus, vt ſuprà notatum eſt.

67 Dices, projectionem non eſſe in ſpecie homicidij, ſed periculoſæ proiectionis: & ideò ſpecie diuerſum erit obiectum formale vtriuſque proiectionis.

Contra eſt, quia periculum in tali proiectione incluſum habet malitiam per ordinem ad iniuſtam læſionem corporalem aduerſus proximum: idcircò idem erit obiectum: & præſcindendo à tali læſione nō apparet, vndè proiectio poſſit habere moralem turpitudinem, vt mox confirmabitur, impugnando Caietani ſententiam.

68 Probatur ſecundò ex reiectione aliarū opinionum: & quod attinet ad primam ſententiam Hadriani, & Medinæ, negandum eſt in actione, ſeu peccato ex conſcientia erronea imbibitam eſſe ſpecialē diſformitatem; & hoc, quia in peccato, quod procedit ex ratione errante, & in peccato ex certa ſcientia, eadem omninò inuenitur oppoſitio, & contrarietas ad dictamen rationis; & ideò, ſi quis falsò iudicet, hodie eſſe diem feſtiuum ex præcepto, & hoc non obſtante voluntariè omittat Sacrum, peccabit contra præceptum de obſeruatione feſtorum in honorem Dei, quod præceptum per illā Sacri omiſſionem interpretatiuè cōtemnit, hoc eſt non curando illud ſeruare: & quantum eſt ex parte ipſius omittentis, perindè ſe habet talis omiſſio quoad genus moris, ſicuti ſe haberet omiſſio, quando reuera eſſet dies feſtiuus; idem enim interpretatiuus contēptus in vtraq; omiſſione eſſet imbibitus. Probatio autē à fortiori nihil huic opinioni ſuffragatur; nam in tantum exercens actionem de obiecto honeſto, quod ex errore exiſtimatur malum, tenetur id aperire in confeſſione, quoniam, niſi confeſſario innoteſcat error, non iudicaret, pœnitentem in illa actione grauiter deliquiſſe. V. g. ponamus, quòd aliquis ex conſcientia erronea cenſeat, iter facere die feſtiuo eſſe opus ſeruile, & prohibitum, tunc, ſi quando confitetur, ſimpliciter dicat cōfeſſario, in die feſtiuo iter peragiſſe, nihil aliud addendo, facile confeſſarius deciperetur, neſciens cōſcientiam erroneam talis pœnitentis; proindè non formaret verum iudicium de ipſo pœnitente; idcircò, vt conſcientia ipſius manifeſtetur, debet ſe accuſare iter feciſſe, non obſtante remorſu de peccato graui: & ſi pœnitens id non aperiat, debet confeſſarius in tali, vel ſimili caſu, quando agnoſcit actionem ex ſuo obiecto in re malam non eſſe, interrogare pœnitentem, & præſertim ſi eſſet idiota, an putauerit actionem illā fuiſſe malam, & grauiter malam; ſic enim deueniet in notitiam conſcientiæ pœnitentis: & ex his patet obligationē aperiendi peccatum fuiſſe commiſſum ex conſcientia erronea, non in eo, quod peccatum ex errore ſit diuerſæ ſpeciei à peccato commiſſo ex conſcientia vera, ſed fundari in eo, quòd aliter facile eueniret, vt confeſſarius non agnoſceret pœnitentem deliquiſſe grauiter in aliqua actione, quæ ſecundum ſe non eſſet mala, aut ſaltem venialiter, & non lethaliter peccaminoſa.

Ad ſecundam ſententiam, quam Caietanus tuetur, non eſt quod aliquid circa primum dicam; quia aſſentior ipſi Caietano aſſerēti, peccata contra ius naturæ eſſe eiuſdē ſpeciei; ſiue .n. ex ignorantia, ſiue ex ſcientia fiant, ſunt in eadē ſpecie infima; negandum tamen eſt, quod dicitur in ſecundo pūcto, videlicet, 69

pec-

peccata ex ignorantia facti eſſe diuerſæ ſpeciei, & obiectum ſpecificans eſſe diuerſum; nam, licet voluntas directe non feratur in tale obiectum, ſufficit, vt indirectè, & interpretatiuè tendat in illud; & hoc ſatis eſt, vt obiectum illud det ſpeciem in genere moris: quod declaro, vtens eodem exemplo, quo vtitur *Caietanus* de illo, qui incautè ſagittā emittit; nā iſte aduertens periculū, quod reperitur in tali emiſſione, nempè quòd in eo loco, in quē dirigitur ſagitta, probabiliter inueniatur homo, ſi hoc non obſtante emittit ſagittam, quamuis explicitè, & directè obiectum volitum ſit ipſa emiſſio; nihilominus in ipſa emiſſione cum tali aduertentia implicitè, & interpretatiuè eſt percuſſio hominis, quatenus emittens, vt ſuo appetitui ſatisſaciat, non curat de damno illo contra proximum; & ideo tale dānum interpretatiuè volitum ſpecificat actum emiſſionis: ſicuti, ſi quis certo ſciat ibi eſſe hominem, & emittens ſagittam hominem occidat; etiamſi directè nollet occiſionem, erit tamen emiſſio illa in ſpecie homicidij; quia ad ſpecificandum hunc actum ſufficit indirecta voluntas: differet tamen occiſio iſta ab illa, quæ fit ex ignorantia, tamquam magis explicitum ab implicito volitum, quod non tollit rationem ſpecificam, licet explicitè volitum magis aggrauet peccatum intra eandem ſpeciem.

70 Ad tertium punctum, in quo valde obſcurè loquitur *Caietanus*, vt verum fatear, non percipio, qua ratione poſſit ignorantia iuris poſitiui velare obiectū, & non contrarietatem ad legem, & ad virtutem, vel viceuerſa contrarietatem, & non obiectum, niſi recurramus ad ignorantiam facti, de qua in hoc tertio dicto non loquitur Caietanus: ſed ſiſtēdo in ignorantia iuris, puto, eſſe negandum, ſeparari poſſe duo prędicta velamina, cum ſint connexa; nam eo ipſo, quod aliquod obiectum iure poſitiuo prohibetur, manifeſta eſt contrarietas talis obiecti ad legem, & apparente cōtrarietate, apparet, obiectum eſſe prohibitum: proindè dico, quòd peccatum circa ea, quę ſunt iure poſitiuo prohibita, vt eſt bina comeſtio die ieiunij, ſi apparet contrarietas, quam illa habet ad legem, non poteſt ignorari eſſe obiectum prohibitū; & è contrario ſi agnoſcatur obiectum eſſe prohibitum, nequit eſſe velata contrarietas talis obiecti ad legem; euidens enim eſt, omne obiectū, quod iure interdicitur, eſſe ipſi iuri cōtrarium, & alicui virtuti oppoſitum. Et hæc quoad ſecundam ſententiam Caietani.

Ad tertiam verò ſententiam aio, in ipſa contineri doctrinam, quam exiſtimo, non eſſe mihi contrariā, quamuis, ni fallor, per eam plenè non reſoluatur controuerſia, iuxtà ſtatum illum, in quo fuit propoſita. Vtrumque oſtendo; & quod attinet ad primum, declaratur; nam ego expreſsè conuenio cum Authoribus huius tertiæ ſententiæ, quatenus docent peccata, quorum malitia exterius cōſummatur, vt furtū, homicidium, &c. eſſe eiuſdem ſpeciei, ſiue ignoranter, ſiuè ſcienter fiant, & hoc ob rationem ſuperius in probatione concluſionis allatam: quoad peccata verò, quę vel conſūmantur in actu voluntatis, vel à ſpeciali, & expreſſo propoſito eiuſdem voluntatis dependent, vt odium, inuidia, &c. ſentio etiam cum eiſdem Authoribus, non ſufficere voluntarium indirectum, ſeu interpretatiuum ad ſpeciem tribuendam, ſed requiri voluntarium directum, & explicitum; v.g. ſi quis frangit ieiunium, quando tenetur ieiunare, certum eſt peccatum eſſe in ſpecie intemperantiæ, quia intemperantia eſt de illo primo genere peccatorum, quæ vt dicunt hi Auctores, exterius conſūmantur; at tale peccatum formaliter non eſt in ſpecie inobedientiæ, aut contemptus; quia malitia horum peccatorū dependet ab effectu ſpeciali, & expreſſo voluntatis; proinde deberet frangi ieiunium ex intentione non parendi, vt ſit in ſpecie inobedientiæ; vel ex intentione contemnendi legem ipſam, vt ſit ſpecialis contemptus; & ideò quamuis violans ieiunium interpretatiuè, & indirectè non obediat, aut legem contemnat, non ſufficit tamen talis voluntas interpretatiua ad collocandam fractionem ieiunij in ſpecie inobedientiæ, vel in ſpecie contemptus. Amplector itaq; hanc doctrinam, quia nihil in ea meæ concluſioni contrarium inuoluitur: & hęc de primo. Remanet vt ſecundū oſtendam; ſcilicet, per hanc doctrinam Authores prędictos nō ſatisfacere quęſtioni propoſitæ; quia, cum fuerit propoſitum, & præſertim *ab Azorio quæſito 6. cit.* an peccata per ignorantiam fac-

71

ta

ta ſint eiuſdem ſpeciei cum illis, quę fiunt ſcienter, & ad quæſitum hoc diluendum præmiſſa fuerit diſtinctio de illo duplici genere peccatorum, debuiſſet doctrina tradita ab his Authoribus applicari ſtatui quæſtionis, demõſtrando, peccata primi generis eſſe eiuſdem ſpeciei, ſiuè ex ſcientia, ſiue ex ignorantia ſint commiſſa; & è conuerſo non eſſe eiuſdẽ ſpeciei peccata, quæ ponuntur in ſecundo genere: ſed prædicti Authores rectè præſtiterunt primum, non autem ſecundum, in cuius declaratione ſolum probarunt diuerſitatem inter voluntarium directum, & indirectum, & in his peccatis obiectum, vt ſpeciem transfundat, debere eſſe directè volitum; nihil verò dixerunt, an in hoc ſecundo peccatorũ genere, ignorantia, & ſcientia conſtituant ſpecialem difformitatem; cum certũ ſit, ignorantiã, vel ſciẽtiam in eis reperiri poſſe. V. g. In fractione ieiunij, in qua inobedientia eſt indirectè volita, poteſt ipſa inobedientia ignorari, & ſciri; proindè quæſitum habet locum, videlicèt, an peccatum fractionis procedens ex ignorantia culpabili circa inobedientiã, ſit eiuſdem ſpeciei cum peccato fractionis, quod procedit ex ſcientia de inobedientia implicitè incluſa in ipſa fractione? & hoc punctum, quod erat explicandum, & ad quod tendebat principale quęſitum, Authores huius tertiæ ſentẽtiæ ſub ſilentio reliquerunt.

CAPVT IX.

Sit ne hæreticus cenſendus, ſi quis ex vincibili ignorantia erret in aliquo fidei myſterio?

72 CVm ad peccatum hæreſis neceſſariò voluntas poſtuletur, & hoc non ſolum ratione generali, ſecundùm quã dicimus in quocumque peccato eã requiri, ſed etiam ratione ſpeciali; nam ſicuti fides præexigit voluntarium, ita & eius oppoſitum, quod dicitur error voluntarius in ijs, quæ ab Eccleſia ſunt definita; inde eſt, vt ignorantia inuincibilis remouens omninò voluntarium excuſet à peccato hæreſis. cum autem voluntarium duplex ſit, videlicet directum, per quod voluntas ex præuia cognitione, & ſcientia tendit in obiectum, & indirectum, per quod eadem voluntas, & ſi non ità feratur in obiectum, nihilominùs ſic ſe gerit, ac ſi tale obiectum vellet; quærimus ideò, num ad committẽdum peccatum hæreſis ſatis ſit voluntarium indirectum prouenięns ex negligẽtia, ſeu ex culpabili ignorantia, an verò neceſſarium ſit voluntarium directum, nempè, vt errans cognoſcat, id, quod aſſerit, eſſe contra Eccleſiæ definitionẽ? Plures de re hac inuenio ſentẽtias, quarum duæ ſunt ex diametro oppoſitæ, reliquæ vero mediæ.

Prima autem ſententia docet, ſatis eſſe, errorem circa fidei myſteria prouenire ex ignorantia craſſa, vt quis cenſeatur hæreticus. ita *Sotus in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. poſt quintam conclusionem. Ludouicus Lopez in inſtruct. part. 2. cap. 20. tit de excomm. reſer u. in bulla cenæ. caſu. 1. Toletus in ſumma lib. 1. cap. 20. num. 3. Lorca in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 11. art. 2. diſp. 41. in append. num.* 15. vbi citat Angelicum Doctorem pro hac ſententia *in 1. ad Corinth cap 11. lec.* 4. *& Alphonſum de Caſtro de iuſta hæret punit. lib. 1. cap. 9. & Ioannem Gerſonem tom. 1. tract. de duodecim ſignis pertinaciæ*, vocans hæreticum eum, qui diſſentit à fide propter negligentiam inquirendi veritatem. 73 ſed immeritò vtrumque pro ſe laudat; nam *S. Thomas*, vt patet legenti ibi. §. *Primo quidem*, declarans ea, quę requiruntur ad hæreſim, docet, eſſe neceſſariam pertinacem adhæſionem proprio errori, & nihil dicit de ignorantia; Caſtrenſis verò toto illo capite diſcurrens de re hac, poſtulat, vt ignorans perſiſtat in ſuo errore, poſtquam fuit ſufficienter admonitus, vel ante admonitionem firmò animo determinet, nunquam ſe receſſurum à ſua opinione. ita idem Author in explicatione quartæ regulę: huic ſententiæ videtur ſubſcribere *Sayrus de cenſuris lib. 3. cap. 4. num.* 15. docens, ignorantiam craſſam ſatis eſſe, quando talis eſt, vt facili negotio vinci poteſt. Probari autem poteſt hæc ſententia ſequentibus argumentis.

Primò; quia peccatum commiſſum in alijs materijs ex ignorantia culpabili, eſt eiuſdem ſpeciei cum peccato commiſſo ex ſcientia, vt quæſtione præcedẽte oſtenſum fuit: ergo error circa res fidei erit eiuſdem rationis vtroque modo procedens; & ideò, ſicuti eſt hæreſis, quando eſt ex ſcientia, ita erit etiam

P hæ-

hæreſis, quando eſt ex ignorantia. Secundò, niſi ſufficeret craſſa ignorantia, ferè nunquam committeretur peccatũ hæreſis, & nemo eſſet hæreticus, quia quilibet in errorem incideret ex ignorantia, quatenus putat, propoſitionem definitam ab Eccleſia non eſſe à Deo reuelatam, neque contineri in ſacra Scriptura, quam ſuo modo interpretatur; nã, ſi hoc ſibi perſuaderet, procul dubio deponeret ſuum errorem: niſi igitur dicamus, ſufficere ad peccatum hæreſis ignorantiam craſſam, vel nunquam, vel ferè nunquam, committeretur peccatum hæreſis, aut aliquis eſſet hæreticus. Tertiò argumentari poterit à pari; nam ſicuti ad incurrendum in peccatum aliarum infidelitatum, nempè Iudaiſmi, & Paganiſmi, ſufficit, peccatum eſſe ex ignorantia vincibili: ita ad incurrendum in peccatum huius infidelitatis, quæ eſt hæreſis. His, & ſimilibus probari poterit hæc opinio.

74 Secunda ſententia, quæ tenetur extremè oppoſitum, videlicèt peccatum ex quacumque ignorantia craſſa non ſufficere, vt ſit hæreſis, & peccans ſit hæreticus, eſt opinio valdè communis, quam ſuſtinent quamplures, tum ex recentioribus, videlicèt. *Canus de locis theol. lib. 12. prælec. 17. Ver. Illud deinde. Simancas de inſtitut cathol. tit. 26. num. 7. & tit. 48. num. 14. Selellet de materijs Sanctæ Inquiſit. lib. 1. cap. 12. reg. 98. num. 62. Suarez tract. de fide diſp. 19 sect. 3. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 14. quæſito 9. Vaſquez in p. 1. S. Thomæ diſp. 126. cap. 2. Toletus ſibi cõtrarius in ſumma lib. 4. cap. 3. num. 7. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 7. num. 20. Caſtropalaus tom. 1. tract. 4. diſp. 3. pu. 2. num. 3. Santarellus de hæreſi cap. 1. dub. 5. num. 29. Cardinalis Delugo eod. tract. diſp. 20. sect. 6. nu. 174. Henriquez in ſumma. lib. 13. de Sacram. cap. 17. num. 3. in comment. lit. a. Becanus tract. de fide. cap. 14. quæſito 2. num. 13. Aloyſius Turrianus eodem tract. diſp. 5. dub. 2. Coninch diſp. 18. dub. 7. concl. 4. num. 97. Merolla tom. 3. diſp. 1. cap. 2. dub. 72. pag. 34 & plures alij.* Fundatur hæc ſententia in eo, quòd ad hæreſim formalem requiritur pertinacia, quæ tamẽ non inuenitur in ignorãtia. & hoc ipſum videtur docere S. *Thomas in epiſt. ad Titum cap. 3. lec. 2.* quatenus aſſerit, non eſſe hæreticum, qui errat in myſterio fidei non ex pertinacia, ſed ex ignorantia.

Tertia opinio, quæ eſt media, conuenit cum priori ſententia, quando ignorantia eſt nimis craſſa, & facillimè vinci poteſt: ita *Sayrus de Cenſ. lib. 3. cap. 4. num. 15. Valentia 2. 2. diſp. 1. qu. 11 p. 1. diff. 4. poſt ſolutionem ad quartum*, declarans ſenſum verborum *Soti*; & ducuntur ad hoc, quia, vt ait *Valentia*, talis ignorantia moraliter loquendo parũ diſtat à voluntate repugnandi directè. 75

Quarta ſententia, quæ etiam eſt media, vult, ignorantiam affectatam non excuſare ab hæreſi, ita *Canus prælectione 14. §.* [Rectè igitur] *Petrus à Nauarra de reſtit. lib. 2. cap. 4. par. 2. dub. 8. nu. 208. Cordaba in quæſtionar. theolog. qu. 17. §. 7. Ver.* [ſecundum requiſitum] & in eadem ſententia videtur eſſe *Bartholomæus Torres tr. de Trinitate diſp. 32. art. 4. in 2. par. comment. aſſertione 1.* Probatur hæc ſententia, quia dedita opera ignorans vult ſuo errori adhærere, contemnens iudicium Eccleſiæ. Hæ ſunt ſententiæ principaliores de re hac; quid tamen ipſe ſentiam, nunc aperiam. 76

Dicendum eſt primò, ſententiam ſecũdo loco relatam eſſe omnino amplectendam ob rationem ibidem aſſignatã, nẽpè, quia ad hæreſim, ſeu ad hoc, vt aliquis ſit formaliter hæreticus, requiritur pertinacia, quæ non habetur eo tẽpore, quo quis ignorantia etiam craſſa detinetur; ergo ad hæreſim formaliter cõſtituendam non eſt ſatis ignorantia craſſa; antecedens, in quo ſita eſt argumenti vis ſuadetur, tum ex communi ſententia, tum etiam quia colligitur ex *Clem. 1. §. Porrò, de ſumma Trinit. & fide cathol.* vbi cum determinetur, animam rationalem, ſeu intellectiuam eſſe formam corporis, additur in fine illius paragraphi, hæreticum, eſſe cenſendum, ſi quis aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, non eſſe formam corporis; ex quibus verbis colligitur, pertinaciam requiri ad hoc, vt quis ſit hæreticus, negando propoſitionem, quam de fide Eccleſia determinauit; cum ignorantia autem non inueniri pertinaciam eſt manifeſtum; nam *Iſidorus lib. 10. Etymolog. cap. 15.* quem ſequitur S. *Thomas 2. 2. qu. 138. art. 2.* ait, pertinacem eſſe illum, qui imprudenter eſt tenax, & pertinaciam eſſe 77 78

imprudentem tenacitatem, quę in ignorante non inuenitur; & ideò, quamuis erret inuincibili, & craſſa ignorantia circa aliquem articulum fidei, & grauiter peccet; tamen non adhæret ita firmiter ſuæ opinioni, vt velit contradicere determinationi Eccleſiæ: requiritur ergo ſcientia, per quam quis cognoſcat, ab Eccleſia contrarium ſuæ opinionis definitum fuiſſe: talis autem ſcientia tollitur ab ignorantia: & hæc quoad ignorantiam craſſam ſupinam: de affectata eſt maior dubitatio nunc ſoluenda & placet diſtinctio, quam Sanchez loco mox citando; & etiam alij tradunt.

78 Dicendum eſt igitur ſecundò. Si quis affectet ignorantiam ex tædio, & negligentia agnoſcendi veritatem catholicā, non erit formaliter hæreticus. ita *Sanchez cap. 7. cit. num. 23. Suarez ſect. 3. num. 18. & alij.* Probatur; quia iſte talis adhuc non eſt pertinax; nam licet voluntatem habeat ex induſtria ignorādi id, quod Eccleſia circa talem articulū determinauit; id tamen facit ad laborem fugiendum: & cum tali deliberatione compoſſibilis eſt volūtas parendi determinationi Eccleſię, quoties eius determinatio innoteſcat; ideoque tollitur pertinacia, quæ huic voluntati directè opponitur.

79 Dicēdum eſt tertiò. Si affectetur ignorantia ex contemptu Eccleſiæ, quatenus exiſtimātur parui momenti eſſe, quæ ab ipſa Eccleſia definiuntur, tunc ignorātiam affectans erit formaliter hæreticus; ita Authores citati, & alij: & probatur; quia in tali exiſtimatione inuoluitur pertinacia, in quantum quis ita credens; non eſt paratus Eccleſiæ determinationi ſe ſubijcere. & iuxta ſenſum harum concluſionum poſſunt conciliari aliqui Authores, qui contraria videntur docere de ignorantia affectata circa myſteria fidei. Remanet autem diluere argumenta, quæ his concluſionibus opponuntur, & quæ ſuperius allata ſunt pro alijs ſententijs.

80 Ad primum autem argumentum pro priori ſententia poſſem, ſequendo opinionem multorum, concedere paritatem, videlicet, peccatū contra fidem ex ignorantia culpabili eſſe eiuſdem ſpeciei cū illo, quod committitur ex ſcientia: quam opinionem docet *Sanchez cap. cit. num. 24.* & alij, quos ipſe laudat, quibus aſſētitur *Delugo tract. de pœnit. diſp. 16. ſect. 4. §. 6. à nu. 180. vſque ad finem prædicti paragraphi*, vbi concludit circumſtātiam, ignorantiæ culpabilis, aut ſcientiæ non tribuere ſpecificam differentiam, nec explicandam, niſi in ordine ad cenſuras, vel reſeruationem. Cæterum alij Authores contrarium ſentientes, negāt paritatē: & quamuis ſuſtineant in alijs materijs peccata ex ignorantia, & ex ſcientia eſſe eiuſdem ſpeciei, negant tamen in hac materia de fide. ita *Vaſquez p. 2. diſp. 126. cap. 2. & 3. Santarellus dub. cit. in ſolutione obiectionis contra primam concluſionem num. 21.* & in ſolutione tertiæ contra ſecundam *nu. 25. Merolla cap. 2. cit. nu. 215. Turrianus dub. cit. Ver. Vlterius, ex doctrina tradita*, & alij. & hæc ſecunda reſponſio mihi magis placet, ideòque ſufficientē aſſero diſparitatem; nam in alijs materijs. v. g. in homicidio, furto, & ſimilibus pertinacia non eſt de eorumdem peccatorum ratione, eſt tamen de ratione hæreſis; vt ſupra ex cōmuni oſtenſum fuit; pertinax autem non cenſetur, niſi ſciat, & animaduertat ſe aduerſus Eccleſiæ determinationem ſentire; at non requiritur, vt quis in alijs materijs peccans aduertat, ſe delinquere contra diuinam legem: & in hoc ſenſu intelligendi ſunt huius ſententię Authores, cum diſcrimen aſſignantes aiunt, in peccato hæreſis per voluntarium directum, & indirectum cauſari diuerſitatem ſpecificam, quatenus ignorātia occultat obiectum, quod debet ſpecificare peccatum hæreſis, non faciēs euidēter apparere Eccleſię determinationem; & ideò tollit pertinaciam, qua ablata, non conſiſtit hæreſis. Et cōfirmatur; quia cum tali ignorantia ſtare poteſt voluntas ſe ſubijciendi definitioni Eccleſiæ, quando innoteſceret: & ſic iudicium erroneum oppoſitum erit in alia ſpecie, ſcilicet in ſpecie ignorantiæ, quam errans tenetur expellere, adhibēdo diligentiam, vt ſciat determinationē Eccleſiæ, quamuis reductiuè tale peccatum pertineat ad infidelitatem. Ex quibus colligi poterit ſolutio ad argumenta, quę proponuntur *à Cardinali Delugo in tract. de pœnit. loc. cit.* quibus ipſe conatur probare, eamdem eſſe paritatem inter peccata contra obligationem credendi, & contra alia peccata: impugnans enim opinionem Patris Vaſquez, qui aſſerit, malitiam infidelitatis ſumi ex eo, quod non credendo offen-

ditur auctoritas loquētis, quod eſt quędam irreuerentia, docet, talem irreuerentiam non ſolum inueniri, quando aliquis ſcienter diſſentit Deo loquenti; ſed etiam, quando ex negligentia culpabili omittit examinare, an illa ſit Dei doctrina: quod probat a pari; quia ad eamdē ſpeciem pertinet omiſſio honoris alicui debiti, ſiue fiat ex cognitione perſonę honorādæ, ſiue ex culpabili ignoratione. Neq; ſatisfacere ait, ſi quis reſpondeat, quod, quando quis ignoranter errat in materia fidei, deeſt ex parte obiecti malitia obiectiua infidelitatis; quia poſſet pariter affirmari, quòd in dehonoratione Pontificis culpabiliter incogniti deſit malitia illa obiectiua ſpecifica, quæ repetitur in eiuſdem dehonoratione ſcienter facta.

81 Sed hæc omnia deberent admitti, ſi obiectum ſpecificatiuum hæreſis eſſet irreuerentia, vt ſic, contra authoritatē Dei loquentis, & Eccleſię determinantis, & fidelibus proponentis, tamquam quid reuelatum à Deo, quod ſupponere videtur Cardinalis: at res non ita ſe habet; nam obiectum ſpecificans hæreſim non eſt irreuerentia, vt ſic, ſed incredulitas pertinax: pertinacia autem inuoluit duo, vnum ex parte intellectus, aliud verò ex parte voluntatis, videlicèt ſcientiam de Eccleſię determinatione, & voluntatem reſiſtendi tali determinationi; & in hoc actu formaliter conſiſtit pertinacia, quæ præſupponit ſcientiam prædictam: ad ipſam verò pertinaciam non requiritur temporis diuturnitas, vt falſo aliqui exiſtimant; nam in momento temporis haberi poteſt. De ratione autem hęreſis eſſe pertinaciam, eſt communis ſententia, & expreſsè ſtatuitur in ſacris iuribus *Cap. Dixit Apoſtolus. cap. Qui in Eccleſia 24. quaſt. 3.* & id docent Canoniſtæ *Simancas, de cathol. inſtit. tit. 26. num. 8. Ricciul. de iur perſon. extra gremium Eccleſ. exiſt. lib. 5. cap. 7. nu. 4. & 11. Auguſtinus Barboſa in comment. prædict. iurium. & alij ſuperius citati.*

82 Ad ſecundum pro eadem ſententia, nego ſequelam, quia eo ipſo quod Eccleſia proponit fidelibus aliquid credendum, tenetur vnuſquiſque illud admittere, ſi determinationem Eccleſię non ignorat, & etiam tenetur credere, eſſe à Deo reuelatū, itant ſi negetierit formaliter hæreticus, quamuis ipſe putet, non eſſe illud à Deo reuelatum; nam hæreſis conſtituitur per diſſenſum pertinacē contra veritatem aliquam ſufficienter ab ipſa Eccleſia propoſitam, vt rectè aſſerit *Suarez ſect. cit. num.* 14.

Ad tertium neganda eſt paritas; nam 83
ignorantia pertinens ad Iudaiſmum, & Paganiſmum eſt infidelitas priuatiua, quæ, vt ſic, non dicit ordinem ad Eccleſiam, neque includit pertinaciam; at ignorantia ſpectans ad hæreſim eſt infidelitas contraria, & inuoluit pertinaciā contra id, quod Eccleſia determinauit; & ideo, cum pertinacia ſcientiam præſupponat, & hęreſis, vt probatum eſt, debeat eſſe cum pertinacia, idcircò non eſt eadem ratio de alijs ſpeciebus infidelitatis, quæ non requirunt pertinaciā, ac eſt de hęreſi.

Ad fundamentum tertię ſententię re- 84
ſpondeo, quòd quamuis ignorantia nimis craſſa, vt ſic, parum diſtare videatur, à voluntate repugnandi directè, nihilominùs ad conſtituendam hæreſim maximè diſtat; nam hæreſis requirens pertinaciam, debet eſſe ex ſcientia, ignorantia verò, vt ſic, non habet pertinaciam, reſpectu rei, quæ ignoratur.

Ad rationem quartæ ſententiæ patet reſponſio ex ijs, quę dicta ſunt in ſecunda concluſione.

Dices. Ignorantia vincibilis non ex- 85
cuſat in alijs peccatis v. g. in homicidio, furto, &c, nā hęc, vt diximus, ſunt eiuſdē ſpeciei cum alijs ſcienter factis; proindè patrans furtum ex ignorantia culpabili, furtum verè committit, &c. ergo ignorantia vincibilis non excuſat, quin errans contra fidem committat peccatū hæreſis.

Reſpondeo, negando conſequentiam; eſt enim diſparitas, quia in alijs materijs diuerſis inter peccatum ex ignorantia, & ex ſcientia reperitur diſcrimen dumtaxat inter voluntarium indirectū, & directum; obiectum autem ſpecificās eſt idem: at in materia fidei ignorantia occultat obiectum, quatenus tollit cognitionem de eo, quod Eccleſia determinauit: hęc autem cognitio eſt circūſtātia pertinens ad hæreſim, quia ponit pertinaciam, quę eſt de ratione hæreſis. Rurſus, vt rectè notat *Santarellus dub. 5. cit. num.* 21. in alijs peccatis non requiritur, vt peccans aduertat peccare contra legem diuinam, ſed ſufficit, vt poſſit, & debeat aduertere; at in rebus

fidei

fidei ad conſtituendam hæreſim requiritur in cognitione, quam habet hæreticus, quòd contra Eccleſiam ſentiat.

86 Dices ſecundò. Ignorantia affectata non minuit, ſed potiùs auget, malitiam: ergo non liberat hominem errantem ab hæreſi: patet antecedens, conſequentia probatur; quia ſi excuſaret ab hæreſi, minueret peccatum.

Reſpondeo, licet augeat malitiam cõparatiuè ad ignorantiam vincibilem nõ affectatam; nihilominus, cum quælibet ignorantia celet obiectum ſpecificatiuũ hæreſis, tollendo pertinaciam, idcirco excuſat ab hæreſi: loquor tamen de illa ignorantia affectata, quę, vt dixi in ſecunda concluſione, non inuoluit intẽtionem contemnendi determinationem Eccleſiæ non ſcitam; nam talis intentio ſufficeret ad hæreſim, vt notaui cum alijs loco citato.

87 Videntur hic examinanda quædã alia pertinẽtia ad hanc materiam de hæreſi, videlicèt, an ille, qui profert opinionem hæreticam, & proteſtatur dicens, ſe nolle Eccleſię diſſentire, ſit hæreticus cẽſendus? Rurſus, ſi admoneatur ab Inquiſitoribus, & viris doctis aſſerentibus, opinionem, quam tuetur, eſſe cõtra determinationem Eccleſiæ, & hoc non obſtante, ille fidem non adhibeat, ſed ignoranter putet rectè ſentire, & non contra Eccleſiã, an hæreticus putari debeat?

Ad hæc ex dictis reſpondeo, in foro iudiciali cenſeri hæreticum, quia poſt admonitionem a Superioribus, & Theologis præſumitur pertinax, & non ignorãs; at in foro interno conſcientię non erit hæreticus, ſi paratus ſit aſſentiri propoſitioni Eccleſiæ, quamprimũ eam agnouerit; peccabit tamen grauiter, quia temerè admonitionibus acquieſcere noluit.

Hæc, & multa alia eſſent de re hac diſcutienda, ſed ex profeſſo hæc expendi ſolent in tractatu de fide: in præſentia tamen ſatis erit, illa paucis tetigiſſe. vide *Santarellum dub. 6. per totum.*

CAPVT X.

Vtrum ignorantia irregularitatis excuſet, ne quis in illam incurrat?

88 PRo completa huius quæſiti deciſione ſupponenda eſt vulgaris illa diuiſio irregularitatis apud Authores, nempè in eam, quæ eſt ex delicto, in eam, quę eſt ex defectu abſque culpa, & demũ in eam, quæ eſt veluti mixta ex vtroque genere; vt eſt v.g. irregularitas proueniens ex homicidio, quæ ſupponit delictum, & in ipſo delicto defectum ſignificationis. De his omnibus irregularitatibus procedere poteſt quęſitum; ideoque de illis diſtinctè eſt agẽdum: & exordiũ ſumo ab irregularitatibus ex puro delicto: & vt clar ius pergã, affero exemplum. Eſt lex Eccleſiaſtica prohibẽs, ne excommunicatus ordines recipiat, vel ne ordinibus ſuſceptis, ſolemniter adminiſtret ſub pœna irregularitatis: ignoret quis excommunicatione innodatus legem hanc, & exerceat ordinem; quæritur, num ſtante tali ignorantia excuſandus erit, ne irregularitatẽ incurrat? Variæ ſunt Doctorum ſententiæ.

Primâ enim vult, non excuſari, etiamſi 89
ignoret Ius canonicum imponens irregularitatem. ita *Corduba in quæſt. lib. 2. qu. 27. in 1. & 2. ratione. Azor. par. 1. lib. 1 cap. 15. quæſito 6. Villalobos to. 1. tract. 21. diff. 6. num. 1. apud Dianam. loco infra citando*, qui dicunt in hac re ſufficere, vt illud peccatum ſit contra legem naturalem, aut diuinam, ad hoc vt contrahatur irregularitas; quia non eſt impoſita contra contumaces, vt ſunt cenſurę, ſed contra talem actum committentes: & huic ſententiæ videtur adhærere Suarez *diſp. 40. de cenſ. ſect. 5. n. 9. 10. 11.* & à fortiori idem docent, qui hoc ipſum dicunt loquentes de ignorãtia quoad cenſuras: mouentur autẽ ad hanc amplectẽdam ſententiam nonnullis rationibus infra declarandis.

Secunda ſententia oppoſitum tuetur, 90
aitque, ignorantes ius canonicum, quod irregularitatem impoſuit, excuſari ab illius incurſione. ita docent quamplures viri graues. *Nauarr. in ſumma cap. 23. num. 47. in fine, & cap. 27. num. 274.* vniuerſaliter id defendens de omni pœna impoſita per quodcumque ſtatutum, quod inuincibilitèr ignoratur *Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 17. Filliucius tract. 11. cap. 8. nu. 250 & 253. Bonacina de cenſ. diſp. 1. qu. 2. punt. 1. num. 13. Coninch. de irregul. diſp. 18. dub. 4. nu. 29. Diana par. 4. tract. 2. reſolut. 36. & 85. Portellius in dubijs regularibus Verb. Ignorantia. num. 19. Caſtropalaus par. 1. tract. 2 diſp. 1. pu. 17.*

17. *n.* 6. *Merolla p.* 1. *diſp.* 1. *c.* 2. *n.* 48. fundantur quidẽ in eo, quod irregularitas iſta, quamuis, in rigore loquendo, non ſit propriè cenſura; nihilominus eſt pœna, quę in hoc ſe habet, vt cenſura; proindè eadem eſt de illa, ac de cenſuris ratio: ignorantiam autem vincibilẽ ſatis eſſe ad excuſandum, ne incurrãt in cenſuras, qui ignorant ius canonicũ, quod illas imponit, ſupponimus in hac quæſtione ex locis capite præcedente citatis.

91 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quam longè probabiliorem exiſtimo; eaque probari poteſt ex *Cap. Vt animarum periculis. de Conſtit. in* 6. vbi Pontifex ad euitanda pericula labendi in peccata, & pœnas eiſdem peccatis inflictas, determinat, ignorantes non ligari ſententijs prolatis per ſtatuta à quibuſcumque ordinarijs edita; & licet non deſint *Doctores*, qui canonem hunc interpretantes dicant, ſermonem eſſe de ſtatutis, quæ lata ſunt ab Epiſcopis, & non à iure communi, ſeu à Summo Pontifice, nam ſub Ordinarij nomine non includitur Pontifex, nihilominus alij ex hoc textu colligunt rationem pro cõtraria ſententia, quam ipſi defendunt; quia Pontifex eſt cum omni proprietate Ordinarius, & non quicumque, ſed ſupremus, ſicuti eſt verus Epiſcopus, quãuis caput omnium aliorum Epiſcoporũ: & cum agatur de materia fauorabili, debet pontificia diſpoſitio ſe extendere ad totum illud, quod ſub verborum proprietate comprehendi poteſt. & confirmatur ex eo, quòd motiuum prædictæ conſtitutionis, nempè vitare animarum pericula, æquè militat in ſtatutis pontificijs, ac in epiſcopalibus: & ex iure tum ciuili, tum canonico habemus, legem ampliari poſſe de vno caſu in alium, quamuis ſub verbis ipſius legis vnus tantum caſus ex multis ſimilibus comprehendatur, ſi eſt identitas rationis, & ſaltem ſit ratio adęquata pro omnibus, nempè, vt in eadem ratione caſus illi ſint intrinſecè connexi in ordine ad honeſtatem legis, itaut non videatur rectę rationi conſonum diſponere in vno, & non in alio caſu, vt benè probat *Suarez lib.* 6. *de legib. cap.* 3. *nu.* 16. *& ſequent.* qui id fundat *in Reg. certum eſt*, quæ eſt vltima infra *de regulis iuris in* 6. Vbi dicitur. [In legem committit, qui verba legis complexus cõtra legis nititur voluntatem] deſumitur etiam ex iure ciuili. *L. Non dubium C. de legib.* in qua eadem habentur verba; nam magis mens legis; quàm eius verba attendi debent; verba enim ſe habent, vt corpus; mens verò vt anima: Ex his autem iuribus plura affert *Suarez* exẽpla, apud quem videri poſſunt. applicãdo autem doctrinam hanc caſui noſtro, dico, rationem adæquatam, qua ductus fuit Pontifex ad ita diſponendum, eſſe, periculum animę vitandum, ſi ſtatuta ligarent ignorantes, quæ ratio locum habet in omnibus ſtatutis; & ideò ſub hac diſpoſitione omnia ſtatuta, tum Epiſcopalia, tum Pontificia comprehẽdenda ſunt; quamuis aduerſarijs daremus, ſub nomine Ordinariorum nõ cõprehendi Summum Pontificem, eiuſque latas ſententias; veruntamen, vt *Sanchez* rectè animaduertit *num.* 24. *citata diſp.* comprehenduntur ſtatuta pontificia ob rationem prædictam allatam in eo textu, nimirum, vt animarum periculis obuietur; quæ quidem ratio locũ habet etiam in ſtatutis latis à Summo Pontifice.

Ad rationem autem pro prima ſententia deſumptam *ex Cap. cum illorum*, aliqui reſpondent, Pontificem tantum loqui de diſpenſatione pro foro externo, in quo illa ignorantia non præſumitur probabilis, poſita, & promulgata lege: 92
Sanchez verò n. 10. *diſp. cit. & cum alijs*, ait, textũ illũ eſſe explicandũ de ignorãtia vincibili, & culpabili; vndè, licet hęc non excuſet à culpa, & pœna irregularitatis illi delicto impoſita; nihilominus culpa procedens etiam ex tali ignorantia mitiùs eſt punienda, quàm ſi procederet ex ſcientia; ideò Pontifex conceſſit, vt ijs, qui non obſtante excommunicatione, qua erant affecti, ordines receperunt, beneficium diſpenſationis impertiatur; quod tamen non conceſsit ſcienter delinquentibus, quos voluit, eſſe perpetuò deponendos, ſi fuerint clerici ſęculares, vel ſi regulares, ab executione ordinis ſuſpendendos: loqui autem Põtificem de ignorantia culpabili colligit *Sanchez* ex ipſomet textu, in quo, cum ęquè agatur de ignorantia, ſiuè iuris, ſiuè facti, nequit eſſe ſermo de ignorantia inuincibili, quã conſtat, excuſare, quãdo eſt de ipſo facto; proinde requirente Pontifice, vt cum ignaris diſpenſetur, oportet id intelligere de ignorantia non

excuſante, qualis eſt vincibilis, non autē de inuincibili, quā apud omnes indubitatum eſt, excuſare; aliter non loquutus fuiſſet vniformiter de ignorantia in ordine ad ius, & ad factum.

93 Ad ſecundum ſufficienter reſponſum eſt à me in explicatione *Bullæ par. 2. tr. 6. cap. 1. ſect. 3. num. 37. & ſeq.* vbi diſtinxi duplicem pœnam; vnam ordinariam, & delicto debitam, & proportionatam; & talē dixi eſſe pœnas Inferni pro peccatis contra Deum; & ideò, vt peccator pœnas Inferni mereatur, nō oportet illas agnoſcere, ſed ſufficit velle peccatum; quia tunc implicitè ſcit mereri pœnam ordinariam ipſi peccato debitam. Aliam dixi, eſſe pœnam extraordinariam, & tales eſſe cenſuras, irregularitates, & ſimiles: & hæ debent aliquo modo cognoſci; ideoque, ſi ignoretur ius canonicum prohibens, & pœnā imponens, nullo pacto, neque explicitè, neque implicitè pœna diceretur cognita: eſſe autem ius naturale, aut diuinum, cōtra quod eſt peccatum commiſſum, non eſt ſatis ad aſſerēdum, implicitè cognoſci pœnam hanc, quia non eſt per tale ius impoſita, ſed per aliud ius omninò latens.

94 *Dicendum eſt ſecundò. Si* ſermo ſit de irregularitate, quæ non eſt purè pœna, ſed quædam inhabilitas ob defectū lenitatis, vel perfectæ ſignificationis, vt eſt irregularitas bigamiæ, vel ex defectu natalium, vel illa, quam contrahunt Iudices reum iuſtè damnantes ad mortem, & Miniſtri iuſtitiæ cooperantes, &c. cum oriatur ſine culpa, ne nimi dubium eſſe poteſt, quin incurratur, quacūque poſita ignorantia inuincibili: quia talis irregularitas nullam habet rationem pœnæ, ſed eſt purum impedimentum ad ordines. Solum videtur eſſe nonnulla difficultas de irregularitate veluti mixta, quæ eſt impoſita alicui delicto, per quod in delinquente reſultat defectus ſignificationis, vt eſt irregularitas, quæ prouenit ex homicidio, & ex mutilatione; nā hæc videtur eſſe pœna inflicta criminis prædicti, & conſequenter ob eius ignorantiam inuincibilem ad illā incurrēdā excuſari homicidā, &c. ſed hoc non obſtante omninò dicendum eſt, ignorantiam facti nō eſſe ad excuſandū, ita *Merolla cap. 2. citato nu. 49. & 81.* quem ſequitur *Diana ref. ſol. 83. vt ſupra Ver. Verum his non obſtantibus*, & ratio eſt, quia, licèt prouenıat ex delicto, nihilominus inuoluit defectum lenitatis, & ſignificationis: hic autem defectus dependet à cognitione, & voluntate ipſius Rei, & reddit hominem inhabilem ad ordines: & ob eādem rationem irregularitates, quæ proueniunt ex defectu, vt eſt bigamia, illegitimatio, & aliæ, quæ ſunt impoſitæ pro adminiſtranda iuſtitia in caſu mortis, vel mutilationis incurruntur, quamuis inuincibiliter ignorentur, vt eſt omnium Doctorum conſenſus. Nec ad hanc paritatem declinandam dicas, has irregularitates non fundari in delicto, ſed tantum in defectu puro, & in quadam indecentia; at verò irregularitatem, quæ eſt ex homicidio, fundari in delicto, & habere rationem pœnæ, & ideò non eſſe eamdē rationē; ne, inquā, dicas hoc, quia irregularitas ex homicidio non ita fundatur in delicto, vt non fundetur etiam in defectu ſignificationis; proindè, licèt, quatenus eſt ex delicto, non contrahatur ab ignorantibus, quatenus tamen inuoluit fundamentum lenitatis, & ſignificationis, ſe habet, ſicuti illæ, quæ incurruntur ob iuſtam occiſionem: ſufficiens autem fundamentum cauſandi hanc irregularitatem eſt occiſio hominis vt ſic; eſſe autem fundamentum hoc cōiunctum cum iuſtitia, aut cum iniuſtitia eſt quid illi accidentale; quia vtroque modo reperitur carentia ſignificationis, quæ eſt ratio fundandi adæquatè talem irregularitatem: & mirum eſſet, ſi carētia hæc poneretur melioris conditionis, quando eſt culpabilis, quàm quando eſt abſque culpa, imò cum meritò, vt in miniſtris iuſtitiæ.

Dices, hoc eſſe per accidens; nam irregularitas hæc cum pro ſuo adequato 95 fundamento indiuiſibiliter habeat defectum lenitatis, & delictum cognitum, vt contrarium iuri imponenti ipſam irregularitatem, deficiēte vna ratione ex prædictis, nempè ratione delicti, vt iuri aduerſantis, veluti impeditur, ne conſurgat; nam effectus, qui ad ſui productionem exigit duplex principium, vel vnum duplici qualitate affectum, ſi deeſt vnum ex his, non producetur. V. g. Viſio, cum præexigat ad ſui productionem, tum potentiam viſiuam, tum ſpeciem in ipſa potentia, ſi alterutra ex his duabus deficeret, non haberetur: & ſic experimur nos non videre eo tempore, quo in oculo non reperitur ſpe-

ſpecies obiecti viſibilis: & pariter in aere, quamuis habeatur ſpecies caloris, nõ cauſatur viſio, quia deeſt potentia: ſic & in caſu noſtro requiritur, vt fundamentum huius irregularitatis, tũ carentia lenitatis, ſeu ſignificationis, tum delictũ formaliter, quatenus eſt cõtra ius canonicum, vt imponẽs ipſam irregularitatẽ.

96 Reſpondeo primò, quòd quamuis, & nõ improbabiliter poſſit quis ſuſtinere, ex homicidio duplicem cõſurgere irregularitatem correſpondentem illi duplici rationi, videlicèt vnam ex occiſione, quatenus eſt contra legem Eccleſię; alteram verò, quatenus ipſa occiſio inuoluit defectum ſignificationis, & in caſu noſtro, poſita ignorantia, impediri illã, non autem hanc; nihilominus nolo fundare ſolutionem in hac opinione.

Reſpõdeo igitur ſecundò, quòd, quãuis vnica tantùm ſit irregularitas; nihilominus duabus ęquiualet, quatenus habet duplicẽ reſpectum ad duplex principiũ, ſcilicet ad defectum, & ad delictum; & ideò, cũ quodlibet ex his principijs poſſit fundare irregularitatem, vt oſtenſum eſt, ſequitur, quòd in caſu poſito reſultabit irregularitas ſub vnico tantum reſpectu, nempe ad occiſionem, quatenus habet defectum ſignificationis, & non quatenus eſt contra ſpeciale ius eccleſiaſticum; nam ex vtroque motiuo potuit ab eccleſia imponi irregularitas iſta non coniunctim, ſed diuiſim; & hoc non gratis aſſerimus, ſed ratione ſatis congruẽti, ne ſcilicet cogamur ſuſtinere, quòd occiſio hominis, vt culpabilis, & contra ius naturale, & diuinum non cauſſet irregularitatem, quam tamẽ cauſſat, quãdo eſt licita, & honeſta: nego igitur paritatẽ de viſione, quia neque ſolus oculus, neq; ſola ſpecies poteſt ex ſe producere effectum: quod ſecus eſt in noſtro caſu.

97 Et hęc ſufficiant pro hac quæſtione, quando procedit ex ignorantia Iuris canonici. Maior autem dubitatio, & cõtrouerſia eſt, ſi proponatur eadem quęſtio, cum quis non ignorat ius, ſed ſcit legem, & ſolum ignorat ipſam tantum pœnam à iure impoſitam: in tali. n. caſu inquirunt Doctores, nũ irregularitas incurratur? & duæ ſunt contrarię ſentẽtię: aliqui. n. ſuſtinẽt, incurri, alij verò negãt.

Qui autem priorem opinionem tuentur, ſunt *Couarr. in cap. Alma mater. §. 10. nu. 9.* qui dicit, eſſe maximam, & puniendam oſcitantiam aſſerere, non eſſe aliquem puniendum pœna legis, vel ſtatuti, ſi huius pœnę inſcius, & ignarus ſit. eamdem ſententiã defendunt ſequẽtes, videlicèt *Medina in p. 2 qu. 76. art. 3 concl. 3.* loquẽs vniuerſaliter de omni pœnã *Suarez* plures citãs *lib. 5. de legib. cap. 12. num. 11. cap. 22. num. 4. & in 3. 3. S. Thomæ to. 5. diſp. 31. ſect. 6. dub. 6. Comitolus in reſponſ. moral. lib. 5. qu. 4. Layman lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 5. n. 8. circa mediũ Gaſpar Hurtado de Irregul. diſp. 1. dub. 8. in fine.* & à fortiori hanc opinionem tueri debent, qui putant, eos, qui ignorant ipſum ius, incurrere hanc pœnã; vt ſunt hi authores, quos ſupra citaui. Vnicum fundamentum pro hac ſententia eſt idem, quod ſupra, nempè, ad pœnã delicto impoſitam ſubeundam non eſſe neceſſariam cognitionem ipſius pœnę: addit Layman aliam rationem peculiarem deſumptam ex turpitudine, ſeu macula culpę, qua delinquẽs ſecundum canonem Eccleſiæ inhabilis redditur ad miniſterium altaris.

98 Alij verò Doctores tuentur oppoſitũ, videlicèt, ignorantiam prędictę irregularitatis, quę procedit ex puro delicto, excuſare, ne incurratur. ita *Nauarr. in ſumma cap. 23. num. 47. & cap. 27. nu. 274. Sanchez* qui eam defendit, vt probabiliorem *lib. 9. de matrim. diſp. 32. n. 17. Bonatina de cenſur. diſp. 1. q. 4. § 2. pu. 1. propoſ. 3. Caſtropalaus tom. 1. tr. 2. diſp. 1. pu. 17. nu. 6. Murcilla tom. 1. diſp. 1. cap. 2 num 87. & alij:* quam opinionem probabilem putat *Aegidius Coninch de ſacram. diſp. 18. dub. 4. n.* Ducuntur ad hanc ſententiam amplectendam *ex cap. Animarum de conſtitut. in 6* vbi, cũ abſolutè definiatur, ignorantes ſententijs minimè ligari, nulla appareret ſufficiẽs ratio limitãdi textũ ad ſolas cenſuras; cum irregularitas, quę eſt pura pœna, cõprehendi poſſit ſub ſententijs.

99 Dicendum eſt, quòd, quamuis vtraque ſententia ſit probabilis; nihilominus hęc ſecunda magis placet; tum ob argumentum deſumptum *ex cap. Animarum*, tum quia, licèt irregularitas hęc, rigorosè loquendo, non ſit propriè cenſura, vt multi aſſerunt; habet tamen magnam cum cenſuris affinitatem; & ideò ſicuti, vt oſtenſum eſt, ignorantia ſolius cenſurę excuſat ab eius incurſu; ita etiam ab incurſu huius irregularitatis.

100 Ad fundamentum pro contraria ſententia ex dictis patet ſolutio, nempè, ad incur-

cur-

curſionem pœnæ, quæ non eſt exorbitans, & extraordinaria, non requiri cognitionem illam in Reo, ſecus autem quando pœna eſt extraordinaria, qualis eſt cenſura, & irregularitas, quæ ſunt ſupremæ pœnæ inter eas, quæ iure poſitiuo ab Eccleſia imponuntur; tunc enim, vt tales pœnæ incurrantur, poſtulatur aliqua ſpecialis ratio voluntarij in delictum, nempè ferri in illud, quarenus eſt fundamentum incurſionis in has pœnas; nam, vt ſic, creſcere cenſetur in ratione delicti; ideò & minus iudicatur delinquere, qui committẽs delictũ ignorat, eſſe principium talis pœnæ: quæ ratio non probat reſpectu pœnæ mediocris, & tali delicto proportionatæ; nam delinquens, ſolius luminis naturæ ductu, nequit ſaltem confusè ignorare, delictum, quod ipſe committit, aliquam mereri pœnam.

101 Ad rationem excogitatam à Medina, & deſumptam ex turpitudine, qua Reus redditur inhabilis ad miniſterium altaris, reſpondeo primò, in hac ratione ſupponi incurſionem in irregularitatem, per quam Reus redditur formaliter inhabilis; ſed ab Authoribus huius ſecundæ ſententiæ cum non admittatur in ignorante contractio irregularitatis, cõſequenter nec admittitur in eodem forma hæc deturpans. Reſpondeo ſecũdò in actione illa, cui iure eccleſiaſtico impoſita eſt irregularitas. V. g. in celebratione miſſæ ab excõmunicato, quãuis appareat indecentia, & turpitudo, in quantum ſacrificium illud peragitur à perſona, quæ ratione cenſuræ eſt membrum ſeparatum à reliquis fidelibus; nihilominus turpitudo hæc non trahit ex ſua natura pœnam irregularitatis, ſed illam annexã habet ex ſtatuto eccleſię; & ideò, ſi ſtatutum, vt coniunctum cum tali pœna, ignoretur, non apparet eius tranſgreſſio adeò grauis, ſicuti eſſet, poſita cognitione contraria: proindè cum tranſgreſſio procedens cum illa ignorantia ſit minus culpabilis, congruum videtur, non eſſe puniendam pœna irregularitatis, ſed alijs pœnis proportionatis, & implicitè cognitis, & interpretatiuè volitis, in voluntate committendi tale delictum.

CAPVT XI.

Si quis titulum, ſeu dignitatem habẽs, Bullam cruciatæ omnibus communem accipiat, inuincibiliter ignorãs, ſe frui non poſſe eiuſdem bullæ priuilegijs, an poſtea, errore detecto, poſſit illam alteri applicare?

Pro maiori huius quęſiti intelligentia caſum, qui de facto euenit, ſic formo. Titius in hoc Regno dominus Vaſſallorum, & titulum principatus habens, ex inuincibili ignorantia putans, ſibi ſufficere ad lucrandas indulgentias, & reliqua priuilegia, ſumere bullam ordinariam, pro cuius ſumptione duo tãtum Iulij in eleemoſynam erogantur, eã de facto accepit: elapſis aliquibus mẽſibus fuit Princeps, admonitus ſe inutiliter talẽ ſumpſiſſe bullã, quia pro titulũ, & feudum habentibus extat peculiaris bulla, pro cuius acceptione decem ſunt ſoluendi Iulij ex taxatione facta à Generali Commiſſario: hoc autem Titius audiens, vt de veritate certior fieret, ad me acceſſit, caſum proponens, quo à me audito, aperui illi veritatem: ipſe autem ſubiunxit poſtulans, num bullam, quam inutiliter ex ignorantia accepit, potuiſſet alteri applicare, pro quo ſatis eſt bulla ordinaria? Iſte eſt caſus, de quo conſultus fui à prædicto Principe, & plures voluens Authores, qui cruciatam explicarunt, nihil apud illos de re hac inuenire potui, cum caſum neque proponant, neque innuant (propterea) vt cõſulentis petitioni ſatisfacerem, mentem applicui principijs vniuerſalibus, vt agnoſcerem, num forſitans, ex illis difficultas hęc explanari poſſet? 102

103 Pro parte negatiua ſe offerebat ſatis recepta Authorum ſententia, per quam docent, quòd, ſi quis pro ſe bullam acceptauit, nequit in alterum eam transferre, vt aſſerit *Ludouicus à Cruce in expplicatione ipſius bullæ diſp. 1. cap. 1. in 1. ratione. Aegidius Trullench ibidem, lib. 1. §. 1. dub. 2. nu. 5. & 6. Andreas Mendo diſp. 23. cap. 2. num. 16. propè finem. Marcus Serio diſp. 1. diff. 4. §. 2. nu. 10. Caſtropalaus par. 4. tract. 25. diſp. vnica pu. 2. n. 5. circa medium*, idque ſupponit doctrina, quam dat *Vega in ſumma tom. 1. cap. 43. caſu. 6. Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 27. clauſu-*

 la.

la 4. *nu.*23. *Diana par.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 95. & nouiſſimè *Arriaga tom.* 8. *diſp.* 26. *ſect.* 5. in fine digreſſionis, quam ibi inſtituit. Poſita autem hac ſententia, quę veriſſima eſt, ſtatim apparet ratio, quę fauere videtur opinioni negatiuæ; nam Princeps ille ſoluens eleemoſynam accepit pro ſe bullam, quamuis abſque vtilitate; proindè iuxtà ſuppoſitam doctrinam nequit eamdem bullam alteri applicare.

104 Sed his minimè obſtantibus oppoſitū cenſeo, nempè, poſſe Principem bullam illam, cui voluerit vtiliter applicare, ſi perſona, cui fit applicatio, ſit capax fruendi bullæ priuilegijs: & ita caſum hunc determinaui, & concluſionem aptè colligo ex varijs iuribus ciuilibus, & canonicis, in quibus habemus, actum non fieri, & non validè, ſeu minus legitimè fieri paria eſſe. ſic *ex L. Quoties ff. Qui ſatis dare cog* vbi dicitur, idem eſſe dare fideiuſſorem non idoneum, & illum non dare, & *L. Si aut nullum. C. de legit. hared.* vbi aſſeritur, hæc duo æquiparari, videlicèt, nullum fieri teſtamētum, & illud minus legitimè fieri, vt ibidem notat *Baldus* docens, Nihil, & inualidum, æquiparari. Ex iure etiam canonico hoc ipſum habemus in *cap. Inter corporalia. Ver. Illu dicitur Eccleſia viduata*, quo loco dicitur, idem eſſe habere Epiſcopum inutilem, ac eum nō habere. *& Gloſ. ibidem. Ver. Inutilem.* Hoc ipſum confirmari poterit, communi Doctorum conſenſu expreſsè docentium, Non fieri, & inutiliter fieri, ſeu minus legitimè fieri paria eſſe *Iaſon. in L. quoties. citata. num.* 12. *Surdus conſil.* 157. *nu.* 13. *& alibi. Couar. pract. reſol. cap.* 7. *nu.* 2. *Flami. de Reſign. beneſ. lib.* 11. *quaeſt.* 7. *num.* 8. *Moneta de diſtrib. par.* 2. *qu.* 2. *num.* 19. *Maceratenſis in var. & practic. reſol.* 8. *num.* 8. *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. *Leo in theſau. for. eccleſ. par.* 3. *cap. vltimo nu.* 22. & alij. Ex his autem principijs deſumo fundamentalem rationem pro mea ſententia, ita argumentando, Nō fieri, & non validè, ſeu minus legitimè fieri, idem ſunt; ergo non acceptare bullam cruciatæ, & inualidè, ſeu minus legitimè illam acceptare, paria ſunt. Antecedens eſt certum ex iure, & ex cōſenſu Doctorum; conſequentia verò probatur, quia conſequens continetur ſub antecedente, tamquam particulare, & inferius ſub vniuerſali, & ſuperiori nam terminus ille in antecedente poſitus, nempè, Non fieri, vt ſic, eſt quid ſuperius, & vniuerſale, reſpectu huius, vel illius non fieri reſtricti ad talem, vel talem actum: ex hoc autem argumento, infertur manifeſtè intentum; nam ſi bullæ acceptatio eſt inutilis, & illegitima, perindè eſt, ac non acceptatio; & ideo in caſu noſtro ſequitur neceſſariò, potuiſſe à Principe bullam illam communem alteri applicari; quia ſolum valida acceptatio poterat impedire applicationem, & tranſlationem in alium.

Sed poſſet quis in contrarium inſtare, probando in hoc caſu interueniſſe verā acceptationem bullæ ab eo, qui pro illa eleemoſynam erogauit; nam eo ipſo, quòd aliquis dat eleemoſynam; & à depoſitario recipit bullam, & non nomine alterius, neque cum intentione illam alteri applicandi, cenſetur illam pro ſe acceptare, quamuis inutiliter, ergo nequit illam in alium transferre. 105

Reſpondeo aperiendo ęquiuocationē quę eſt in argumento, & latet in illo termino, *Acceptatio*; duplex enim habetur acceptatio, vna, quę eſt neceſſaria ad perficiendum hunc contractum, *Do, vt des*, nempè do eleemoſynam, vt mihi des bullam, quam ego recipio, & datā accepto: hæc autem acceptatio eſt veluti materialis in ordine ad fruendum priuilegijs bullæ; eſt enim indifferens, vt ipſa bulla huic, vel alteri applicetur. Altera acceptatio eſt veluti formalis, & conſiſtit, vt ego acceptem bullam in mei beneficium. Poſſumus totum hoc confirmare in alia ſimili materia, v. g. ſi ſeruus iuſſu domini, eiuſque nomine ſoluat pauperi eleemoſynam, tunc erogatio eleemoſynę ex parte ſerui eſt materialis; quia ipſe non lucratur eleemoſynæ fructum, & ſolū materialiter appellatur ſoluens; at ex parte domini eſt formalis, in quantum ipſe Dominus meretur, & propriè dicitur ſoluens eleemoſynam. His poſitis reſpondeo in forma ad argumentum, ſic diſtinguendo antecedens: ille, qui dat eleemoſynam, & a Depoſitario recepit bullam, vt ſic, cenſetur illā materialiter acceptare cōcedo; formaliter, & cum fructu, nego antecedens: & diſtinguo conſequens. Nequit illam in alium tranſferre, ſi bullam receptam ſibi, vel alteri applicauit, concedo, ſi non applicauit, vel inutiliter, & non 106

legi-

legitimè applicauit, & ille alius acceptauit, nego conſequentiam.

Inſtabis ſecundò. *Si* quis ſumat pro ſe bullam, & huius receptionis oblitus, aliam ſimilem bullam pro ſe accipiat, putās aliam eo anno minimè ſumpſiſſe, ſi poſtea recordetur accepiſſe priorem bullam, & duas apud ſe habere, non poterit hanc ſecundam, quamuis ex errore ſumptam, alteri applicare: ergo neque in caſu, de quo agimus, poterat Princeps ille bullam ſibi inutilem, & ex errore ſumptam alteri applicare; eadem enim videtur ratio in vtroque caſu.

107 Reſpondeo conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia ob manifeſtam diſparitatem, quę inter vnum, & alium, caſum reperitur; nam in caſu, quem ponit obiectio, poſterior bulla non ſumitur inutiliter, quia, vt habetur in ipſo diplomate, abſolutio a caſibus Summo Pontifici reſeruatis ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis conceditur, vt quis ſemel abſolutus ab his caſibus, ſi iterum eodem anno in aliquod ex illis labatur, poſſit aliam bullam ſumere, & vi huius ſecundę bullæ rurſum abſolui; proindè acceptio ſecundę bullæ non eſt inutilis: at in alio caſu ſumptio bullæ eſt omninò inutilis; quia Princeps nullo priuilegio vi talis bullę frui poterit: & ſic nulla eſt paritas, quæ tamen haberetur, ſi arguens diuerſo modo fingeret caſum, videlicèt, Si quis ex errore, ſeu ignorantia ſumeret eodem anno tertiam bullam, vel quia à memoria exciderit, bis illam ſumpſiſſe, vel quia ex ignorātia exiſtimaret v. g. eodem anno abſolui poſſe tertia vice à caſibus Pontificijs, in quos lapſus eſt; in tali caſu inutiliter, & non legitimè ſumeretur tertia bulla in ordine ad prædictum effectum; & ideò eadē curreret paritas inter hunc caſum, & illum, de quo pręſens quæſtio procedit.

Quæſitū placet hìc adijcere, quod proponit *Rodericus Arriaga to. 8. de pœnit. diſp. 26. ſect. 5.* vbi agens de ſatisfactione pro pœna tēporali debita peccatis, quæ fit medijs indulgentijs, quamdam facit digreſſionem circa bullam cruciatæ, & ita caſum format. Si meus amicus, me inſcio, eleemoſynam det, & pro me bullam acquirat, an ego lucrari poſſim indulgentias, quæ in ipſa bulla continētur, ſi faciā omnia, quę pro his indulgētijs obtinendis requiruntur? Reſpōdet autē affirmatiuè, & id bifariàm probat; primò, quia licet ſumptionē bullæ ignorem, moraliter tamēn cenſeri poſſum acceptans eam donationem; ac proindè poteſt alter iudicari, quaſi meo nomine, & vt amicus meus, pro me expendiſſe illā pecuniam. Secūdo & efficacius; quia hę gratię dantur ad excitandos fideles vt ſuis eleemoſynis concurrant ad ſuſtentationem claſſis, quæ in bonum Eccleſiæ defendit Mediterraneum à Mauris illud infeſtantibus, ac peregrinos ad limina Apoſtolorum euntes captiuantibus, vel certè ob alias vtilitates, quæ in bonum Eccleſiæ ex vi eleemoſynarum ſperantur: hinc puto mentem Pontificis eſſe, vt ea eleemoſyna detur à me, vel ex proprio marſupio, vel certè quaſi ex pecunia ab amico mihi donata, dummodo ea eleemoſyna detur de facto intuitu mei; eo enim ipſo iam obtinetur totum planè intentum Pontificis, ſiuè id fiat, quia ego moraliter prius ſum factus *Dominus* eleemoſynæ, ſiuè non; hoc enim ad eum finem eſt certè per accidens. Ita *Arriaga*, qui hac duplici ratione probare nititur ſententiam ſuā, eamque progreditur confirmando exēplis hiſtrionum comœdias facientium, ad quas non admittunt, niſi eos, qui ſoluunt medietatem Iulij; ſed ſi quis pro alio ſoluat, tunc iſte alius admittetur, & non oportet prius fieri Dominum illius pecuniæ: ex quo ipſe Arriaga infert, quòd Religioſus, pro quo alius ſoluit pecuniam, poteſt abſque læſione voti paupertatis ingredi ad videnda ſpectacula illa, quia nullius rei dominium, aut vſum accipit; ſed ingrediens perinde ſe habet, ac ſi comici illi nulla petita ab ipſo Religioſo pecunia permitterent, vt ingrederetur, in quo caſu manifeſtū eſſet, Religioſum non facere contra votū paupertatis; nam ingreſſus iſte, & viſio ſpectaculi non eſt res propriè ſpectans ad paupertatem, &c. ita diſcurrit Author iſte.

Sed eius ſententia eſt omnino reijcienda, quatenus aſſerit, in caſu poſito eū, pro quo ſoluitur eleemoſyna ipſo inſcio, & ſumitur bulla, lucrari poſſe indulgentias in eadem bulla contētas, ſi pręſtet ea, quæ ad has indulgentias obtinendas exiguntur, prout eſt eccleſiarum viſitatio, &c. hæc ſententia, inquam, reijcienda eſt; quia falſis nititur principijs, vt mox oſtendam. Antequam autem aggrediar examen rationum, ſup- 108

pono prius, eſſe valdè controuerſum inter Authores, num ad lucrandas indulgentias, neceſſariò requiratur lucrandi intentio, an verò ſatis ſit opus requiſitum abſque prædicta intentione? prærequiri autem intentionem docent *Suarez tom 4 in 3. p. diſp. 52 ſect. 6. nu. 2. Corduba in quæſtionario lib. 5. qu. 23 poſt tertiam propoſitionem. §. 2. Vega in ſumma to. 2. cap. 7. caſu. 2. Alphonſus de Leone de iubileo qu. 10. ſect. 7. n. 135.*

Oppoſitum verò tuentur *Santarellus de iubileo cap. 15. dub. 4. Ioannes Delugo de pœnit. diſp. 27. ſect. 6. n. 80. & ſequen. Portellius in addit. ad dubia regularia Verb. Indulgentia. n. 7. Diana par. 4. tract 4 reſol. 6. & par. 5. tract. 11. reſolut. 6. Layman in ſumma lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 5. Villalobos apud Dianam tom. 1. tract. 25. diff. 13. num. 9.* Vndè, ſi ſequamur priorem ſententiam, erit manifeſtè falſa opinio Arriagæ, quia, cum iuxta hanc ſententiam ad indulgentias acquirendas intentio exigatur, & intentio neceſſariò ſupponat notitiam de ipſa indulgentia, rectè infertur, acquiri non poſſe abſque notitia, & intentione; & ideo in caſu noſtro ignorans receptionem bullæ nomine ſuo factam, nequit habere intentionem lucrandi indulgentias virtute bullæ: & quamuis ſecundùm oppoſitam ſententiam, quæ prędictam intentionem nō poſtulat, videatur, quòd exhibens opus requiſitum indulgentias lucretur, nihilominus, etiamſi quæſitū reſoluendum foret, ſiſtendo in his ſentētijs, debuiſſet Arriaga non ita ſuperficialiter rem hanc decidere, & veluti illam ſupponere, ſed rationes hinc inde examinare.

109 Dico igitur, in caſu prædicto, eo modo quo formatus eſt, non poſſe eum, cuius nomine bulla ſumpta fuit, eius indulgētias, aliaque priuilegia lucrari. Sententia hæc communis eſt, & inter alios eā docent *Corduba in quæſt. lib. 5. qu. 26. in fine. Suarez de pœnit. diſp. 52. ſect. 7. num. 5.* & in explicatione einſdem bullæ ſequentes Authores. *Ludouicus à Cruce diſp. 1. cap. 1. num. 2. Trullench lib. 1. § 1. dub. 2. nu. 5. Andreas Mendo diſp. 21. cap. 2. nu. 13. Gallego clauſ. 13. dub. 176. Serio diſp. 1. diff. 4. §. 2. quæſito 4.* & alij, qui tamquam quid certum firmauerunt, quòd, quamuis quis poſſit pro alio bullam accipere, licèt ille id ignoret; nihilominus, vt iſte alius priuilegijs bullæ potiatur, oportet, vt hoc ſciat, & conſenſum præſtet, acceptando bullam ſuo nomine ab alio ſumptam. Concluſionem hanc probo ex ſuppoſitione duorum principiorum. *Primò*, quod donationes, quę conceduntur ex mera liberalitate Principis, & non ex officio, & neceſſitate, ante notitiam, & acceptationem ipſius donatarij, licitè reuocari poſſunt, vt communiter docent Iuriſtæ per textum *in L. Abſenti ff de donat & L. Qui abſenti. initio. ff de acquir poſſ.* quibus addo *Molinam tract. de iuſtit. diſp. 263. nu. 1. & 2. & diſp. 264. initio. Suarez de legib. lib. 8 cap. 25. n. 7. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 36. n. 4. Barboſa in Collect. cap. Si tibi abſenti n. 2. de præb. & dignit. in 6. & alij.*

Secundò ſuppono, in caſu, de quo agitur, quamdam interuenire liberalem donationem, quatenùs Titius v. g. erogans eleemoſynam, & ſumens bullam nomine Sortis, donat eidem Sorti pecuniam illam, quæ pro receptione bullæ depoſitario bullarum ſoluitur. His præſuppoſitis, ſic concluſionem probo. Non poteſt Sortes lucrari indulgentias, & alia priuilegia virtute bullæ à Titio ſumptæ, niſi prius bullam hanc acceptet: ergo in caſu prædicto nequit bullæ priuilegijs frui. Antecedens ſuadetur tū ratione communi, ſecundum quam diximus, donationem liberaliter factam nō habere vigorem, niſi acceptetur, tum etiam ratione ſpeciali, quatenus in ipſo diplomate bullæ Pontifex præcipit, vt ille, qui vult priuilegijs bullæ frui, debeat illam recipere, & conſeruare. Eius autem verba in ſummario latino hæc ſunt [Item mandatur, vt ſummarium hoc per omnes Chriſti fideles ad prędictum bellum contribuentes, qui huiuſmodi gratiarum participes eſſe voluerint, recipiatur, & retineatur, ne circà ſibi conceſſas gratias errare, neue alij illas ſibi vſurpare poſſint, & vnuſquiſque, qua facultate eiſdem gratijs, & facultatibus vtatur, docere valeat.] Hæc *Pontifex*: ex cuius verbis patet veritas antecedentis; videlicet, non poſſe Sortem lucrari indulgentias, & alia priuilegia virtute bullæ à Titio ſumptę, niſi bullam hanc acceptet. Conſequentia autem vi huius antecedentis facilè ſuadetur, quia non poteſt Sortes acceptare id, quod neſcit; & ideò, cum ignoret ſumptionem bullæ

110

ſuo nomine factam, nequit illam acceptare.

111 Probatur ſecundò cõcluſio noſtra cõfutãdo principia, & rationes, quibus nititur Arriaga ad ſuam opinionem ſuſtinendam; prima autem eius ratio facile impugnatur; quia nullum eſt caput, ex quo deduci valeat, quòd ego ignorans ſumptionem bullæ meo nomine factam, cenſear donationẽ illam accepiſſe; aſſeritur.n.hoc ab Authore,ſed nullo medio probatur: niſi quis eum defendere volens dicat,adeſſe moralem acceptationẽ per quamdam certiſſimam præſumptionem, ſecundùm quam nemo eſt, qui dubitare poſſit,quin ego donationẽ illã recepturus forem,ſi illam non ignorarẽ: ſi autem quis ita reſpondeat, facilè cõuincetur,aperiẽdo falſitatem doctrinæ; ex illa enim inferretur,corruere omnia illa iura,& communem Authorum ſententiam docentium, donationes,& præſertim gratuitas, & liberales, antequã acceptentur, non eſſe firmas, & reuocari poſſe à donante; quia ſemper haberetur præſumptio, per quam cenſeretur donationem factam inſcio donatario, acceptandam fore ab ipſo donatario; proindè cum vi talis præſumptionis donatarius cenſeretur acceptans, firma maneret donatio, & reuocari non poſſet à donante, quod tamen nemo aſſerit.

112 Secunda ratio eiuſdem Authoris,quã ipſe efficaciorem putat,infirma videtur, & nihil eidem fauet; nam eſto verum ſit illud motiuum,quo Pontifex ducitur ad bullam hanc concedendam,videlicet ad excitandos fideles, vt eleemoſynis concurrant ad ſuſtentandam claſſem, quæ in bonum Eccleſiæ defendit Mediterraneum à Mauris, &c. ex hoc tamen nihil ſequitur pro defenſione huius opinionis;hoc enim impertinens eſt ad caſum noſtrum; nam,quodcumque ſit motiuum Pontificis ad bullas cõcedendas, nihilominus ipſemet Pontifex vult,& ſe declarat, vt à fidelibus eleemoſynam erogantibus de facto bulla recipiatur,ſiue eleemoſyna à me detur ex meis pecuniis,ſiue detur ab alio intuitu mei,dũmodo erogatio pecuniæ,& ſumptio bullæ ab alio, me inſcio, facta à me acceptetur, & rata habeatur, & ad id, quod ipſe Arriaga addit, dicens, Pontificem contentiſſimum eſſe, dummodo eleemoſyna detur intuitu mei, quia, vt ſic, obtinetur totum planè intentum Pontificis, reſpondeo,eſſe contentiſſimum, ſiue à me, ſiue ab alio detur nomine meo eleemoſyna præſcripta, ſed velle, vt id à me ratum habeatur.

CAPVT XII.

Vtrum immemor voti pœnalis, ſi illud frangat, teneatur ad pœnam? & quid, ſi ſolius pœnæ, & non voti ſit oblitus?

DE obliuione quæſtionem inſtituo, licèt de ignorantia potiùs exiſtimet forſitan aliquis,me loqui debere, ne extra limites huius regulæ,quam præ manibus habeo,egredi videar: ſed,ſi diligẽter omnia ſpectentur, facilè quiſque deprehendet,quæſtionem ſub prædictis terminis inſtitutam ad hanc regulam propriè pertinere,quia,vt rectè animaduertit *Suarez tom.5.in 3.p.* loqens de cenſuris *diſp. 4. ſect.8.num 5. Azor.part.1. inſtit. moral. lib. 1. cap.16. quæſt.6. Sãchez in decal. lib. 1. cap.16.num.8.* quos ſequitur *Merolla tom. 1. diſp. 1 cap. 2. coroll. 5 nu.60.* in hac materia ignorantia nequaquam differt ab actuali obliuione, ſeu inaduertentia: & quia caſus per ſe loquẽdo,euenire ſolet ex obliuione potiùs, quàm ex ignorantia ſtrictè ſumpta, prout ſecernitur ab obliuione, idcircò mihi viſum fuit quæſitum proponere ſub termino obliuionis, & non ignorantiæ, quamuis eadem ſit vtriuſque ratio. Pro maiori autem eiuſdem caſus intelligentia ſic illum formo. Titius v. g. emiſit votum non committendi peccatum externum contra caſtitatem, ſub pœna ſoluendi in eleemoſynam decem aureos; progreſſu autem temporis immemor inuincibiliter huius voti labitur in peccatum fornicationis: quæritur, num teneatur ſoluere eleemoſynam, quam ſibi in pœnam huius lapſus Deo promiſit? & hæc eſt prima pars huius quæſiti.in ſecunda verò parte inquiritur, num,ſi memor ſit voti,oblitus tamen pœnæ annexæ, vel illam inuincibiliter non animaduertens obligetur ad pœnã? His præhabitis deuenio ad vtriuſque partis deciſionem. 113

114 Dicendum eſt primò, ſi caſus priori modo contingat,Titium non teneri pœnam ſoluere,imò excuſari pariter à ſacrilegio propter omnimodam, quam ha-

habuit, voti promiſſi obliuionem: Et de hac concluſione neminem dubitantem inuenio: eam autem defendunt *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 22. nu. 18. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 5. coroll. 3. Merolla tom. 1. diſp. 1. cap 2. dub. 3. num.* 80. *Caſtropalaus tom. 3. tract 15. diſp. 1. pu. 18. num. 3. Thomas Tamburinus in decal. precept. 2. cap. 12. §. 7. num.* 4 Probatur autem concluſio ratione ex quibuſdam principijs vniuerſalibus deducta; nẽpe, ex lege humana, cui eſt annexa pœna aliqua contra tranſgreſſores; ſi quis enim inuincibiliter ignorat, aut obliuiſcitur talem legem, non ſubiacet pœnæ extraordinariç latæ in fauorem ipſius legis, etiam ſi factum ſit contra ius diuinum, & naturale, vt volunt aliqui, quos ego ſequutus ſum in ſelectis *lib. 10. qu. 18, nu. 9. & ſequent.* at votum, quod eſt quædam priuata lex, non aliter obligat, quàm lex publica, & ſolẽnis: ergo ſicuti quis ignorans, aut obliuiſcens inuincibiliter legem, quam materialiter tranſgreditur, excuſabitur in foro conſcientiæ, ne pœnæ impoſitç ſubiaceat, ita ignorans, aut obliuiſcens inuincibiliter legem priuatam, quam ſibi impoſuit, nempè votum, non ſubiacebit pœnæ, quam ipſemet impoſuit, ſi votum tranſgrederetur: & de hac concluſione, neque magna difficultas, neque magna controuerſia eſt inter Authores:
115 quæ tamen reperitur in ſecunda parte huius quæſiti, videlicèt quando vouens recordatur quidem promiſſionis Deo factæ non committendi peccatum contra caſtitatem; ſed eſt immemor pœnæ iniunctæ, quando votum frangit. In tali caſu pœnam incurri, exiſtimat *Sanchez in ſumma lib. 4. cap. 23. num.* 19. quamuis ſtatim hanc ſententiam reſtringat dicens, probabile eſſe non incurri, quãdo pœna eſt grauiſſima, & extraordinaria, qualis eſſet religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, &c. ſecus autem quando pœna non eſt exorbitans, & extraordinaria.

116 *S*ed limitatio hęc non placet; quia grauitas, & leuitas pœnæ adiunctæ, nihil faciunt ad conſtituendam, vel non conſtituendam ignorantiam, ſeu obliuionem inuincibilem, aut vincibilem, vt de ſe patet; æquè enim benè inculpabilis ignorantia, aut obliuio ſtare poteſt cum grauitate, & leuitate pœnç, quando pœna eſt extraordinaria; & ideo idẽ iudicium ferendum eſt, quoad obligationem ſubeundi, vel non ſubeundi pœnam.

Alia oppoſita ſententia vult, etiam 117
in hoc caſu, in quo ponimus eſſe voti recordationem, non autem pœnç, excuſari, qui votum frangit: & hanc ſententiam docet *Merolla dub. cit num.* 88. & in eadem videtur eſſe *Caſtropalaus loc. cit.* quamuis non admittat, poſſe cognoſci legem, quç imponit pœnam, & ignorari ipſam pœnam; ſed hoc non refert; nam ſi Author iſte id intelligat de lege pœnali, formaliter, vt pœnali, res eſt indubitata, & patet ex terminis: ſed nihil facit ad rem, quia difficultas non ponitur, quando eſt memoria de voto, vt pœnali: ſi verò loquitur de lege pœnali ſpecificatiuè, & materialiter accepta, eſt falſum; nil enim prohibet recordari, me voniſſe vitare tale peccatum, & non recordari pœnæ à me ipſo impoſitç in caſu fractionis. Hæ ſunt opiniones, quas apud Authores inuenio, magis tamen placet hæc poſterior, quia eſt conformior principijs ſuperius à me poſitis, ſecundùm quæ ſuſtinui, quod inuincibiliter ignorans irregularitatem, quando eſt pura pœna annexa alicui delicto, & non inuoluit defectum ſignificationis, excuſetur, ne illam incurrat: & ſic eſt cohærenter ratiocinandum de alijs pœnis extraordinarijs, & etiam de pœna, quæ à vouente ſibi imponitur in caſu, quo votum tranſgrederetur; eadem enim eſt ratio; proinde idem erit dicendum de pœna prædicta; eſt enim extraordinaria, vt de ſe patet.

CAPVT XIII.

Vtrum, ſi quis ad ordinem ſacrum aſcendens, ignoret votum caſtitatis eidem ordini annexum, teneatur caſtitatem ſub voto ſeruare?

ANtequam ad huius quæſiti deciſio- 118
nem perueniam, ſuppono tanquã quid certum; Clericos in Eccleſia latina ſacris ordinibus inſignitos teneri omnimodam ſeruare caſtitatem, quamuis apud Authores controuerſum ſit, num talis obligatio immediatè oriatur iure aliquo diuino, & naturali ex ſuppoſitione alicuius voti, quod in ſuſceptione ſacri ordinis emittatur, ſiuè explicitè, ſiuè

ſiuè implicitè, an potius talis obligatio oriatur ex ſolo iure eccleſiaſtico? quam dubitationem examinat *Bellarminus in controuerſijs tom. 1. controu. 5. gener. de memb. Eccleſ. mil. lib. 1. de Cler. cap. 18. Sanchez lib. 7. de matrim diſp. 27. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 15. num. 1. Marchinus de Sacram. ord. tr. 2. par. 6. cap. 8. diff. 1. & ſequent. & alij*: eam autem diſcutere, & reſoluere non facit ad rem præſentem; & ideò eius deciſionem omitto; ſolum eſt videndum, an votum ſacro ordini annexum, ſi ab ipſo clerico ſacris initiato omninò ignoretur, hoc non obſtante, ipſum obliget ad caſtitatem ſeruandam? & quod attinet ad forum externum, res eſt certa; nempè, ita promotum ad id teneri, atque adeò non poſſe vxorem ducere; quia ſimul ac ſacro ordine inſigniri voluit, nō præſumitur ignoraſſe obligationem cuſtodiendæ caſtitatis annexam, vt aduertit *Azor. par. 1. lib. 13. cap. 14. qu. 10. & Sanchez loco infra citando*: difficultas igitur eſt quoad forum internum conſcientiæ: & duas inuenio contrarias ſententias.

119 Prima quidē negat, ſtante tali ignorantia promotum teneri ex voto, ſed tantum ex conſtitutione Eccleſiæ. ita nonnulli Canoniſtæ, & Theologi, vt *Syl. ueſter verb. matrim. 8 quæſit. 12. dict. 2. Roſella verb. Impedimentum. imped. 31. num. vlt. Vaſquez in 3. p. diſp. 247. cap 6. num. 98. Marchinus cap. cit. diff. 6. num. 8. 9. 10. Coninch. de ſacram. diſp. 29. dub. 14. diff. 3. num. 141. Raphael Auerſa eod. tract. qu. 4. ſect. 7. Ver. Quinto ſi quis circa medium, & Ver. ſuppoſito ergo*. & in eadem ſententia procul dubio videtur eſſe *Caſtropalaus part. 4. tract. 27. diſp. vnica pu. 17. num. 12. & Layman in ſumma lib. 5. tract. 9. cap. 11. nu. 2. in fine*. Ratio autem, qua hi Authores ducuntur, fundatur in natura ipſius voti, quod eſſentialiter requirit eſſe voluntarium: illud autem, quod omninò ignoratur, voluntarium eſſe nequit.

120 Secunda ſententia extremè oppoſita affirmat volens, promotum, non obſtante ignorantia voti annexi, teneri ad illud ſeruandum. ita *Cardinalis in cap. Cum ol. m. de Cler. coniug. in fine. Nauar. in decal. cap. 22. nu. 32. Azor. par. 1. lib. 13. cap. 14. quæſito. 10. Sayrus in claui reg. lib. 6. cap. 1. num. 4. Sanchez lib. 7. de matrim diſp. 27. num. 11. verſui finem. Bonacina in ſecundum præceptum Decalogi diſp. 4. qu. 2. pu. 1. nu. 7. & de matrim qu. 3. pu. 1. num. 10. Ioannes de Dicaſtillo de ſacram. ord. tract. 6. diſp. 1. dub. 26. nu. 390. & 391. & alij* Quam ſententiam probant ex eo quod, qui liberè vult ſuſcipere aliquem ſtatum, aut officium, cenſetur implicitè velle onera eidem ſtatui, ſeu officio annexa; & ideò liberè ſumens ſtatum ſacri ordinis, exiſtimatur velle omnimodam caſtitatem vouere; cum ex lege eccleſiaſtica, qui promouentur ad ſacros ordines, obligentur votum omnimodæ caſtitatis emittere; & ideò, quando quis ad ſubdiaconatum aſcendit, virtualiter, & implicitè cenſetur tale emittere votum.

Relatis aliorum ſententijs ſupereſt, 121
vt quid probabilius mihi videatur aperiam.

Dicendum eſt primò, quamuis negare nequeam, probabilitatem inueniri in his duabus ſententijs ob Doctorum authoritatem illas defendentium; nihilominus, benè omnibus perſpectis, probabiliorem eſſe primam ſententiam quæ negat, tali ignorantia laborantem eſſe obligandum ex voto ad caſtitatem ſeruandam. ducor ad hoc eadem ratione, qua moti ſunt huius ſententiæ fautores, videlicèt rationem voluntarij, ita eſſe de eſſentia voti, vt improbabile ſit, poſſe votum conſiſtere, niſi aliquo modo fuerit in ſe voluntarium: non poteſt autem eſſe voluntarium, vbi eſt de ipſo omnimoda ignorantia, vt de ſe conſtat: ergo, ſi quis ante promotionem ad ſacrum ordinem inuincibiliter ignorat, votum eſſe ſacro ordini annexum, non erit ita ignoranti voluntarium votum, proindè nequit reſultare in ipſo obligatio ex voto.

Dices, quamuis formaliter, & explicitè promouendus votum caſtitatis non 122
emittat, nihilominus cenſetur virtualiter, & implicitè illud emittere, quia voluntariè, & liberè ſacrum ordinem ſumens, cenſetur implicitè velle omnia onera eidem ordini annexa, quemadmodum ſcienter ſuſcipiēs officium aliquod exiſtimatur velle onera eidē officio annexa, quamuis illa ignoret; qui enim vult antecedens, vult etiam conſequēs. Hoc eſt potiſſimum argumentum, quo, vt vidimus, nituntur Authores contrariæ ſententiæ.

Et

Et confirmatur, quia accedens ad ſuſcipiendum ſacrum ordinem virtualiter intendit velle, & facere ea, quæ ab Eccleſia præſcribuntur in ſuſceptione talis ſtatus, & conſequenter caſtitatem vouere, quæ ab ipſa Eccleſiá præcipitur. ita ex Sanchez loc. cit.

123 Reſpondeo, quadam præſuppoſita doctrina, quam tradunt Authores infra citandi; aiunt enim, voluntatem, volitionem, ſeu deliberationem virtualem de aliquo actu eſſe in duplici differentia; nam quædam fundatur in aliqua præcedente volitione, qua actus, de quo habetur intentio, fuerit in ſe ipſo formaliter volitus, quamuis eo tempore, ſeu momento, quo exercetur, prior illa intentio non extet in ſe, ſed in aliquo ſuo effectu; & ideò dicitur actus virtualiter volitus ratione præcedentis intentionis. V. g. Sacerdos intentionem actualem habens conſecrandi in ſacrificio, vel abſoluendi pœnitentem poſt enarrata peccata, quamuis talis intentio tempore conſecrationis, ſeu abſolutionis non extet in ſe ipſa, dicitur tamẽ cõſecrationẽ, ſeu abſolutionẽ virtualiter velle vi præcedentis intentionis, quæ moraliter cenſetur perſeuerare, dum non eſt retractata, & manet in aliquo ſuo effectu.

124 Præter hanc virtualem deliberationẽ datur alia, quæ non fundatur in volitione præcedente, per quam actus ſit in ſe ipſo formaliter volitus, ſed in aliqua actione, cui aliquo modo eſt annexus actus, qui dicitur virtualiter volitus. e. g. ſi Sacerdos non habuerit formalem, & actualem intentionem, ſeu voluntatẽ cõſecrandi, ſed accedat ad ſacrificiũ peragendũ veſtibus ſacris ſe induẽs, & de facto celebret, tunc conſecratio diceretur virtualiter volita, non quia virtualis iſta volitio fundata ſit in volitione præcedẽte, per quam Sacerdos formalem, & actualem habuerit intentionem conſecrandi; nam ſupponimus talem intentionem non præceſſiſſe; ſed quatenus fuit volita in illa actione, qua ſacerdos acceſſit ad ſacrificium peragendum, induit ſe veſtibus ſacris, recitauit miſſam, &c. cum autem huic actioni ſit annexus actus conſecrandi; ſequitur, quòd Sacerdos volens actionem illam cenſeatur virtualiter velle, & habere intentionem conſecrandi; & idem dico de abſolutione ſacramentali; nam eo ipſo, quod Sacerdos audit peccata pœnitentis, poſteà cum illum abſoluit, etiamſi non præceſſerit actualis, & formalis intentio abſoluendi, dicitur intentionẽ abſoluendi virtualiter habere; ratione illius annexionis, quã habet abſolutio cum cõfeſſione peccatorum, quæ aperiuntur à pœnitente, & audiuntur à confeſſario. Hoc autem duplex genus deliberationis apertè tradũt Authores, vt *Suarez to. 2. de Relig. lib. 1. de eſſentia voti cap. 10. nu. 4. & 5. Sanchez lib. 1. de matrim diſp. 8. num. 21. & in decal. lib. 4. cap. 2. nu 6. & alij*, apud ipſũ qui aiunt, ad votum non ſufficere volũtarium ſecundi generis, nempè voluntarium interpretatiuum, ſeu in cauſa; ſed requiri voluntarium primi generis, videlicet eſſe volitum in ſe formaliter. Ita *Suarez lib. cit. cap. 14 num. 4. Sanchez in decal. loc. cit. & alij*. Ex his patet ſolutio ad argumentum; nam ſumens ſacrum ordinem, & ignorans votum caſtitatis annexum, non habet actum voluntatis, per quem velit votum in ſe; proindè, etiamſi concederetur adeſſe voluntarium interpretatiuum, non erit ſufficiens ad obligandum ex voto exigente ad ſui valorem, quòd voluntariũ formale ſaltem præceſſerit modo explicato. Paritas autem deſumpta ex receptione alicuius officij nulla eſt; quia onera annexa tali officio non dependent à voluntate ipſius ſuſcipientis officium; ſed ab extrinſeco, nempè, vel à legiſlatore, vel à conſuetudine, &c. at votum de ſui ratione poſtulat, procedere à voluntate ipſius vouentis, & requirit, ipſummet vouentem, veluti legiſlatorẽ, imponere ſibi tale onus, & ideò argumentum ad ſummum nihil aliud probat, niſi in recipiente ordinem ſacrũ eſſe obligationem emittendi votum, quã obligationem impoſuit Eccleſia, quæ impoſitio non dependet à voluntate illius, qui ordinatur; à quo ſolùm dependet executio huius impoſitionis, videlicet emiſſio voti. Ad confirmationem in promptu eſt reſponſio ex dictis, nempè in eo, qui liberè ſuſcipit gradum ordinis, eſſe implicitam voluntatem amplectendi ea, quæ ab Eccleſia præſcripta ſunt in ſuſceptione talis ſtatus; & quæ in ſui impoſitione, non requirunt volũtarium formale, & directum in ſumente ſtatum, cuiuſmodi eſt obligatio ſeruãdi perpetuam, & omnimodam caſtitatem, (etiam ſi de illa ſeruanda formalis vo-

lun;

luntas minimè præceſſerit) inhabilitas ad contrahendum matrimonium, onus recitandi quotidiè horas canonicas, & ſimilia: quæ vel vi legis eccleſiaſticæ, vel conſuetudine legitimè præſcripta, ſunt ordini ſacro annexa; at verò votū ad ſui valorem exigit adæquatè dependere à voluntate ipſius vouentis; proinde debet eſſe actu in ſe ipſo volitum, quod non habetur, ſi ordinem ſumens omnimodam de illo ignorantiam habeat. fateor tamen, teneri ita ordinatum, remota ignorantia, emittere votum caſtitatis ex lege Eccleſiæ.

125 Ex his colligitur, ordinatum in ſacris, quando remota ignorantia, acquirit notitiam de voto caſtitatis, quod eſt tali ſtatui annexum, teneri ad caſtitatem, non ex voto; quia illud non emiſit, ſed ex præcepto eccleſiaſtico, vt notat *Sanchez lib. 4. decalogi cap. 14. in fine*. loquens de illo, qui tempore ordinationis ſacræ expreſſam habuerit intentionem non emittendi votum caſtitatis, qui tamen obligaretur ad votum faciendum vi legis Eccleſiæ.

CAPVT XIIII.

Vtrum hæres ignorans, an votum à teſtatore emiſſum fuerit maioris, aut minoris ſummæ, ſatisfaciat erogando minorem?

126 SVpponimus ex communi Doctorum ſenſu, hæredem teneri ad vota realia teſtatoris defuncti, vt expreſsè ſtatuitur *in L. Si quis rem. in fine ff. de Pollicit.* Poteſt autem contingere, vt hæres, vel ob defectum ſcripturę, vel ob aliam cauſam, ſciat votum, quod teſtator fecit de diſtribuenda quadam pecuniarum ſumma in pauperes, ſed ignoret, vel nō recordetur determinatam quantitatem v.g. an fuerit quinquaginta, an verò quadraginta; quæritur vtrum iſte hæres ſit obligatus maiorem ſoluere ſummam, nempè quinquaginta, an vero ſuæ obligationi ſatisfaciat erogando ſolum quadraginta?

Dicendum eſt, hæredem in caſu poſito, poſt adhibitam debitam diligentiā ad intentionē teſtatoris defuncti inueniendam, ſi veritas deprehēdi nequeat, ſatisfacere ſuæ obligationi, diſtribuendo in pauperes minorem ſummam, videlicet quadraginta. ità expreſsè *Sanchez in decal lib. 4. cap. 15. nu. 46. Trullench in decal lib. 2. cap. 2. dub 16 num. 9. Ioannes Dicaſtillo de iuſtit. lib. 2. tract. 19. diſp. 3. du. 3. n. 26.* qui in prædicta dubitatione in fauorem hæredis determinans, interpretandum eſſe legatum pium, nēpè ſecundum minus, quando dubia eſt mens teſtatoris, idem dicit de voto, niſi ex circumſtantijs, vel ex conſuetudine contrarium colligeretur: & in eadem ſententia eſt *Bonacina de contract. in nouiſſimis impreſſionibus Lugduni factis anno Domini 1629. & 1646. diſp. 3. qu. 17. pu. 7. quæſito 3.* Probatur autem concluſio ab eodem *Sanchez*, quia in ſimili dubio teſtator, qui vouit, non teneretur, niſi ad minus: ergo etiam eius hæres repræſentans perſonam vouentis.

Sed objicies. Legata amplam habere debent interpretationem, & eam, quæ eſt legatario magis fauorabilis: ergo in caſu prædicto hæres obligandus erit ad maiorem ſummam, quę eſt fauorabilior pauperibus, quibus applicanda eſt pecunia. 127

Reſpondeo, licet controuerſum ſit apud Authores, an legatum fauorabile, an potius odioſum ſit cenſendum, & conſequenter largam, an ſtrictam admittat interpretationem, quam controuerſiam fusè exagitat *Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 7. tit. 1. num. 13. & ſequent.* authores pro vtraque parte referens, & ſentiēs cum illis, qui autumāt, legatum eſſe fauorabile: ſicuti etiam opinatur *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 18. nu. 24*; nihilominus, etiamſi hoc admittatur, reſpondet idem *Sanchez loc. cit. in decal.* in præſenti caſu non eſſe ſermonem de legato adimplendo, ſed de voto teſtatoris. Secundo ait, quòd, quāuis teſtamenta, vt valida ſuſtineātur, ita fauore publico exigente, latè ſint interpretanda; legata tamen in ipſo teſtamēto contenta, ſtrictè ſunt explicanda, vt minus quantum fieri poterit, noceant hæredi. ita *Sanchez loc. citato in decal.* quamuis *in lib. 3 de matrim. diſp. cit.* vt vidimus, oppoſitum aſſeruerit. talem autem teſtatoris intentionem eſſe præſumendam ex multis probat *Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 106. num. 17. & 18.* & hoc ſuaderi poterit per textum *in L. Si ita ſit adſcriptum in fine. ff. de leg. 1. & L. Nummis ff. de leg. 3.*

Objicies ſecundò textum *in L. In* 128

teſtamentis. ff. de regul. Iuris: vbi expreſsè dicitur, voluntates teſtantium plenius eſſe interpretandas, ideſt magis amplè: hoc ipſum habetur *in cap. Cum delicti. in fine. de donat.* ergo idem dicendum erit in interpretanda mente teſtatoris in ordine ad votum elargiendi eleemoſynam.

129 Reſpondetur, in juribus prædictis, vt patet legenti, fieri comparationem inter hæc tria, nempè inter contractus, teſtamenta, & beneficia: & dicitur, quòd in cōtractibus plena ſit explicatio faciēda, in teſtamentis, ſeu vltimis voluntatibus, plenior, in beneficijs denique pleniſſima: hæc autem quomodo ſint intelligenda, declarant commentatores, & præſertim *Hoſtienſis*, & ſuſius *Cardinalis Zabarella ibidem num.* 7 qui ait, quòd in contractibus interpretatio eſſe debeat plena, itaut ſeruetur ex parte vtriuſque contrahentis æqualitas, ne minus pro vno, quàm pro alio interpretemur: & meritò, quia contractus, cum ſit vltrò, citròque obligatorius *L. Labeo §. contractus ff de verb. ſignif.* interpretatio debet eſſe æqualis pro ipſis obligatis. In vltimis verò voluntatibus in quibus fauor reſpicitur, plenior fieri debet interpretatio: & ſic legatum annuum cedit initio anni; in ſtipulationibus verò in fine anni. L. *Nec ſemel.* §. 1. *ff. Quando dies leg. & Gloſsa ibi Ver. Dies cederet.* Demum in beneficijs latiſſima ſit interpretatio, & maxima ſi beneficium collatum ſit à Principe, quòd intelligitur in ijs, quæ ſolum tendunt in præiudiciū ipſius Principis, ſeu alterius conferentis beneficium, & non in præiudicium aliorum, vt ex multis Authoribus animaduertit *Auguſtinus Barboſa* in ſuis varijs tract. de axiom. vſu freq. *axiom. 36. num.* 2. Hęc continentur in iuribus citatis, quę nihil faciunt contra concluſionem, in qua eſt ſermo de voto cuius interpretatio ſtrictè eſt facienda.

Obiicies tertiò. Interpretatio voti,
130 quamuis reſpectu ipſius vouentis ſtrictè ſit facienda, nihilominus reſpectu hæredis ampla erit ſumenda, licèt in eius grauamen cedat, quia, vt ſic, ex vna parte non derogat libertati vouentis, ſeu teſtatoris; ex alia verò parte redundat in fauorem ipſius teſtatoris, & in eius animæ vtilitatem; ergo in caſu noſtro hæres poſito dubio illo erit obligatus ad erogandum in eleemoſynam maiorem ſummam. Hoc argumentum deſumptū eſt ex doctrina *Suarij loc. cit.*

Reſpondeo, negando, votum in dubio reſpectu hæredis latè eſſe interpretandum; nam quamuis, ſi latè explicetur libertati vouentis, & teſtatoris minime deroget, & cedat in maius bonum animæ eiuſdem teſtatoris, quatenus erogatio maioris eleemoſynę eſt Deo gratior; nihilominus, hoc non obſtante, non poterit hæres ad id obligari; quia nequit habere in hoc obligationem maiorem ea, quam habebat teſtator, in cuius locum ſuccedit; & ideo non eſt ſimpliciter attendendum, quod meliùs, ſed quod debitum eſt: proinde ad argumētum neganda eſt conſequentia.

Quę dicta ſunt de obligatione hęredis quoad quantitatem, intelligi etiam debent quoad qualitatem; nam, ſi dubium ſit, an teſtator emittens votum voluerit ſe obligare ad id, quod eſt pretioſius, an potius ad minus pretioſum, hæres ſi ex circumſtantijs, vel ex alio capite dubium depellere non poterit, obligandus ſolum erit ad minus, & hoc ob eamdem rationem; quia teſtator, ſi viueret in eodem dubio, ad minus eſſet adſtringendus; ergo etiam hęres perſonam teſtatoris repræſentans. 131

Quæres, an hæc eadem ſententia locum habeat, ſi ſermo eſſet de legato, nempè, in dubio hæredem eſſe obligandum ad id, quod eſt minus? 132

Reſpondeo deciſionem huius quæſiti dependere ab illa alia quæſtione, videlicet, an legata in dubio, quoad quantitatem, vel quoad qualitatem ſint ſtrictè, an verò latè interpretanda? Auctores autem, qui dicunt latè, conſequēter ſuſtinere debent, hæredem teneri legatum ſoluere ſecundùm maius; contra verò illi, qui oppoſitam tuentur ſentētiam, ſcilicet legatum ſtrictè explicandum, debent aſſerere hęredem ad minus eſſe obligandum. Hanc autem ſententiam examinaui, & cum diſtinctione terminaui *in tract. de conſcient. dub. diſcept. 6. cap.* 10. §. 22. dixi enim ibi in prima concluſione legata profana ſtrictè in dubio eſſe explicanda; in ſecūda verò concluſione oppoſitum ſuſtinui loquendo de legatis pijs: quæ omnia ibidem, & authoritate, & ratione probaui, ſoluendo contraria argumenta, & in eumdem locum remitto lectorem.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XV.

Ignorans ſuorum natalium defectum, & bona fide ſacros ordines recipiens, ſi poſtea deprehendat ſeeſſe illegitimum, an diſpenſatione Pontificia indigeat ad vſum ordinis ſuſcepti?

VT caſus moraliter, & nõ metaphyſicè in praxim redigi poſſit, ſic formari debet. Sit Titius genitus à parentibus extra matrimonium, ac proinde illegitimus; & aliqui per fraudem teſtentur ex legitimo matrimonio procreatum; & ita adnotetur in libris, in quibus à Parocho ſcribuntur baptizati, eorumque nomina, & cognomina, & pariter progenies; perſeueret Titius bona fide vſque ad ætatem aptam ad ſacros ordines recipiendos, & ad illos promoueatur: poſt multum verò temporis deueniat in notitiam veritatis, deprehendens ſuorum natalium defectum: caſus tali pacto formatus facilè contingere poterit: quo poſito, quærimus, vtrum ipſe Titius, vt ſe exerceat in ordinibus ſacris bona fide receptis indigeat Pontificis diſpenſatione, qua ante illorum receptionem indiguerat? variæ ſunt de re hac Authorum ſententiæ.

133 Prima enim ſuſtinet in caſu prędicto, etiam ſtante bona fide in eo, qui promotus fuit, diſpenſari non poſſe ab Epiſcopo, vt in ordinibus ſuſceptis adminiſtret. ita *Suarez de cenſ. diſp.* 50. *ſect.* 5. *Ver. Reſpondeo igitur. Filliucius in ſumma tract.* 19. *cap.* 5. *num.* 152 *Iacobus Gordonus in ſua moral. theol. lib.* 7. *quæſt.* 18. *cap.* 4. *Ver. Quartus modus circa medium; & alij.* Ratio fundamentalis eſt, quia ex vna parte irregularitas totalis, qualis eſt hæc, de qua loquimur, priuat ipſum irregularem non ſolum à ſuſceptione ordinis, verũ etiam ab exercitio ſacrorum ordinum receptorum, vt communiter aſſerunt Authores, & patet ex eius definitione; idq; probat *Suarez de Cenſ. diſp.* 40. *ſect.* 2. *nu.* 4. Ex alia verò parte diſpenſare in hac irregularitate ad ſacros ordines reſeruatum eſt Summo Pontifici, ſpectato iure communi, ſeclutis priuilegijs, vt expreſsè ſtatuitur *cap.* 1. *de filijs Presbyterorum in* 6. vbi Epiſcopis cõceditur poteſtas diſpẽſandi cum illegitimo ad minores tantũ ordines, & ad beneficium, cui non inſit animarum cura, & denegatur poteſtas diſpenſandi ad maiores ordines, & ad beneficium curatum; ergo bona fides in illegitimo ſuſcipiente ſacrum ordinem, licet excuſet à culpa; nihilominus non tollit ab eodem impedimentum recipiendi ordinem, & illo recepto miniſtrandi; nam irregularitas iſta non eſt pœna, ſed inhabilitas impoſita à iure, quæ non dependet à voluntate, & ſcientia ipſius illegitimi: ita ſuaderi poteſt hæc ſententia.

Secunda verò oppoſitum docet, ſcilicet in caſu poſito diſpenſari poſſe ab Epiſcopo, vt illegitimus bona fide promotus miniſtret in ordine recepto, pro hac ſententia *Caſtropalaus part.* 6. *de Cenſ. tr.* 29. *diſp.* 6 *pu.* 9 *nu.* 10. citat *Nauarr. in duobus locis*, videlicèt *lib.* 1. *conſil. tit. de ætate, & qualit. Ord. conſil.* 3. & in eodem libro *tit. de filijs Presbyt. conſil.* 4. *nu.* 2 vbi pro ſe citat *Gratianum cap. Non inuitati, & cap. Lugdunenſi* 9. *quæſt.* 2. Sed reuera *Nauarr.* in priori loco nihil habet de caſu hoc, & ſermo eſt de caſu longè diuerſo; nempè de quodam, qui anno decimo ſexto ſuæ ætatis promotus fuit ad quẽdam Archipresbyteratum cuiuſdam cathedralis authoritate ordinaria, nulla præhabita diſpenſatione ſuper ętatis defectum; & ideò poſt aliquot annos lis mota fuit ſuper nullitate collationis, & fructuum receptorum reſtitutionem, qui ſanè caſus, vt patet, eſt diuerſus ab hoc, quẽ examinamus: In ſecundo autem loco citato, fateor, *Nauarrum* loqui de præſenti caſu, ſed non rectè affert pro ſua ſententia *Gratianum*, qui in illis duobus capitulis loquitur tantum de illis, qui promouentur ad ſacros ordines ab alieno Epiſcopo abſque licentia proprij; & ideò ratio hæc adducta ex Gratiano nihil probat pro hac ſententia Nauarri: hanc tamen opinionẽ admittunt plures *in tract. de Cenſ.* vt *Sayrus lib.* 6 *cap.* 10. *dub.* 10. *nu.* 37. *Henriquez de irregular. lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. *lit. H. Auila par.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 6 *Ver. ſexto notandum. Layman in ſumma lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 5. *num.* 2. *Ver. ſi tamen bona fide. Stephanus Bauni de cenſur. tr.* 11. *qu.* 25. *verſ. ſecunda. Santarellus variar. reſolut. par.* 1. *qu.* 42. *num.* 17. *concl.* 5. 134

Caſtropalaus loc. cit. Carolus Antonius Theſaurus in praxi eccleſ. par. 2. Verbo Illegitimi. cap. 1. in fine. hanc etiam opinionem approbare videtur *Pater Diana part. 4. tract. 2. de irregul. reſol. 64. Ver. Notandum eſt, circa medium*; nã loquens de poteſtate, quam habet Epiſcopus in diſpenſando cum illegitimis, refert ex Layman ſentẽtiam hanc, & eã non reprobat. Plures alios citat *Santarellus* pro illa, ex quibus ferè omnes nõ loquuntur de hoc caſu in ordine ad diſpenſationem, ſed ſolum in ordine ad culpam, & ab illa ob ignorãtiam inuincibilem excuſant promotos; argumentũ autem, quo Authores citati ducuntur ad hanc opinionem defendendam, non aſſignant, ſed tantum illam ſimpliciter proferunt: inuenio tamen apud *Caſtropalaum* rationem quamdam, qua ipſe confirmat hanc ſuam ſententiam; ait enim, quòd bona fide ita promotus, videtur acquiſiuiſſe ius aliquod ad vſum ordinis; ſed hæc ratio quantam vim habeat ad intentum probandum inferius demonſtrabitur:

135 Tertia ſententia eſt illa quam *Bauni loc. cit.* refert, eamque approbare videtur, & fortaſſe veram iudicat *Layman*, & non improbabilem *Caſtropalaus*, qui aſſerit, quòd, ſi quis mala fide ſacros ordines ſuſceperit, agnoſcens ſe eſſe illegitimum, poſſit cum illo diſpenſare Epiſcopus. Fundantur autem in textu canonico in *Cap. Niſi cũ pridem §. Perſona, de Renuntiatione*, vbi Pontifex Cęleſtinus III. cuius eſt ille canon, enarrans cauſas, ob quas Papa conſueuit licentiam concedere Epiſcopo renunciãdi Epiſcopatum, inter alias aſſignat irregularitatem, non quamcumque, ſed propter bigamiam, vel ſi de legitimo matrimonio nõ ſit natus, & ſubdit, quòd quamuis non debuerit in examine ſubticere defectum hunc natalium; nihilominus ſi culpa, & cauſa lateant, & ipſe rectè adminiſtrauerit officiũ, iniuncta debita, & proportionata pœnitentia poſſit, & vtiliter, & miſericorditer diſpenſari; ex quo textu colligunt prędicti Authores rationem pro hac ſententia, videlicet, quòd, licet illegitimus, quando fuit ad ordines promotus tacuerit, & non ſine culpa impedimentum hoc; poterit tamen diſpenſari ab Epiſcopo.

Hæ ſunt opiniones, quas inuenio apud Authores; ſupereſt nunc, vt quid de illis ſentiam, declarem: quod ſequentibus concluſionibus præſtabo:

*D*icendum eſt primò, hanc vltimam ſententiam eſſe omninò abijciendam, tum quia nullo ſolido, & firmo fundamento nititur, tum etiam quia ſequeretur ex illa alterutrum ex his, videlicèt, vel definitionem irregularitatis ab Authoribus communiter receptam non cõuenire huic irregularitati, ſaltẽ, quãdo non eſt occulta; vel ſi ponatur conuenire, non eſſe Summo Pontifici reſeruatam quoad omnes ſuos præcipuos effectus reſpectu ſacrorum ordinum; ſed vtrumque eſt falſum, & contra communem Doctorum ſententiam; ergo falſa eſt opinio hæc, ex qua alterutrum incõueniens infertur: minor autem eſt certa; ſequela autem maioris eſt mihi probanda, ſecundum vtrumque membrum; & vt primum oſtẽdam, ſuppono, definitionem irregularitatis in generali, quam ex multis canoniſtis tradit *Suarez to. 5. in 3. p. diſp. 4. ſect. 1. num. 2.* ſcilicet, eſſe inhabilitatem, ſeu canonicum impedimentum directè, & primariò impediens receptionem ordinum eccleſiaſticorum, & conſequenter etiam eorũ vſum: non conuenire autem hanc definitionẽ huic irregularitati, ſi vera eſſet opinio dicta, probatur; quia ſi poneretur, quòd illegitimus ſuum defectũ agnoſcens, malitiosè reciperet ſacrum ordinem, adhuc irregularis remaneret; quia, vt ſupponitur, à nullo fuit in illa diſpenſatus, & tamen poſſet ſe exercere in ordine illo iam recepto, ergo non redderetur ipſe illegitimus inhabilis ad vſum prædicti ordinis; & ideò definitio allata non conueniret huic irregularitati, quod erat primum membrum probandum; & ſi ad hoc inconueniens vitandum, & ad ſaluandam integram irregularitatis traditam, & communiter receptã definitionem, dicat aliquis, illegitimum eſſe inhabilem etiam ad vſum ordinis ſacri ſuſcepti, & non poſſe in illo licitè ſe exercere abſque diſpenſatione prius obtenta, poſſe tamen in hoc diſpenſari ab Epiſcopo; contra eſt, quia ita reſpondens incidit in ſecundum inconueniens, nempè hanc irregularitatẽ quoad omnes ſuos effectus præcipuos reſpectu ſacrorum ordinum non eſſe Summo Pontifici reſeruatam, quod eſt contra communem Authorum ſenſum, qui id colligunt *ex cap. 1. de filijs Preſby-* 136

by-

byterorum in 6. vbi Epiſcopis ſolum conceditur poteſtas diſpenſandi cum illegitimo quoad ordines minores tantũ, & quoad beneficia ſimplicia, quibus nõ eſt annexa animarum cura, & nulla alia illis traditur poteſtas: de qua re videatur *Barboſa in Collect.* exponens hunc canonem plures alios laudãs canoniſtas *num. 1. & 2.*

137 Ad rationem autem in contrarium deſumptam *ex cap. Niſi cum pridem* reſpondeo, diſpoſitionem illius canonis non fauere huic opinioni, quam hactenus impugnaui; quia ibi eſt ſermo de Epiſcopis volentibus renuntiare Epiſcopatum, quod facere nequeunt abſq; diſpenſatione Summi Pontificis; & ideò Calixtus III. Põtifex reſcribens Archiepiſcopo Calaritano, qui ſæpè licentiam renuntiandi petierat, eumdem monet, vt animaduertat, & diligenter examinet cauſſas, ob quas permitti poſſit talis renunciatio; & ipſemet Pontifex ſex aſſignat cauſſas, quas eo canone diſtinctè declarat, & inter alias *verſ. Perſonæ verò*, ponit hanc irregularitatem, ſcilicèt, de legitimo matrimonio non eſſe natum: & addit, quod licet Epiſcopus, ſi talem defectum patiatur tempore ſuæ promotionis, & examinis, non potuerit, & vt exponit *Gloſſ. ver. Perſonæ verò*, non debuerit illum ſubticere; nihilominus ſi talis culpa, eiuſque cauſa lateat, & Epiſcopus benè adminiſtrauerit in ſuo officio, iniuncta eidem cõpetente pœnitentia, poterit cum illo vtiliter, & miſericorditer diſpenſari. Hæc in eo canone habentur, quæ ſolum tendunt ad declarandam, & cohoneſtãdam cauſſam hanc, ob quam Pontifex diſpenſare conſueuit ad renuntiandum Epiſcopatum: & ſic, vt patet, textus nihil facit ad præſentem caſum, in quo nõ agitur de renunciatione aliqua, ſed de facultate Epiſcopi ad diſpenſandum cũ illis, qui mala fide receperunt ſacrum ordinem, & in eodem ſe exercere intendunt.

138 Dicendum eſt ſecundò circa opinionem ſecundo loco relatam, quæ aſſerit poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, vt illegitimus miniſtret in ordine recepto, ſi tẽpore promotionis bona fide ignorans ſuum defectum, recepit ordinem, quòd, quamuis mihi non placeat ob rationes aſſignandas, coactus tamen ſum principijs extrinſecis, nempè authoritate illorum, qui eam defendunt; exiſtimare illam probabilem, & in praxi tutam, ſed attendendo ad principia intrinſeca, videlicèt ad rationes, parum probabilis mihi videtur; fundamentum enim, cui innititur eſt valde debile, cum facilè diluatur; quia contrà illud vrgeri poterit, negando, à promoto inuincibiliter ignorante defectum natalium acquiri ius ad licitum exercitium illius ordinis, ad quem aſcendit; & ideò ex vna parte, cum nullus reperiatur in ſacris canonibus textus, neque vllum Pontificis decretum id concedens, & ex alia parte cum irregularitas adhuc perſeueret in ipſo promoto, ſequitur, quòd ceſſante bona fide, ipſa irregularitas habeat ſuũ effectum impedientem vſum ordinis, vſque dum auferatur per diſpenſationem.

139 Et confirmatur, quia, etiamſi vi ordinationis acquiratur ius ad eius vſum, non ſtatim ſequitur, eſſe ablatum impedimentum irregularitatis Pontifici reſeruatæ; ſed, vt benè adnotat *Suarez loc. cit.* ſolum infertur, eam eſſe congruam rationem, vt ipſe Pontifex poteſtatem hanc concedat Epiſcopis, quam tamen eſſe illis conceſſam, non legimus.

140 Dicendum eſt tertiò, priorem opinionem mihi videri probabiliorem, maximè ſpectando rationes; quamuis, vt dixi, ſecunda ob authoritatem *Doctorum* ſit probabilis. concluſio hæc ſuaderi poteſt ex dictis, nempè ex refutatione aliarum ſententiarum.

141 Dicendum eſt quartò. In caſu prædicto certum eſt, Epiſcopum diſpenſare non poſſe, vt illegitimus abſque diſpenſatione pontificia aſcendat ad alium ſuperiorem ordinem. V. g. ſi bona fide ſuſceperit ordinem ſubdiaconatus, nequit Epiſcopus diſpenſare, vt promoueatur ad Diaconatum, & ſi ſuſceperit Diaconatum, vt promoueatur ad Sacerdotiũ, ita ex Authoribus, qui tuentur ſecundã ſententiam, animaduertunt *Sayrus, Henriquez in gloſ. lit. H. & Santarellus locis citatis*, & meritò, quia controuerſia eſt de facultate, quam habet Epiſcopus diſpenſandi in caſu ordinis recepti, & nõ in ipſa ordinis receptione.

142 Dicendum eſt quintò, quæ aſſeruimus de illegitimo, qui tempore promotionis ignoret ipſum defectum natalium, ſe exiſtimans ex legitimo matrimonio natum, militare etiam, quando ignorantia

non

non verſaretur circa factum ipſum, ſed circa ius: videlicèt, ſi ipſe promouendus ſciret, ſe eſſe illegitimum, ſed inuincibiliter ignoraret, ſe eſſe irregularem, & abſque diſpenſatione ordinibus eccleſiaſticis inſigniri licitè non poſſe; eadem enim eſt ratio in hoc de ignorãtia facti, & iuris; vtraque enim tollit malam fidẽ, & relinquit neſcientem in eius bona fide: & in hoc inuicem æquiparantur vna, & altera ignorantia; æquipollentium enim eamdem eſſe diſciplinam, docent communiter Doctores, & fusè id probat *Euerardus in locis communibus*.

CAPVT XVI.

Si quis ignorans impedimentum, quod habet ad matrimonium cum aliqua muliere validè contrahendum, illud coram Parocho, & teſtibus contrahat, conſuetis tamen denuntiationibus omiſſis, & deinde ex eadem muliere filios ſuſcipiat, num tales filij debeant legitimi cenſeri?

143 PRæſens quæſitum, quod examinandum proponitur, ſupponit diſpoſitionem in iure canonico contentam, videlicèt, legitimos eſſe, & habiles ad quamlibet hæreditatem filios illos, quorum parentes, ob aliquod impedimentum dirimens, ipſis verò ignotum, nequibant matrimonium inuicem contrahere, ſed bona fide illud inierũt, & filios generarunt; in hoc autem caſu Summus Pontifex in fauorem prolis, quæ nata, vel concepta eſt ante ſententiam iuridicam, per quam irritum iudicetur prædictum matrimonium, ſtatuit, prolem ipſam cenſendam eſſe legitimam, & habilem ad ſuccedendum. ita *Alexander III.* vt refertur *in cap. Cum inter*, & Innocentius pariter III. *cap Ex tenore: Qui filij ſint legitimi*, & ibi ſcribentes, alijque Canoniſtę, qui id cõmuniter admittunt. Animaduertendum tamen hic eſt, quod in prædicto *cap. Cum inter*, textus loquens de bona fide, qua parentes contrahunt, pluraliter de illis ſermonem habet, & ita videtur exigere bonã fidem ex parte vtriuſque coniugis tempore, quo matrimoniũ celebrant. verba autem in *cap. illo cum inter*, hæc ſunt [Cum parentes eorum publicè, & ſine contradictione Eccleſiæ inter ſe contraxiſſe noſcantur.] Quo tamen non obſtante aio, ſatis eſſe bonam fidem ex parte tantùm vnius, ſiue viri, ſiue mulieris, & notat Gloſſa *cap. Ex tenore* in declaratione caſus, & ex communi canoniſtarum ſenſu docet *Sanchez lib. 8. de matrim diſp. 34. nu. 46. & 50. Alagona in eodem cap. Barboſa cap. Cum inter nu. 9.* & quamplures apud ipſum; & probatur efficaciter per textum *in cap. Ex tenore*. in quo Pontifex refert, quemdam coniugatum, viuente adhuc vxore, contraxiſſe in facie Eccleſiæ matrimonium cum alia, & prolem ex eadem ſuſcepiſſe; ſed quia hęc ſecunda mulier bona fide proceſſit, ignorans eo tempore virum illum eſſe vxoratum, ideò Pontifex declarauit, prolem genitam eſſe legitimam: in hoc autem caſu ignorantia impedimenti, & bona fides ex parte ſolius mulieris, & non ex parte viri reperiebatur, qui priorem vxorem eo tempore habebat; & ideò mala fide, & non ex ignorantia contraxit cum ſecunda; ſi enim ignoranter ſecundam duxiſſet, procul dubio Pontifex in eo textu id expreſſiſſet; bona enim fides amborum parentum fuiſſet efficacior ad mouendam voluntatem ipſius Pontificis ad legitimandam prolem, & magis potens, quàm bona fides ex parte vnius tantùm; propterea, cum in caſu prædicto ſoli mulieri tribuatur ignorantia impedimenti, colligere debemus, ſufficere ignorantiam ex parte vnius tantùm parentis: quia quando concurrit amborum contrahentium ignorantia, iam declaratur ab ipſo Pontifice, vt patet *ex cap cit. Cum inter*. Poſſet item afferri optima congruentia, per quã diſpoſitio hæc pontificia locum habeat, etiã ſi in vno tantum ex contrahentibus reperiatur ignorantia impedimenti; nam magis prævalere debet in fauorem prolis bona fides vnius parentis innocentis, quàm mala fides alterius. Ad textum autem pro contraria ſententia *ex cap. Cum inter*: in quo dicitur vterque coniux ignoraſſe impedimentum, reſpondeo, quòd pluralitas refertur non ad diſpoſitionem faciendam, ſed ad factum, nempè ad caſum illum indiuidualem, in quo ignorantia, ſeu bona fides, tempore, quo matrimonium celebratũ fuit, reperiebatur in vtroque coniuge; & ideò Põtifex enarrando factum, oportebat illum explicare eo modo, quo euenit, & cum omnibus illis circumſtã-

tijs,

tijs, quæ magis inducebant ad declarã-dam prolem legitimam: inter has autẽ circumſtantias non erit exiſtimanda minoris momenti bona fides vtriuſque parentis. His omnibus præmiſſis pro intelligentia ſtatus, in quo procedit præſẽs quæſitum, deuenio ad illius examen, referendo varia Authorum placita.

144 Prima ſententia vult, in prædicto caſu, quamuis illicitè omittantur denunciationes, legitimam eſſe prolem. ita nonnulli ex antiquioribus, quos laudat *Sanchez* loco citando, & ex recentioribus *Suarez tom. 5. in tertiam partem diſp. 50. num. 10. Gaſpar Hurtado tract. de matrim. diſp. 5. diff. 22. num.* 88. & citari ſolet *Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 176. nu.* 17. vbi licet non proponat casũ de omiſſione denunciationum, nihilominus docet, quòd hodie poſt Tridentinum non habet locum *Lex* 40. Tauri circa pœnas impoſitas contra celebrantes clandeſtina matrimonia, quãdo celebrantur coram Parocho, & teſtibus, quia cenſentur celebrata in facie Eccleſiæ: nihil autem tangens de omiſſione denunciationum videtur velle, ſatis eſſe matrimonium celebrari coram Parocho, & teſtibus, ad hoc, vt non ſit clandeſtinum, ſed vt dixi, Author iſte non loquitur clarè: cæterum, quidquid ſit de eius mẽte, probatur hæc ſententia ſequenti diſcurſu. Denunciationes non ſunt de eſſentia matrimonij, vt eſt communis ferè omniũ ſententia, quæ expreſsè colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 24. Decreto *de reformat. matr. cap.* 1. & ideò ſi omittantur abſque cauſa, & Ordinarij licentia, illicitè, ſed validè contraheretur matrimonium: hoc autem colligi ex Tridentino, ſupponitur à nobis in præſentia, & non probatur, quia de hoc puncto non eſt controuerſia; ſi quis autem vult ſcire argumenta id probantia, legat *Sanchez lib. 3. diſp. 5. num.* 1. ſi igitur omiſſio denunciationum, quamuis illicita, non deſtruit matrimonij valorẽ, dummodo celebretur coram Parocho, & teſtibus, vt Tridentinum præſcribit; cenſendum erit nõ clãdeſtinè, ſed in facie Eccleſiæ celebratum; idcircò præſuppoſita ignorantia inuincibili impedimenti, & bona fide contrahentium, interueniunt conditiones illæ, quæ in iuribus citatis requiruntur à Pontifice ad prolem, quæ ex tali matrimonio habetur, legitimam iudicãdam; duæ enim tantùm ſunt conditiones requiſitæ, nempè ignorantia de impedimento dirimente, vel in ambobus contrahentibus, vel in vno ex illis, & celebratio matrimonij in facie Eccleſiæ, vt patet legenti textus citatos; ergo his duabus conditionibus poſitis, non cenſebitur matrimonium eſſe clandeſtinũ, quamuis illicitè contractum ob omiſſionem denunciationum: & proles, vt legitima, erit habenda.

Secunda autem ſentẽtia eſt negatiua, & directè oppoſita, quæ vult, prolem in caſu prædicto eſſe illegitimam, vtpotè ſuſceptam ex matrimonio clãdeſtino, ob illicitam omiſſionem denunciationum. 145
iſta ſententia eſt ſatis communis, & pro illa *Sanchez lib. cit. diſp.* 1. *nu.* 7. *&* 10. triginta circiter laudat Authores, quibus ipſe ſubſcribit, & eiſdem addo *Auilam de cenſuris par. 7. diſp. 3. dub. 6. Aegidium Coninch de cenſuris diſp* 18. *dub.* 12. *num.* 103. *& de matrim. clandeſtino diſp.* 27. *dub.* 9. *num.* 83. *Alagonam in Compendio Iuris canonici. cap. Cum inter. Santarellum var. reſol. par.* 1. *quæſt.* 20. *nu.* 14. *Auguſtinum Barboſam in collect. eod. cap. nu.* 12 *&* 13. *Leandrum de matrim. tract. 9. diſp. 7. quæſt.* 91. Ratio fundamentalis, quã nituntur hi Authores, eſt, quia in Concilio Lateranenſi, quod refertur in *cap. fin. de clandeſt. deſponſat.* dicitur clandeſtinum illud matrimonium, quod celebratur omiſſis denunciationibus: & cõſequenter, qui talia coniugia contrahũt, incurrunt pœnas in eodem Concilio latas, contra clandeſtinũ matrimoniũ ineuntes, inter quas pœnas eſt, quòd proles ſit illegitima, etiam ſi parentes ignorent impedimentum; hanc autem legem Tridentinum non abrogauit, immò potiùs videtur illam confirmaſſe cum ait, inhærere veſtigijs ipſius Lateranenſis.

146 Tertia ſententia eſt veluti media, quatenus vult, pœnam, quã filij nati ex tali matrimonio cenſentur illegitimi, eſſe reſtringendam, quando impedimentum irritans conſiſtit in gradu aliquo prohibito, quo ipſi contrahentes ſunt coniuncti, non autem, ſi impedimentum ſit diuerſæ rationis; & ideò hæc opinio conuenit cum prima, ſi ſermo ſit de matrimonio inualido ob impedimentum diuerſum ab illo, quod fundatur in gradu, & conſequenter vult, prolem ſuſceptam fore legitimam: conuenit tamen cum ſecunda, quando impedimẽ-

tum

Digitized by Google

tum eſt ratione gradus; fundant Authores huius ſententiæ hanc opinionem in ipſo *cap. fin. citato. de clandeſt. deſpon.* in quo pœna illegitimitatis dicitur ab illis incurri, qui contrahunt modo prædicto ſine denuntiationibus, & habent impedimentum gradus prohibiti: cum autem lex de ſolo hoc impedimento mentionem faciat, & ſit pœnalis, non eſt amplianda ad alios caſus, quando impedimentum eſt alterius rationis. Hanc ſententiam tuentur aliqui, quos tacito nomine refert *Coninch. diſp.* 27. *cit. num.* 76. ſed expreſsè eam docet *Baſilius Pontius de matrim. lib.* 5. *ca.* 27. *nu.* 3. *& ſequent.* Hæ ſunt Authorum ſententiæ: quid autem mihi probabilius dicendum videatur, in ſequētibus declarabo, exordium ſumendo à facilioribus.

147 Dicendum eſt primò, non eſſe matrimonium clandeſtinùm, neque filiorum legitimationem impediri, ſi denunciationes prætermittantur ob conuenientem cauſam, cum licentia Ordinarij. Concluſio certa eſſe debet; quia nequit clādeſtinum appellari matrimonium illud, quod celebratur modo, quo Eccleſia liberè, & licitè permittit; ſed Eccleſia per Tridentinum *ſeſſ. illa* 24. *cap.* 1. præſcribens denunciationes faciendas, ante quam matrimonium contrahatur, relinquit prudentiæ, & iudicio Ordinarij diſpenſationem, vt aliqua, vel etiam omnes denunciationes, ſi expediens iudicauerit, remittantur; ergo de hac cōcluſione dubitatio eſſe nequit: & in terminis expreſsè eam docet *Santarellus qu.* 20. *cit. num* 14. ſi ergo matrimonium licite celebratur omiſſis denunciationibus, nullam habet rationem clandeſtini, & omne obſtaculum impediens, ne filij ſint legitimi, ceſſare debet; quia priuatio legitimationis eſt pœna impoſita matrimonio clandeſtino, vt patet *ex cap. illo Finali*.

148 Dicendum eſt ſecundo, ex allatis ſententijs longè probabiliorem eſſe ſecundam, tum quia communior eſt, tum etiam quia eſt iuri conformior: prima huius concluſionis pars patet ex pluralitate Doctorum, quos pro illa affert *Sanchez* loco ſuperius citato: Secunda verò pars, in qua reſidet difficultas ſequenti ratione ſuadetur.

Matrimonium irritum, ob occultum impedimentum contrahentibus ignotū clandeſtinè celebratum, excludit legitimationem prolis ex tali coniugio ſuſceptæ; ſed matrimonium, quod fit illicitè omiſſis denunciationibus, eſt clandeſtinè celebratum; ergo excludit legitimationē à prole inde ſuſcepta. Maior huius argumenti clarè habetur *in cap. fin. §. Si quis verò, de clandeſtina deſponſatione*, vbi Pontifex declarat, prolem eſſe illegitimam, ſi ex matrimonio clandeſtino, & irrito nata ſit: tota igitur difficultas, in minore conſiſtit, ad quam probandam ſuppono, matrimoniū appellari poſſe aut clandeſtinū, aut legaliter publicū, ſeu in facie Eccleſiæ, in ordine ad Miniſtros, & Paſtores ipſius Eccleſiæ. Publicitas verò hæc, & clandeſtinitas illi oppoſita ſpectari debet quoad duo; nempè quoad mutuum contrahētium conſenſum, & quoad valorē, aut nullitatē eiuſdem conſenſus: ad vitanda autem plura incommoda, & animarum pericula, quæ contingere poſſunt, ſi matrimonia, aut nō liberè, aut, ſi liberè, inualidè tamen, contrahantur, ratione alicuius impedimenti irritantis, Pontifex diſpoſuit, vi prædictorum iurium, vt mutuus coniugū conſenſus præſtetur coram legitimo Parocho, & teſtibus, vt Eccleſię, medijs ſuis miniſtris, innoteſcat libertas eiuſdē conſenſus, & tunc talis cōſenſus ita exhibitus appellatur legaliter publicus, videlicèt iuxta canonicā, & iuridicam diſpoſitionem Iuris, & corā facie Eccleſiæ; ſi verò ita non fiet, dicitur clandeſtinus reſpectu Eccleſiæ. Præterea ad hoc, vt ipſa Eccleſia agnoſcat, an conſenſus iſte, quamuis liber, & coram Parocho præſtitus, ob aliquod impedimentum dirimens, ſit, nec ne, inualidus, diſponitur in Concilio Lateranēſi, & Tridentino locis citatis, vt denunciationes præmittantur, vi quarum, ſi quis ſciat, inueniri aliquod impedimētum inter contrahētes, illud Eccleſiæ reuelet: his peractis, ſi nullum impedimentum reperiatur, conſenſus eorum, qui cōtrahunt, dicitur legaliter publicus quoad valorem; at ſi denunciationes omittantur, tunc idem conſenſus, quoad valorem, aut nullitatem diceretur abſconditus ipſi Eccleſiæ, quatenus eidem Eccleſiæ abſconditum eſt, an ſit impedimentum, vel eius carentia, à quibus dependet valor, vel nullitas ipſius conſenſus.

Ex his omnibus patet veritas prædictæ minoris, quæ à me erat probanda, vide-

videlicet, quod ſi omittantur denunciationes, occulto remanẽte impedimẽto vel eius negatione, occultus remanebit valor, vel nullitas conſenſus, in quo ſita eſt eſſentia matrimonij, & conſequenter erit legaliter clandeſtinum, quoad pœnas incurrendas, ita vt excludat legitimationem à prole.

149 Dices ex *Suarez loco cit.* omnia prædicta ſatis eſſe, vt in foro exteriori ignorantia impedimenti ex parte contrahentium ſuſpecta reddatur, dum ab eiſdem illicitè prætermittuntur denunciationes, vi quarum detegendum fuiſſet impedimentum; at nihilominus in foro conſcientiæ, ſi conſtabit, ignorãtiam prædictam fuiſſe inuincibilem, & alijs modis adhibitam fuiſſe ſufficientẽ diligentiam ad veritatem agnoſcendã, videbitur proles in eodem foro conſcientiæ eſſe legitima, cum reuera nullũ canonicum impedimentum obſtet: & idem etiam eſſet dicendum in foro externo, ſi in hoc foro conſtiterit bona fides, & inuincibilis ignorantia contrahentium, & diligentia ab eiſdem poſita; illud enim præceptum præmittendi denunciationes, eſt valdè extrinſecum, adeò vt ob ſolam eius tranſgreſſionem nõ debeamus iudicare, prolem, mala, aut minùs probabili fide fuiſſe conceptam. Ita ex *Suarez* reſpondere quis poſſet ad eneruandum prędictum diſcurſum pro minore confirmanda à me adhibitum.

Sed contra eſt; quia, licèt ſuſpicio illa, omiſſio nempè denunciationum, ob quam præſumitur in foro externo matrimonium mala fide celebratum fuiſſe, omnino ceſſet, quando in foro interno conſtat de veritate, nempe de bona fide contrahentium; nihilominus, quia hæc Pontificia diſpenſatio non fundatur in præſumptione, vt ſupponere videtur arguens, ſed fundatur in periculo inualiditatis, quæ ſæpè eueniret, ſi matrimonia clandeſtinè celebrarentur; idcircò etiã ceſſante præſumptione malæ fidei, requirit diſpoſitio prædicta, tanquam conditionem, ad hoc vt ſoboles legitima cenſeatur, excluſionem omnis clandeſtinitatis; & quamuis in aliquo caſu indiuiduali ſit bona fides ex parte contrahentium, & ignorantia inuincibilis de impedimento irritante, per hoc tamen non tollitur, quin communiter maneat periculum illud, quod fuit adęquatum motiuum, ratione cuius Põtifex ſtatuit, vt priuilegium huius legitimitatis locũ non haberet, quacumque interueniente clandeſtinitate.

150 Quærere quis hìc poſſet, nũ ad vitandũ matrimonium clandeſtinum, ſufficiat, vt fiat coram *Parocho*, & ſciatur ab alijs? talis enim notitia videtur æquiualens illi notitiæ, quæ habetur per denunciationes; & ſi ita eſt, ceſſat ratio clandeſtinitatis?

Reſpondeo, quòd, quamuis aliquibus placeat, tale matrimonium non eſſe clãdeſtinum, & hos laudet *Sanchez diſp. cit. num.* 9. nihilominus oppoſitum cum ipſo *Sanchez n.* 10. eſt aſſerendum; quod etiam ſequitur *Pontius cap. 7. cit. nu.* 6. *in fine*: & plures apud *Sanchez*; & probari poteſt *ex cap. illo finali, de clandeſt. deſponſ.* vbi clandeſtinum quoad pœnas appellatur illud matrimonium, cui deſunt proclamationes, vt ſupra demonſtraui. Probatur etiam, quia priuata illa notitia multorum, qui ſciunt matrimonium à talibus determinatis perſonis contrahi, non æquipollet denunciationibus, vt animaduertit *Sãchez & Pontius*; longe enim faciliùs deteguntur impedimenta vi denunciationũ, quæ fiunt diebus feſtiuis inter miſſarum ſolemnia, & eo tempore, quo magna populi pars confluit in Eccleſiam. Et addo quod factis denunciationibus, ſi quis ſciat impedimentum reperiri inter eos, qui contrahere debent, tenebitur vi præcepti ſub graui obligatione reuelare Paſtoribus Eccleſię impedimentũ illud: quod ſi non præmitterentur denunciationes, quilibet facilè ſe retraheret à reuelando impedimento, quaſi ad ipſum minimè id ſpectaret.

151 Ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, colligitur ſolutio ad rationem ſuperiùs allatam pro prima ſententia, cui libenter concedo, denunciationes non eſſe de eſſentia matrimonij, & per conſequens per clandeſtinitatem illam, quę oritur ex omiſſione ipſarum denũciationum, non irritari matrimonium, ſi aliundè non ſit aliud impedimentum inualidans; ſed dico, incurri in varias pœnas, inter quas eſt, prolem non eſſe legitimam, quando contrahentes obſtaculum dirimens habent, etiã ſi illud inuincibiliter ignorent, vt ſupra ex iuribus oſtendimus. Rurſus ad illud, quod additur in eadem ratione, videlicet, duas eſſe conditiones, quas in iuribus

citatis Pontifex exigit, vt proles ex prędicto matrimonio ſit legitima; primò, vt matrimonium hoc celebretur cum ignorantia, ſaltem vnius ex contrahentibus; ſecundò, vt celebretur in facie Eccleſiæ, & has conditiones non deeſſe, ex eo, quod prętermittantur denunciationes; reſpondeo, has duas conditiones eſſe rectè interpretandas; & ideò cũ dicitur matrimoniũ eſſe cõtrahendũ in facie Eccleſiæ, debet intelligi hoc pacto, vt celebretur in facie Eccleſię, poſitis illis cõditionibus, quę in iure preſcribuntur, ad inueſtigandũ, an ſit impedimentũ nec ne, inter ipſos contrahentes: quod obtinetur medijs proclamationibus, vt dictum eſt, ex quarum omiſſione ſequitur, non poſſe verè, & legaliter cenſeri matrimonium eſſe initum in facie Eccleſiæ, quoad omnia, quæ requiruntur ad hoc, vt Eccleſia, ſeu eius Paſtores habeant debitam noticiã de validitate, aut nullitate illius matrimonij, cui aſſiſtunt.

152 Dicendum eſt tertiò, ſententiã tertio loco relatam, quam tuentur nonnulli, & præſertim *Pontius*, non placere, tum quia oppoſita eſt longè communior, quã defendit *Sanchez lib. 3. cit. diſp. 41. num. 4.* & quamplures apud ipſum; tum etiã quia non eſt iuri canonico conformis; nam ratio, quæ in prædicto *cap. fin.* exprimitur, eamdem omninò vim habet non ſolum reſpectu impedimenti conſanguinitatis, vel affinitatis in gradu prohibito, ſed etiam reſpectu aliorum impedimentorum dirimentium: ratio autem in prædicto *cap. fin.* expreſſa hęc eſt, quòd ſcilicet parentes, qui neglectis denunciationibus, contraxerunt, videntur ignorantiã affectaſſe; hæc autẽ ratio, quæ in textu exprimitur, militat in alijs impedimentis, & eſt eadem omninò non per ſimilitudinem, ſed per omnimodam identitatem, non extenſiuam, ſed comprehenſiuam: identitas autem comprehenſiua, vt probabo infra *in reg. 15. Odia cap. 5.* extenditur ad caſum in lege non expreſſum, quamuis lex ſit pœnalis, vt Authores communiter docent; nam quando in varijs caſibus reperitur talis identitas, omnes illi caſus cõprehenſi cenſentur ſub mente, & voluntate legiſlatoris, vt in eodem cap. 5. oſtendam, nec eſt neceſſe, vt omnes exprimantur; & ideo in ſubiecta materia dicendum eſt, impedimentum in gradu prohibito, de quo loquitur Pontifex *in cap. illo fin.* eſſe appoſitũ demonſtratiuè ſeu exemplificatiuè, non taxatiuè, vt benè notat *Barboſa in eo cap. num. 13.* præſertim quia frequentiùs impedimentum quoad cognationem, & agnationem maximè in gradibus remotis, occultum eſſe poteſt apud alios, quàm reliqua impedimenta, & ſic facilius affectari poteſt ignorantia à contrahentibus, quando ob aliquem finem ab ipſis intentum volunt matrimonium inire.

Quod autem impedimentum in gradu ita demonſtratiuè *in cap. illo Fin.* efficaciter ſuadetur per textum *in cap. Ex tenore, qui filij ſint legitimi*, vbi Pontifex ſermonem habens de legitimatione ait, quando coniugatus, viuẽte prima vxore contrahit in facie Eccleſiæ cum ſecunda, quę hoc ignorat, prolẽ ex ſecundo coniugio ſuſceptam eſſe legitimam; impedimentum autem hoc eſt longè diuerſum ab illo, quod habetur ratione gradus prohibiti; & tamen eadem eſt diſpoſitio quoad legitimationem prolis: ex quo manifeſte colligitur, impedimentum illud *in cap. fin.* nõ eſſe appoſitum à Pontifice taxatiuè, ſed demonſtratiuè, cum habeamus eãdem diſpoſitionem in hoc alio impedimento.

153 Sed ad hunc textum reſpondet *Pontius diſp. cit. nu. 9.* dicens, non obſtare; quia Pontifex ibi conſiderat bonam fidem alterius contrahentis; ex qua reſponſione videtur Author iſte velle, quòd in eo capite non procedatur deciſiuè, ſpectando illud impedimentum ligaminis, quod prouenit ex matrimonio prius contracto, & vxore viuente.

Sed contra eſt; quia Pontifex ibi examinat bonam fidem alterius, nempe ſecundæ coniugis, vt tandem determinet, interueniſſe conditiones requiſitas ad iudicandam prolem legitimam. Alias etiam rationes, quæ probant veritatem huius ſententiæ, legi poſſunt apud *Barboſam in cap. illo fin. num. 13.* quibus oſtendit in prædicto *cap.* licet mentio expreſſa ſit de impedimento quoad gradũ, verba tamen ſequentia eiuſdem textus manifeſtare generalitatem cuiuſcumque impedimenti dirimentis.

154 Ex his ſolui poteſt ratio fundamentalis cui Pontius, & alij nituntur, nempè hanc legem eſſe pœnalem, & conſequẽter odioſam, & reſtringendã: quod ſanè, licèt plures negent, cenſentes, eſſe ſancta-

ta-

cabilē, quia tendit ad vitanda peccata, & ſalutem animarum; ego tamen in pręſentia non euro punctum hoc examinare, cum ſatis ſit, oſtendiſſe, ſub hac diſpoſitione pontificia, ob expreſſam rationē identitatis, comprehendi omnia impedimenta.

REGVLA XIV.

Cum Quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cēſetur habere

CAPVT VNICVM.

Quomodo, & quibus caſibus Regula procedat?

1 PAuca remanent dicenda de hac Regula; quia ea, quæ ad ignorantiæ
excuſationem pertinent, copiosè ſunt
exagitata in præcedente. Dico igitur,
pręſentem Regulam deſumptam *ex L.*
Qui in alterius 45. *ff. de eod. tit.* intelligendam
eſſe generaliter de quocumq;
ſucceſſore, ſiue vniuerſali, ſiue particulari,
vt docet *Gloſſa hic. verb. Cum quis.*
& meritò, quia de vtroque eadem militat
ratio, vt mox videbitur; præſumptio
enim huius ignorantiæ fundatur in
eo, quòd ignorantia hæc verſetur circā
factum alienum, quod à ſucceſſore
præſumitur iuſtè ignorari; ignorantia
enim facti excuſat, vt in explicatione
præcedentis Regulæ oſtenſum fuit.

2 Extenditur Regula à Doctoribus, &
pręſertim à *Menochio lib. 6. præſumpt.*
23. *nu.* 55. *& ſeq.* ad multos caſus, quorum
ego nonnullos breuiter attingam.

Et primo ampliatur, quando, quis
motu proprio ſubrogatur lite pendente,
quæ ab altero fuit inchoata; in hoc
enim caſu præſumitur ignorare ſententiam
latam aduerſus ſuum anteceſſorē.
ita Caſſadorus in deciſ. 2. lite pendente.

Secūdò ampliatur etiam in filio, qui, 3
licet dicatur eſſe eadem perſona cum
ipſo patre, vt habetur. *L. vltima C. de*
Impub. &c. præſumitur tamen ignorare
factum, & teſtamentum Patris, vt plures
notant apud *Menochium num.* 57. Li- 4
mitatur tamen præſumptio hæc ab eodē
num. 59. quando ex coniecturis deprehenderetur
filius ſciuiſſe teſtamentum
Patris. Hę autem coniecturæ ſunt plures
& variæ, quas ponit idem *Menochius à*
num. 60. dependent enim à circumſtantijs
loci, temporis, & perſonarum.

Rurſus limitatur præſumptio ignorā- 5
tię in facto alieno, quando agitur de
re, quam ſuccedens ſcire tenetur; tunc
enim ſcientia, & non ignorantia præſumi
debet. ita ex diuerſis Authoribus
probat *Menochius nu.* 66.

Præterea locum non habet in hærede 6
extraneo; quia is præſumitur notitiam
habere de teſtamento, quoniam ſine
teſtamento hæres eſſe non poterat.
ſic idem Author *num.* 75.

Denique vt animaduertit *Barboſa* in 7
explicatione præſentis Regulæ *nu.* 5. hæc
diſpoſitio procedit, quādo agitur de vitā
do damno, non autem de lucro captando;
tūc enim præſumitur ſcientia; ita *Dynus
in Regula Præſumitur* 47. *nu* 6. *Ioannes
Andreas num.* 1. *Maſcardus
concluſ.* 779. *num.* 37. & alij penes ipſum
Barboſam.

DIGRESSIO, IN QVA

OCCASIONE PRAECEDENTIVM REGVLARVM DE IGNORANTIA AFFERVNTVR ALIQVAE QVAESTIONES DE ABSENTIA.

1 QVamuis hactenus de ignorātia propriè ſumpta pro ſufficienti præcedentium regularum intelligentia ſatis, ſuperque dixerimus; placet tamen nonnullas alias quæſtiones huic tractatui affines adnectere, in quibus ſermo inſtituitur de abſentia, cuius nomen per quamdam æquiparationem iurisfictione adaptari poterit ignorantiæ. Aequiparatio autem in hoc conſiſtit, quòd ſicuti ille dicitur abſens a loco, qui eidē loco præſens non eſt; ita res aliqua, cum ignoratur, cenſetur abeſſe ab illo intellectu, qui rem ipſam ignorat; & ideò ſicuti datur abſentia corporalis, ſic etiā intellectualis.

2 De varijs autem modis, quibus dari poteſt abſentia paſſim agunt Authores, & præſertim *in L. Abſentem. ff. de verb. ſignif. & alibi*; & inter alios *Alciatus, & Rebuffus in L. citata. Bald. in L. Præſens de Pactis. Decius Cap. Cum omnes. num.* 43. *de Conſtit. Moneta. tract. de Diſtribut. quotid. part.* 2. *quæſt.* 5. vbi plures laudans Doctores, varios declarat modos, quibus aliquis dici poteſt abſens, & inter illos ponit abſentiam hanc intellectualem, quæ ignorantia eſt; & ex multis docet *num.* 10. illum appellari poſſe abſentem, qui, licèt corpore ſit præſens, animo tamen, & mente eſt alienatus, & diſtractus; diſtractio enim eſt quædā actualis ignorantia: idemque aſſerit de eo, qui eſt furioſus, in cuius intellectu, cum res aliqua non elucet, iure optimo poterit res ipſa dici abeſſe à tali intellectu; & eadem ratione, quando res habitualiter intellectui non apparet, dici poterit, habitualiter eſſe abſens. cum igitur abſentia, & ignorantia quamdam habeant æquiparationem, & affinitatē, merito huic tractatui cōiūgimus tractatum de abſentia, cui directè oppoſita eſt præſentia, quēadmodū oppoſitū ignorātiæ eſt ſciētia: & ſicut occaſione quęſtionū de ignorantia, nonnulla examinauimus de ſcientia, ita agentes de abſentia, neceſſe eſt, vt multa etiam dicamus de præſentia, quia vnum oppoſitum per aliud ſibi oppoſitum melius, & perfectiùs agnoſcitur. Sermo autem in hoc tractatu nō erit de abſentia, & præſentia intellectualiter ſumptis, quia iuxta hanc acceptionem idem ſunt, ac ignorantia, & ſcientia, de quibus iam tractatum eſt; ſed erit ſermo de abſentia, & præſentia corporaliter acceptis in ordine ad locum: & hoc ob quamdam ſimilitudinem, quæ reperitur inter abſentiam, & præſentiam corporalem, & inter intellectualem.

QVAESTIO VNICA.

Abſens quandonam in iure habeatur, vt præſens?

QVia ſæpè in vtroque Iure, ciuili, & canonico, qui reuera eſt abſens exiſtimatur in ordine ad aliquē effectum, vt præſens, non parùm ideò iuuat ad id iuxta euentuum diuerſitatē, reſoluendum, præmittere breuem quādam declarationem abſentiæ, & pręſentiæ.

Pro quo aduertendum eſt, quòd, ſi vterque terminus, nempè, Abſentia, & Præſentia latè ſumatur, non ſolū aptari ſolet perſonis, verum etiam rebus ipſis, vt expreſsè habetur *in L. Si Mulieres §. Res abeſſe, & L. Labeo. ff. de verb ſignif.* vbi id fusè explicat *Rebuff.* alijque Doctores: quādo igitur rebus id tribuimus, dicimus, rem eſſe abſentem, quatenus priorem amittens formam in aliam mutatur, remanente materia, ſeù corpore. v. g. ſi quis tenetur alicui reddere integrum veſtimentum, aut vas aliquod, aut denique tabulam figuris depictam, ſi veſtimentum ſcindatur, vel frangatur, & deleatur pictura; tunc dicuntur abeſſe, & ſic de alijs ſimilibus: dicerentur verò adeſſe, ſi extarent ſub illa forma, ſub qua reſtitui debent; quia ſicuti deſitio prioris formæ denominat rem abſentem, ita exiſtentia eiuſdem formæ

eam

eamdem rem præſentem denominat.

Cęterum in hac quęſtione ſermo non
eſt de abſentia, & pręſentia in tam am-
pla ſignificatione, ſed magis reſtricta, in
quantum ſcilicet importat abſentiam,
vel pręſentiam hominis, quoad locum
in ordine ad aliquem effectum, qui in
eo loco eſſet exercendus: & de hac pręſentia,
& abſentia loquũtur iura: & iux-
ta varietatem effectuum, vario modo v-
tramque ſumunt, vt in huius quęſtionis
progreſſu conſtabit. maioris autem cla-
ritatis, & diſtinctionis gratia quęſtio-
nem diuido in Capita, & Sectiones.

CAPVT I.

Pręmittuntur generales quædam notiones ad abſentiam, & præſentiam ſpectantes.

ANtequam ad caſus peculiares de-
ueniam, operę pretium duco ſup-
ponere quaſdam cõmunes notitias, ſeu
rationes, quę abſentiæ, & pręſentię cõ-
uenire poſſunt, abſtrahendo à ſingula-
ribus.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex in Iure ſit Abſentia, & Præſentia?

NOn eſt nobis ſermo de Abſentia, &
4 Pręſentia in ea rigoroſa acceptio-
ne, in qua ſumũtur à Philoſophis; ſed eo
modo, quo accipi ſolent a Iuriſtis, & Ca-
noniſtis: & ideo Iuris conſultus *in L. Ab-
ſentem. ff. de verb. ſignif.* definiens ab-
ſentem in vniuerſum ait, eſſe eum, qui
non eſt in eo loco, in quo petitur, nem-
pè in eo loco, in quo exiſtere deberet
iuxta exigẽtiam materię, de qua agitur.
Ex hac autem definitione perſonę ab-
ſentis colligere poſſumus, quid ſecundũ
eoſdem Iuriſperitos ſit abſentia: & dico,
eſſe carentiam perſonę in eodem loco,
&c. Verum quia contrariorum eadem
eſt diſciplina, vt docet *Ariſtoteles* 1.
Topic. cap. 8. idcircò notione habita
illius, qui eſt abſens, ſtatim deuęniemus
5 in cognitionem alterius, qui eſt pręſens;
proinde legaliter ille dicitur pręſens, qui
eſt in eo loco, in quo petitur, & conſe-
quenter pręſentia nil aliud erit, niſi exi-
ſtentia perſonę in eo loco &c. verbum
autem, *petitur*, vniformiter ſemper in-
telligi debet.

Multiplex autem in iure eſt abſentia,
& idem aſſero de pręſentia; quot modis 6
enim dicitur vna, dicitur, & altera;
proinde declarando varios abſentię mo-
dos, totidem etiam intelligi debent mo-
di pręſentię. plures abſentię ſpecies e-
numerat *Moneta tr. de quotid. diſtrib.
par. 2. qu. 5. à num.* 1. eoſque colligit
ex varijs authoribus, qui apud ipſum
legi poſſunt, de quibus mentio à nobis
fiet in progreſſu huius quęſtionis, cũ di-
uerſi caſus proponẽtur. At verò tanquã
indubitatum ſupponi debet in re hac,
eamdem regulam pro omnibus caſibus
dari non poſſe, cum pro varietate mate-
rię diuerſa ſit abſentia, & ſic in aliquo
caſu aliquis habetur, vt abſens, & in alio
vt pręſens reſpectu eiuſdẽ loci. Aliquos
itaque alios modos præſentię, & abſen-
tię referam, quos notant Doctores, &
pręſertim *Gloſ. & Alciatus in* L. *Mu-
lieris* §. *Abeſt. ff. de verb. ſignif.* docent
enim, in ſtipulationibus abſentiã, & pre-
ſentiam deſumi per ordinem ad recipro-
cam auditionem vocis; nam, ſi contra-
hentes inter ſe exaudiri nequeant, dicũ-
tur abſentes reſpectu ſtipulationis; cõtra
verò ſi poſſunt ſe exaudire, cenſentur
pręſentes.

In pręſcriptione autem abſens erit il-
le, qui eſt in diuerſa prouincia ab illa, 7
in qua reperitur alius, cuius bona ſunt
pręſcribenda; pręſens autem dicitur, ſi
ambo ſunt in eadem prouincia, quę ab
vno tantum regatur.

In iudicijs ſumitur abſens, & pręſens,
pro eo, qui nõ eſt citatus, vel citatus nõ 8
adeſt, vel difficile citari poteſt in ordine
ad actum, de quo agitur. Denique in
legum diſpoſitione cenſetur abſens, qui
longè exiſtit; pręſens verò, qui eſt pro-
pè, vt notat *Baldus in L. fin. §. ubi autẽ
C. de Bon. quæ. lib.* Longitudo autem, &
vicinitas arbitrio Iudicis eſt determinã-
da. Remanet igitur, vt dicamus, iuxta
materiarum, dignitatum, officiorum, &c.
diuerſitatem, diuerſam cenſeri abſen-
tiam, & pręſentiam; proindè va-
rios caſus particulares expen
dere debemus, expedi-
tis quibuſdam regu-
lis omni abſen-
tię, & pręſen-
tię conue-
nienti-
bus.

Digitized by Google

SECTIO II.

Sit ne abſentia, an verò præſentia in dubijs præſumenda.

9 Contrariæ videntur Authorum ſententiæ; nam aliqui volunt abſentiam eſſe præſumendam in dubio, niſi præſentia probetur. ſic *Alexander lib. 5. conſil.* 89. *num.* 13. *& conſ.* 92. *Natta conſ.* 47. *nu.* 6. *vol.* 1. & alij, quos laudat *Sanchez lib.* 1 *de matr. diſp.* 6. *n.* 11. *Ver. His tamen non obſtantibus. Gonzales ſuper* Reg. 8. *Cancell. Gloſ.* 43. *n.* 92. *& ſequentibus.* qui vt veriorem amplectitur ſententiam, quæ aſſerit, quod prouiſus ab Ordinario, fundans ſe ſuper alternatiua, tenetur probare reſidentiam Epiſcopi, quæ eſt conditio neceſſaria, vt Epiſcopus fruatur alternatiua. Ratio ad hanc ſententiam probandam deſumitur ex eo, quod præſentia cum ſit quid facti, probari debet; proindè, ea non probata, præſumitur oppoſitum, nempè abſentia.

10 Sed alij contrarium ſuſtinent, videlicèt, præſentiam in dubijs eſſe præſumendam. ita *Bart. in L. Is poteſt. ff de acquir. hared.* & ibi *Aretinus:* imò ipſemet *Alexander* in fine illius *conſ* 89 *cit. & conſ.* 220. *lib.* 6. huic opinioni adhæret, quam etiam alij defendunt, eamque probant ex eo, quia id eſt præſumendum, quod magis communiter cõtingere ſolet; nam à communiter accidentibus in materia probationum argumentum concludere, aſſerit *Baldus in cap. fin. de cauſa poſſeſ.* & alij quos citat *Euerardus* in locis legalibus hoc eodem titulo. Rurſus id probant ex eodem argumento, quo vſi ſunt Authores prioris ſententiæ, nempè abſentiam eſſe quid facti, ergò non præſumendam.

11 Has opiniones conciliat *Maſcardus de probat. concluſ.* 5. *num.* 4. *verſ. Ad conciliandas*, & priorem ait, eſſe verã, quando quis ad probandum intentum allegat præſentiam aduerſarij; & niſi hoc probetur, præſumenda erit abſentia, quia præſentia, eſt id, in quo eã allegans fundat ſuam intentionem, ideoque ipſi incumbit onus illã probandi; aliter pro aduerſario abſentia erit præſumenda: at poſterior ſententia verificabitur, quando quis fundat ſuam intentionem in abſentia, eamque allegat, tunc enim tenebitur illam probare; aliter præſentia præſumeretur. ita Baldus, Crauetta, Corneus, & alij apud *Menochium lib.* 6. *præſump.* 29. *num.* 6. Duabus tamẽ ego cõcluſionibus aperio, quid mihi probabilius dicendum videatur.

Et primò admitto, quòd allegans abſentiam teneatur illam probare, vt fundamentum ſuæ intentionis; attamen è contrario fundans ſuam intentionem in præſentia etiam tenetur illam probare. ratio vtriuſque partis eſt, quia, tum abſentia, tum præſentia, cum ſint quid facti indigent probatione: nec contrariũ docet *Gonzalez;* nam, licet prius loco cit. amplexus fuerit opinionem, quæ dicit, reſidentiam eſſe probandam, nihilominus poſtea *à num.* 95. dicit illud ipſũ, quod Maſcardus. 12

Secundò dico, quòd ratione circumſtantiarum poteſt ſupponi præſentia, ita vt non præſumatur abſentia: hæ autem circumſtantiæ plures, ſunt, quas notat *Marſcardus à num.* 5. eiuſdem concluſionis, quando videlicèt ille contra quẽ allegatur abſentia vel tenebatur v. g. ratione officij eſſe præſens alicui loco, vt ſi eſſet Iudex, in aliqua Ciuitate, aut Canonicus in aliqua Eccleſia, quia tunc præſumi debet fuiſſe præſens; abſentia enim illa eſſet delictum, quod nequit præſumi, niſi probetur; vel ratione alicuius actus exigentis ad ſui valorem præſentiam, vt eſt ſtipulatio, tunc enim pro validitate actus præſumitur præſentia; vel denique ratione ſtatus, vt ſi quis ſit ciuis, vel habeat domicilium in tali loco, quia tunc niſi probetur abſentia, præſumi debet præſentia: & ſic in alijs ſimilibus caſibus.

SECTIO III.

Vtrum abſentia præſumi debeat iuſta, & legitima, nec ne?

Quæſitum ſupponit neceſſarium eſſe, vt cauſa aliqua legitima, materię, de qua agitur, proportionata concurrat ad hoc, vt abſens habeatur pro præſente, prout Authores, qui de re hac loquuntur id manifestè docent, & expreſsè colligitur *ex L.* 1. *& L. Si eum ſeruum.* §. *idem obſeruatur, ff de fidei. com. libert.* & meritò; quia, ſi nulla ſufſi- 13

ficiens daretur cauſa, ius non poſſet licitè fingere pręſentiam: & de hoc nulla eſt difficultas: dubitatio autem ſolum eſt, an quando quis eſt abſens, pręſumēda ſit legitima cauſſa, an potius oppoſitum?

Dico per ſe loquendo, pręſumi cauſsā eſſe legitimam, & iuſtām. ita *Menochius lib. 6. præſump.* 20. *num.* 2. qui congrua ratione id probat, quia ſi legitima cauſsa non adeſſet, abſentia eſſet illicita, & ideò abſens delinqueret: delictum verò pręſumi non debet, vt habetur *in L.*
14 *merito. ff. Pro Socio.* & communiter aſſerunt Doctores, ergo &c. Limitat tamē *Menochius* hanc concluſionem *nu.* 30. in eo caſu, quo abſens teneretur reſidere in aliquo; et hoc *ex Innocen. Cap. ſi Aduerſarius de eo, qui mittitur in poſſeſ. num.* 3. *ver. & hac intelligo*; & ideò in tali caſu non præſumitur abſentia eſſe ex iuſta cauſsa, ſed ex malitia V. g. ſi clericus abeſſet ab Eccleſia, in qua aſtringitur reſidere, non reſidens pręſumitur malitiosè id facere; & ſic in alijs ſimilibus: quapropter, licèt, per ſe loquēdo, cauſa iuſta abſentię pręſumatur, nihilominus per accidens id non euenit, quando quis tenetur eſſe pręſens in aliquo loco, & tamen abeſt ab illo. Addo etiam ego aliam limitationem, ſeù potiùs declarationem huius doctrinę, quatenus dicit, non pręſumi ex iuſta cauſſa ipſam abſentiam, quòd debet intelligi ſecundum pręſomptionem legalem, ſeu iuridicam, non autem Theologicam; quia, ſi quis nulla alia coniectura concurrente, pręſumeret, Canonicum v. g. non ex iuſta cauſſa abeſſe ab Eccleſia ſua, & hoc iudicaret ex pręciſa abſentia, peccaret ſic iudicando; quia abſentia, vt ſic, non trahit neceſſario eſſe ſine cauſa; proindè potius deberet iudicare, Canonicum illum abeſſe ex iuſta, & legitima cauſsa. Eſt igitur hoc intelligendum legaliter, quatenus Ius transfert in ipſam perſonam abſentem onus probandi cauſſam iuſtam illius abſentię; & ideò dum non probatur pręſumi poteſt oppoſitum.

CAPVT II.

Peculiares caſus, in quibus dubitatio inuenitur, num abſens habeatur, vt pręſens.

QVæ abſentiæ, & præſentiæ cōmunia mihi viſa fuerunt, hactenus declaui; in poſterum verò deueniam ad caſus 15
ſingulares, ex quibus principaliores, & qui ſępius in praxi contingere ſolent, ſeligere conabor. Exordior autem à præſentia, quam Iura in Epiſcopis apud proprias diœceſes poſtulant, ad effectū fruendi gratia alternatiuæ in conferendis Eccleſiaſticis beneficijs. Sub Epiſcopis ſemper in hac re comprehendo Archiepiſcopos, & reliquos in dignitate Superiores, vt ſunt *Primates*, & *Patriarchę*; nam alternatiua ad hos omnes ſe tendit.

SECTIO I.

An per quamlibet abſentiam à propria Diœceſi Epiſcopi alternatiuam amittant?

PRo maiori huius quęſiti, & ſequētium intelligentia, ſupponere debe- 16
mus, Regulam octauam, alias nonam Cancellarię duas continere partes; in quarum prima Summus Pontifex reſeruans ſibi octo menſes, videlicet Ianuarium, Februarium, Aprilem, Maium, Iulium, Auguſtum, Octobrem, & Nouembrem ad conferenda beneficia collationis in his menſibus vacantia, concedit Epiſcopis facultatem illa conferendi, ſi in alijs quatuor menſibus acciderit vacatio, nempè, in menſe Martij, Iunij, Septēbris, Decēbris, & hoc ſiue ipſi Epiſcopi reſideant, ſiuè abſint à proprijs Diœceſibus; In ſecunda autem parte volens Pontifex benignius ſe gerere, & inuitare Epiſcopos ad reſidentiam, concedit facultatem conferendi prędicta beneficia in ſex menſibus anni alternatis, cum hac tamen conditione, vt verè, & realiter reſideant in *Diœceſibus*, ideò, ſi beneficium vacauerit menſe Ianuario Pontifex de illo prouidebit, ſi verò contigerit vacare Februario, ius conferendi pertinebit ad Epiſcopum, & ſic deinceps alternatim.

Hanc autem alternatiuam, vt obiter 17
dicam,

dicam, pro aliquibus tantum Epiſcopis refert *Burſatus conſ.* 126.*nu.vol* 2. initium habuiſſe à Paulo II. Anno *D*omini 1470. poſtea verò extenſam fuiſſe ad omnes Epiſcopos à Leone X. His præhabitis difficultas ſtatim emergit, an videlicèt Epiſcopus, licet reuera abſens ex aliqua iuſta cauſſa, cenſeri tamen poſſit præſens per quamdam Iuriſfictionem? Tres inuenio ſententias. Prima aſſerit, quòd, ſi Epiſcopus ſit abſens cauſsa rei publicæ, & in eius abſentia vacet beneficium liberum, poſſe hoc nõ obſtante frui alternatiua, & conferre beneficium; & hanc ſententiam tuetur *Flaminius Pariſius de Reſig. beneſ. lib.* 11. *quæſt.* 10. *nu.*58. adducitque pro illa ſacræ Congregationis declarationem id ſtatuentis die 9. Iulij 1573. Præterea ratione illam probat ex iure communi, ſecundùm quod ille, qui abeſt ex cauſsa iuſta, habetur, vt præſens, & nõ vt abſens, ſicuti patet per textũ *in Cap. ex parte. de cler. non reſid.* Bonum autẽ reipublicę, ſi exigat Epiſcopi induſtriam pro aliquo expediendo negotio, cenſeri debet iuſta, & legitima cauſſa, vt Epiſcopus abſit à propria diœceſi. & huic opinioni aſſentiri videtur *Mãdoſius conſ.* 18. *initio numeri vndecimi.*

18 Secunda ſententia eſt ea, quam ſuſtinet *Franciſcus Leo in theſ. for. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 18. *num.* 9. vult enim, quòd, ſi Epiſcopus ſit abſens. V. g. cauſſa recuperandi ſanitatem, vel inuiſendi amicum, aut pro negotijs ſuæ Eccleſiæ, aut Cleri, & hoc per aliquot tantùm dies, nempè per quindecim, aut viginti, & eo tempore contingat vacare beneficium aliquod, ita vt quando Epiſcopus redit ad Diœceſim beneficium adhùc vacet, poſse illud, conferre vi alternatiuæ, ſi menſis eſt ex illis, in quibus conceſſa fuit poteſtas conferendi, & Epiſcopus prius abſuerat non animo transferendi domicilium, ſed quam primùm reuertendi, familiam in ſuo Palatio relinquens; tunc enim diceretur fictione iuris manere in ſua ciuitate, vt docet *Bartolus. L.* 1. *n.* 7 *ff. de liberis agnoſ. Felinus in cap. Quoniam frequenter. nu.* 10. *vt lite non conteſt.* Hæc eſt opinio huius Authoris.

19 Tertia ſententia cæteris rigidior requirit veram, & realem exiſtentiam Epiſcopi in ſua Diœceſi, vt frui poſſit alternatiua; & ait, non eſſe ſatis præſentiam, quæ eſt per iuris fictionem tantùm, in ordine ad hunc effectum. ita *Gonzalez in reg.* 8. *Cancel. Gloſs.* 43. *n.* 83. 84 *Gratianus in diſceptat. cap.* 166. *num.* 13. *Garzia de Beneficijs par.* 5. *cap.* 1. *num.* 466. *Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg.* 53. *nu.* 34. 35. *Maſſobrius in praxi habendi concur. prael.* 25. *dub.* 3. *Iordanus de re Beneficiaria lib.* 10. *tit.* 1. *nu.* 26. *Fragoſus de regimine Chriſtiana Reip.* 2. *lib.* 9. *diſp.* 2. §. 4. *num.* 12. 13. & alij. Fundamentum vnicum, & efficax huius ſententię deſumitur ex tenore ipſius regulæ, ſeu ex forma, ſub qua conceditur Epiſcopis alternatiua; ſic enim Pontifex inquit, incipiẽdo ſecundam partem regulæ, quã tranſcribit *Gonzalez, poſt gloſ.* §. *Proœmialem & poſt n.*249. *prædicta regula* [Inſuper. ſanctitas ſua ad gratificandum *Patriarchis*, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, intenta, ipſis quamdiù apud Eccleſias, aut diœceſes ſuas, *verè*, ac perſonaliter reſederint dumtaxat, de omnibus, & quibuſcũque beneficijs eccleſiaſticis cũ cura, & ſine cura, ſęcularibus, ac regularibus ad liberã ipſorũ dumtaxat, non aut aliorũ cum eis, diſpoſitionem, ſeù præſentationem, vel electionem, nec etiam cum conſilio, vel conſenſu, ſeù interuentu capitulorum, vel aliorum, aut aliàs pertinentibus, quæ antea in menſibus *F*ebruarij, Aprilis, Iunij, Auguſti, Octobris, & Decembris extra curiam ipſam vacare contigerit (dummodo aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruata non fuerint) liberè diſponendi facultatem conceſſit] Hæc Pontifex, qui cum expreſſè velit, vt Epiſcopi *verè*, & perſonaliter reſideant, reijcit reſidentiam, ſeu præſentiam, quæ non eſt vera, & realis, ſed ſolum per fictionem Iuris: atque adeò ob quamcumque cauſam, quamuis alioquin iuſtam, Epiſcopi abſint à propria diœceſi, amittunt alternatiuam. ita diſcurrunt Authores huius tertiæ ſẽtentiæ.

Pro huius difficultatis ſolutione, quæ non eſt parui momenti, multa eſſent diſcutienda: ea tamẽ ego dilucidabo, quæ ſatis ſunt ad quæſitum decidendum, quod per ſequentes concluſiones præſtabo.

*D*icendum eſt primò, ſententiã priori 20
loco relatam, quam ſequutus eſt *Pariſius*, eſſe omninò reijciendam ob rationem aſſignatam pro confirmatione tertiæ, vbi dicitur per illam dictionem, *ve-*

rè

rè, in ſecunda parte regulæ poſtulari veram, & realem, & remoueri fictam præſentiam, qualis eſt abſentia à propria diœceſi propter bonum Reipublicæ: ad hoc autem melius firmandum animaduerto quatuor dictiones, quæ habentur in regula, cum conceditur alternatiua. Prima eſt dictio illa, *quamdiù*, quæ conditionem importat, vt dicitur *in L. Pater Seuerianam § fin. ff. de condit. & demonſtr.* cōditio autem in hac re eſt pręſentia vera. Secunda dictio eſt illa, *Verè*, nempè vera præſentia, quæ neceſſariò excludit omnem præſentiam fictam, etiā iuſta cauſſa à iure admiſſam; nihil enim eſt vero magis oppoſitum, quàm fictum; ideoque Iuriſtæ rectè dicunt, per ipſam fictionem, quod non eſt verum, fingi, vt verum. ita *Menochius lib. 1. præſump. qu. 8. nu. 9. Maſcardus de probat. vol. 1. qu. 16.* per totā & alij communiter. Tertia dictio eſt *Perſonaliter*, quæ poſtular realem præſentiam, vt animaduertit *Abbas num 1.* & alij *in cap. fin. de offic. deleg.* dicentes, non ſatisfieri iuri, ſi requiratur, vt aliquid perſonaliter fiat, per alium fieri. Quarta dictio eſt illa appoſita in fine clauſulæ, cum dicitur, *dumtaxàt*, quę limitat, & reſtringit ſermonem ad præſentiam veram, & realem, remouens aliam quamcumque fictam: cum autem hæ dictiones ſint taxatiuè, formam important, vt aſſerit *Felinus cap. ex parte. nu. 7. de conſtit.* & alij: ideoque earum omiſſio vitiat actum. Cum igitur ita clarè à Pontifice exigatur, vt Epiſcopi verè, & realiter reſideant, colligimus, ſententiam *Pariſij*, quæ admittit pręſentiam per iuriſfictionem, ſuſtineri non poſſe, neque eius rationes eſſe efficaces.

21 Ad primam enim, quæ procedit ex authoritate ſacræ Congregationis facilis eſt reſponſio; quia declaratio illa, vt aiunt Authores tertiæ ſententiæ, proceſſit ſpectata illius alternatiuę forma, quæ erat tempore Pij V. & Gregorij XIII. in qua non erat poſita dictio illa, *Verè*, proindè locum habere poterat fictio iuris, nempè, vt in quibuſdam caſibus Epiſcopus abſens haberetur, vt præſens, & præſertim pro bono Reip. at in alternatiua, quæ emanauit, poſt Pontifices ſucceſſores, & quę hodiè viget, cùm habeamus dictionem illam & alias ſuperiùs adnotatas, non eſt amplius admittenda fictio iuris, quoad effectum præſentiæ.

Ad ſecundam rationē ex his, quæ dicta ſunt, patet reſponſio; nā leges concedētes pręſentiam fictā non loquuntur, quādo in diſpoſitione habentur dictiones omnes remouentes fictionem, vt euenit in caſu noſtro; proindè ex illa lege, vel ſimili efficax argumentum deduci non poteſt.

Dicendum eſt ſecundò, opinionem 22
Frācíſci Leonis abſolutè, & vniuerſaliter intellectam non eſſe iuxta mentem Pōtificis, nec iuxtà ſenſum ipſius alternatiuæ explicatum ab Authoribus, vt mox patebit.

Dicendum eſt tertiò vltimam ſententiam, quamuis ad veritatem accedat, & ſimpliciter prolata congruat intentioni Pontificis, indigere tamen maiori declaratione, & aliquali modificatione, vt videbitur.

SECTIO II.

Amittat ne Epiſcopus alternatiuam, ſi initio menſis ſit abſens è ſua diœceſi, reliquo autem pręſens?

HOc pacto caſum declaro. Epiſcopus poſtquam alternatiuam acceptauit, initio alicuius menſis ex alternatis ſibi competentibus, recedat è ſua diœceſi, & fiat abſens; tranſactis verò paucis diebus, iterum redeat. quæritur, nū per illam abſentiam beneficium alternatiuę perdiderit?

Prima ſententia negat, aitque, non 23
deperdi alternatiuam; & ideò ſi pręſente ipſo Epiſcopo, ſeu reſidēte in ſua diœceſi euenerit vacatio beneficij, poſſe illud conferre, quamuis initio menſis abſuerit, & hanc ſententiam, vt veriorē amplectitur *Garzia de Benef. par 5. cap. 1. num. 695* & apud ipſum *n. 692. Sarmiento lib. 6 ſelect. cap. 18. num. 9.* & in eadem opinione eſt *Gonzalez ſuper regul 8. cancel. Gloſſ. 43 nu. 140.* Et probant hanc ſententiam, quia Regula alternatiuæ duo rantùm requirit, vt Epiſcopus conferre poſſit beneficia, primò, vt ipſa beneficia ſint liberæ collationis, & vacent in aliquo ex menſibus alternatis ad ipſum Epiſcopum ſpectantibus. Secundò quòd Epiſcopus tempore vacationis reſideat in ſua diœceſi; vtrumque autem in caſu poſito reperitur; nam ſup-

ponimus, beneficiũ eſſe liberum, & etiã habemus, quòd vacauerit Epiſcopo reſidẽte poſt regreſſum ad propriam diœceſim: ergo vtrumque habetur, & nihil aliud eſt deſiderandum.

Neque refert, quòd in ſecunda parte regulæ, per quam conceditur alternatiua, ſit appoſita dictio illa *Quamdiù*, quia non eſt referenda ad integrum menſẽ;
23 hoc enim gratis diceretur, & eſſet magna reſtrictio; ſed eſt referenda ad beneficia vacantia in illo menſe., ſcilicet, ſi vacauerint in aliqua parte menſis, & eo tempore Epiſcopus ſit præſens; ita diſcurrunt hi Authores, & ſoluunt quædã obiecta in contrarium.

24 Secunda ſententia eſt oppoſita; vult enim in caſu poſito, amitti pro eo mẽſe alternatiuam; ita *Anaſtaſius Germon. de Indult. Cardin §. Volumus enim. num 20. & ſequentibus. fol. mihi* 517. & adducit decisionem Rotę in vna Fauentina Canonicatus die 16. Decembris 1585. quam de verbo ad verbum refert etiam *Garzia cap. cit. num. 693.*

25 Tertia ſententia procedit cum diſtinctione, eâque tuetur *Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 53. num. 38. in 2. 3. & 4. regula*, quas declarat *nu.* 42. 43. 44. qui ſic diſponit ſex illos menſes, poſita alternatiua, competentes Epiſcopo, nempè Februarium, Aprilem, Iunium, Auguſtum, Octobrem, Decembrem; vult enim, quòd, ſi Epiſcopus abſit mẽſe Aprilijs, & Octobris, qui vigore alternatiuæ ſunt Ordinarij, fiant Apoſtolici, & ita remaneant, quamuis Epiſcopus ad ſuã diœceſim reuertatur: ſi verò abſentia accidat menſe Februarij, & Auguſti, quamuis per abſentiam Epiſcopi fiant Apoſtolici, reuertente tamen Epiſcopo ad ſuam diœceſim, deſinant eſſe Apoſtolici: denique ait, menſes Iunij, & Decembris nunquam fieri Apoſtolicos, licèt Epiſcopus non reſideat: tria hæc dicta probat ipſe *Barboſa*: primum autem hac ratione. Epiſcopus vigore alternatiuæ lucratur illos duos menſes, ſcilicèt Aprilem, & Octobrem abſque cambio, & permutatione, ſed ſolùm cum onere reſidendi, idcirco gratis eos accipiens à Pontifice æquiſſimum videtur, vt etiam quantocumque paruo tempore à ſua diœceſi abſit, illos deperdat, & fiant Apoſtolici: ſemel autem facti Apoſtolici, ita remanent vſque ad vltimum diem eiuſdem menſis; per abſentiam enim Epiſcopi in tali menſe Pontifex ius acquiſiuit ad beneficia vacantia conferenda. Secundum verò dictum contraria ratione probat; nam Epiſcopus non ita gratis accipit alios duos menſes, nempè Februarium, & Auguſtum, ſed illos permutat cum alijs menſibus, qui præſcindendo ab alternatiua ſunt Epiſcopales, ijque ſunt Martius, & September; proinde rationi conſentaneum eſt, vt Pontifex non recuperet ſuos menſes cum tanto rigore, ſed hoc modo ſe gerat, vt abſente Epiſcopo, ita menſes hi fiant Apoſtolici, vt Epiſcopo reuertente deſinant eſſe Apoſtolici, & ius conferendi redeat ad Epiſcopum. Tertium denique dictũ ſic probat; quia, cum *Pontifex* in ſecunda parte regulæ ſibi retinuerit quatuor mẽſes ex illis octo, qui ſibi competebant, non poſita alternatiua, nempè Ianuarium, Maium, Iulium, *N*ouembrem, qui ita ſunt apoſtolici, vt numquam conueniant Epiſcopo, quamuis perpetuo reſideat, congruum eſt, quòd Epiſcopus ſibi etiam retineat medietatem ſuorum quatuor menſium, in quibus nunquam *Pontifex* ius habet conferendi beneficia.

Hi autem menſes ſunt Iunius, & December, qui ideò vocantur fixi, quoniã nunquam ſunt Apoſtolici, ſed Ordinarij, ſiuè Epiſcopus reſideat, ſiue non reſideat. Hæc eſt opinio *Barboſæ*, quam ex quadam Rotæ deciſione probat. Ex his omnibus ſententijs eam, quæ probabilior mihi videtur, in medium afferam.

Dicendum eſt primò, præſentiam, ſeù reſidentiam Epiſcopi in propria diœceſi non debere ſumi ita ſtrictè, & rigoroſè, vt mathematico modo eam interpretemur, ſed modo morali, & ciuili: quod confirmo per textum *in L. Si quis ita legauerit. ff. de condit. & demonſtr.* vbi refertur à viro legatum quoddam relictũ fuiſſe vxori hac conditione, vt cum filijs commoraretur, quo tamen nõ obſtante, ſi vxor cauſa rationabili concurrente, quę in eadem lege exprimitur, ad tempus aliquod breue diſcedat, aſſignandum illi erit legatum, vt determinat eadem Lex, & rationem his verbis aſſignat [Quia non omne momentum exigendũ ſit, vt cum liberis ſit, ſed ſi eam mentem, & id propoſitum habeat, &c. [Rurſus *in L. Foramen. ff. de ſeruit. vrb. præd.* Aqua quotidiana perpetuò fluere dicitur, etiam ſi quotidiè non fluat, dũmodo quo- 26

Digitized by Google

quotidie duci poſſit. & ſtillicidium dicitur perpetuum, ſi perpetua ſit cauſa. ita *Gloſ.* explicat ibi *Ver. Aſſiduè.* & *Ver. Perpetuò*: ergo à pari Epiſcopus dicitur reſidere, & non abeſſe, quamuis aliquo die recedat ob aliquam rationabilem cauſam; & ideò menſis ille, ſi eſt Epiſcopalis, non ſit Apoſtolicus; quia attenta prudenti, & rationabili Pontificis mente, reſidentia requiſita more humano, & ciuili intelligi debet. Confirmatur etiā authoritate Canoniſtarum. Abbas in proœmio Decret. §. *Rex pacificus. ver. Quotidie.* aſſerit, illud dici quotidie fieri quod ſit aliquo interuallo interpoſito.

25 *Felin. ibidē.* eamdē tradit doctrinā, quā ex pluribus Canoniſtis probat, & infert, dictum teſtium non vitiari, ſi iurent aliquem reſediſſe, aut poſſediſſe, licet aliquo interuallo non reſederit, nec poſſederit, quia dictum illud ciuiliter intelligi debet. *Archidiaconus in cap. licet canon de elec. in 6.* in terminis reſidentiæ docet, quòd, ſi ille, qui tenetur reſidere aliquibus diebus diuertat à reſidentia, hoc minimè obſtante, dicitur reſidere, quia non debet reſidentia intelligi mathematico modo, ſed moraliter, & ciuiliter. *Gloſ. in cap. Sacroſanc. diſt. 22. ver. Sine intermiſſ.* ſic explicat [Non tamē in quolibet [illegible], ſed horis competentibus.] [illegible] in caſu noſtro, ſi Epiſcopus per aliquod breuiſſimū tēpus reperiatur extra dioceſim non dicitur per hanc abſentiam adeò modicam, non reſidere,

26 ſeu non eſſe præſentem ſuæ Eccleſiæ, aut diœceſi [illegible] rectè *Mandoſius in reg. 23. de impetrat. benef. vac. per obit. quæſt. [illegible]* & ſequentibus [illegible] quam [illegible] docuiſſe *in reg.*

27 *26. quæ. 23. nu.* [illegible] ratione, [illegible] in Iure Ciuili, & Canonico modicum pro nihilo reputatur. *L. Scio illud [illegible]. L. Si [illegible] in fine. ff. de Dolo malo. Cap. licet cauſā [illegible] V. nulla, vel modica.* [illegible] *Nos autem* [illegible] *Tiraquell.* [illegible] *Iudicia* [illegible] *conſ. 197.* [illegible] *nochius conſil. 96. num. 7.* [illegible] *Barboſa* [illegible] *cap. illo Licet cauſam* [illegible] ſuis varijs tractatibus [illegible] quamuis hoc limitetur, quando diuerſa eſt ratio, vt ex *Surdo* [illegible] *Barboſa* [illegible]

diuerſitas non reperitur; proindè aſſerendum erit, modicam abſentiam haberi pro nulla.

Sed vrgebis. Iura prædicta, & Canoniſtæ loquuntur de perpetuitate, & de reſidentia, ſeu præſentia ſecundum fictionem Iuris, quæ non eſt ſatis pro alternatiua, vt ſupra oſtendimus. *Sed* contra eſt; quia Iura, & Canoniſtæ in locis citatis nō conſiderāt perpetuitatē, & preſentiā fictam, ſed moralem, & ciuilem, quæ eſt longè diuerſa à ficta; nā ficta eſſe poterit, quamuis abſentia ſit ad longum tempus, cum non fundetur in duratione, ſed potius in cauſſa. V. g. abſens pro Repub. pro Eccleſia, &c. etiam ſi abſentia duret per annum, nihilominus cenſetur præſens fictione iuris: at moralis, & ciuilis fundatur in paruitate durationis, & non in cauſſa; & ſic dicimus, quòd, ſi abſentia Epiſcopi eſt ad breuiſſimum tempus, non dicitur Epiſcopus non reſidere, aliter ſequeretur, quòd, vbi confinia duarum Cathedralium parum diſtant, puta per tria, aut quatuor milliaria, vt in Sicilia ſunt Panormus, & Mons Regalis, ſi Archiepiſcopus Mōtis Regalis Panormum veniret, vel relaxandi animi gratia, vel inuiſendi Proregem, aut alium magnatem, veſpere reuerſurus ad ſuam diœceſim, vt de facto ſæpe venire ſolet, Panormi commoratus per tres, aut quatuor ſiniciter horas deberet dici non reſidere, & eo menſe priuari beneficio alternatiuæ, & menſis ille effici Apoſtolicus, quod non videtur aſſerendum, cum ſit valdè durum, & inhumanum, immò ſi ita rigoroſe eſſet explicanda [illegible] perſonalis reſidentia, ſufficeret abſentia [illegible] vel etiam momentanea ad hoc, vt Epiſcopus amitteret ſuum menſem, quod nemo prudens affirmabit. remanet igitur, vt dicamus ad ſatiſfaciendum menti Pontificis in ſupradicta regula Alternatiuæ ſatis eſſe moralem, & ciuilem reſidentiam.

29 Dicendū eſt ſecundò abſentiam hanc breuiſſimā, quæ ſufficit ad alternatiuam, eſſe determinandam arbitrio boni viri, ſpectando diſtantiam diœceſum, tempus; & ſimilia; & ſi quis à me petat, vt aliquid determinatè declarem, reſpondeo mihi certum videri, quòd abſentia per aliquas paucas horas nō interrumpat continuationem moralem reſidentiæ præſertim ſi Epiſcopus veſpere redeat

T 2

at ad propriam diœceſim. Rurſus valdè probabile exiſtimo hoc ipſum, ſi interruptio ſit per duos, aut tres dies; nam, vt ait *Gloſ. in cap. Tenere. diſt.* 21. *ver. Nec præterit*, duo dies, vt nulli, reputantur propter paucitatem: & hoc etiam probat *Mandoſius in Regul.* 16. *quæſt.* 19. *num.* 3. & alij Iuriſtæ.

30 Contrarium docet *Gonzal.* 43. *cit. n.* 41. referens ſimilem omninò caſum, qui accidit Epiſcopo Segobienſi Maximiliano ab Auſtria anno 1603. qui acceptata alternatiua continuò in ſua diœceſi reſidebat; ſed notitiam habens de aduentu Regis Catholici ad domum de Scorial, quæ ſolum per quatuor milliaria diſtabat à diœceſi Segobienſi, & in eiuſdem diœceſis conſpectu extabat, ipſe Epiſcopus cauſa viſitandi Regem acceſſit ad domum de Scorial, ibique adfuit per duos tantum dies, nempè per decimum tertium, & decimum quartum menſis Aprilis, & poſtea feſtinanter rediſt ad ſuam Eccleſiam: euenit tamen vt eo tempore, quo commoratus fuit domi de Scorial, vacauerit quoddam beneficium, de cuius vacatione poſt regreſſum Epiſcopus certior factus, illud vi alternatiuæ contulit ſuo Vicario Generali; alius verò de eodem beneficio fuit prouiſus à Summo Pontifice: proinde orta fuit controuerſia, an in hoc beneficio habuiſſet locum alternatiua in fauorem Epiſcopi, an potius reſeruatio, ita vt ſubſiſtere debuiſſet prouiſio facta à ſummo Pontifice *Gonzalez* fusè vtrúque examinat, hinc inde rationibus adductis à *nu.* 49. ſed nihilominus *nu.* 87. in fauorem reſeruationis, ait, ſe procliniorem eſſe; idque fundat in verbis huius regulæ excludentis omnem fictionem, & poſtulantis veram, & actualem præſentiam, vt prius ſupra fusè oſtenderat; & addit dubium hoc fuiſſe in Rota propoſitum die 26. Martij Anno 1604. & fuiſſe reſolutum, non intrare alternatiuam, ſed potius reſeruationem, quamuis aliqui Doctores contrarium ſenſerint.

Caſus iſte idem eſt cum illo, quem ego propoſui, nam Eccleſia Cathedralis Mõtis Regalis vix diſtat per quatuor milliaria ab Eccleſia Panormitana, ipſq; inde eſſet idem dicendum, quod *Gonzalez* refert, & ſuſtinet de Epiſcopo Segobienſi accedente ad domum de Scorial, quę æqualiter diſtat ab Eccleſia Segobienſi. ego verò caſum hunc propoſui nõnullis è noſtra Societate, & præſertim P. Thomæ Tamburino ſpeculatiuæ, & moralis Theologię peritiſſimo, qui vt certum, cenſuit, non eſſe moraliter interruptam reſidentiam, quando Epiſcopus per paucas horas egreditur, veſpere tamen ad propria Eccleſiam reuerſurus: & quamuis non ita certum, probabile tamen exiſtimauit, ſi commoratio extra diœceſim ſit per duos, aut tres dies; quia vt ſupra vidimus id propter paucitatem non debet eſſe in conſideratione in hac materia.

Ad caſum autem ſingularem, de quo fuit conſultus Gonzalez de Epiſcopo Segobienſe, reſpondeo, non eſſe mirũ, ſi Author ille poſt examen rationum inclinauerit in fauorem reſeruationis cõtra alternatiuam, quia putauit, quod Epiſcopus abſens per duos tantùm dies debuiſſet exiſtimari pręſens per fictionẽ Iuris; abſentiam autem fictam non admittit regula hęc: ſed negandum eſt, pręſentiam illam eſſe per fictionem Iuris, cum potiùs, vt ex dictis patet ſit exiſtimanda moraliter, & ciuiliter continua, quę non reijcitur in regula Cancellarię; nam de Epiſcopo, quamuis abfuerit per duos dies è ſua diœceſi, & toto reliquo tempore fuit pręſens, abſolutè, & ſimpliciter dici potuit, continuò reſediſſe continuitate morali, & nõ mathematica, quę non requiritur, vt demonſtratum eſt. 31

Ad deciſiones autem Rotæ, quæ contrarium videntur aſſerere, reſp. quòd ſi attentè conſiderentur, videbimus non loqui in caſu noſtro, ſed quando diuturnior eſt abſentia, vt patet ex illa Rotæ deciſione in vna *Papienſi die* 10. *Apri-* 32
lis 1617. coram R. P. D. Martino Andrea, quam citat *Barboſa allegat. illa* 33
53. *num.* 45. & *Maſſobr. prælud.* 13. *dub.* 2. *num.* 5. refert enim Epiſcopum Papienſem, qui poſſidebat alternatiuam, fuiſſe abſentem à ſua diœceſi per aliquot menſes, & menſe Aprilis rediſſe nempè die 10. 1615. & die 14. eiuſdẽ menſis Aprilis vacaſſe beneficium ſimplex canonicatus extra Romanam Epiſcopo iam reſidente, & tamen deciſum fuiſſe collationem ſpectaſſe ad Pontificem. Deciſio autem hæc non contradicit concluſioni à me poſitæ; quia abſentia Epiſcopi, de qua ibi ſit mentio, fuit longè diuturnior, nempè per aliquot menſes.

ſes, & per decem dies menſis Aprilis: proindè licèt, poſita alternatiua, Aprilis ſpectauerit ad Epiſcopum; nihilominus abſentia decem dierum reſpectu vnius menſis non debet cenſeri parua, ſed notabilis; & ideò meritò acquiſitum fuit ius Pontifici pro toto illo menſe ad conferenda beneficia; vt ex multis deciſionibus probant prędicti Authores. Quędam aliæ deciſiones, quę etiam videntur contrarię, explicantur à *Gonzalez gloſ. illa* 43. *num.* 154. *& ſequentibus*: vbi oſtendit, non loqui de caſu noſtro, & apud eundem Authorem legi poſſunt.

33 Quæres, an Epiſcopus abſens illis tribus menſibus ſibi permiſſis à *Conc. Trident. ſeſſ.* 23. *de refor. cap.* 1. cum animo redeundi, amittat alternatiuam? Reſpondeo amittere. ita *Gonzalez, gloſ.* 43. *num.* 41. vbi affert quandam Rotæ deciſionem in vna *Salmantina die* 20. *Iunij* 1572. & meritò. quia Pontifex ideò concedit alternatiuam, vt Epiſcopi alliciantur ad reſidendum, etiam pro eo tempore, quo ipſis conceſſum eſt abeſſe.

34 Quæres ſecundò, num Epiſcopus abſens in menſe Iunij, & Decembris poſſit conferre beneficia eiſdem menſibus vacantia? De re hac ſunt contrariæ opiniones; vna enim affirmat; altera verò negat; & rationes pro vtraque fusè examinat *Gonzalez gloſ. illa* 43. *à n.* 117. *vſque ad* 123. & partè negatiuā ipſe amplectitur *n.* 121. fundat enim ſuam ſententiam in eo, quod licèt hi duo menſes ſemper ſint Epiſcopales, ſiuè ponatur, ſiuè non alternatiua; nihilominus Pontifex concedens alternatiuam ſex menſium parificat omnes in ordine ad fruendum alternatiua, & ſub eadem clauſula, & onere reſidentię, loquitur de omnibus his ſex menſibus; igitur quemadmodum Epiſcopus non reſidens in alijs quatuor ſibi conceſſis perdit alternatiuam, ita etiam in his duobus; hæc inter alias eſt præcipua ratio pro hac ſententia negatiua: oppoſitam verò ſententiam affirmantem tuentur alij, inter quos eſt *Barboſa alleg. illa* 53. *num.* 44. *& Iordanus Pace de Beneficijs reſeruatis lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 36. Probant autem hoc ex quadam congruentia; nam ſicuti Pōtifex in alternatiua retinet ſibi medietatem ſuorum octo menſium, nempè Ianuarium, Maium, Iulium, & Nouembrem, in quibus nunquam Epiſcopus ius habet conferendi beneficia, ita æquum fuit, vt Epiſcopus retineret ſibi etiam medietatē ſuorum quatuor menſium, nempè Iunium, & Decembrē, in quibus Pontifici nunquam competat ius conferendi beneficia; vt ſic enim ſeruatur debita æqualitas: & hoc eſſe Rotę conformius aſſerit *Pace lib. cit.* & ad rationem in contrarium à *Gonzalez* adductam poſſet quis reſpondere, quòd, quamuis vnica clauſula concedat Pontifex alternatiuam ſex menſium ſub cōditione reſidentiæ; nihilominus hoc facit augmentatiuè, ſeu ampliatiuè in fauorem Epiſcoporum, non intendens auferre id, quod eiſdem competit independenter ab alternatiua: vtraque opinio eſt probabilis, & determinatio dependet a conſuetudine, quæ nunc viget.

Et hæc breuiter ſufficiant de alternatiua in ordine ad præſentiam, & abſentiam.

SECTIO III.

Excuſetur ne Parochus, ſi Epiſcopo aſſentiente à proprijs abſit Eccleſiis, vt alibi edoceat Theologiam?

NOn intendimus in præſentia ex
profeſſo ſermonem inſtituere de 35
grauiſſima illa, & arctiſſima obligatione, quà *Epiſcopi*, cæterique animarum Rectores detinentur ad reſidendum in proprijs *Eccleſijs*, & ad diligenter vigilandum ſuper gregem ſibi commiſſum; hanc enim rem fusè pertractant non ſolum Canoniſtæ *in Rubr. de Cler. non reſid.* quos longa ſerie laudat *Garzia tract. de Benef. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 16. verum etiam Theologi cum S. *Thoma* 2.2. *qu.* 185. *art.* 6. & Iacò *Soto lib.* 10. *de Iuſt. quæſt.* 3. *art.* 1. *& ſeq.* & fusè *Bartholomaus Carranza de Miranda in Cōtrouerſia de neceſſaria reſidentia*, vbi ex ſacris veteris Concilijs, & Patribus neceſſitatem reſidentię latè demōſtrat; omnes enim concludunt obligationem reſidēdi in animarū Rectoribus non ſolum eſſe de Iure poſitiuo, *Eccleſiaſtico*, ſed pariter cū de iure diuino, vt *Trident.* admonet *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 1. tū etiam de Iure naturali, quibuſdam caſibus exceptis, quos ibidem breuiter declarat Concilium. Hi autem

ſunt

ſunt, Chriſtiana Charitas, vrgens neceſſitas, debita Obedientia, & euidens Eccleſiæ, & Reipub. vtilitas: hoſque caſus ſufficienter explicat *Barboſa de offic. & Poteſt. Epiſcopi part. 3. alleg. 53. nu. 7. & ſeq.* Supponentes igitur hanc Curatorum obligationem, reſtringimus ſermonem ad vnum dumtaxat punctum, de quo præteritis temporibus conſultus fui, videlicèt, num ſit ſufficiens cauſſa comprehenſa ſub aliquo ex enumeratis caſibus, Theologiam in Seminario clericorum, vel in alia vniuerſitate publicè docere, itaut hoc ſit tanti ponderis, vt præualeat obligationi, qua Parochus aſtringitur ad reſidendum in ſua Parochia, & etiam poſſit tempore abſentiæ percipere fructus ſui beneficij?

6 Prima ſentẽtia putat, cauſſam publicã docendi Theologiam, ſeu ſacram Scripturam, aut Ius canonicum eſſe ſufficientem, vt Parochus recedat è ſua diœceſi relinquendo, & ſubſtituendo idoneum Vicarium pro eo tempore, quo docuerit, ita vt etiam poſſit percipere fructus ſuarum præbendarum, & beneficiorum.

Hanc opinionem ex Recentioribus ſequitur Bonacina *tract. de onere, & obligat. Beneficiariorum. diſp 5. punct. 5. num. 16. in fine. & Caſtropalaus par. 2. tract. de orat. publica. diſp. 3. pu. 9. n. 4.* & eidem opinioni adhærere videtur *Zerola in praxi Epiſc. par. 1. ver. ſtudium ad ſeptimum*, & quidam alij Recentiores, oretenus conſulti. Huius autem opinionis probatio præcipuè deſumitur ex *cap. fin. de magiſt. §. docentes*, vbi Pontifex concedit Theologiam docentibus pro toto illo tempore, quo illam docuerint, poſſe percipere fructus ſuarum præbendarũ, aut beneficiorum; addiſcentibus verò id cõcedit per quinquenniũ, quod cõfirmatur ex *Cap. Cũ ex eo. §. Nos verò. de Elect. in 6.* vbi tempus pro ſtudentibus extenditur ad ſeptennium: & quãuis in his locis nõn habeatur explicitè ſermo de Parochis; nihilominus cum vniuerſalis ſit locutio de his, qui beneficiũ habent, videntur etiam ibi comprehendi Parochi, qui Curati beneficium poſſident: & ita ſentiunt nonnulli explicantes textũ illũ § *fin. de magiſt. Panor. Cap. Tua Fraternit. num. 6. de cler. non reſiden. Sylueſt. ver. Reſidentia nu. 7. Hoieda de Benef. incompatib. cap. 10. num. 15. Cardinalis Graſſis de Effect. cler. in prælud. à num. 104.* probabilem exiſtimans hanc opinionem, & fauet *Nauar. lib. 1. de act. & qual. ordinand. conſil. 5. in fine. & lib. 3. de cler. non reſid. conſil. 15. 3. 1. & 2.* Et id cõfirmat intelligentia prædicti *Cap. finalis ex Concil. Trident. ſeſs. 5. in decret. de reform. cap. 1. in fine.* vbi, poſtquam ſtatuit, eſſe ab Ordinarijs prouidendum de Lectore Sacræ Scripturæ, addit hæc verba. [Docentes verò ipſam Sacram Scripturã, dùm publicè in ſcholis docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent priuilegijs omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum ſuorum in abſentia à Iure communi conceſſis plenè gaudeant, & fruantur.] Hæc Concilium, quod per ius commune, intelligit diſpoſitionem ſimilem factam in *cap. fin. de Magiſt.* Ex his iuribus, & prædictorum Doctorum doctrina colligebant Recentiores iſti, poſſe Parochũ aſſentiente Epiſcopo recedere à propria Eccleſia, idoneo tamen, & approbato Vicario relicto.

Secunda ſententia oppoſitum tuetur, videlicèt, munus etiam publicè docendi 37
ſacram Theologiam, aut ius canonicũ non eſſe ſufficientem cauſſam, vt Parochus abſit à ſua diœceſi. ita *Garzia de Benefic. par. 3. cap. 2. num. 83. 84.* quatenus ex deciſionibus ſacræ Congregationis aſſerit priuilegium, quod habebant Curati, vt in abſentia fructus percipere poſſent, eſſe abrogatum *per Concil. Trid. ſeſs. 23.* & ſic videtur velle, motiuum docendi non eſſe ſatis ad excuſandam Parochi abſentiam. Sed nihilominus poſſet quis reſpondere, id non rectè deduci ex allata doctrina; quia Auctor iſte ſolum docet, abeſſe ad docendam Theologiam non eſſe ſufficiens, ad hoc vt Parochus durante abſentia percipiat fructus ſui beneficij; at verò, ſi nõ curaret de fructuum perceptione, non declaratur in doctrina prædicta, num, hoc non obſtante, ob talem abſentiam Parochus grauiter peccet; proinde nõ videtur poſſe à nobis hunc Authorem citari pro hac ſecunda ſententia.

Sed oppoſitam exiſtimo concludendum, ſi Author attentè legatur; quia in fine illius num. 84. fatetur, Viualdũ mox citandum idem ſentire, & ipſo, docet, dicentis, Viualdus concedens poſſe beneficiatum non ſolum ad diſcendum, verum etiam ad docendum excuſari, nõ reſi-

reſidendo, excludit beneficiatum curatum; ergo idem aſſerendum in ſententia Garziæ; ſed quicquid ſit de mente, & ſenſu huius Authoris, hanc ſecundã ſententiam apertè docet *Viualdus in ſupplemento aureo cap.* 8. *num.* 16. *Eligius Baſſæus in Flor. Ver.* Re*ſidentia num* 7. *Pace* Ior*danus tom.* 2. *de oblig. Benef. lib.* 10. *tit.* 40. *num.* 51.

38 Confirmatur hoc à pari; nam reſpectu aliorum officiorum, quæ ſunt valde neceſſaria pro bono communitatis, habentur expreſſe declarationes ſacræ Cõgregationis ſtatuentis, non poſſe ratione illorum Parochum abeſſe, neque Epiſcopum poſſe illi talem dare licentiã; & ſic non poſſunt Parochi abeſſe pro ſeruitio Eccleſię Cathedralis, vel, vt exerceant munus Vicarij, vel alterius officij, ita *Gonzalez in reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 6. *num.* 238. referens ſacræ Congregationis declarationes: & num. 265. inquit, ex eadem Congregatione non excuſari parochum propter officium Inquiſitoris etiam maioris: idem etiam animaduertit *Garzia cap. cit. num.* 40. *& ſequent.* & idem aſſerit *Santarellus nu.* 49. *Barboſa de Poteſt. Epiſc. allegat.* 53. *nu.* 85. *& ſeq* 10. *Baptiſta Ventriglia in ſua praxi* loquẽs de curato perpetuo *annot.* 20 §. 1. *num.* 36 & alij communiter, limitantes tamen pro tempore illorum duorum tantùm menſium, qui ex Tridentino permittuntur Parochis, vt abeſſe queant è proprijs Eccleſijs. Neque valet, ſi dicas, excuſandos eſſe Parochos, ſi Epiſcopus id ipſis præcipiat; nam Epiſcopi talem facultatem non habent, vt declarauit ſacra Congregatio cuius deciſionem refert *Gonzalez num.* 41. & benè notat *Toletus in ſumma lib.* 5. *cap.* 4. *ver vltima cauſa*, qui à fortiori loquẽs de cauſſis excuſantibus abſentiam Epiſcopi aſſerit, quòd licèt debita obedientia excuſet, cum Papa imponit Epiſcopo aliquod negotium, quod requirat abſentiam, non ſufficit tamen obedientia tantùm, ſed debita; quia, quando abſque rationabili cauſſa aliquid præcipitur, nõ debemus audire: nec Pontifex poteſt ſui tantùm arbitrio excuſare Epiſcopum à præſentia propriæ *E*ccleſię; igitur non excuſabitur *P*arochus, ſi abſit ad docẽdum, quamuis *E*piſcopus id pręcipiat.

39 Hæ ſunt opiniones, quę apud Authores hac de re inueniuntur, ſupereſt, vt meum explicem ſenſum. Dico igitur, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, non excuſari Parochum, ſi abſit à propria *E*ccleſia ad docendam ſacram *S*cripturam, Theologiam, aut Ius Canonicum, etiamſi idoneum ſubſtituat Vicarium, vt probant Authores ſecundæ ſententiæ relatæ; nam docere alios non videtur cauſſa adeò grauis, vt præponi debeat arctiſſimæ obligationi, quam habent paſtores ad reſidendum in ſuis Eccleſijs pro ouium propriarum regimine. Addo, moraliter eſſe impoſſibile, vt alium idoneũ ad docendum, siuè in propria diœceſi, siuè etiam extra illam *E*piſcopus non inueniat, si diligentiam adhibere velit, & conueniens legenti aſſignet ſtipendium; proindè, cum hoc moraliter non videatur poſſibile, ideò abſolutè, & ſimpliciter dixi, non poſſe *P*arochi abſentiam propter hoc munus excuſari. Si autem fingeretur caſus, in quo, neque intra, neque extra Diœceſim inueniatur, qui poſſit ſufficienter tale munus præſtare, etiam ſtipendio oblato, & cenſeretur grauiſſimam nocumẽtum obuenturum, ſi deficeret lectio talis ſcientiæ, tunc puto, eſſe primæ ſentẽtiæ adhęrendum, videlicèt poſſe Parochum, *E*piſcopo aſſentiente, & relicto idoneo Vicario, abeſſe, vt Theologiam, aut ius canonicum legat; quia in prædictis circumſtantijs bonum, quod ſequeretur ex tali lectura, videtur eſſe maius, quam illud, quod ſperaretur ex pręſentia Parochi: & conſequenter, ius naturale, & recta ratio dictaret, cauſam abſentiæ eſſe ſufficientem: ſed, vt dixi, moraliter puto, id euenire non poſſe, quia ſemper reperiuntur idonei ad tale officium exercendum.

SECTIO IV.

Iuriſdictionalis facultas alicui conceſſa pro eo tantum tempore, quo alius abeſt, an perſeueret, ſi iſte alius mori contingat?

NOn rarò euenit, vt aliqua diſpoſitio, ſeù ſtatutum emanet à Superi- 40
ore, siue laico, siue eccleſiaſtico ob abſentiam alicuius perſonæ, & hoc in gratiam alterius. V. g. *Si* Princeps laicus in abſentia Titij Iudicis delegati diſponat, vt abſentia illa durante vices illius Sortes ſubeat, & poſtea accidat, vt Titius ex hac vita decedat; ſimiliter in-

re-

rebus eccleſiaſticis, ſi Prælatus regularis abſente confeſſario ordinario, nempè Petro, committat facultatem excipiendi confeſſiones ſubditorum alteri Sacerdoti ſibi ſubdito, videlicet Paulo, pro eo dumtaxat tempore, quo confeſſarius, qui eſt ordinarius, fuerit abſens à Monaſterio: ſi accidat, vt Titius, vel cōfeſſarius ordinarius in abſentia moriātur; quæritur, num facultas commiſſa à Principe, ſiuè à Prælato regulari adhùc perſeueret in perſona ſubſtituta, cui cōmiſſa fuit, an verò extinguatur?

41 Videtur extingui, quia mortuo delegato, nunquam verè dici poterit, quòd abſit ab illo loco. V. g. à Monaſterio: conceſſio autem, ſeù ſubdelegatio, ſacta fuit ſub conditione abſentiæ delegati; verba enim illa ſcilicèt, *pro eo tantùm tempore, quo alius abeſt*, vim conditionis habent, vt notat *Gloſ loco mox citando*; proindè cum delegatus moritur, de illo nequit affirmari abſentia, & conſequenter non perſeuerat conditio, ſub qua fuit ſacta conceſſio, & ſub qua facultas manere debebat. Et confirmari poterit ex ſimilibus. V. g. ſi Teſtator relinquat vxori legatum ſub hac conditione, donec, vel quouſque erit vidua, his verbis ſignificatur, quòd viduitas poſitiuè debeat perſeuerare ad hoc, vt mulier illa legatum conſequatur: & ſicuti, ea mortua, ceſſabit legatum, quia de illa nequit qualitas viduitatis verificari; ita in caſu noſtro mortuo delegato non poterit de illo iam extincto verificari abſentia, & per conſequens ceſſabit facultas conceſſa, quæ tamdiù duratura erat quamdiù erat duratura cōditio, ſub qua fuit commiſſa. idem oſtendi poterit alijs exemplis.

42 His tamen minimè obſtantibus, dico, mortuo delegato perſeuerare etiam in ſubdelegato, facultatē conceſſam; quia de eodem delegato verificabitur abſentia. Concluſio probari poterit ex principijs iuris tùm ciuilis, tùm canonici; nam *in L. Mulier §. finali ff. de verb. ſignif.* expreſsè dicitur res illa abeſſe, quæ in humanis non eſt, & id confirmant ibi ſcribentes, *& Rebuf. in eadem L. §. Abeſt. & ea res.* & nouiſſimè *Leōcillus de priuileg. paup. par. 2. priuil. 1. num.* 11. Rurſus hoc ipſum habetur in ſacris canonibus *Cap. ſi delegatus. initio. de offic. & poteſt. Iud. deleg. in 6.* & docet *Gloſ. ver. Nota quod*, & id etiam aſſerit *Sfortia Oddus tract. de reſt. in integ. quæſt. 5. art. 6.* vbi enumerans quatuordecim ſpecies abſentiæ hanc, quę eſt per mortem, primo loco ponit; & ideò rectè dicimus *cum Gloſ loc. cit.* quod verbum, *Abeſſe* verificatur tùm in abſentia temporali, tum in abſentia perpetua, & naturali, quæ eſt per mortem. 43

Ad argumentum verò in contrarium concedendum eſt, ſubdelegationem cōmiſſam fuiſſe ſub conditione abſentiæ delegati, ſeu alterius iudicis maioris, ſiue laici, ſiue Eccleſiaſtici; nego tamen, abſentiam verificari non poſſe de eo, qui mortuus eſt, vt ex Iure communiter ſentiunt Doctores; & ideò ſemper cenſetur perſiſtere conditio, ſub qua facta fuit commiſſio. Ad confirmationem, nego paritatem illam; nam viduitas intrinſecè inuoluit ſtatum, in quo mulier poteſt nubere ſi velit, atquè adeò includit ſtatum huius præſentis vitę; ſed abſentia cōſiſtit in hoc, quod perſona, quę dicitur abſens, non ſit in eo loco, in quo petitur, quę eſt definitio abſentię, vt initio huius queſtionis dictum fuit: hoc autem poteſt æquè verificari, tam de eo, qui temporaliter, quàm de eo, qui perpetuò abeſt, ſiuè ab aliquo loco, ſiue abſolutè, & ſimpliciter à toto mundo.

Ex hac autem doctrina plures caſus ſimiles inferuntur, & primò, quando quis electus fuit Viceuicarius ob abſentiam principalis Vicarij, ſi iſte abſens ex hac vi decedat, ille ſubſtitutus, niſi à Superiore amoueatur, remanebit cum iuriſdictione, quam priùs, habebat, vt aduertit *Rebuffus loc. cit.* 44

Sed dices, ſi mortuus exiſtimaretur, tanquam abſens, ſequeretur, quòd ſi Titius v. g. eſſet aſtrictus, quolibet anno alicui donare quinque gallinas, aut perdices, non ſatiſfaceret ſuę obligationi, ſi donaret hęc animalia mortua, quia mortua ſe haberent, vt abſentia; & ideò Titius non poneret illud ipſum, quod deberet, & eo modo, quo deberet: quod tamen eſt falſum, & non videtur aſſerēdum. Caſus iſte expreſsè ponitur *à Bart. in L. Quod te. ff. Si certum petatur nu. 18. in fin. & in L. Qui decem §. fin. ff. de ſolut. ex Guiliel. de Cuneo in eadem Lege.* vbi quærit, ſi ego tibi debeam duos capones, an poſſim illos mortuos tibi dare? & ex ſententia citati Authoris determinat, non poſſe, & rationem aſſignans ait, quia debes illos in tali ſtatu 45

da-

dare, vt poſſint in libertatem, iuxta libitum donaroris perduci: idemque affirmat *Rebuffus* ſupra loco citato. Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo cum Rebuffo duo animalium genera, prout ad rem præſentem faciunt, primũ genus eſt eorum, quæ facile viua capiuntur, & ſunt domeſtica, vt Galli, Gallinę, Boues, Porci, & ſimilia, quæ ſeruari, & non ſtatim manducari ſolent; ſecundũ verò genus eſt eorum, quæ non ita facilè capiuntur viua, & communiter non ſolent viua ſeruari, vt perdices, lepores, & alia; hinc ſi ſermo ſit de animalibus primi generis, cenſeo cum Bartolo, eſſe donanda viua, & non mortua, niſi in obligatione, qua quis ſe aſtrinxit ſingulis annis ea donare, aliud non fuerit cõuentum, vel aliud conſuetudo, aut ſtatuta regionis præſcribant, quæ ſunt omninò ſeruanda; proinde, ſi præſcindamus à particularibus pactis, vel conſuetudinibus, animalia illa mortua cenſentur veluti non eſſe, ſeu abſentia; & ideò debitor, mortua ea donando, non ponit id, quod debet: ſi verò ſermo ſit de animalibus ſecundi generis, exiſtimo, poſſe mortua donari, niſi alia fuerit cõuentio aut conſuetudo.

SECTIO V.

Quænam abſentia à Nouitiatu deſtruat ciuilem præſentiam requiſitam ad hoc, vt probationis tempus interruptum minimè cenſeatur?

46 ANtequam directè ad quæſitum reſpondeam, ſuppono, tempus, quo durat Nouitiatus, quod de iure communi eſt ſpatium vnius anni, debere eſſe, & integrum, & continuum, vt colligitur ex *Concil. Trident. ſeſ. 25. de refor. cap.* 15. & quamuis aliqui cenſuerint, ſatis eſſe, ſi ſit tempus interpolatũ, vt præſertim nõnulli dicũt moti ex *Bulla* Iulij Secũdi cõceſſa Minoribus Fratribus per quam illis permittebatur Nouitiatum interrumpere poſſe, quod priuilegium non eſſe reuocatum per Tridentinum docet *Rodriquez in quæſt. regul. tom.* 3. *qu.* 15. *art.* 8. & plures apud ipſum, & ideò per continuationem eodem priuilegio frui poſſe reliquas religiones; quãuis inquam aliqui ita cenſuerint, nihilominùs contrariam ſententiam puto eſſe omninò admittendam, nempè tale priuilegium eſſe reuocatum, vt rectè oſtendit *Sanchez in decal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 35. Supponendo igitur hanc opinionem de continuitate nouitiatus, ſupereſt difficultas, quomodo ſit continuitas ipſa intelligenda phyſicè nè, an moraliter? & ideò quæritur, an abſentia interrumpat annum nouitiatus, ita vt requiratur noua receptio, ſi nouitius qui illum interrupit, velit in eadem religione perſeuerare? Varias de hac re inuenio ſententias, quas breuiter referam.

Prima vult, per modicam abſentiam extra monaſterium non interrumpi nouitiatum; at in hac opinione eſt diuerſitas apud Authores; nam aliqui explicantes modicum tempus dicũt, eſſe ad horas, vel ad duos, vel tres dies; alij extendunt hoc etiam ad quinque dies; ſed nonnulli explicitè id docent, ex alijs verò illatinè deducitur: citari ſolet *Gloſ. in regul. Eum qui* 31. *ver. Et eſt hac. de reg. Iuris in* 6. non rectè, tamen, quia de alio caſu ibi eſt ſermo, nempe quando quis in fine nouitiatus egreditur; nam poſtea, ſi iterum ingreditur, non eſſe neceſſarium, ait *Gloſ.* iterum nouitiatum inchoare. caſus autem iſte eſt longè diuerſus ab hoc, quem hîc exagitamus, loquimur enim quando quis non completo nouitiatu recedit à Monaſterio, & quærimus, an abſentia hęc ſit ſufficiens ad irritandum nouitiatum quoad tempus peractum? Expreſsè autem hanc opinionem amplectitur *Philippus Francus cap.* 1. *nu.* 3. *de regular.* vbi ſic ait, [Satis tamen videtur quòd, ſi tempus, quo ſtetit extra monaſterium fuit modicum per aliquos dies, & ſtatim redijt, tale interuallum non habeat impedire. arg. *L. Plurium. ff. de Repudijs.*] Hæc Francus, qui rationem aſſignans ſubdit, [Quia tunc ceſſat ratio, quod iſte non poſſit probare aſperitates Regulæ.] In eadem ſententia eſt *Leſſius lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 59. *Bordonus in ſuis reſol. tom.* 2. *reſol.* 54. *num.* 204. *& ſequent.* vbi per abſentiam quinque dierum, ait, non interrumpi nouitiatum, idque probat à ſimili ex *L. Et ſi poſt. ff. Si quis caut.* Nolo autem prætermittere diſcrimen quod num. 205. Author iſte agnoſcit, quoad temporis durationem, quãdo Nouitius ſponté recedit à nouitiatu, & quando recedit expulſus à Prælato; 47

V nam

nã in priori caſu docet, abſentiã quinque dierum non eſſe ſatis ad interrumpendum; at verò in poſteriori caſu breuius tempus admittit, ſcilicet abſentiã duorum dierum, & huius differentiæ cõgruentiam aſſignãs dicit, eſſe, quia recedens ſponte eſt magis miſeratione dignus, nam de receſſu minimè conſuluit, ſed potiùs inconſideratè diſceſſit, diabolicis illuſionibus ductus, & obſeſſus, & ideò non ex malitia; at ille expulſus recedit ex ſua culpa, dolo cauſſam præbens huius receſſus, & expulſio fit adhibito prius conſilio totius monaſterij conſiderantis cauſſam eiectionis; proindè nouitius hoc pacto recedens eſt minori excuſatione dignus, quàm ſit ille, qui ex ſua libertate recedit. ſic *Bordonus* diſcurrit, de cuius ſententia infra erit ſermo. Alij Authores, qui videntur eſſe in hac opinione, ſunt *Syluester verb. Relig. 5. quaſt. 4. Nauarr. lib. 3. conſil. tit. de Regular. conſil. 32. aliàs. 42. Naldus in ſumma ver. Nouitius. n. 4 Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. par. 3. allegat.* 101. *num.* 25. *Lezana tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 11. quatenus ait, per notabile tempus interrumpi nouitiatum. Alij verò, inquantum dicunt per abſẽtiam trium dierum à conuentu interrũpi nouitiatum, inſinuare videntur, per breuius tempus non interrumpi; ſi enim ipſi exiſtimarent, requiri tempus omninò continuum, non debuiſſent ad interruptionem aſſignare triduanam abſentiam, ſed abſoluiè debuiſſent dicere, annum nouitiatus debere eſſe continuum ſine vlla interpolatione.

48 Ratio autem fundamentalis pro hac ſentẽtia eſt, quia continuitas poſtulatur ad experiendas auſteritates religionis, quarum experientia magis habetur per continuationem, quàm per intermiſſionem: & ita experimur, multo difficiliorem reddi continuitatem ieiuniorum per quadraginta dies tempore quadrageſimali, quàm ſi ieiunia fierent interpolatis temporibus: ſed abſentia paucorum dierum non tollit experientiam harum auſteritatum; ergo non videtur ſufficiens ad deſtruendam continuitatẽ moralem nouitiatus.

49 Secunda opinio eſt directè contraria, aſſerens, per quamlibet abſentiam quibuſdam poſitis conditionibus mox explicandis, interrumpi nouitiatum. ita *Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap.* 15. *n. 6. & ſeq. Sanchez in decal. lib. 5. cap. 4. num. 31. Portellius in dub. reg. ver. Nouitij annus num.* 49. S. *Fauſto in Theſau. relig. lib. 5. qu. 164. nu. 2. Peyrinus de Rel. qu. 3. cap. 1. §. 4. num.* 102. *Caſtropalaus par. 3. diſp. 1. tract. 16. punct. 12. num. 4. & ſeq. Graff. in deciſ. aur. par. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 27. Pellizarius in manual. Reg. tract. 2. cap. 1. num.* 37. & alij tum recentiores, tùm veteres, quos citati Authores laudant. Conditiones autem, quæ requiruntur ad hanc interruptionem, hæ ſunt, nimirum, vt ipſa abſentia ſit abſque licentia Superioris, & nouitius recedens dimittat habitum religionis, & egrediatur intẽtione deſerendi religionem: his conditionibus poſitis, ſtatus mutatur, & ideò ceſſat nouitiatus, & ſi nouitius velit denuo ingredi, erit neceſſaria noua receptio. hac ratione Doctores prędicti ſuam ſententiam probare ſolent.

Tertia ſententia poterit referri, quæ conuenit cũ hac ſecunda ſpectando ius cõmune, ſed ab illa diſcrepat, ſtãte quodã priuilegio cõceſſo Fratribus Minoribus à Iulio II. quod referunt, & Authores citandi, & alij; dicunt enim, per abſentiam à monaſterio non interrumpi nouitiatum. Sic *Rodriquez tom 3. quaſt. Regul. quaſt. 15. art* 8. *Iorlus in compend priu. mendic. ver. Nouitius. titul. de nouitiorum profeſſionis emiſſione. ver. Secundo eſt videndum*, qui addunt, priuilegium hoc non eſſe abrogatum virtute Tridentini; & ideo illo frui poſſe omnes alias religiones, quæ communicant in priuilegijs aliorum Ordinum. hæc ſunt Authorum placita de re hac. quid autem ego ſentiam in ſequentibus declarabo. 50

Dicendum eſt primò, opinionẽ quam ex *Bordono* retuli non placere; quia diſcrimen illud inter nouitium expulſũ à Religione, & nouitium ſponte egredientem non videtur ſolidè dictum, & multo magis ob fundamentum, quo nititur; ratio autem prioris partis probatur ex eo, quia interruptio temporis ad nouitiatum requiſiti ſumi debet in ordine ad derelictionem ſtatus, & nõ in ordine ad cauſſam; nam quęcumque ſit cauſſa, ſi verificetur quòd nouitius iam deſeruit ſtatum, cenſebitur interruptus nouitiatus; & ideò ſiuè deſertio procedat à voluntate ipſius nouitij, ſiuè à voluntate ſuperioris ęquè vtrumque 51

ſe

Digitized by Google

ſe habebit; ratio vero poſterioris partis erit maniſeſtior, quia ſi ſpectare deberemus volũtatem à qua receſſus procedit, potiùs oppoſitum eſſet dicendum; cenſetur enim minus voluntarius diſceſſus illius, qui expellitur, quàm diſceſſus proueniens à volantate ipſius nouitij; & ideò, ſi ſpontè recedens eſt miſeratione dignus, dignior erit diſcedẽs coactè; quapropter, ſi diuturnior abſentia magis in vno, quàm in alio diſceſſu eſſet concedenda, libentiùs concederem longiorem abſentiam, quando nouitius expulſus deſerit religionem; breuiorem autem quando ſpontè recedit. illud autẽ motiuum, quod ſubdit *Bordonus* ad maiorem inducendam miſerationem videlicèt defectus conſilij, eſt valdè accidentarium, quia poteſt nouitius, antequam ſpontè recedat, conſilium ab alijs petere de ſuo receſſu: ſed eſto dicatur, non ex conſilio aliorum, ſed proprio ſenſu ductus receſſiſſe, tunc tamen haberetur motiuum contrarium; quia eſſet minus commiſeratione dignus; cum abſque prudentum conſilio proprio marte diſceſſum determinauerit.

52 Dicendum eſt ſecundò, opinionem eorum, qui cenſent in hac materia dari paruitatem temporis inſufficientem ad interrumpendum ipſum nouitiatum, nõ determinando paruitatem huius quantitatis, eſſe probabilem, tùm authoritate eorum, qui illam tuentur, tum etiam ratione; videtur enim in re hac locum habere illud Iuris axioma, ſcilicet, Modicum pro nihilo reputari. Opinio autẽ contraria, quæ vult, magis eſſe attendendam grauitatem actionis, quàm moram temporis, nempè quando illa tria concurrunt recenſita a *Suarez*, ideſt depoſitio habitus, egreſſus, & intentio deſerendi Religionem, eſt etiam valdè probabilis, quia intentio recedendi adiunctis illis alijs duobus actibus externis videtur ſtatum nouitiatus deſtruere, eoque deſtructo, iam erit interruptus; & conſequenter dici debet, nouam receptionem eſſe neceſſariam ad hoc, vt nouitius, qui receſſit, legitimum peragat nouitiatum. Quænam autem ex his duabus ſententijs ſit admittenda fluctuat animus determinare, cum vtraque, & rationibus, & authoritate fulciatur. Fateor tamen, hanc, quæ magis grauitatẽ actionis, quàm moram temporis ſpectat, eſſe aliquantulum rigidam, ſed magis rationi conſentaneam; alteram verò, quæ ponit interruptionem in mora temporis, eſſe benigniorem, ſed minus verã: & id confirmo ex *praxi* noſtræ Societatis in alio ſimili, imò à fortiori; nam quãdo aliquis religioſus poſt biennium habens ſolum vota ſimplicia ob aliquam cauſſam, ſiuè ad ſui ipſius inſtantiam dimittitur è Societate, ſtatim ac ſuperior conſignat illi litteras, per quas Pater noſter Generalis abſoluit illum à tribus votis, & dat licentiam egrediendi, ſi ipſe dimittendus litteras accipit, & acceptat, nõ cenſetur amplius eſſe è Societate, & ſine noua receptione non poterit iterum ingredi: igitur, ſi breuiſſima iſta actio, cenſetur ſufficiens, vt ille nõ ſit amplius religioſus, multò magis exiſtimari debet ſufficiens abſentia nouitij à monaſterio, concurrentibus illis conditionibus ſuperiùs enumeratis, ad hoc, vt ipſe nouitius non cenſeatur amplius eſſe in ſtatu nouitiatus.

53 Poſſet tamen quis ad hominem contra me arguere, deſumendo argumentũ a pari ex iis, quæ ſuperiùs dixi, agendo de obligatione, quam habent Epiſcopi ad reſidendum in propria diœceſi, ſi frui velint alternatiua; dixi enim ibi abſentiam duorum, vel trium dierum eſſe quid modicum, & inſufficiens ad hoc, vt menſis ille, qui ſtante alternatiua eſt Epiſcopo conceſſus, efficiatur Apoſtolicus, adeo vt beneficium vacans eodem menſe prouidendum ſit à Pontifice; ita pariter debuiſſem in præſenti materia diſcurrere, nempè, eſſe quid modicum, ſi nouitius abſit è nouitiatu, etiam poſitis illis tribus conditionibus, per vnum, aut alterum diem; & per cõſequens per talem abſentiam non eſſe cenſendum abſentem, ſed præſentem religioni.

Reſpondeo negando paritatem; nam in reſidentia requiſita ad hoc, vt Epiſcopi fruantur alternatiua, non attenditur aliquis ſtatus, ſed præſentia in tali determinato loco, ſcilicet in diœceſi; proinde breuitas, aut diuturnitas reſidentiæ eſt menſuranda per ordinem ad tempus abſentiæ; at in præſenti caſu attenditur potiùs ſtatus, quàm tempus; & ideò parùm, aut multum in ordine ad actionem deſtructiuam huius ſtatus eſt conſiderandum; nam, ſi erit completa, deſtruet ſtatum, quod euenit quando tria illa ſuperius enume-

rata concurrunt; ſi tamen vnum ex illis
tribus deſit, non erit completa, atque
adeò ſe habebit, ac ſi eſſet quid modi-
cum, & paruum.

54 Ad argumentum verò pro prima ſen-
tentia deſumptum ex Iure, Reſpondeo
in L. *illa. Et ſi poſt.* ſermonem eſſe de eo,
qui promiſerat in Iudicio ſe ſiſtere in-
fra paucos dies, & vt exponit Gloſſa, *in-
fra decem dies*; idque ex præcepto Iu-
dicis, & ſub aliqua pœna; vnde ſi com-
paruerit poſt quatuor dies, tranſactis
decem, nempe die decimo quarto, cen-
ſet Iuris conſultus, eſſe quid modicum
& moram purgabilem: & ſic caſus eſt
diuerſus; quia non agitur de ſtatu, ſed
tempore; & ideo tres, vel quatuor dies
poſt terminum præfixum indicabun-
tur eſſe quid modicum; at in caſu noſtro
ſermo eſt de ſtatu; proinde eſt videndũ,
num ſtatus fuerit deſtructus nec ne, nul-
lo habito reſpectu ad tempus: & ſic nõ
eſt vtrobique eadem ratio.

Et hæc ſatis de Abſentia, quæ aliqua-
lis ignorantia dici poteſt; meum enim
hic non erat de ea ſermonem habere,
niſi occaſione arrepta ex ſuperioribus
regulis, vbi de Ignorantia actum eſt.

REGVLA XV.

Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari.

PRæſens regula, quam explanandam
aggredior, frequentibus, atque am-
pliſſimis commentarijs à Doctoribus
illuſtratur. Ea autem deſumpta eſt ex *L.
Cũ quidam. ff. de lib. & poſth.* & de eadẽ
agunt ibi Bartolus, cæterique ſcribẽtes,
quos laudat *Auguſtinus Barboſa* in
collectaneis, hanc regulam exponens,
*& Simon Vaz de principijs. & locis com
munibus lit. O. num.* 2. Sed priuſquam ad
quæſtiones inſtituendas deueniam, præ-
mitto terminorum declarationem; vt
plenior ipſius regulæ intelligentia habe-
atur, exordium ſumens à prima illa dic-
tione, nempè, *Odia.*

1 Animaduerto, per odium in ſubiecta
materia non intelligi appetitum chari-
tati contrariũ, de quo fusè agunt Theo-
logi, & S. *Thomas* 2. 2. *qu. 34 per totam.*
ſed intelligi, aliquod obiectum, quod
eſſe poteſt honeſtũ, & rectę rationi con-
ſentaneum, afferens tamen moleſtiam,
& grauamen, vel alterius pręiudiciũ, et
damnũ, & tales ſunt leges pœnales, ſeu
ſtatuta, quæ prohibẽt aliquod, & reſtrin-
gunt humanam libertatem, ne hoc, vel
illud exerceat, vel vt aliquod aliud aſpe-
rum agat: ſimiliter, etiam ſi non præci-
piatur moleſtum, ſed potius iucundum;
tamẽ cenſetur res odioſa, ſi derogat iuri
cõmuni, & ab illo exorbitat, vt ſunt diſ-
penſationes, & nõnulla priuilegia, vel ali
qua alia, quę tẽdunt in detrimẽtũ tertij.
& hæc quoad hanc primam dictionem.
Quoad ſecundã verò, in qua nominãtur
Fauores, dico, per hanc dictionẽ impor- 2
tari oppoſitas conditiones illis, quæ
odio iam declarato conueniunt, &
ideo ſignificari aliquod afferens iucun-
ditatem, vtilitatem, &c. abſque alterius
incommodo. His præmiſſis quoad ter-
minorum explicationem apertus eſt hu-
ius regulæ ſenſus, per quam admone-
mur, diſpoſitionem illam, quæ odium
continet ſtrictè eſſe interpretandam, &
ità ſecundum illam iudicandum: contrà
verò, diſpoſitionem, quæ fauorem in-
uoluit, eſſe amplè intelligendam, & iux-
tà hanc amplam ſignificationem eſſe
caſum decidendum. Quid autem ſit de-
terminandum, quando odium, & fauor
in eadem diſpoſitione habentur, infrà
in deciſione quæſtionum exactè expli-
cabitur.

CAPVT I.

Vnde nam agnoſcatur, num diſpoſitio ſit fauorabilis, an verò odioſa?

INſtituitur quæſitum de Diſpoſitione, 3
quæ, vt ſic, ampliſſimam inuoluit
ſignificationem, & ſe extendit ad om-
nem prouidendi modum, vt ex varijs
Iuribus colligunt Authores *Rebuffus in
concordatis, ſub rubr. de collationibus;
§. Præfatique Ordinarij. Ver. diſpoſitio-
nem, lit. C. pag. mihi.* 559. *Mandoſius in
reg. 32. Cancell. quæſt. 4. num.* 5. *Gonza-
lez in reg. 8 eiuſdem cancell. Glos.* 20. *n.
1. Selua tract. de benefic. part.* 3. *quæſt.*
1. *num.* 16. *Barboſa in Collect. Clem.
vnic. de ſupplenda negligentia Prælati
num.* 10. *& alij.* Cum autem fauor, &
odium contineri queant in pluribus, di-
uerſiſque prouiſionibus; iure optimo
quæſitum ſit de termino vniuerſali, ſub
quo omnes comprehenduntur prouiſio-
nes; & ideo ſub diſpoſitione latiſſimè
ſumpta includuntur non ſolum humanæ
leges,

Digitized by Google

leges, verum etiam ſtatuta, priuilegia, diſpenſationes, conceſſiones, ſeu facultates, & ſimilia. His præmiſſis quærimus, ex quo capite deprehendi poſſit, an diſpoſitio cenſenda ſit fauorabilis, an verò odioſa? Et, vt ea, quæ ſunt certa, nullãque inuoluunt dubitationem, ſupponantur, & locus detur ijs, quæ in controuerſiam apud Authores reuocari ſolent, ſuppono, vt manifeſtum, diſpoſitionem illam eſſe fauorabilem, quæ nemini grauamen affert, neque vllo pacto iuri cõmuni derogat; & tale cenſetur purum beneficium Principis, nempè illud, quod alterius tertij præiudicium admixtum non habet; contra verò diſpoſitio, quæ eſt purè pœnalis, vel limitat ius, & libertatem alterius, vel aliquod onus imponit ſine retributione, qualis eſt impoſitio tributorum, exiſtimatur odioſa: & de his, vt iacent, non eſt contentio, aut dubitatio apud Authores.

4 Difficultas præcipua eſt in determinando, quid iudicare debeamus, quando in eadẽ diſpoſitione includitur fauor reſpectu vnius, & odium reſpectu alterius, num in tali caſu fauorabilis, an odioſa ſit cenſenda diſpoſitio? antequam autẽ de re hac diuerſas *Doctorum* ſententias referam, ſuppono cum eiſdem, dubitationem hanc eſſe intelligendam, quando fauor, & odium in tali diſpoſitione non ſunt ſeperabilia; quia, ſi poſſunt ſeparari, difficultas locum habere nequit, quatenus reſpectu vnius partis diſpoſitio dicitur fauorabilis; odioſa verò reſpectu alterius. debet igitur fauor, & odium indiuiſibiliter concurrere reſpectu eiuſdem rei, quæ alicui fauet, alteri verò nocet. V. g. Conſtitutio illa, quæ habetur *in Cap. Si propter de Reſcrip. in* 6. per quam *Bonifacius* VIII. Summus Pontifex diſponit, vt fructus primi anni beneficiorum, quæ in diœceſi Bononiẽſi vacabunt, cedere debeant per quinquennium pro extinguendis debitis, quibus Epiſcopus eiuſdem diœceſis inueniebatur grauatus, qui tamen fructus mortuo ipſo Epiſcopo percipiendi fuiſſent ab Epiſcopo ſucceſſore, conſtitutio inquam hæc eſt fauorabilis reſpectu Epiſcopi mortui, odioſa reſpectu ſucceſſoris, & eſt in ordine ad eamdem rem, nempè ad eoſdem fructus. debemus igitur quæſtionem hanc examinare, quando fauor, & odium inſeparabiliter ſe habent. quo præſuppoſito, diuerſas inuenio ſentẽtias, quas diſtinctè, & fideliter referam.

Prima autem ſententia aſſerit, quando in eadẽ diſpoſitione inſeparabiliter, modo explicato inuenitur fauor, & odium, diſpoſitionem ſimpliciter fauorabilem eſſe iudicandam, quia in concurſu vtriuſque, nempè fauoris, & odij, fauor præualere debet. ita *Panorm cap. In litteris. nu.* 34. *de Reſtitut ſpoliat Ancharanus conſil* 215. *num Aymon conſil.* 118. *num.* 10. *Farinacius conſil* 45. *num.* 23. *Gonzalez ad reg. Cancel. gloſ.* 6. *proam. num.* 72 *& alij.* 5

Secunda ſentẽtia oppoſitum ſuſtinet, videlicèt, talem conſtitutionem cenſeri odioſam. ſic *Alciatus lib.* 5. *Paradox. cap.* 16. *num.* 7 *Ioannes Andr. in cap.* 1. *de locato num.* 5. *Milis in ſuo repertorio verb. Lex dicitur fauorabilis; & verbo Priuilegium ſi vno reſpectu, &c. Tiraquell. in præfat. de vtroque retractu. num.* 67. Ratio eſſe poteſt; quia potius eſt attendendum grauamẽ, quod vni nocet, quàm fauor, qui alteri iuuat. 6

Tertia opinio vult; eſſe recurrendum ad intentionem illius, à quo diſpoſitio hæc emanauit; ſi enim ille primario, tãquam finem, habuit fauorem, diſpoſitio cenſeri debet fauorabilis; ſi verò odiũ, erit odioſa; ita *Sanchez lib.* 1. *de matr. diſp.* 1. *num.* 4. *Salas in p* 2. *tract. de legib. diſp.* 21. *ſect.* 4. *num.* 10. *Bonacina eod. tract. diſp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 8. *prop.* 3. *num.* 13. *& alij.* Ratio eſt, quia id, quod à diſponente intenditur, ſe habet vt finis ipſius diſpoſitionis, & ideò dat illi ſpeciem, & denominationem. 7

Quarta ſentẽtia vult, hoc, quod eſt eſſe fauorabilem, aut odioſam diſpoſitionem, ſumi debere ex intrinſeca materia ipſius diſpoſitionis, & non ex intentione diſponentis: & hanc opinionem docet *Suarez de legib. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 5, *Merolla in theolog. moral. tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 1. *num* 41 Probatur, quia fauor aut odium nequit reſultare ea intentione diſponentis, quæ eſt extrinſeca, & nequit variare qualitatem, ſeu proprietatem intrinſecam ipſius diſpoſitionis, ſed debet reſultare ex ipſa materia, quæ in diſpoſitione continetur. 8

Quinta denique, quæ à præcedentibus diuerſa apparet, ea eſt, quam ponit *Petrus PecKius de regul. Iuris canonici*, hanc regulã exponens, nu. 9. vult enim, fauorẽ, aut odium non eſſe attendendum ex rebus ipſis, ſed ex qualita- 9

te illa, quæ ex ſubiecta ratione prævalet.

Hæ ſunt ſententiæ, quas apud Authores de re hac inuenio, quarũ aliquæ, niſi decipior, ſolis nominibus inuicem diſcrepant: dicam quid probabilius ſentiam.

10 Dicendum eſt, quando fauor, & odiũ inſeparabiliter in eadem diſpoſitione inueniuntur, tũc denominationem ſumẽdam eſſe ex illa qualitate, quæ, penſatis omnibus, notabiliter ſuper aliam præponderat, & hoc confirmari poterit ex multis alijs, quę eueniunt in rebus phyſicis, & politicis paritatem ſuadentibus, V.g. *Si* in aliquo ſubiecto reperiatur calor, & frigus, ſeu albedo, & nigredo, ſed calor ſit in gradu valdè intenſo, frigus verò in gradu valde remiſſo, tale ſubiectum ſimpliciter, & abſolutè denominaretur calidum: & idem dico de albedine, ſi notabiliter excedat nigredinem: eodẽ etiam modo eſt diſcurrendum *in* politicis v. g. *Si* Princeps aſſuetus ſit exercere officia pietatis, & liberalitatis, retinebit denominationem pij, & liberalis, quamuis vna, aut altera vice à tali officio exercendo deficiat, & ſic in ſimilibus: ergo à pari, ſi diſpoſitio, attentis omnibus, nempè materia, perſonis, motiuis, & alijs, quę conducunt ad conſtituendum fauorem, aut odium, prævaleat notabiliter in fauorabilibus, licèt in eiſdem aliquid odij, nempe grauaminis contineat, hoc non obſtante, appellabitur fauorabilis: & è conuerſo denominaretur odioſa, ſi præponderarent notabiliter qualitates odium inducentes.

11 Quęres quid iudicandum, quando ſpectatis omnibus res eſt dubia, nempe quando fauor, & odium ita inſeparabiliter cõcurrunt, vt quamdã videantur habere æqualitatem; vtrum in hoc caſu diſpoſitio cenſenda ſit fauorabilis, & ampliãda, an potius odioſa, & reſtringẽda? ad hoc quæſitum reſpondent aliqui, exiſtimandam eſſe ſimpliciter fauorabilẽ, ita *Gloſs. Leg.* 2 *C. de his, qui non poſsũt ad liber. peruen. Verb. Irrogauerit.* Baldus ibidem, citatus ab *Alexandro lib. 7. conſil.* 197. *num.* 2. *Suarez lib.* 5. *de legib. cap.* 2. *num.* 13. *& alij.* Ratio autem eſt, quia fauor intenditur per ſe; odium verò per accidens: ergo magis attenditur fauor; nam id, quod in aliqua diſpoſitione ſe habet per ſe, prævalet alteri, quod ſe habet per accidens. Mihi tamen videtur dicendum, diſpoſitionem hanc mixtam eſſe appellandam, quia æqualitate poſita, non eſt maior ratio, cur potius ab vna qualitate, quã ab alia denominetur, & parum refert, fauorem per ſe intendi; odium verò per accidens; nam intentio, vt dictum eſt in relatione quartæ ſententię, nequit immutare proprietatẽ intrinſecam rei; ſicuti in phyſicis ſubiectũ habens in intẽſione albedinẽ, & nigredinẽ, non poteſt abſolutè denominari album, aut nigrũ, ſed mixtũ quoad qualitates, quamuis agens per ſe intenderit albedinẽ, & peraccidẽs nigredinẽ.

CAPVT II.

De multiplici ſignificatione, quæ conuenire poteſt verbis in diſpoſitione contentis.

NOn ſolum vtile, ſed etiam omninò neceſſarium eſt, ad variarum diſpoſitionum interpretationem, perſpectas habere ſignificationes vocum, quę in qualibet diſpoſitione habentur; quia, cũ ſignificatio interdum ſit ampla, imo ampliſſima, interdum verò ſtricta, aut minus ampla, & conſequenter illa vſurpanda in fauorabilibus, hæc in odioſis, ideò operæ pretium eſt, varia nominum ſignificata non ignorare; illis enim cognitis facile deuenire poſſumus in notitiam mentis ipſius diſponentis.

Dicendum igitur eſt primò, præcipuã verborum ſignificationem eſſe eam, quæ propria appellatur, & communi vſu recepta. ita aſſerit *Gloſ cap. ex litteris* 1. *verb. Propoſuit de ſponſal. & matrim. & cap. Nonnulli. verb. Lex. quæſita.* 16. *poſt medium. Rodriquez in quæſt. regul. tom.* 1. *qu.* 11. *art.* 6. *Suarez de legib. lib* 6. *cap.* 1. *num.* 7. *Salas eod. tract. diſp.* 21. *ſect.* 3. *num.* 4. *Verb. Prima regula. Barboſa in collect. cap. Ex litteris. cit. num.* 9. *& alij.* & meritò id dicunt; quia verba debent ſumi iuxta propriam ipſorum ſignificationẽ, niſi aliud cogat nos illa diuerſo modo interpretari ad mentem diſponentis aſſequendam, aliter nihil haberemus firmum. 12

Dicendum eſt ſecundò. Prӕter propriam, & primæuam ſignificationem datur alia, quæ dicitur ciuilis, & habetur ex iuriſfictione v. g. Pater dicitur filio orbatus, quando ipſe filius mortuus eſt: nihilominus, ſi filius viueret, & eſſet omninò inutilis, per quamdam iuriſfictionem diceretur etiam orbatus. ita habetur *ex Gloſſa in L. fin. C. Ad legem* 13

fla-

flauiam de Plagiarijs verb. Orbitates. & idem dicunt auctores de hac voce, *Mors*, quæ non ſolùm naturaliter pro vera, & reali ſeparatione animæ à corpore, ſed etiam ciuiliter ſumitur in multis caſibus, qui in iure expreſſi habentur, & in quibus in ordine ad aliquem effectum eadem inuenitur ratio, quæ in morte naturali. ita *Farinacius in fragm. crim. part. 2. lit. M. num.* 368. *Menochius conſil.* 288. *num.* 21. *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp.* 17. *num.* 9. *& alij apud ipſum* : prçter has duas ſignificationes additur à quibuſdã alia, quæ appellatur vſualis, quatenus eſt per conſuetudinem communiter acceptata ; ſed reuera vſualis commodè reuocari poterit ad vnã ex duabus prædictis, vt notat *Merolla to.2.diſp.4.cap. 9. num. 9.* & meritò ; nam ſi verborum vſus eſt eo modo, quo communiter vſurpatur, ſignificatio non erit diſtincta à propria, & naturali : ſi verò à iure, tunc erit ciuilis ſignificatio : & ſic vſualis non eſt neceſſe, vt diſtinguatur ab alterutra ex ijs duabus.

14 Sed contra primam verborum ſignificationem, quæ dicitur propria, & naturalis, poſſet quis magis philoſophicè, quam iuridicè obijcere, probando, nullã dari ſignificationem naturalem ; quia, vt communiter docent Philoſophi, nulla ſignificatio in verbis eſt à natura, ſed ab hominum placito, vt habetur ex *Ariſtotele lib. 1. de interpret cap.* 2. ergo nulla dari poteſt in verbis naturalis ſignificatio ; proinde non rectè explicatur propria ſignificatio, cum dicitur eſſe ea, quæ eſt naturalis.

Reſpondetur, eſſe naturalem in præſentia non ſumi in ſtricta ſignificatione, ſicuti ſumitur à Philoſophis, ſed magis tè, quatenus importat primæuam eorũdem verborum impoſitionem apud talẽ nationem; & ſic apud nos, vox iſta, *Mors*, ab initio impoſita fuit ad ſignificandam ſeparationem realem animæ à corpore, & ideò talis ſignificatio dicitur naturalis; poſtea, verò ratione alicuius ſimilitudinis, ſeu in ordine ad aliquem effectum, eadem vox extẽſa fuit à iure ad ſignificandam mortem ciuilem : & ſic profeſſio religioſa, per quam homo mundũ relinquens, & propriam voluntatem, propriaſque affectiones exuens, veluti ſeparatur ſecundum animam à corpore, appellatur mors ciuilis. Et hæc quoad primarias verborum ſignificationes. Sed quia prædictæ ſignificationes quamdam habent latitudinem, & poſſunt magis, vel minus extendi, idcircò breuiter adnoto, quòd aliquando extenſio ſignificati ſit ſecundum totam ſignificationem naturalẽ tantum, nulla adhibita reſtrictione ; aliquando verò vltra naturalem, ſed intra ciuilem, aliquando etiam vltra ciuilem, impropriando vocẽ, vt vitentur abſurda; aliquãdo demum vltra omnem verborum ſignificationem, & hoc, vel ob ſimilitudinem vnius caſus cum alio nõ comprehenſo ſub verbis, vel ob identitatem, quæ reperitur inter vtrumque caſum. Hæc autem magis declarabuntur cum varios caſus ſpeciales pertinentes ad hanc regulam examinabimus.

CAPVT III.

De qualitate extenſionis, vel reſtrictionis facienda in diſpoſitione fauorabili, vel odioſa.

Antequam ſpeciales caſus decidantur, neceſſe eſt præmittere, & declarare qualitatem, ſeu modum, quo fieri debeat extenſio in diſpoſitionibus, quæ ſunt fauorabiles, & reſtrictio in illis, quæ ſunt odioſæ ; ex his autem principijs rectè explicatis dependet plurimorum caſuum deciſio : incipio igitur ab ampliſicatione, ſeu extenſione, quæ fauorabilibus conuenit.

Dicendum eſt primò. In fauorabilibus diſpoſitio extenditur ad ea omnia, quę continentur ſub ſignificatione tum naturali, tum ciuili verborum. Eſt communis ſententia, quã docent, loquentes de legibus, & probant, *Suarez lib. 6. cap. 2. num. 6. & 7. Salas diſp. 21 ſect. 3. num. 4.* Bonacina *diſp. 1 qu. 1. num. 9. Caſtropalaus tom. 1. tract. 3 diſp. 5. pu. 3. num. 8. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 9. num. 10.* & alij tum Iuriſtę, tum Canoniſtæ apud ipſos. Ratio pro aſſertione deſumitur ex hac regula, in qua dicimus, fauores ampliandos eſſe: hoc autem verificari nequit, niſi dicamus, verba diſpoſitionis fauorabilis eſſe extendenda ad ciuilem ſignificationem, quia, ſi ſiſterent in ſola ſignificatione naturali, nil aliud haberetur, niſi, quod non reſtringerentur, non autem quòd ampliarentur ; talis verò intelligentia non eſſet conformis huic regulę, quę requirit extenſionem. 15

Di-

16 Dicendum eſt ſecundò. Per ſe loquẽdo non debet diſpoſitio etiam fauorabilis ampliari vltra ciuilem ſignificationẽ, extendẽdo verba ad ſenſum impropriũ, vt docet *Abbas cap. 1. de Conſtitut. nu. 14. & alij ibidem; Felinus cap. Tranſlato. de Conſtitut. num.* 14. *Couarr. lib. 3. variar. reſol. cap.* 3. *num.* 9. & alij docentes, non eſſe relinquendam verborũ proprietatem, niſi, eam ſequendo, ſequeretur aliquod abſurdum, vel inutilis redderetur diſpoſitio: prior huius aſſertionis pars manifeſtè ſuadetur; quia, ſi omnis verborum proprietas deſeratur, nil certum, & firmum in diſpoſitionibus haberetur, quod eſt maximum inconueniens: debet igitur aliqua verborum proprietas teneri: per accidens autem recurrẽdum eſt ad ſignificationẽ impropriam, nempè si retenta ſolùm propria, ſequitur inconueniens, vt colligitur ex *L. Scire §. Aliud etiam. ff. de excuſ. Tut. & in inſtit eodem tit. §. Qui autem.* In his autẽ iuribus diſponit lex, quòd electus in tutorem, vt poſſit ſe excuſare, ſi velit, habeat dilationem quinquaginta dierum, ſi habitet in eadem ciuitate, in qua electus eſt, vel ab ea diſtet intra centum milliaria: ſi verò vltra diſtet, concedit illi pro ſingulis viginti milliaribus vnum diem, & inſuper adijcit alios triginta dies ad excuſationes coram Iudice proponendas: ſed quia facto horũ dierum computo, videbatur ſequi, maiorem dilationem habere, qui minus, quã qui magis diſtaret, quod eſt abſurdum, & contra æquitatem; idcircò lex prædicta extenditur, eiuſque verba interpretantur vltra ipſorum naturalem ſignificationem, & trahuntur ad ſenſum improprium. Probatur autem abſurdum tali pacto. Fingamus, tutorem electum diſtare à ciuitate vltra ſpatium expreſſum in lege, nempe vltra centum milliaria diſtare alijs ſexaginta milliaribus, tunc lex huic ita diſtanti concedit octo dies, quia in hoc numero centum ſexaginta milliarium continentur octies viginti, ideoque dilatio iuxta numerum dierum deberet eſſe triginta octo dierũ, videlicet octo pro totidem viginti milliaribus, qui ingrediuntur in ſupradictum numerum centum ſexaginta, & ſimul triginta, quæ virtute legis, vt dixi, adijciuntur: & conſequenter dilatio hæc eſſet minor, quàm illa conſtans ex quinquaginta diebus: & tamen hæc minor dilatio eſſet pro eo, qui eſt in remotiori loco, ſcilicet qui centum ſexaginta diſtat; pro eo verò, qui eſt in ciuitate, vel ſolum intra centum milliaria diſtat ab illa, eſſet maior dilatio: ad vitandum autem hoc abſurdum, lex extenditur, eiuſque verba ſic impropriantur, vt conceſſio quinquaginta dierum, quæ erat pro diſtantibus intra centum milliaria, locum etiam habeat pro diſtantibus vltra centum milliaria, ita vt dilatio quinquaginta maneat ſemper firma: & nunquam diminuatur, quacumque poſita diſtantia, quamuis verba legis, ſiſtendo intra proprium ipſorum ſignificatũ, id non exprimant, & ſolum loquantur de diſtantia intra centum milliaria; & in hoc magis attendenda eſt mens legiſlatoris, qui non præſumitur in ſuis legibus velle diſponere aliquid contra æquitatem, quàm ipſorum verborum naturalis, & propria ſignificatio.

17 Rurſus quamuis hoc nomen, Ciuitas, ſecundum propriam, & naturalem ſignificationem importet ædificia, quæ murorum ambitu continentur, vt ex multis iuribus probat *Oldradus conſil.* 221. reſpondens ad primã quæſtionem. *Tuſcus tom 1. lit. C, conclus.* 280. *num.* 7. *& alij*, nihilominus aliquando extenditur ad ſignificanda ſuburbia, etiam ſi diſpoſitio ſit pœnalis, & odioſa: & ſic, ſi interdictum promulgetur contra ciuitatem, ſub nomine ciuitatis comprehendentur ſuburbia, ne illudatur ipſum interdictum vt habetur in *Cap.* Si *ciuitas. de ſententia excom. in* 6. ſimiliter venit portus adiacens Ciuitati; & ideo delicta, quæ in portu committuntur, punienda ſunt ab illo, qui in Ciuitate eſt iudex. ſic *Bartolus*, & alij ſcribentes in L. *Inſula. ff. de Iudic.* aliter ſequeretur, talia delicta manere impunita, quod eſt magnũ inconueniens: quod quidẽ intelligitur, quando non datur Iudex proprius, & diſtinctus, qui portui præſit. & ſic in multis alijs ſimilibus.

18 Et hæc quoad primum, nempè quoad diſpoſitiones fauorabiles. Supereſt, vt aliqua adnotẽtur de ſecundo, ſcilicet de reſtrictione, quæ fieri debet, quando diſpoſitio eſt odioſa. Reſtrictio autẽ prout facit ad rẽ noſtram, & quatenus poteſt in conſideratione venire, eſt duplex; vna, quę fit intra ſignificationem naturalẽ, nõ ſumẽdo vocabulũ, quatenus extenſum ad totum illud, quod per ipſum no-

nomen iuxtà primæuam inſtitutionem, poteſt naturaliter ſignificari; altera fit intra ciuilem, ſeruando illæſam totam naturalem ſignificationem nominis, & ſolùm reſtringendo illud, ne amplietur ad ſignificatum ciuile: V. g. ſub hoc nomine, *Filius*, ſpectando totam naturalem vocabuli proprietatem veniunt filij mares, & fæminæ, non autem comprehenduntur nepotes, vt habetur ex *l. Quod ſi nepotes ff. de teſtam. tutela. Bartol. in l. Si quis filiabus. eod. tit.* & quam plures alij, quos cógerit & ſequitur *Menochius conſil.* 215. *à n. 60. to. 3.* (quamuis nomine liberorū veniant nepotes, vt aſſerūt cōmuniter Authores, & dicitur *in l. ſi quis citata*, & alibi.) quicquid ſit in fauorabilibus in quibus nomē hoc *Filius* comprehendit etiam nepotes, & interdū pronepotes in recta linea, & etiam in collaterali, imò filios adoptiuos; &c. de quibus omnibus latiſſimè agit *Auguſtinus Barboſa tract. de appel. verb. vtriuſque Iuris appellat. 99. per totam*, vbi examinat varios caſus expendens ampliationes, & limitationes. Cum autem nomen filij adeò latam habere poſſit ſignificationem, dubitatio eſſe poteſt de qualitate reſtrictionis faciendæ in hoc nomine, quando ſermo eſt de diſpoſitione odioſa; an ſcilicet fieri debeat intra ciuilem, ſeu fictam ſignificationem, relinquendo intactam, vt ita dicam, totam ſignificationem propriam, & naturalem; an verò intra naturalem? vt declarari poteſt ſumendo nomen filij, vel quatenus ſe extendit ad mares, & fæminas, & non vltra, nempè non ad nepotes, filios adoptiuos; &c. vel quatenus reſtrictum ad ſolos filios mares.

19 Prima ſententia aſſerit, in odioſis nomen extendendum eſſe ad omnia ea, quæ comprehenduntur ſub propria, & naturali ſignificatione vocis; reſtringendum verò eſſe, quatenus poteſt extendi ad ſignificationem ciuilem, ſeu fictam; &c. ideo ſiſtendo in exemplo poſito, hoc nomen, Filius, in diſpoſitione odioſa extenditur ad ſignificandos mares, & fæminas, non autem nepotes, filios adoptiuos; &c. Hanc ſententiam quamplures Iuriſtæ, & Canoniſtæ tuentur, quibus ſubſcribit *Suarez lib. 6. de legib. cap. 2. nu. 3. Bonacina eod. tr. diſp. 1. qu. 1. pu. 3. nu. 8. Merolla in theolog. moral. to. 1. diſp. 1. c. 2. diff. 11. coroll. 1. n. 552.* eaque quatenus admittit extenſionem quoad totam ſignificationem naturalē probatur; quia locutio inter homines ſumitur iuxtà naturalem verborum ſignificationem, aliter non poſſet politica hominum conuerſatio perſiſtere; & quamplures darentur deceptiones cōtra bonum politicum, & ciuile communitatis. V. g. Si quis aſſereret, habere tres filios, & nomine filiorum intelligeret, vel nepotes, vel filios adoptiuos tunc tali locutione deciperet audientes, quia in communi hominum commercio, locutio hæc abſolutè prolata intelligi ſolet de veris filijs, ſiue maribus, ſiuè fœminis procreatis ab ipſo loquente. Hæc eſt fundamentalis ratio, quâ Authores nituntur ad hanc ſententiam amplectendam.

*S*ecunda ſententia docet oppoſitum, 20
videlicet, diſpoſitionem odioſam eſſe reſtringendam, etiam intra naturalem, & propriam verborum ſignificationem. ita *Euerardus in Topicis loco à ratione legis larga ad extenſionem ipſius legis in 16. fallentia pag. mihi. 413. circa medium. Ver.* Illud autem, & in eadem ſententia eſt *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 1. num. 11.* & alij apud ipſū, vbi rationem deſumit ex lege, quæ multoties ſolet reſtringere terminos, aliquid adimens de latitudine proprij, & naturalis ſignificati: hoc autem probat, exēplum deducens ex diſpenſatione, cuius verba non ſumuntur in tota latitudine ſignificationis naturalis, ad quam verba ipſa extenduntur. V. g. quando Pontifex diſpenſat cum illegitimo ad ordines ſuſcipiendos, diſpenſatio, vt vult ipſe *Sanchez diſp. cit. num. 26.* intelligitur ad ſolos ordines minores (quamuis alij id negent, volentes, intelligi quoad omnes ſacros ordines, qui continentur ſub naturali ſignificatione huius nominis, *Ordo*;) ſed quidquid ſit de hac ſententia, certum eſt in opinione *Sanchez*, verba, quæ continentur in diſpoſitione odioſa eſſe reſtringenda intra latitudinē ſignificationis naturalis: quam ſententiam nouiſſimè tuetur *Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 9. num. 19.* expreſſè retractans, vt ipſemet fatetur, contrariam opinionem, quam prius docuerat *tom. 1. loco ſuperius citato* Probat autem hanc ſententiā ex verbis huius regulæ, *tom. cit. diſp. 4. cap. 6. num. 15.* in regula autem dicitur *Odia eſſe reſtringenda*, ſi autem verba eſſent ſumenda ſecundum totam ſigni-

ſicationem naturalem, & vlterius non extendenda, debuiſſet dici, *Odia non eſſe amplianda*; ſed cum dicatur, *eſſe reſtringenda*, reſtrictio erit intelligenda intra proprium verborum ſignificatum; quod autem non extendantur, ad ſignificationem ciuilem, rigoroſè loquendo, non eſt ſimpliciter reſtrictio, ſed pura negatio extenſionis non debitæ tali diſpoſitioni. Hæ ſunt ſententiæ, quas apud Authores inuenio; remanet, vt ego declarem, quid de re hac ſentiam.

21 Dico igitur, vtramque ſententiam iuxta diuerſas circumſtãtias eſſe admittendam. explico concluſionem, & aio, per ſe loquendo diſpoſitionem odioſam eſſe reſtringendã intra propriam, & naturalem ſignificationem, vt probant Authores ſecundæ opinionis: & colligitur ex verbis regulæ præſcribentis reſtrictionem, quæ ſimpliciter importat ademptionem alicuius pertinentis ad propriam, & connaturalem ſignificationem ipſorum verborum & hæc quoad ſecundę ſententię explicationē, quæ per ſe, vt dixi, conuenit diſpoſitioni odioſæ. Quoad primam verò dico, quòd plures dantur apud Doctores caſus, in quibus diſpoſitio quamuis odioſa, per accidens extenditur ad totam ſignificationē naturalē: & præſertim id verificatur, quãdo ex cõiecturis colligitur mens diſponẽtis id intẽdiſſe, & hoc exẽplificatur in diſpoſitionibus teſtamentarijs, quas fusè examinat *Barboſa appell. 99. tit.* declarans quid veniat ſub hoc nomine, filius; ponit enim varios caſus à no. 100, in quibus oſtendit ſub nomine filij, venire nepotes, ne aliquod incõueniẽs ſequatur. Si autẽ hoc pacto intelligãtur prædictę ſententiæ poſſent conciliari, non enim eſſent contrariæ; & ideo Authores, quãuis primo aſpectu videantur contraria docere, nihilominus, ſi eorum doctrina cũ omnibus limitationibus, quas ponũt rectè, & attentè perpendatur; difficile non erit eos in concorcordiam redigere. prima enim opinio loquitur per accidens, attentis videlicèt caſuum particularium circumſtantijs, quæ faciunt, vt diſpoſitio odioſa extendatur ad totam ſignificationem naturalem; ſi verò per ſe loquamur, vera eſt ſecunda ſententia.

CAPVT IV.

Vtrum lex diſponens de vno caſu, extendi debeat ad aliũ ſimilẽ ſub verbis eiuſdem legis non expreſſum?

PRo huius controuerſię intelligẽtia, & deciſione nonnulla ſunt ſupponenda: & primò, ſermonem eſſe de lege humana, vi cuius noua inducitur obligatio, quæ vi legis naturalis, & diuinæ non habetur, 22

Secundo ſupponendum eſt, quæſitum procedere tum in lege odioſa, & pœnali, tum in fauorabili, vt in huius quæſtionis progreſſu videbitur,

Tertiò ſupponendum eſt, difficultatẽ, quæ in præſenti quæſtione continetur, inueniri non ſolum, cum agitur de vno caſu ad alium ſimilem, ſed etiam de vna perſona ad aliam, & de vno loco ad alium locum, quando in omnibus his eadem reperitur ſimilitudo, de quibus omnibus fusè, & diſtinctè tractat *Suarez lib 6. de legib. cap. 3. per totum*, breuitati tamen conſulere volens, quæſtionem hanc examinabo eo modo, quo in titulo propoſita eſt, perpendendo ſimilitudinem, quæ inuenitur inter caſum expreſſum ſub verbis, & caſum non expreſſum, & quę de illa dicenda ſunt, applicari poſſunt alijs, nempè ſimilitudini inter perſonas, loca, &c.

Quarto diſtinguenda, & declaranda ſunt hæc duo, nẽpè ſimilitudo, ſeu paritas rationis, & identitas rationis, quę ab aliquibus, ſaltem in verbis, interdũ confunduntur, ex quo orta fuit ſentẽtiarum varietas: debemus igitur duo hæc declarare, oſtendentes, in quo cõuenire, & in quo differre poſſunt.

23 Sciendum ergo eſt, ſimilitudinem prout de illa in præſentia eſt ſermo, vt diſtincta eſt ab identitate, eſſe quamdam paritatem, ſeu æquiualentiam, quæ reperitur inter caſum in lege expreſſũ, & caſum nõ expreſſum, neque ſub verbis legis comprehenſum; non eſſe tamẽ identitatem rationis; quia aliqua differentia reperitur in vtroque caſu. V. g. *Princeps* poteſt imponere pœnam alicui delicto, illudque in lege ab ipſo condita exprimere, & non imponere eamdem pœnam alteri delicto ſimili, & æquè graui; tũc certè inter vtrumq; delictũ eſſet paritas rationis ſufficientis, vt vtrumque eidem pœnæ ſubiaceret. Si

Digitized by Google

militer poſſet dari lex taxans pretium alicui generi mercium, & non alteri generi ſimili quoad æſtimationem, & valorem, & tunc reperitur inter vtrumque genus ſimilitudo rationis quoad valorem, non autem identitas, quia inter vnum, & aliud genus eſſet aliqua diuerſitas.

24 Identitas autem cenſetur eſſe quando in vtroque caſu, nempè in eo, qui exprimitur in lege, & in eo, qui non eſt expreſſus, reperitur omninò eadē ratio. Identitas autē hæc duplex eſt; vna, quam dicimus purè extenſiua, non cōprehenſa tamen ſub mente, & volūtate legiſlatoris, ſed quæ eſt vltra illā: atque hęc identitas eoſdem parit effectus legales, quos cauſat pura ſimilitudo rationis: vnde ortum fuit, vt aliquando vna pro alia ſumeretur ab Authoribus; alia verò identitas eſt comprehenſiua, quando, licet caſus habeat talem identitatem cum alio caſu, non exprimatur in ipſa lege, nihilominus, inſpectis omnibus, cenſetur comprehenſus à voluntate legiſlatoris ob connexionem aliquam, quam habet cum alio caſu expreſſo: de vtraque identitate agit *Suarez cap. 3. cit. num. 9.* eaſque ex mente Iuriſtarum, & Canoniſtarum deſumit, rectè illas declarando, & nonnullis exēplis confirmādo. His omnibus pro elucidatione pręſentis quæſtionis præſuppoſitis, antequam deueniam ad examen variarum ſententiarum, pono exemplū deſumptum ex iure canonico in *Cap. Quia in Inſulis de Regular.* vbi Pōtifex Clemēs V. diſpoſuit, vt in religionibus, quæ in Inſulis inueniuntur, non admittantur ad profeſſionem, niſi illi, qui decimū octauum ętatis annum compleuerint; ratio autem, ad hanc conſtitutionem faciendam, fuit regularis obſeruantia, quæ aſperior eſt in his inſulis, quàm in alijs partibus: & quamuis hodie decretum iſtud euanuerit, ſtante decreto, quod habetur in Tridentino *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 15.* vbi ad profeſſionem religioſam præſcribitur ætas ſexdecim annorum, nihilominus iuuat decretum illud antiquius pro deciſione huius quæſtionis examinanda, ac ſi nūc vigeret: & ideò quæritur, num in alijs Religionibus, in quibus eſt eadem aſperitas, quæ reperitur in religionibus Inſularum, locum habeat idem decretum ob identitatem rationis? Præterea habetur aliud exemplum deſumptum *ex Clem. 1. de Electione.* vbi Clemens V. prohibet, ne eligatur in Prælatum monaſterij aliquis diuerſę religionis, quia rationi non congruit, vt aliquis diſparis profeſſionis ſimul in eodem monaſterio ſocietur: vbi etiam ſe declarat Pontifex, non prohibere vi huius decreti, ne Religioſus eligi poſſit in Epiſcopum, ſiue ſæcularis, ſiuè regularis Eccleſię: quærunt autem Doctores, num lex illa extendi debeat ad moniales, cum in illis eadem militet ratio? His duobus exemplis præmiſſis, aggredior diſcutiendas Authorum ſententias.

Prima autem ſententia eſt affirmatiua, quam defendit *Panor. in cap. Trāſlato. num. 1. de conſtitut. & cap. illo Quia in Inſulis num. 3. & Anchar. nu. 1.* qui ob identitatem rationis extendūt prohibitionem illam ad alias religiones nempè ad religionem Fratrum Prædicatorum, & Minorum ob aſperitatem vitę regularis, quam profitentur. defendit etiam extenſionem hanc vniuerſaliter *Gloſ. in cap. Tranſlato ſuperius cit. ver. Quod de vno, Molina de primog. lib. 1. cap. 7. num. 7. Sylueſter in ſumma Ver. Lex, quæſt. 18. Rebellius de oblig. iuſt. lib. 1. quæſt. 6 ſect. 4. per totam, & alij*. Probatur hac ratione. *Sententia*, quæ à Principe fertur de aliqua determinata cauſa in indiuiduo, extenditur tanquam lex vniuerſalis, ad ferendum idem iudicium in alia cauſa ſimili: ergo lex, quę à Principe emanat, vel à Summo Pontifice, diſponens aliquid in caſu ſpeciali, extendi debet ad caſum ſimilem, quamuis non expreſſum in ipſa lege, ſi eadem ſit paritas, ſeu rationis identitas. Antecedens ſuaderi poteſt ex corpore iuris canonici, nempe ex Decretalibus, in quibus continentur plures ſententiæ latæ à Pontificibus in caſibus indiuidualibus, & tamen eædem ſententię ſe habent, vt leges vniuerſales, & extenduntur ad caſus ſimiles, in quibus eadem ſimilitudo rationis habetur. 25

Secunda vero negatiua oppoſitum docet, nempè, vi ſolius ſimilitudinis rationis legem non eſſe extendendam ad caſum ſimilem non comprehenſum ſub verborum ſignificatione. Cōcluſio, vt iacet, valdè communis eſt, eamque tuentur plures, & Canoniſtę, & Theologi, & expreſſè *Gloſ. in cap. Conſtitutionem de Regular.* quæ infrà citabitur, 26

Euerardus in locis topicis, Loco à *ratione legis larga, &c. Hondodeus cōſil.* 95. *nu.*100 *lib.* 1. *Farinacius in fragm. par.* 1. *lit. B. nu* 60 *Suarez cap.* 3. *cit. num.* 9. *&* 10. *Caſtropalaus part.* 1. *tr.* 3. *de legis interpret. diſp.* 5. *punct.* 3. §. 4. *Merolla part.* 2. *diſp.* 4 *cap.* 9. *dub.* 4. *num.* 36. *& alij*, qui varijs rationibus ſolent ſententiam hanc probare, tum authoritate ex nonnullis textibus iuris canonici deſumpta, vt videbimus, tùm etiam ratione; & præcipuè, quia, cum ratio legis non ſit formaliter lex, non bene infertur, quòd, quamuis eadem ratio inueniatur in alio caſu ſimili, de illo tamē etiam militet legis diſpoſitio; nam potuit legislator, non obſtante idēritate rationis, velle vnum caſum, & non alium, licet ſimilem.

27 Dicendum eſt primò cum hac poſtrema ſententia, quæ eſt longe probabilior, eamque ex iure cānonico probat *Caſtro palaus* §. *cit. num.* 2. videlicet *ex Clementina cit. de Electione.* vbi, quamuis prohibeatur, ne Religioſus voius inſtituti eligatur in Abbatem, ſeu Prælatum alterius Religionis, quia congruum non eſt, vt homines diſparis profeſſionis, & habitus, in eiſdem monaſterijs ſimul viuant; nihilominus ſi Religioſus eligatur in Epiſcopum cathedralis, aut regularis Eccleſię, id non prohibetur; & tamē eſt ſimilis, vel eadem ratio, quoniam Religioſus electus Epiſcopus Eccleſiæ ſæcularis, vel regularis ſociaretur cum alijs diuerſæ profeſſionis, & habitus: quo nō obſtante, lex pontificia non extenditur ad hunc caſum, quamuis ſimilē: ergo militare ibi ſimilem, vel eamdē rationē nōn indicat vtrumque caſum ſub lege contineri, quando vnus tantum caſus in ea lege expreſſus habetur. ſic diſcurrit, & concluſionem noſtram ex iure probat *Caſtropalaus*: ſed probatiò hæc, licet verum contineat, nihilominus, ni fallor, intentum non oſtendit; nam aduerſarij reſpondere poſſent, ideò prædictam legem non ſe extendere ad electionem Epiſcopatus; quia Pontifici placuit excludere hunc caſum, quamuis ſimilem, & ſi illum non excluſiſſet, comprehenſus vtique fuiſſet ſub prædicta lege: interpretatio autem hęc ſi ab aduerſarijs daretur, non ita facile impugnari poſſet. Melius autem probaretur concluſio vi alterius textus, quem ad illam firmandam affert *Suarez cap.* 3. *cit. num.* 12. *in fine*: videlicèt *in Cap. Conſtitutionem. de Regular in* 6. vbi Bonifac. VIII. prorogauit ad omnes alios *M*endicantium ordines prohibitionem illam, per quam Alexander IV. *in cap. Non ſolum*, *eod. tit.* declarauit, conſtitutionem Innocentij IV. prohibentis cap. 1. eiuſdem rubricæ receptionem Nouitiorum ad profeſſionem ante elapſum probationis annum, extendi tantum ad ordines Fratrum Prædicatorum, & Minorum, cuius extenſionis motiuum aſſignans ipſe Bonifacius paulò poſt initium illius capitis, ſic ait [Vndè nos pari ſimilitudine rationis inducti declarationem eamdem ad aliorum Mendicantium Ordines protogamus] hæc Pontifex. ex his autem verbis *Suarez* deducit argumētum pro hac noſtra ſententia: ſi enim ſatis eſſet ſimilitudo rationis ad extendendam legem de vno caſu expreſſo ad alium ſimilem non expreſſum, nec comprehenſum ſub lata verborum ſignificatione, ſuperflua fuiſſet prædicta extēſio facta à Bonifacio, quia ſine illa haberetur extenſio, poſita ſimilitudine, vel identitate rationis.

Sed dices in canone iſto declarari à Bonifacio, conſtitutionem illam de ætate pręſcripta pro emittenda profeſſione, eſſe extenſam ad omnes Ordines Mendicantium: & hoc ob ſimilitudinem rationis; proinde argumentum ex prædicto canone deſumptum, nil probat pro concluſione, & ſententia negatiua. 28

Reſpondetur, Inſtantiam hanc optimè ſolui *à Gloſſa in cap. Conſtitutionem citato. Ver. Prorogamus*, poſtquā autem hanc eamdem inſtantiam propoſuit, reſpondet his verbis [Dico enim quod hic Bonifacius non dixit, declaramus, ſed dixit, prorogamus; vnde licet eadem ratio eſſet in alijs Mendicātibus, quæ in Prædicatoribus, & Minoribus, tamen conſtitutio illa non extenderetur ad illos, niſi hic à Bonifacio prorogata fuiſſet; vnde Alexander declarauit, ſed Bonifacius protogauit, vt vides.]

Hæc Gloſſa, quæ nil clarius dicere potuerat pro noſtra ſententia, & ſolutione prædictæ inſtantiæ. Aio igitur, declarationem factam fuiſſe ab Alexandro *cap. cit. Non ſolum*. vt ſupra dictum eſt, per quam declarauit Conſtitutionem, ſeu prohibitionem factam ab Innocentio fuiſſe extenſam ab Alexandro

ad

ad Fratrum tantum Prædicatorum. & Minorum Ordines: Bonifacius verò ſucceſſor in ſummo Pontificatu extendit conſtitutionem Innocentii ad omnes Religioſos mendicantes; ex quo euidenter colligitur, antecedenter ad conſtitutionem Bonifacij extenſam non fuiſſe, non obſtante, quod eadem fuerit ratio inter Fratres Prædicatores, & Minores, & inter alios Mendicantes.

29 Probatur ſecundo eadem concluſio ratione optima à *Suarez cap. cit. num.* 10. quæ breuiter ſic formatur. Similitudo, ſeu identitas rationis extenſiua non indicat, ſub mente, & voluntate legiſlatoris comprehenſum fuiſſe caſum ſimilē ſub lata verborum ſignificatione in lege non expreſſum: ergo vi ſolius ſimilitudinis, ſeu identitatis rationis, lex non eſt extendenda ad caſum ſimilem verbis legis non expreſſum. Conſequentia eſt certa, & negari non poteſt, ſi antecedens eſt verum; quia ratio formalis conſtitutiua legis eſt voluntas legiſlatoris; nam lex eſt quædam expreſſio voluntatis ipſius legiſlatoris, & non obligat, niſi ad illud, ad quod legiſlator vult ſubditos obligare: proindè poſito antecedente illo, negari nequit conſequentia, probo autem ipſum antecedēs, in quo conſiſtit difficultas tali pacto. Nil prohibet, ſuperiorem velle per legem à ſe conditam diſponere de vno caſu, & nil diſponere de alio caſu ſimili; cum diſpoſitio ſit totaliter ab eius libera voluntate dependens: & confirmatur à pari; nam ſuperior poteſt ad ſui libitū per aliquam legem imponere determinatam pœnam alicui delicto, illam delicto ſimili, aut maiori non imponendo; & etiam taxare pretium legitimum pro aliqua merce, illud non taxando pro alia ſimili, vt pro pane v. g. & non pro vino, ergo ſimilitudo rationis, &c. non indicat ſub mente, & volūtate legiſlatoris comprehenſum fuiſſe caſum ſimilem ſub lata verborum ſignificatione in lege non expreſſum: omnia hæc manifeſta ſunt, & alia probatione non indigent.

30 Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, colligitur, quòd ſententia hæc maximè locū habet in legibus, quæ ſimpliciter ſunt odioſæ, quarum natura poſtulat reſtrictionem, & non extenſionem, vt ſunt leges pœnales, correctoriæ iuris cōmunis & aliæ, quę à iure exorbitant, de quibus latè agit *Caſtropalaus §. illo 4. à nu. 3.* apud quem legi poſſunt.

Dicendum eſt ſecundò. Quando non extendendo legem ad caſum ſimilem ſequitur aliqua iniuſtitia, vel aliquod abſurdum, tunc fieri debet extenſio ob ſolam ſimilitudinem, & paritatem rationis. Concluſionem hanc docet *Caſtropalaus num.* 8 & rectè id probat à fortiori; nam ſi ad vitandam iniquitatem, & imprudētiam in ipſo legiſlatore verba legis ſunt impropriãda, vt ego ipſe ſuperius oſtendi loquendo de tempore, quod ius concedit electis in tutorem *L. Scire §. Aliud, ff. de excuſatione tutor.* multo magis debet fieri extendendo verba; nam extenſio verborum eſt facilius amplectenda, quam improprīatio, quę videtur contraria proprietati verborum; extenſio verò nequaquam, quæ potius indifferenter ſe habet, quatenus neque ponit proprietatem in ipſis verbis, neque eam tollit. 31

Ad rationem autem pro ſententia talem admittente extenſionem reſpondeo diſtinguendo antecedens tali pacto: ſententia, quæ è Principe fertur de aliqua determinata cauſa ſe habet, vt lex, reſpectu alterius cauſæ, in qua viget ſimilis ratio, ita vt vi ſua immediatè obliget, nego antecedens; vt ſit occaſio ad mouendam mentem Principis, vel alterius Iudicis inferioris ad ferendum idem iudicium in cauſſa ſimili, concedo antecedens: & meritò; quia, deficiente lege pro aliquo caſu ſpeciali, prudentia dictat, vt ſicuti in ſimili, procedatur, vt benè docet Gloſ. in *L. Nam vt. ff. de legibus.* hac diſtinctione poſita in antecedente, neganda eſt conſequentia. Ad probationem antecedentis reſpondeo primò, nō omnes conſtitutiones, & deciſiones, quæ continentur in corpore Iuris Canonici eſſe de rebus particularibus; quam plures enim ſunt vniuerſales, vt patet conſideranti materias, de quibus in decretalibus agitur, & etiam in decreto, in quo referuntur multæ doctrinę Sanctorum Patrum, decreta conciliorū &c. Reſpondeo ſecundò etiam decreta & conſtitutiones, in quibus deciſio verſatur circa caſum ſpecialem ſe habere, vt leges vniuerſales, ita determinante Summo Pontifice Gregorio Nono in compilatione ipſorum decretalium, vbi in fine habentur hæc verba. [Volentes igitur, vt hac tantum compilatione vniuerſi vtantur, vt in iudicijs 32

&

Digitized by Google

& in ſcholis &c.]& idem notat Glos. ibidem in declaratione caſus circa medium. Rurſus hoc etiam definit Concilium Maldenſe relatum in *cap. 1. de Conſtitution.* illumque cõformiter exponit Gloſſa, exponendo canonem.

Ex his patet, argumentum hoc pro ſententia, quæ admittit extenſionem de vno caſu in alium ob ſolam ſimilitudinem rationis, nihil probare.

33 Sed obijcies argumentum à pari ex cauſſis phyſicis, in quibus videmus, quòd, poſita eadem, aut ſimili cauſſa neceſſario ponitur idem effectus: ita & in moralibus poſita eadem cauſſa debet eſſe idem effectus; & ideò in re noſtra lex diſponens in vno caſu cenſeri debet diſponens in alio caſu ſimili, & ad illum veluti cauſſa moralis ſe extendere.

Hãc obiectionem refert ex Sylueſtro loco ſuperius citato *Suarez cap. illo* 3. *num.* 11. & eam ſoluit, oſtendens, æquiuocationem latere in verbo illo, *eadem ratio*, quod poteſt varijs modis accipi, & vno modo veritatem, alio verò falſitatem continere, quod ibidem declarat; ſed expeditius, & facilius mihi videtur reſpondendum, negando paritatem, ſi ſermo ſit de cauſſis moralibus, quæ omnino dependent in cauſſando à libera hominis voluntate: talis autem cauſſa eſt lex, quæ ſicuti in ſui inſtitutione dependet à beneplacito legislatoris, ita etiam in ordine ad ſuos effectus; & ideò poteſt ſe extendere ad vnum caſum, & non ad alium ſimilem, & hoc ex mera legislatoris voluntate. hanc ſolutionem innuit ipſemet *Suarez ibidem.*

CAPVT V.

Vtrum ob identitatem rationis lex extendenda ſit ad caſum non expreſſum?

34 EXagitauimus capite præcedenti cõtrouerſiam de extenſione legis, aut alterius diſpoſitionis ob ſimilitudinem rationis, quę ſępè inuenitur in aliquo caſu non expreſſo ſub lata ſignificatione verborum, quæ in lege continentur; & communiori ſententię adhærentes ſtatuimus, non debere per ſe loquendo extendi: nunc alia affinis ſe offert dubitatio; num ſcilicet extenſio prædicta locũ habeat, quando eſt identitas rationis inter caſum expreſſum, & non expreſſũ? & quia identitas, vt vidimus, eſt duplex; purè extenſiua vna, comprehenſiua altera; ſi de priori loquamur, deciſio colligitur ex dictis; quia idem eſt dicendũ de hac identitate, & ſimilitudine rationis: proindè ſicuti ſola ſimilitudo ſecũdum ſe non eſt ſatis ad legem extendendam de caſu expreſſo ad non expreſſũ; ita neque idẽtitas prædicta: & rationes, quæ faciunt ad probandam vnam, ſunt ſufficientes ad alteram oſtendendam; & ideo quoad hoc punctum quæſtio definienda eſt, vt præcedens. Si vero ſermo ſit de identitate comprehenſiua, aliqui ſunt negantes, fieri poſſe extenſionem, quos refert *Tiraquel. in L. Si vnquam. verb. Libertis. num. 2. & ſequenti de reuocandis donationib.* Probari poteſt; quia nequit per ſolam identitatem rationis etiam comprehenſiuam colligi, caſum non expreſſum ſub verbis legis, comprehenſum fuiſſe à voluntate legiſlatoris; nam ipſe poterat moueri ad legem condendam ob vnam rationem, & non ob aliam.

Sed nobis dicendum eſt primò, ob identitatem comprehenſiuam extendendam eſſe legem ad caſum in ipſa nõ expreſſum, in quo identitas hęc inuenitur. ita communiter Doctores, quos laudat, & ſequitur *Suarez lib. 6. cit. cap. 4. num. 2. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 42. nu.* 4. Probatur concluſio tali pacto. Ex identitate comprehenſiua colligitur caſus non expreſſus ſub voluntate legiſlatoris; ergo ob identitatem comprehẽſiuam extendenda eſt lex ad caſum in ipſamet lege non expreſſum, in quo talis identitas inuenitur. Conſequentia hæc certa eſſe debet apud omnes; quia, cum forma conſtitutiua legis, vt communiter docent Auctores, ſit volũtas legiſlatoris; ideo illud, quod tempore, quo conditur lex, eſt ſub mente, & voluntate legislatoris, comprehendi debet ſub lege, & conſequenter debet lex ad illud ſe extendere; conſequentia autem prædicta cum ſit certa, remanet antecedẽs oſtendẽdum, quod ſic probo: Identitas, vt comprehensiua, neceſſariò fundatur in aliqua comprehensione, quæ reperitur inter vtrumque caſum, nempe inter caſum expreſſum, & non expreſſum, modo infra explicando, quia legislator diſponens de aliquo caſu ſpeciali debet velle ſaltẽ implicitè diſponere de alijs, quę ita ſunt connexa cum re, de qua 35

diſpo-

diſponitur, vt ſine illis diſpoſitio ęqua nõ eſſet, vel redderetur inutilis, vt infra demonſtrabitur; ergo ex identitate cõprehẽſiua colligimus; caſum nõ expreſſum fuiſſe comprehenſum ſub voluntate legiſlatoris, quod erat antecedens mihi
36 probandum. Rurſus probatur; quia poſita connexione aliqua inter vtrumque caſum, diſpoſitio extenditur etiam ad non expreſſa; in iure enim habetur, de connexis idem eſſe iudicium, ita vt, quod diſponitur de vno, intelligatur diſpoſitũ de altero, vt habetur *in L. Quid ergo. §. Iudicio tutelæ contrario. ff. de contr. act. tutel. 5. & cap Translato de Conſtitut. Gloſ. ibi.* & quã plures alij apud *Barboſ. axiom.* 1. vbi *nu.* 2. ex multis aſſerit, quòd, eſſe connexa, & eſſe indiuidua idem omninò reputantur; ſermo autem eſt de connexione proxima, & non venit in conſiderationem remota, vt *Tuſcus declarat cum alijs lit. C. concluſ.* 625. & etiam *Barboſa clauſula* 38. *num.* 3. Diuiditur autem connexio hæc in plures ſpecies, quas communiter exponunt Auctores, & nouiſſimè *Caſtro palaus par. 1. tract 3. diſp 1. puncto* 3. *§. 4. à nu. 9 & Franciſcus Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 9. dub. 10. & ſequẽ ti.* & ego eas breuiter percutio. & primo loco ſe offerunt correlatiua, quæ ratione ordinis, quo mutuo ſe reſpiciunt, connexionem habent: & ſi in ipſis, vt correlatiuis, inuenitur eadẽ ratio, ita vt, diſpoſitio fit de vno ex ipſis ob illam rationem; tunc diſpoſitio extenditur ob identitatem comprehenſiuam ad aliud correlatiuum; & ideò Lex canonica,
37 quæ habetur *in cap Quoniam. multos 11. quæſt.* 3 concedens viro poſſe communicare cum vxore excommunicata, quãuis nihil expreſsè afferat de viro excommunicato, an ſcilicèt eodem modo poſſit vxor cum illo communicare; nihilominus, quia maritus, & vxor ſunt correlatiua, & ratio conceſſionis expoſita in eodem capite ſit eadem in vtroq; coniuge, nempè vitare periculum peccandi, & præſtare mutua obſequia; idcircò, vt communiter dicitur ab Auctoribus; lex extenditur ad vxorem reſpectu viri, ob comprehenſiuam identitatem rationis. Excipiuntur tamen tres caſus, in quibus mutua excommunicatio durante excommunicatione non licet; quos caſus ex ipſo iure explicat Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 14. num. 9.*

Secundo fit extẽſio ad caſum non expreſſum, quando duo ſunt æquiparata, & eadem eſt ratio in ea re, in qua ſunt æquiparata: & ſic diſpoſitum in vno intelligitur diſpoſitũ in alio, vt colligũt 38
ſcribentes *in L. Si quis ſeruo. C de furtis. & in L. fin. Cap de Indicta viduit. Nauar. cap. pœna de pœnit. diſtinct.* 1. *num.* 6. & 14. *Tiraquel. de retract. lignagier.* § 15. *gloſ.* 1. *num.* 11. & *in L. Si vnquam. Verb Reuertatur. C. de reuocandis donat. num* 304. *Salas de legibus diſp.* 21 *ſect.* 3. *num.* 13. *Suarez lib.* 6. *cit. cap.* 4. *num.* 9. *Caſtropalaus* § 4. *cit. num.* 10. & *alij.* Fundamentũ, cui nititur hęc ſententia, eſt, quia poſita identitate rationis in vtroque ęquiparato, quamuis vnum ex ipſis non exprimatur in diſpoſitione, cenſetur tamen comprehenſum ſub voluntate diſponentis. Ex hoc autem principio inferunt Auctores, quòd cum Falcidia, & Trebellianica in iure æquiparentur, vt habetur per textum *in L. Marcellus. §. Quod autem. ff ad Senat Conſul. Trebel.* ideo quod diſponitur in Falcidia, diſpoſitum cenſetur in Trebellianica.

Denique placet animaduertere, interdum à lege exprimi caſum determinatũ, 39
& ſpecialem, eumque apponi demonſtratiuè, & exemplariter, non autem taxatiuè: & tunc aio, non eſſe cenſendos excluſos caſus ſimiles, ſed legẽ ad illos eſſe extendendam; nam caſus demonſtratiuè tantum expreſſus non cenſetur appoſitus ad limitandam diſpoſitionem, ſed ad eam declarandam. Ad cognoſcẽdum autem, num caſus exemplificatiuè, an potius taxatiuè ponatur, recurrendũ eſt ad circumſtantias, vt docet *Suarez lib. 6. cap. 4. num. 20 Salas diſp. illa 41. ſect. 5. initio. Tiraquel. in L. Si vnquam. Verb. Libertis, à num. 45. C. de Reuocan. donat Caſtropalaus,* vbi ſupra *num.* 13. *Merolla cap. illo 9. dub.* 11. *nu.* 137. præcipuè autem attendi debet motiuum virtutis, ſub quà lex inſtituitur, præcipiẽs aliquem actum, vel contrariũ prohibens. & ſic quando lex condita fuit intuitu v. g. temperantię ſeruandę in cibo, & potu, vel intemperantię in eiſdem vitandę, ſi in alio caſu ſimili eadem habeatur ratio temperantiæ, aut intemperantiæ; tunc caſus ſpecialis cẽſetur demonſtratiuè expreſſus, ſecus, ſi in alijs diuerſa ſit ratio. Plura alia tangũt Auctores de hac extenſione ratione cõ-

ne-

nexionis, diſcurrentes per varia connexionum genera: ad meum verò inſtitutum ſatis fuit prędicta breuiter pertractaſſe; reliqua vero legi poſſunt apud laudatos Authores.

Ex his omnibus, quę in re hac à me præmiſſa ſunt, placet nonnullas controuerſias dilucidare, quæ deducuntur ex iactis principijs, & ad hæc tria veluti capita commodè reuocari queunt, nempè ad leges, ſeu ſtatuta, ad priuilegia, & ad diſpenſationes, quarum aliquæ amplã, aliquę verò ſtrictam interpretationem iuxta diuerſa Auctorum placita admittere debent.

CAPVT VI.

An lex pœnam imponens contra ſcienter patrantes aliquod delictum, comprehendat eos, qui ex ignorantia affectata illud committunt?

QVæſitum ſupponit diuerſitatem illam, quam Doctores ponunt loquentes de Ignorantia lethaliter peccaminoſa, inter eam, quæ dicitur craſſa, & ſupina, & eam, quæ appellatur affectata; illa enim ſolum habetur, quando quis obligatus ad aliquid ſciendum, illudque ignorans, & hoc aduertens, vel nullã, vel leuem apponit diligentiam ad veritatem aſſequendam; iſta vero, nempè affectata addit debitæ diligentiæ omiſſæ intentionem, qua quis vult ignorare, vt liberius peccet, & velamine ignorantiæ poſſit ſaltem ex parte ſe excuſare. His præſuppoſitis.

40 Prima ſententia aſſerit, ſub lege, quæ contra ſcienter tranſgreſſores pœnam imponit, comprehendi etiam eam violantes ex ignorantia affectata, ita docet *Gloſ.* in triplici, loco, videlicet *in cap. Eos qui. Verb. Affectata de tempor ordinat. in 6. & cap. vltimo verb. ſcienter; de offic. deleg. in 6. in Clemen. 1. verb. ſcienter de conſang. & affin.* in eadem ſententia videtur eſſe S. *Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 34. Felin. cap. à nobis. nu. 1. de except. & cap. fin. num. 5. de Teſtibus. Philippus Francus cap. 2. num. 4. de Conſtit. in 6. Tiraquel. de Retrac. lign. §. 35. gloſ. 4. num. 28. & 89. Tuſcus verb. Ignorantia. tom. 4. concluſ. 21. Rebuff. in L. lata culpa. Verb. Ad hoc non placet ff. de verb. ſignific. Farinacius in fragm. crimin. par. 2. litt. I. num. 167. Maſcardus de probat. tom. 2. concluſ. 879. nu. 31. & ſequent. Suarez tom. 5. in 3. part. S. Thomæ de cenſ. diſp. 4. ſect. 10. num. 1. Molina de iuſtitia tom. 5. tr. 5. diſp. 81 num. 13. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 40. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 1. cap. 5. nu. 8. Caſtropalaus to. 1. tract. 2. diſp. 1. pu. 15. num. 4 punct. 18. num. 1.* & quamplures alij, quos laudat *Farinacius loco citato.*

Secunda ſententia excuſat ab incurſione pœnę violantes legem ex ignorã- 41
tia affectata, ſi lex loquitur de ijs, qui ſcienter ipſam legem tranſgrediuntur. ſic *Duardus in bullam cœna. lib. 2. in canon. 1. quæſt. 37. num. 5. Sanchez in decalog. lib. 2. cap. 10. nu. 38.* tacitè retractans oppoſitum, quod docuerat *lib. 9. de matrim. loc. cit. Pilliuetus in ſumma tract. 22. cap. 7 num. 209. Bonacina de cenſ. diſp. 2. qu. 5. punct. 4. nu. 9.* His autem Authores hanc docentes opinionẽ addunt limitationem, & dicunt, non excuſari tranſgredientẽ, ſi cum ignorãtia affectata coniungitur ingens temeritas, nempe vehemens ſuſpicio, & dubium de malitia illa, ob quam lex pœnã impoſuit. Hanc eamdem ſententiam abſolutè ſine vlla limitatione ſequitur *Merolla in ſua theologia morali tom. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 646.* quamuis poſtea *tom. 2. diſp. 4. cap. 9. dub. 9. corall. 5. num. 122.* non ita abſolutè opinionem hanc ſuſtinuerit, ſed diſtinctione adhibita, dicens, priorem opinionem eſſe verã, quãdo lex pœnalis eſt fauorabilis, ſcilicèt edita in fauorem animarum, aut religionis; poſteriorem autem verificari in odioſis, in quibus ignorantia affectata non æquiualet ſcientię, quam lex pœnalis requirit in tranſgredientibus. ita *Merolla*, diſcurrens putat conciliare Auctores vtriuſque ſententię. Poſſem ego pro hac eadem opinione citare *Barbaſam in collect. cap. vlt. de offic. Iud. deleg. in 6. num. 18* vbi expreſsè eximit Conſeruatores à pœna ſuſpenſionis ab officio per annum, ſi delinquant intromittentes ſe in alijs, quàm in manifeſtis iniurijs, & delictum proueniat ex ignorantia Iuris craſſa, vel affectata: & reprehendit Gloſsam ſuperius allatam, quę contrarium ſentit; nam ſcientia, quam lex illa poſtulat ad incurſionem prędictę pœnæ excludit quamcumque ignoran-

rantiam: ſed Auctor iſte vel ſibimet contradicit, vel minus clarè loquitur, quàm debuerat; nam paulo ſuperius *in cap. Eos, qui de Tempor. Ordinat. num.* 7. referens doctrinam Gloſſę aſſerentis, affectatam ignorantiam æquipollere ſcientiæ, addit ex ſuo hæc verba [Et ideo affectata ignorantia nullo pacto ignorãtem excuſat.] eodem ferè modo loquitur *in L. Qui contra. num.* 10. *C. de inceſtis, & inutil. nuptijs*. Si enim ignorantia affectata nullo pacto ignorantem excuſat, qua ratione poſtea docet conſtruatorem excuſari, & non ſufficere ad pœnam illam incurrendam, delinquere per ignorantiam Iuris craſſam, vel affectatam? Scio, poſſe Auctorem hunc liberari à contradictione, ſi dicamus in primis duobus locis loqui; de culpa ad quam committendam affectata, imo ſolum craſſa ignorantia ſufficit, vt ipſemet Auctor dicit; ſecus autem eſt dicendũ de pœna, quando lex ſcientiam Iuris exigit. ita poſſet quis interpretari loca prædicta, vt vitetur contradictio; ſed quidquid ſit de hoc, clarius loqui debuerat Auctor iſte.

42 Hæ ſunt ſententiæ, quas apud laudatos Doctores inuenio. remanet, vt quid ipſe de hac re ſentiam, in medium afferam.

Dico igitur priorem ſententiam eſſe magis probabilem, magiſque Iuri ciuili, & canonico conformem. Probatur primò *ex L. qui contra Verb. errore acerrimo, & nõ affectato. C. de inceſtis, & inutil nuptijs*, vbi ſtatuitur, quòd, ſi quis contra legum præcepta matrimonium prohibitum contrahat, non lucretur, quę harum nuptiarum intuitu donantur, ſed ea debeant fiſco applicari. Excipiuntur tamen ibidem fœminæ, & etiam viri, qui acerrimo errore, nempè iuſtiſſimo, & non affectato decepti ſunt; ęquiparat enim lex iſta ignorantiam affectatam cũ ſcientia, quatenus eadem pœna vult puniri eum, qui ſciens, & eum qui affectatè ignorans tale matrimonium ineat. Rurſus probatur *ex cap. Quæſitum. de pœnitenti, & remiſſ.* vbi Pontifex conſultus reſpondet quæſito, in quo poſtulabatur; an Sacerdotibus Græcis legitimo matrimonio coniunctis ſit imponenda publica pœnitentia, eam petentibus pro filijs ſuis, quos in lecto oppreſſerũt? reſpondens autem Pontifex, ait, quòd ſi ipſis procurantibus, vel ſtudioſè negligentibus, filij in lectis reperiuntur oppreſſi, tunc ab altaris miniſterio perpetuò abſtineant, & grauiori pœna, quàm Laici plectantur, non tamen publica, niſi publicum fuerit delictum Ecce quo pacto Pontifex in hac lege affectatam ignorantiam æquiparat ſcientię, quoad pœnæ incurſionem, ſtatuens legem, tum contra procurantes ex malitia oppreſſionẽ illam, tum etiam contra ſtudioſè illam negligentes: per ſtudioſam negligentiam intelligit Pontifex ignorantiam directè volitam, quam ſignificat vox illa, *ſtudioſè*, quam quidem negligentiam *Gloſſa eodem cap. verb. Negligentibus* diſſolutam appellat, & addit, haberi pro conſcientia: & merito; quia conſcientia, vt animaduertit *Ioan. de Anania conſil.* 34. *num.* 5. dicitur à conſcio, & ideò conſcientiam habens dicitur quaſi ſciens, & agnoſcens ſe ipſum, vt declarat ex alijs *Albericus in dictionario Iuris lit. C. verb. Conſcientia*. talis autem per quãdam æquiualentiã cẽſeri debet ignorantia affectata, quatenus homo aduertens ſe ignorare, directè vult ipsã ignorantiã, vt liberiùs operetur: ſi autem inter ignorationem hanc, & ſcientiam non daretur ęquiparatio, nõ decreuiſſet Pontifex æqualem pœnam contra peccantem ex ſcientia, & contra peccantem ex ignorantia affectata.

Probatur ſecundò ex identitate motiui, quo legiſlator ductus fuit ad requirendam ſcientiam in præuaricatore: motiuum autem fuit punire dolum, qui reperitur in tranſgrediente legem, quo tamen dolo carere videtur tranſgrediens ex ignorantia: contra verò dolus procul dubio inuenitur in eo, qui ex ignorantia affectata legem violat; nam dolus, vt definitur à Iuriſconſulto *in L.* 1. *ff. de dolo malo. Verb. Itaque ipſe.* eſt calliditas, ſeu fallacia, aut machinatio ad alterum decipiendum cum ſimulatione; hoc autem per quamdam æquiualentiam habetur in affectata ignorantia, quatenus ipſe ignorans directè vult ipſam ignorãtiam, cum poſſit illam expellere, & nolit, vt liberius operetur: & tunc ſimulans quodam modo ſe ipſum decipit: igitur cum liberè velit ignorantiam directè conſeruare, doloſè in hoc procedit. 43

Dices: quamuis libera retentio ignorantiæ in illum finem, vt expeditius lex frangatur, dolum includat; nihilominus ſequens tranſgreſſio dolum nõ inuoluit; 44

quia non procedit ex ſcientia; lex enim non cuicumque tranſgreſſioni, quamuis lethaliter malę, pœnam imponit, vt ſupponimus, ſed tranſgreſſioni ex ſcientia præcedenti; ergo tranſgrediens ex affectata ignorantia eximi debet ab incurſione pœnę.

Reſpondeo cum diſtinctione, ſi tranſgreſſio hæc ſecundum ſe, & veluti ſolitariè ſpectetur, nempè cum præciſione à dolo illo antecedente, à quo ipſa ſequitur, non eſt cenſenda poſitiuè doloſa; ſed ab hoc pręſcindit, ſicuti præſcindit à cauſſa, à qua exoritur: at ſi conſideretur, vt ab illa cauſsa proueniens, & ſecundum connexionem, quam habet cum illa, abſque dubio doloſa exiſtimanda erit; nam dolus antecedens, vt directè volitus in prædictum finem, tranſcendit in ſuum effectum, illum afficiens.

45 Dices ſecundo. Si ignorantia craſſa, & non affectata excuſat, ne pœna ſcienter operantibus impoſita incurratur, quia eſt indirectè tantùm volita; ergo excuſabit etiam affectata, licet directè volita, probatur conſequentia: quia idem importat indirectè, & directè fieri, quod tacitè, & expreſsè; ſed taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, vt habetur *ex L. Cum quid. ff. Si certum petatur*, ergo, &c. ita probat Duardus poſteriorem ſententiam, quam ipſe defendit.

Reſpondeo negando paritatem; fallaciter enim procedit argumentum, tribuens alteri, quod vni tantum conuenit; nam ignorantia affectata adęquatè ſpectata duo inuoluit, primò volitionem exequendi, aut omittendi id, quod prohibetur, vel præcipitur; ſecundo voluntatem poſitiuam ignorandi, & perſeuerandi in tali ignorantia, cum poſſit expelli, inquirendo veritatem. hoc ſuppoſito, dico, primam volitionem eſſe indirectam, & in hoc conuenire ignorantiā affectatam cum ea, quæ eſt tantum craſſa: at ratione ſecundæ volitionis latum diſcrimen eſt inter vtramque; nam volitio hęc eſt directa, & non reperitur in illo, qui ſolum ignorantia craſſa laborat: arguens autem in prędicto argumento conſiderauit tantum primam volitionem; & ideò mirum non eſt, ſi quantum ad prædictum effectum parificauerit vnam cum altera ignorantia, omittendo aliud, in quo differunt, & quod principaliter competit ignorantiæ affectatę. Argumentum autem adductū in probationem conſequentię eſt etiam ſoluendum ab ipſomet arguente, qui, cū æquipararet indirectum, quod reperitur in ignorantia craſſa, & directum, quod admittit in affectata, cum tacito, & expreſſo, & de his dicat, eamdem eſſe rationem, ſtatim quis inferret contra ipſū, eamdem eſſe rationem de frangente legem ex ignorantia affectata, & ex ſcientia; quia id, quod expreſsè fit per ſcientiam, tacitè cenſetur fieri per ignorantiam affectatam, in qua tacitum cōſenſum inuolui, negari non poteſt ab ipſo Duardo, cum illum agnoſcat in ignorantia tantùm craſſa, quę magis recedit à ſcientia, quàm affectata; tenetur ergo Duardus reſpōdere ad hoc argumentum ex ſuppoſitione doctrinę ab ipſo traditæ; quia videtur aliquo pacto contra ſe ipſum vrgere. Reſpōdeo tamē primò, nō eſſe ſemper eamdem rationē de tacito, & expreſſo, & ideò, vt bene notat *Tuſcus lit. T. concluſ. 7. nu. 39. & 41.* tacitus conſenſus non eſt tantę potentiæ in ijs, quæ ſunt aduerſus regulas Iuris communis, quantæ potentiæ eſt conſenſus expreſſus, & idem dico de indirecto, & directo conſenſu, qui ſe habet, vt tacitus, & expreſſus; ſic etiam in rebus, quæ per legem aliquam prohibētur non ſemper ex tacito infertur expreſſum. videatur *Paulus Caſtrenſis cōſil. 259. verb. circa primum. lib. 2. Crauetta conſil. 200. nu. 7. Barboſa in ſuis varijs tract. axiom. 218. num. 4. & 5.* Reſpondeo ſecundò, æquiparationem inter ignorantiam affectatam, & ſcientiā non fuiſſe à me poſitam in voluntate indirecta violādi legē, ſed in illa alia voluntate directa quaquis reſpicit inquirere veritatē, & vult retinere ignorantiā, quæ voluntas non habetur in eo, qui tantum laborat ignorantia craſſa; & ideò argumentum ab ignorantia craſſa ad affectatam non concludit, ſi ſpectetur in ordine ad effectum, de quo in præſentia agitur.

Dices tertio. *Lex* pœnalis eſt odioſa, & ideo reſtringenda, vt diſponitur in hac regula; ergo impoſita pœna contra eos, qui ſcienter ipſam legem tranſgrediuntur, non debet extendi ad illos, qui non ſcienter, ſed ſolum ignoranter, quamuis affectatè, legem violant. debet enim actus, vi cuius cenſura incurritur, eſſe perfectus, qualis non eſt ille, qui fie- 46

ex

ex ignorantia etiam affectata.

Reſpondeo, quamuis, quod dicitur de reſtrictione legis pœnalis, aliquam admittere poſſit exceptionem alia occaſione explicandam, nihilominus etiam antecedente admiſſo, neganda eſt conſequentia; quia, vt rectè animaduertit *Molina loco cit.* in ignorantia affectata interuenit dolus, ob quem impoſita fuit pœna contra tranſgreſſores; proinde in quocumque actu reperiatur, erit ſufficiens, ad hoc vt delinquens pœnam incurrat; & ideò valdè rationabiliter Auctores huius ſententiæ dicunt, ignorantiam affectatam, quo ad incurſionē pœnæ, æquiparati ſcientiæ, cum eumdē cauſſet effectum; & meritò dici poteſt actus perfectus, ratione doli, quem formaliter includit, itaut transgreſſor haberi poſſit pro ſciente; ſicuti in ſimili habetur pro citato perſonaliter illni, qui affectat ignorantiam citationis, quæ facta eſt cū illis ſolemnitatibus præſcriptis à Bonifacio VIII. & temperatis à Clemente V. vt diſponitur *in Clemen. 1. §. Nos rigorem. de Iudicijs.*

CAPVT VII.

An diſpoſitio vtens dictione indicante maſculos, extendi debeat in fauorabilibus ad fœminas? & quid in odioſis?

47 PRæſens quæſitum fusè examinatur à *Tiraquel. de Retract. lignag. lib. 1. §. 1. Gloſs. 9 à num. 205 vſque ad 247.* qui tuetur, in omni materia, quæ indifferens eſt, ſub maſculino concipi fœmininum, per textum *in L. Si ita ſcriptum ſit. ff. de legat. 20.* & hoc ipſum vult, eſſe dicendum in ſtatutis, reſcriptis, & priuilegijs illis, quæ ſunt ſtricti iuris: quod etiam probat contra aliquos locum habere in contractibus ſtricti iuris, & num. 213. hoc ſimiliter aſſerit in ſententijs, & in materia pœnali, & odioſa. quam etiam ſententiam tenet *Gloſs, in cap. Generali de Elect. in 6. verb. Vniuerſos*: ibi, [Dic ſecundum]& *in Clementina 1. de Electione. Verb. Homines. Archidiaconus in cap. Si quis ſuadente 17. quæſt. 4. Rebuffus in L. Si quis ff. de verb. ſignif.* incipiens à verſiculo *Ego vero*, qui latè ſuper hanc opinionem diſcurrens in ſequentibus limitat illam, quando qualitas mulieribus non congruit, vt ipſemet declarat, *ibidem. ver primo perdit*: quod alij etiā apertè tuentur apud laudatos Auctores, idque colligunt *ex L. Lucius. §. Quæſitum ff. de leg. 3.* & expreſſe *ex L. Qui duos in fine eodem titulo*. Nonnullis vero placuit diſtinguere, aſſerendo, in fauorabilibus tantum, & non in odioſis fœmininum comprehendi ſub maſculino. ita *Alexander conſil. 85 lib. 4. initio, & conſil. 45. num. 7. lib. 7. Riccius in collect par. 2. collect. 1109. Tuſcus tom. 4. litt. F. concl. 450. num 36. Merolla tom. 3. de priuileg diſp. 6 cap. 3 dub. 6. num. 2 1. in fine. & ſequent.*

Alij verò diuerſa incedunt via; nam *Barthol Cepolla in titulo de verb & rerum ſignif. L 1. quæſito 1. à n. 3. in fine*, admittit, in diſpoſitionibus, quæ ſunt à lege, ſub maſculino comprehendi fœmininum, non autem comprehendi in diſpoſitionibus, quę ſunt ab homine. ita num. 4. Ponit tamen duodecim caſus, in quibus maſculinum non comprehendit fœmininum, incipiens à num. 6. vſque ad 17. incluſiuè: & num. 18. poſt medium aſſignat ex Archidiacono *in cap. Si quis ſuadente diabolo 17 quæſt 4.* nonnullas rationes huius diſcriminis inter legem, & inter ſtatutum ab homine Demum num. 20. poſt initium verbo, *Et aduerte*, ex mente Archidiaconi exponit diſcrimen inter ſtatuta ſæcularium perſonarum, & ſtatuta Eccleſiaſticarum dicens, in his ex Archidiacono cap. cit. ſub maſculino concipi fœmininum, & aſſignat rationem diſcriminis ex mente eiuſdem Archidiaconi, quam rationem ipſe Cępolla poſtea impugnat: imò impugnat etiam rationem datam à Cyno, & tandem à num. 21. diſtinguens diuerſa ſtatutorum genera declarat propriam ſententiam: quæ omnia apud eūdemmet Cæpollam legi poſſunt. 48

Denique alia ſententia, ſeu modus ſatisfaciendi huic quæſito deſumi poteſt ex quadam doctrina tradita à Patre *Suarez lib. 8. de legibus. cap. 10.* vbi quamuis ipſe loquatur de priuilegijs; nihilominus ea, quæ dicit, adaptari poſſunt reliquis diſpoſitionibus, nempè legibus, ſtatutis, reſcriptis, ſententijs, & vltimis voluntatibus; ſic enim diſcurrit ipſe nu. 6. & 7. inquiens, Priuilegium bifariàm concedi poſſe; primò apponendo nomen ſignificans viros, vt ſi dicat: concedimus talem facultatem maſculis: alio autem modo, quando apponuntur nomina 49

communia, quæ conuenire poſſunt maſculis, & fœminis, vt eſt. V. g. hoc nomen, homo, quod cõmune eſt maſculis, & fœminis, vt benè aduertit *Gloſſa in Clement 1. de elect. verb. Homines*, dicẽs, hic, & hæc homo, comprehendit etiam fœminas, ſicut etiam hoc nomen, Filius, vt notat Suarez, & alia nomina, quæ prædictis, adiectiuè connecti poſſunt, vt Religioſus, nobilis, & ſimilia, & pariter aliqua ſigna communia vtrique ſexui, vt omnis, nullus, quis, qui, &c. His poſitis inquit *Suarez*, ſi priuilegium conceditur ſub prioribus nominibus, tunc non non comprehendi fœminas; ſi verò cõceditur ſub poſterioribus nominibus, tunc comprehendi ſexum fœmineum, & maximè in fauorabilibus. vtramque partem probat, & auctoritate, & exemplis deſumptis *ex* iure, Hæ ſunt præcipuæ ſententiæ de re hac, remanet declarandum, quid ego ſentiam, quod in ſequentibus præſtabo.

50 *Dico* igitur primò. Quando conſtat mens diſponentis, non eſt recurrendum ad id, quod ſignificari poſſet per nomina, quæ in diſpoſitione cõtinentur; quia nõ debemus ſtatim ſumere verba, vt ſonant, ſed potius ſequi intentionem loquẽtis, vt habetur *cap. Intelligentia, & cap. In his Verb. Conſiderantes. de Verb. ſignif. & notat Gloſs. ibidem*, proinde extendenda, aut reſtringenda ſunt verba iuxta loquentis mentem, quando illa nobis patet.

51 Dico ſecundò, ſub maſculino non cõcipi fœmininum ſpectãdo proprietatem ſermonis, ſed tantum per quamdam legalem interpretationem, vt latè probat ex varijs iuribus *Menochius conſil. 204. num. 1. & ſequent. lib. 3. num.* 28. vbi declarat, triplici de cauſſa interpretationem hanc a lege permitti, videlicet ratione dignitatis, & tũc erit interpretatio extenſiua, & hac ratione nomẽ maſculinum in multis caſibus extẽditur ad fœmininum, vt infra videbimus, item ratione affectionis, & tunc interpretatio erit præſumptiua, ſeu cõiecturalis: & ſic, v. g. cũ Pater præſumatur magis diligere filiũ, quam nepotẽ, onus quod in ſuo teſtamento impoſuit Filio, cenſetur nepoti impoſitum, niſi ex alijs efficacioribus coniecturis oppoſitum colligatur. Denique fit interdum interpretatio comprehenſiua, quæ euenit, quando eadem omnino eſt ratio diſpoſitionis; & tunc locum habens in caſu illo, de quo fit menſio, vim etiam habet in alio caſu in quo eadem adæquatè militat ratio.

52 Dico tertio. Si materia, de qua agitur non eſt indifferens vtrique ſexui, & nomini adijcitur qualitas mulieribus non conueniens, tunc ſub nomine illo fœmina non comprehenditur. V. g. *Si* apponatur terminus ſignificans aliquod munus, ſeu ſtatus, cuius mulieres non ſunt capaces; vt ſi dicatur, ſi quis exerceat munus aduocati, vel aſſeſſoris, vel ſi non promoueatur ad ſacros ordines, incurrat hanc, vel illam pœnã, certè in hac diſpoſitione, ſub termino, aliàs indifferenti, non continerentur fœminæ; nam terminus per adiectionem talis qualitatis, quæ nõ congruit mulieribus, reſtringitur ad ſolos maſculos: & idem dico de alijs ſimilibus; in his enim attendenda eſt qualitas termino adiecta. Aliæ limitationes excogitari poſſent; duodecim autem apponũtur *à Cepolla leg. cit.* incipiens illas examinare a num. *6.* poſt primum quæſitum, ſed illæ duæ à me allatæ ſunt præcipuæ, & ad eaſdem ferè omnes aliæ reducuntur.

53 Dico quartò. *Si* diſpoſitio verſetur circa materiam indifferentem, cuius mulieres ſunt capaces, & nulla adijciatur nomini qualitas reſtrictiua, tunc in fauorabilibus, ſub maſculino veniunt fœminæ. Concluſio videtur manifeſta ex dictis; nam ex vna parte nomen poteſt eſſe vtrique ſexui commune, ex alia vero parte in diſpoſitione, quæ fauorem inuoluit, termini ſunt ampliandi ſecundũ totum ſignificatum, quod habere poſſunt, vt ex hac regula ſuperiùs oſtenſum, & declaratum eſt; ergo vera erit concluſio poſita.

54 Dico quintò in odioſis diſpoſitio edita eo modo, quo in præcedente concluſione fingitur, ſub maſculino non concipit fœmininum, probatur contraria ratione, quia iuxta hanc regulam, odia ſunt reſtringenda; proinde termini ſunt limitandi intra proprium ſignificatum vt ſupra demonſtrauimus; ergo nomen maſculinum non erit ad fœminas extẽdendum, ſed reſtringendum ad maſculos.

Ex his duabus poſtremis concluſionibus multa deducuntur.

55 Colligitur primò, nomine Religioſorũ,

ſeu

Digitized by Google

ſeu Monachorum, venire etiam religioſas fœminas, ſeu moniales, ſaltem in fauorabilibus: & ita loquendo de priuilegijs, quę Religioſis alicuius ordinis ſunt conceſſa, extēdere debemus ea ad Religioſas einſdē ordinis, quod intelligendum in rebus, quarum ipſæ fœminæ ſunt capaces, & quæ eis adaptari poſsūt. ſic docent agentes de priuilegijs. *Panorm. cap fin. in vltimo notando. de ſtatu monachorum. Rodriquez in quæſtion. regul. tom. 1. qu. 13. art. 22. Suarez lib. 8 de legibus cap. 10. nu. 7. Emanuel Sà in Aphoriſ. Verb. Gratia num. 11. & Verb. Interpretatio, num. 3. Bonicina de legib. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 7. §. 2. num. 2. Caſtropalaus tom 1. tract. 3. de priuil. diſp. 4 punct. 12. num. 1. Merolla tom. 3. diſp. 6. cap. 3 dub 6. nu. 26. & 27 Pellizzarius de Monialibus cap. 9. & alij* apud eoſdem. Limitanda tamē eſt hęc ſententia, quando in diſpoſitione adderetur aliqua qualitas reſtringēs nomen ad ſupponendum tantum pro maſculis, vt ſi diceretur: *Concedimus hanc facultatem religioſis viris*, tunc diſpoſitio non comprehenderet fœminas, vt notant *Rodriquez Suarez loc. cit. num. 6 Bonacina, & Caſtropalaus locis etiam citatis.*

Sed *Rebuffus L. 1. ff. de verb. ſignif. ver.* [Idem ſi dicatur vir] quamuis doceat per hoc nomen, Vir, excludi fœminam; nihilominus poſtea, *ver. Limitatur*, moderationem adhibet, volens ſub hoc nomine comprehendi mulieres, quando materia vtrique ſexui cōgruit: ad quod probandum affert textum Canonicum *in cap licet vniuerſis. de Teſtib. & atteſt.* vbi præſcribitur, quod in cauſſis iuridicè decidendis ad perfectā probationem neceſſario requiſitam, non minus quàm duorum, vel trium virorū probatę vitę depoſitiones admittantur; ſub nomine autē viri ait, mulieres cōtineri, quia in multis caſibus præſertim ciuilibus, vt teſtes idonei admittuntur. Hæc ex Rebuffo, cuius limitationem *Suarez num. 6. cit.* nō vſquequaque approbat; putat enim à Rebuffo aſſeri, fæminas comprehēdi ſub nomine maſculi, ſeu maris, quando neceſſitas cogit: cæterum, ni fallor, res non ita ſe habet; attente enim conſiderare volui totum contextum, & doctrinā Rebuffi, eam legere incipiēs à verbo illo [*Maſculos*] vſque ad verbum ſuperius citatum, nempè, [*Idem ſi dicatur vir*,] vbi Suarez cenſuit limitationem prædictam poſitā fuiſſe à Rebuffo; & nihilominus nō reperi id, quod *Suarez* huic Auctori adſcribit, imò oppoſitum inuenio; ſemper enim loco citato docet ſub nomine, maſculi, ſeu maris, non comprehendi fœminas; & quāuis hoc ipſum doceat de hoc nomine, Vir; limitat tamen, quando materia vtriq; ſexui congruit, vt ſupra vidimus, quod etiam concedit, & duplici exemplo oſtendit *Suarez*. Limitatio autem *R*ebuffi cadit ſuper hoc nomen, Viri, & non maſculi, ſeu maris. Primum exemplum deſumitur à Suarez *ex cap 1. de præſumpt. illis verbis* [Sicut noxius eſt qui mittit ſagittam, & lanceas in mortē, ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo] in hoc enim capite certum eſt ſub nomine viri fœminam comprehendi; nā materia, & ſententia fœminis congruūt. *S*ecundum exemplum eſt deſumptum ex Sacra Scriptura, videlicèt ex primo *P*ſalmo, in quo dicitur Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & ex Pſalmo 100. Beatus vir, qui timet Dominum: in his .n. locis, & alijs ſimilibus per nomen illud, Vir, non ſolum intelliguntur mares, verum etiam fœminę. at hic vſus eſt rarus, inquit *Suarez*, & ideo in priuilegijs non eſt vſurpandus.

CAPVT VIII.

Vtrum ſub Monachorum appellatione veniat Abbas?

DIcendum eſt iuxta communiorem 56
ſententiam, in fauorabilibus venire; ſecus in odioſis. ita *Panorm. cap. finali de Simonia num. 1. Nauar. lib. 3. conſil. tit. de regul. conſil. 75. dub. 15. Armilla V. Abbas. num. 15. Aſcanius Tamburinus. de iure Abbatiſs. tom. 1. diſp 1 quæſt. 7 Portellius in dubijs regul. V. Abbas. nu 5. Bellaſius in promp. V. Abbas num. 7. Pellizzarius de Monialibus; cap. 5 num. 208 Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. n. 604. & 10. 3. diſp. 6 cap. 3. dub. 12. n. 158. & 160. Diana par. 3. tr. 2. de dubijs regul. reſol. 48. notādo 3.* & idē aſſerunt de Abbatiſſa, ſcilicèt, in fauorabilibus venire ſub nomine Monialium, non autem in odioſis. Quod autem in fauorabilibus veniat Abbas, ſeu Abbatiſſa, ſolet probari; quia Abbas per aſ-

ſump-

ſumptionem ad Abbatiam, non deſinit eſſe religioſus, & monachus; proindè frui debet fauoribus, qui monachis ſunt conceſſi; in odioſis vero oppoſitum eſt dicendum, quia ratione illius qualitatis ſuperadditæ, nempè ratione dignitatis ſupra alios monachos, non cenſetur venire nomine Monachorum: probant autem hoc Auctores huius ſententiæ argumento à ſimili; nam *in Cap. Licet Canon. de Electione in 6.* præcipitur, vt ille, qui aſſumitur ad regimen Eccleſiæ Parochialis, ſi non eſt ſacerdos, infra annum debeat ad ſacerdotium promoueri, aliter ſit priuatus Eccleſia ſibi cõmiſſa; ſed in *cap. ſtatutum eodem titulo*, Bonifacius VIII ſuccedẽs in Pontificatũ, declarauit, legẽ prædictã, quia eſt pœnalis, eſſe reſtringendam; & ideò non ſe extendere ad Eccleſias collegiatas, etiãſi parochiales ſint: & hoc, quia ſuperadditã habent qualitatem cuiuſdam excellentiæ ſuper alias Parochiales, ſecundùm quam merentur non comprehendi ſub appellatione Parochialium in odioſis: ita aliqui ex laudatis Auctoribus probant ſententiam hanc, quæ locum habet etiam in Abbatiſſis, cum eadem ſit ratio.

CAPVT IX.

An prohibitio loquendi cum Monialibus comprehendat etiam Abbatiſſam?

57 PArtem negatiuam ſuſtinet *Aſcanius Tamburinus de Iure Abbatiſſarũ, & Monialium. diſp. 25. Quæſito. 8. ad Quintum*. quam ſententiam ſequitur *Diana par. 3. tract. 2. de dubijs regul. reſol.* 48. *notando* 3. *Pellizzarius de Monialibus cap. 5. ſect. 5, quæſito* 8. *n.* 208. *& num.* 184 *Marcus Vidal. in arca vitali. tract. de Monial. Inquiſ.* 4. *num.* 12. Fundatur in eodem principio, de quo quæſtione immediatè præcedente, videlicèt, in odioſis nomine Monialium non venire Abbatiſſam, ſicuti nomine Monachorum non venit Abbas, vt ſupra oſtenſum eſt: ſtatutum autem prohibẽs locutionem cum monialibus, Authores iſti cenſent, non eſſe fauorabile, ſed odioſum. Partem vero affirmatiuam docet *Graffius lib. 2. de caſibus reſeruatis. cap. 5. n.* 37. *&* 38. quem malè pro contraria ſententia, nempè pro negatiua citat Tamburinus: hanc eamdem opinionem affirmatiuam defendit *Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 1. diffic 4. num.* 604. Fundamentum huius opinionis eſt, quòd quãuis ſtatutum prohibens locutionem hãc videatur odioſum, nihilominus cum ſit principaliter editum in fauorem animarum, cenſeri debet fauorabile, & ampliandum; nam in his locutionibus facile occurrere ſolent variæ occaſiones peccandi; & ideò laudabilius eſt ab illis abſtinere & eas à Superiore prohiberi. Has duas ſententias eſſe ambas probabiles negare non poſſum; quia, & auctoritate, & ratione ſuadentur: penſatis tamen omnibus, prior ſententia negatiua magis placet. Ducor; nam cum Abbatiſſa totius monaſterij regimen habeat, & paſſim debeat cum alijs diuerſa negotia tractare, videtur neceſſarium, non adſtringere illam ad non loquendum cum alijs; & ideo non debuit ſub hoc ſtatuto comprehendi.

Ad fundamentum contrarię ſententię, quæ eſt affirmatiua, reſpondeo primò, illud non eſſe firmum; quia falſum eſt, omnem legem pœnalem, quæ immediatè dirigitur in bonum ſpirituale animæ, eſſe ſimpliciter fauorabilem, & ampliandam; nam multæ inueniuntur, quæ ratione oneris, quod imponunt, sũt reſtringendę, & dicuntur odioſę, non quia odio dignæ ſint, nam ſunt ſanctæ, & amabiles; ſed dicuntur odioſæ, quatenus ſubditos obligant, eiſque onus impo nunt: in quo ſenſu loquuntur Auctores, cum diuidunt legem in fauorabilem, & odioſam, vt adnotaui ſuperius: dari autem leges, quę licet dirigantur in bonũ ſpirituale animarum, ratione tamen oneris cenſeantur odioſæ, & reſtringendæ, patet; nam leges præcipientes ieiunium, recitationem horarum canonicarum, abſtinentiam ab opere ſeruili, auditionem ſacri omnibus diebus feſtiuis ratione obligationis, quam imponũt cenſentur odioſæ; & tamen immediatè diriguntur in bonum ſpirituale animarum, vt rectè adnotauit *Arriaga tom. 4. tract. de legibus diſp.* 21 *ſect.* 1. *num.* 4. Principium igitur illud, nempè, Legem pœnalem ordinatam ad bonum ſpirituale animæ eſſe amplè interpretãdam, vniuerſaliter intellectum, non eſt firmũ, quia in multis caſibus deficit; proindè lex prohibens allocutionem cum monialibus, quamuis edita ſit in bonum ſpirituale ipſarum monialium; nihilomi 58

nus

nus, cum contineat graue onus, cenſeri debet odioſa, & non extendenda. Secūdò, etiam ſi admitteretur prædictū principium; adhæreo tamen adhùc priori ſententię ex alio capite, nempè, adminiſtrationis, & regiminis, quod habet Abbatiſſa de rebus monaſterij; tale enim regimen exigit, vt ipſa Abbatiſſa familiariter, & frequenter tractet cum ſæcularibus de rebus monaſterij: motiuum autem hoc eſt adeo rationi conſonum, vt prudenter faciat præſumere, quòd ſub hac lege prohibente non comprehendatur Antiſtita, cui incumbit cura temporalium rerum ſui monaſterij.

59 Neque dicas, ad excuſandam Abbatiſſam ſatis eſſe, ſi illi permittatur talis locutio, quando vrget neceſſitas tractādi, & loquendi cum ſæcularibus, quia quādo deeſt huiuſmodi neceſſitas, nō apparet ſufficiens ratio ad illam excludendam: Ne dicas, inquam, hoc, quia, licèt motiuum ad eam non comprehendendam ſub lege fuerit neceſſitas negotiādi; nihilominus ſemel excluſa, in nullo caſu vi huius legis obligatur ad abſtinēdum à locutione: ſicuti in ſimili lex prohibens fidelibus, ne colloquantur cū excommunicato denunciato, non comprehendit vxores, filios non emancipatos, & famulos, qui eiuſdem excommunicati obſequijs ſunt addicti; & ideo poſſunt abſque metu incidendi in minorem excommunicationem cum illo familiariter conuerſari, vt aſſerit communis Doctorum ſententia: & expreſsè eximuntur à Summo Pontifice Gregorio VII. *Cap. Quoniam multos* 11 *quæſt.* 3. motiuum autem huius exemptionis, vt dicitur in eo cap. eſt neceſſitas frequentis communicationis; & ideò poſita exemptione, poſſunt prædicti, etiam quando hic, & nunc nulla vrget neceſſitas, inuicem colloqui, quia non comprehenduntur in lege vitandi excommunicatos publicè denunciatos, quamuis motiuum fuerit neceſſitas conuerſandi: ita & in caſu noſtro, neceſſitas frequentis negotiationis cum ſæcularibus, potuit eſſe congruum motiuum excludendi Abbatiſſam ab hac lege: & cōſequenter cum non ſit comprehenſa, etiamſi alloquatur eo tēpore, quo nulla ſit neceſſitas loquendi, non peccabit contra hanc legem: & addo, quòd nimis oneroſum, & moleſtum cenſeretur, ſi exemptio prædicta fuiſſet conditionata, nempè ſolum in caſibus neceſſarijs, & pro tanto tempore, & non longiore; hoc enim quam plurimis ſcrupulis, & anguſtijs ſubiaceret; nam poſſet ſemper, aut frequenter inſurgere dubium; an hic, & nunc ſit neceſſaria, nec ne allocutio; & an poſſit alia via occurri neceſſitatibus monaſterij? num ſufficiat breuior tractatio? & ſimilia dubia; hoc enim non eſſet conforme ſuaui diſpoſitioni, qua veſtitæ eſſe debent leges Eccleſiæ; ideo abſolute dico, valdè probabile videri, ob has rationes Abbatiſſam in hac lege non comprehendi ſub monialium appellatione.

CAPVT X.

An lex prohibens exportari vinū extra ciuitatem ſub pæna aliqua, vel ſub onere ſoluendi vectigal, comprehendat exportationem muſti?

Réſpondeo de hac re dubitatū fuiſſe in vna Maceratenſi, vt refert *Marius Antoninus variar. reſol. lib.* 2. *reſol.* 33. Ratio autem dubitandi videtur deſumi poſſe ex eo, quòd muſtum caret vini proprietatibus; eſt enim liquor, quamuis ex vuis maturis expreſſus, non tamen defæcatus; & ideò ſimpliciter loquendo non debet cenſeri vinum, niſi largè; ideirco lex iſta prohibens, cum ſit pœnalis, vel obligans ad ſoluendum vectigal, eſt odioſa, & ſtricte interpretanda; proinde appellatione vini non debet comprehendi, niſi vinum propriè dictum, quale eſt vſuale. Et confirmatur; nam aliqui Recentiores, quos ſuppreſſo nomine citat *Ioannes Delugo tr. de Euchar. diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 9. *&* *Leander par.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 8. *quæſt.* 32. valdè dubitant, an muſtum ſit materia Euchariſtiæ? & conſequenter ex hoc deducitur ab eiſdem dubitari, num ſit ſimpliciter vinum? Sed appellatione vini in lege prędicta comprehendi muſtum ex vuis recenter expreſſum docet *Marius Antoninus loco citato. Auguſtinus Barboſa in ſuis varijs tractatibus de appellatione verb. vtriuſque Iuris Verb. Vinum. num.* 12. & alij hanc ſententiam probantes, ex eo, quòd muſtum ſit eſſentialiter vinum. 60

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ certa eſſe debet: & ratio

eſt

eſt, quia lex, ſeu ſtatutum loquens de re aliqua in genere, cenſetur comprehendere quamlibet ſpeciem ſub illa tecōtentam, vt Auctores communiter notant *Menochius conſil. 266. num. 69. Surdus conſil. 255. num. 20. Tuſcus to. 4. lit. G. concluſ. 40. num. 17. & alij.* Vinum autem vt ſic, eſt genus ad vetus, & nouum, licèt nouum ſit deterius, vt patet per textum in L. *Cum quid. ff. de rebus creditis*. ergo ſtatutum prohibēs abſolutè extractionem vini comprehendit vtrūque, nempè & vetus, & nouum: muſtum certè eſſentialiter eſt vinum nouum, ſolum differens à veteri, quatenus non eſt fæcibus purgatum, ſicuti vetus, eſtque turbidum, & veteri dulcius.

Ad rationem pro contraria ſententia reſpondeo negando, muſtum carere proprietatibus, quę conueniunt naturæ vinini, vt ſic, licèt ſit affectum quibuſdā qualitatibus accidentalibus, quæ non reperiuntur in vino, nempè impuritate aliqua, quæ compoſſibilis eſt cum forma ſubſtantiali vini; proindè non largè, ſed propriſſimè eſt vinum, & includitur ſub appellatione vini, cuius extractio prohibetur: & hoc non per extenſionem, quæ non ita facile eſſet admittenda in lege pœnali, qualis eſt hæc, ſed per proprijſſimam comprehenſionem.

62 Ad confirmationem reſpondeo, falsā eſſe illorum Recentiorum opinionem, aſſerentium, muſtum recenter ex vuis expreſſum non eſſe materiam aptam ad conſecrationem: & aio, affirmatiuā, præter communem Theologorum ſententiam, definitam iam eſſe à Iulio I. Summo Pontifice *in cap. Cum omne. de conſecrat. diſt. 2.* vbi reprehendens vſum communicandi populum botro vuarum expreſſo, id apertè permittit tēpore, quo vrget neceſſitas. Præterea in ſacris litteris muſtum ſumitur pro vino: vt habetur in Actibus Apoſtolorum cap. 2. in quo dicitur, quòd nonnulli audientes in die Pentecoſtes poſt aduētum Spiritus Sancti Apoſtolos loquentes varijs linguis, illos irridebāt tanquā ebrios, & dicebāt: Muſto pleni ſunt iſti, per muſtum intelligentes, vinum; & ideo, vt notat *Cornelius à Lapide* in eum locum, alia verſio ait [Vino dulci pleni erant.] Rurſus in Theſauro latinæ linguæ, ſeu in foro Romano, muſtum explicatur per vinum nouum, & Auctor huius Theſauri refert, Nonium ſic dicētē [Muſtum non ſolum vinum; verū etiā nouellum quicquid eſt, rectè dicitur.] Sic etiā explicat muſtum *Ioannes Paſſeratius* in dictionario Calepini, & alij communiter: cum autem muſtum eſſentialiter ſit vinum, & ſolum quibuſdam qualitatibus differat à veteri, vt diximus, nulla eſt ratio, quare non comprehendatur in lege, ſeu ſtatuto prohibente extractionem vini genericè ſumpti, ſub quo cenſeri debent omnes vini ſpecies, vt ſub proprio genere contineri.

Ex his facilius reſolui poterit, nomine vini nulla ratione comprehendi, 63
vuam; quia muſtū, dum eſt intra acinos, eſt pars vuæ, quę, vt ſic, eſt quid comeſtibile, & non potabile; vinum autē, ſeu muſtū iā expreſſum eſt quid potabile; & ideo ſub vini appellatione muſtū intra acinos, neque ſecūdum propriū, neque ſecūdum impropriū ſignificatum venire poteſt. quapropter Theologi communiter docent, muſtum, ſeu vinum incluſum in acinis non eſſe aptam materiam conſecrationis. ex his patet ſub lege, ſeu ſtatuto prohibente vini extractionem, non comprehendi vuam.

CAPVT XI.

Vtrum in lege prohibente extractionem frumenti comprehendatur farina?

DVas inuenio ſententias, & in vtraque plures, & graues patronos. 64
Prima autem eſt affirmatiua ſuſtinens, appellatione frumenti contineri farinā ita *Bartol. in L. Quæſitum. §. Illud. de legat. 3.* & rationem ducit ex eo, quod materia, donec perueniat ad ſuum proximum finem, retinet nomen ſuum; & ideo lana dū contexta nō eſt, retinet nomē lanæ, etiāſi in fila attenuata ſit: proinde frumentum, donec panis euadat, retinet nomen frumenti. ita diſcurrit Bartolus, cuius opinionem pariter tuentur alij, vt *Baldus in L. Non dubium. num. 12. C. de legibus. Guido Papa deciſ. 373. Franciſcus Viuius in cōmun. opin. verb. Statutum. Ripa tract. de peſte. titulo de remedijs ad conſeruandam vbertatem. num. 43. Rebuffus in L. frugem. ff. de verb. ſignific. Verbo, Et prohibitus extrahere. Barboſa de appellat. vtriuſque*

quæ Iuris. appell 105. *num.* 6. & quamplures alij apud ipſum.

65 Secunda ſententia eſt negatiua eamque defendunt multi, vt *L. Quæſitum. ſuperius citata § Illud. Albericus lib. 2. de ſtatu quæſt.* 5. *Baldus in L.* 1. *nu.* 20. *C. de fruct. & litium expens: & alij.* Fundamentum præcipuum, quo nituntur Auctores huius ſecundæ opinionis, deſumitur ex eo, quòd lex prohibens talem extractionem eſt pœnalis; in pœnalibus autem non debet fieri extenſio: quæ tamen in caſu noſtro eueniret; quia prohibitio fertur in rem, quatenus eſt ſub tali forma; mutata autem forma res mutatur; proinde, cum res huius prohibitionis ſit frumentum, quod redactũ in farinam habet diuerſam formam, idcircò farina in prædicto ſtatuto prohibente non cenſetur comprehenſa. *Et* confirmatur; quia, ſicuti in legato ſub nomine frumenti non venit farina, vt docet *Menochius de præſumpt lib.* 4. *præſumpt* 151. *num.* 8. *Rebuffus loco citato. Barboſa eadem appellat. num.* 4. ita etiam à pari in ſtatuto; nam eadem ratio vtrim habet in vtroque.

66 Aliam ſententiam veluti mediam excogitauit *Merolla tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 9. *dub.* 5. *corollar.* 1. *in fine*. putans in concordiam redigere prædictas duas opiniones contrarias; & ideo inquit, priorem ſententiam, quæ affirmat, eſſe intelligendam de extenſione quoad obligationem legis dumtaxat, & non quoad pœnam. Poſteriorem vero, quæ eſt negatiua, eſſe interpretandam de extenſione legis quoad pœnam; & ideò concludit, quòd ſtante lege prohibente extractionem frumenti, ſi quis extraheret farinam, peccaret contra legem abſque incurſione ad pœnam.

67 Hæ ſunt opiniones, quas de re hac apud Auctores inueni: remanet declarandum quid ego ſentiam, quod in ſequentibus faciam.

Dicendum eſt primo. Opinio, quam Merolla excogitauit ad contrarias ſententias conciliandas, nullo pacto mihi placet; quia, ſi concedatur, extractionẽ farinę eſſe contra legem, intelligere nõ poſſum, qua ratione quis dicat, extrahentem, qui legem frangit, quam ſupponimus iuſtam, non ſubijci pœnis ab eadem lege contra tranſgreſſores impoſitis; hoc enim non videtur cohærenter dictum; nam adæquata cauſa incurrendi pœnam eſt fractio legis, & nõ alia; ergo poſita illicita fractione, iam habetur vera cauſſa incurrendi pœnam: neque ſuffragatur ipſi Merollæ, ſiquis dicat, legem pœnalem, vtpotè odioſam, eſſe reſtringendam; nam, hoc admiſſo, potius debuiſſet Auctor iſte adhærere Doctoribus, qui ob hoc principium negant, appellatione frumenti in hac lege venire farinam; ſic enim *Merolla* cohęrenter loquutus fuiſſet.

Dicendum eſt ſecundo, priores alias duas ſententias, quamuis contrarias; probabiles tamen eſſe; nituntur enim, & auctoritati, & ſufficienti rationi, vt vidimus. 68

Dicendum eſt tertio, probabiliorem mihi videri ſententiam primo loco relatam; quę aſſerit, in ſtatuto prohibẽte extractionem frumenti comprehendi etiam farinam. Probatur argumento, quod pro eius confirmatione ex Auctoribus adduximus: idque, ſi aliquantulũ clariùs declaretur, efficaciter concluſionem hanc ſuadebit; quamuis enim frumentum videatur mutatum in aliam formam, quando in farinam eſt redactũ; nihilominus mutatio hæc eſt ſolum quo ad aliqua accidentia; nam quoad ſubſtantiam manet idem: proinde farina eſſentialiter eſt frumentum molitum: & quia finis ſtatuti prohibentis extractionẽ frumenti eſt, ne communitas inopiam patiatur, & ſubditi egeſtate pereant, & finis iſte maneat in ſuo vigore, perſiſtente frumento in ſua ſubſtantia, vt perſiſtit, cum in farinam eſt redactum; ideò permanente identitate finis, ſtatutum remanet. 69

Dices primò. Si ratio hæc eſſet vera, nimium probaret; quia etiam probaret, 70
neque panem extrahi poſſe; nam finis, qui eſt vitare inopiam, habet locum etiam in extractione panis; imo magis principaliter in pane finis per ſtatutum intentus obtineri poterit, quam in alijs; quia neque frumentum, vt ſic, neque vt molitum, eſt comeſtibile; & ideò ſi ex farina panis non conficiatur, non euitaretur inopia.

Reſpondeo negando paritatem, pri- 71
mò; quia appellatione frumenti non venit panis, vt notat *Bartolus in Lege. Quæſitum. ſuperius citata. §. Illud. Petrus Peckius de teſtamentis lib.* 5. *cap.* 28. *Menochius præſumpt.* 151. *cit. nu.* 9. & merito; quia virtute concoctionis

 fari-

72 farina tranſit in aliam ſpeciem. Secundò, quia non ſufficit ad comprehendendam rem aliquam ſub lege, ſeu ſtatuto, vt in tali re finis legis quomodocumque inueniatur; ſed oportet, vt finis à lege primariò intentus terminet intentionẽ legiſlatoris, etiam vt exiſtens in tali determinato ſubiecto; & ideò ſi finis ſtatuti ſit, v. g. euitare, ne aliquod damnum contingat vniuerſitati, & propterea prohibeat actionem aliquam ſpecialem, ex qua ſequeretur damnum illud, nequit ex hoc præciſe inferri, vi eiuſdem legis prohibitam eſſe aliam actionem, ex qua idem obuenturum foret damnũ; vt ſic enim cogeremus aſſerere, quãplurimas per eamdem legem eſſe prohibitas actiones, licèt in lege non expreſſas, quod eſt abſurdum. E. g. Sit ſtatutum prohibens ſubditis geſtare ſclopum tempore noctis puluere, & glande præparatum, ne contingat alicui damnum corporale: ſi quis non ſclopum, ſed aliud inſtrumentum eodem modo puluere oppletum ferret, etiam noctis tempore, tranſgreſſor huius legis cenſendus non eſſet; & tamen finis prohibitionis, qui eſt obuiare damnis, locum haberet in hoc alio inſtrumento. Præterea, ſi quis combureret, vel diſſiparet ſegetes alicuius ciuitatis, exerceret actionem, ex qua induceretur inopia, & longe maior, quã ex frumenti, & farinæ exportatione, & tamen comburens non faceret contra hanc legem. Denique idem habemus in alijs materijs. E. g. extat lex eccleſiaſtica interdicens pro diebus feſtiuis exercitium operum ſeruilium, in qua duos attendimus fines, remotum vnum, & principalem, nempè exhibitionem diuini cultus, propter quam Eccleſia inſtituit legem hanc; alterum verò finem mediatum, & veluti medium ad priorẽ, qui conſiſtit in ablatione impedimẽtorũ, quibus fideles diuerterentur, itaut diuinis minime vacarent: talia autẽ impedimenta non ſolum reperiuntur in exercitio operum ſeruilium; ſed etiam plurimorum operum corporalium externorum, quæ non ſunt ſeruilia, vt ſtudere, docere, ſcribere, ludere, iter facere, & ſimilia, quę communia ſunt ſeruis, & liberis; & tamen opera liberalia non ſunt diebus feſtiuis prohibita, licèt cauſent idem impedimentum, nempè diuertant fideles, ne ſe applicent ad diuina, & ſic in multis alijs. non debet igitur attendi finis legis quomodocumque, ſed reſtrictus ad illud ſubiectum, quod verbis ipſius legis exprimitur, vel ad ſummum, quod continetur ſub verborũ ſignificatione; quamuis non ſit ſecundũ ſe expreſſum: applicando autem doctrinam hanc præſenti materię, dico, quòd, eſto in extractione panis reperiatur idẽ inconueniens, quod inuenitur in extractione frumenti, vel farinæ; nihilominus extrahens panem non delinquit contra legem, quę prohibet extractionẽ frumẽti; nã licèt legiſlator voluerit mediante lege prædictum finem, nempè vitationẽ inopię; tamẽ eum finem voluit vt affixum tali ſubiecto, videlicèt tali determinatæ actioni, quam in lege expreſſit; & ſub verborum ſignificatione non continetur actio alia, ideſt extractio panis. Si quis verò curioſè inquirat, cur legiſlator voluerit potiùs vnam, quam aliam inhibere actionem? Reſpondeo, non eſſe mihi valdè laborandũ in aſſignando tali motiuo, cum ſatis ſit voluntas ipſa legiſlatoris: ſed vt aliquid determinatum explicem, aio, quòd electio magis vnius, quam alterius actionis interdum prouenit ex maiori, & frequentiori vſu vnius, quam alterius; & ſic in caſu noſtro contingere potuit, vt extractio in ea quantitate, ex qua cauſſetur egeſtas, potius, & frequentiùs exerceatur in frumento, & farina, quam in pane, qui, cum breuiſſimo tempore dureſcat, fit minus aptus ad comeſtionem.

*D*ices ſecundò hoc pacto ad hominẽ. 73
*S*uperius quæſt. 5. dictum fuit, ob identitatem rationis legem extendi poſſe ex vno caſu ad alium in ipſa lege non expreſſum; ergo in hac re ſtatutũ prohibens extractionem frumenti ad penuriam vitandam, debet extendi ad extractionem panis ob eumdem finem, quia eſt identitas rationis. Et confirmatur; quia in ea quæſtione admiſimus extenſionem hanc inter æquiparata, cuiuſmodi ſunt extractio frumenti, farinæ, & panis.

Reſpondeo; in quæſtione illa quinta loquutus ſum de identitate, non quacũque, ſed comprehenſa ſub ſignificato verborum, quæ non habetur in caſu, de quo eſt ſermo; nam appellatione frumẽti non venit panis, vt ſupra oſtenſum fuit; & ibi pariter loquutus ſum, quando non facta extenſione, lex redderetur iniuſta, vel inutilis; & ideo ad argumen-

mentum, ita explicato antecedente, neganda eſt conſequentia.

Ad confirmationem reſpondeo, argumentum, quod procedit ab æquiparatis eſſe validum, quando æquiparatio eſt in omnibus, & eſt ex diſpoſitione iuris per viam regulæ ſtatuentis, aliqua duo inter ſe æquiparari. Vide *Ioan. Baptiſt. Croto in Repetit. L. Omnes populi num. 178. & ſequent. & præſertim verbo Limitatur de iuſt. & iure. Farinacium in fragm par. 1. verb. Extenſio num. 105.* in caſu autem noſtro inter frumentum, & panem non habetur quoad prædictum effectum æquiparatio ex iuris diſpoſitione.

74 Dices tertiò, a lege prohibente formaliter, & per ſe reſpici vitationem inopiæ, ſed vitatio hæc per ceſſationem ab hac, vel altera actione, materialiter ſe habet; ergo lex prohibens extendenda eſt ad omnem actionem, per quam induceretur egeſtas, ſiue actio hæc ſit extractio frumenti, ſiue panis.

Reſpondeo, vitationem inopiæ non reſpici quomodocumque à tali lege, ſed, prout eſt reſtricta ad frumenti extractionem; nam lex iſta, vt ſonant verba, eſt ſpecialis, & non vniuerſalis, per quã prohibeatur omnis illa actio inductiua egeſtatis; & potuit ſpecialiter procedere ob aliquod congruum motiuum, per quod legiſlator iudicauerit, ſufficienter impediri inopiam, prohibendo extractionem frumenti, & non panis, vt ſupra dictum eſt.

CAPVT XII.

An nomine librorum, tam in fauorabilibus, quam in odioſis veniant non ſolum libri typis impreſſi, verum etiam manuſcripti?

SOlent Auctores quæſitum hoc examinare, vel in tractatu de Fide; vel in commentis ſuper Bullam cœnæ, in cuius primo canone poſt latam excommunicationem contra hæreticos, prohibentur eorum libri, in quibus, vel agitur de illorum hæreſi, vel de religione. Ex doctrina autem, quam ab iiſdem Auctoribus accepi, deuenio ad ſolutionem quæſiti.

75 Dico igitur, certiſſimum, & apud omnes indubitatum eſſe, nomine librorum, ſiue in fauorabilibus, ſiue in odioſis venire tum libros typis impreſſos, tum manuſcriptos; & hoc non per extenſionẽ, ſed per veram, & propriam comprehẽſionem. ita communiter Auctores; nã loquentes de lege prohibente aliquos libros, & priores, & poſteriores complectuntur, vt *Suarez tract. de fide ſect. 2. nu. 10. Sanchez in decalog lib. 2. cap. 10. num. 24. Vgolinus de cenſuris Pontifici reſeruatis par. 2. cap. 1. verb. ac eorum libros num. 1. Farinacius de hæreſi, qu. 180. num. 30. Ricciullus de Iure perſon. lib. 5. cap. 23. num. 6. Souſa in Aphoriſm. inquiſit. cap. 2. 12. num. 8. Auguſtinus Barboſa in collectan. cap. Fraternitati. de hæret. num. 3. Portellus in dubijs regul. verb. Liber. nu. 7. Lezana in quæſt. regul. tom. 4. verb. Libri num. 20. Carena de officio Inquiſit. lit. 10. nu. 4. Bordonus in Tribun. Inquiſ. de libris probib. cap. 14. quæſt. 28. Salelles de materijs tribun. fidei lib. 1. cap. 19. num. 170. Santarelli de hæreſi cap. 13. num. 6. Racaſul par. 3. lib. 3. cap 8. dub. 1. Trullench in decalog lib. 1. cap. 3 dub. 9 §. 5. num 16. Fagundez in decalog. lib. 1. cap. 14. nu. 11. Duard. in bullam cœnæ. lib. 2. canone 2. quæſt. 3. num. 32. Bonacina in bullam cœnæ. diſp. 1. quæſt. 2. pu. 4. nu. 22. Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 2. num. 45. Caſtro palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 2. pu. 10. nu. 3. Layman lib. 2. tract. 1. cap. 14. num. 1. Cardinalis Delugo de fide. diſp. 21. ſect. 2. num. 39. Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 328. Leander tom 4. tract. 3. quæſt. 43. Andreas Mendo de Iure Academico lib. 2. quæſt. 16. num. 152. Rainerius in catalogo cenſur. in explicat. bullæ cœnæ caſu 1.* Hi ſunt Auctores, quos ipſemet in fonte legere volui, & neminem reperi contrarium, ſi excipiamus P. Thomam Tamburinum *in decal. lib. 2. cap. 1. § 8. num. 23.* vbi docet, libri appellatione non venire librum manuſcriptum, ſed tantum prælo excuſſum: probat hoc, quia, vt ipſe inquit, iuxta conſuetum loquendi modum, nomine libri intelligimus dumtaxat impreſſum. Cæterum, quia moleſte ferebam, virum eruditiſſimum, & mihi amicitiæ vinculo coniunctiſſimum in ſententiam adeò ſingularem declinare, volui oretenus de re hac familiarem cum illo habere ſermonem, eique oſtendere

Digitized by Google

magnum illum Auctorum numerum, abſque vlla contradictione, oppoſitum docentium; & ideò vir non minus prudens, quàm doctus, communi eligens adhærere ſententiæ, decreuit in ſecunda editione ſuę explicationis in decalogum ſub prælo iam extantis, communem tueri opinionem. His obiter tactis, aggredior probationes pro concluſione poſita,

76 Primò igitur eam probo, deſumens argumentum ex proprio huius nominis ſignificato, iuxta receptam, & peruulgatam eius vſurpationem: & vt clariùs, & ſolidiùs id fiat, ſuppono, nomen hoc videlicèt, *Liber*, propriè ſignificare tenuem, & interiorem corticem arboris, qui quidẽ cortex vſum chartę antiquis ſcriptoribus præbebat, quatenus in tali cortice ſcribere ſolebant, vt plures graues Auctores notãt, & citantur in Theſauro linguę latinę, & in dictionario Paſſerarij. Verbo *Liber*. Subſequentibus deindè temporibus Auctores vetuſtum retinentes nomen per hunc terminum, *Liber*, intellexere, & adhuc intelligunt opus illud, quod vſitato modo loquendi librum appellamus, & cuius ſignificatum, & definitio in pręſentia à me exquiritur: & quamuis eam apud neminẽ ſignatè inuenire potuerim; nihilominus ita mihi videtur formanda, ſcilicet: Liber eſt quoddam cõgeſtum ex pluribus folijs, ſeu paginis, in quibus mentis conceptus exarantur, vt hi ad aliorum perueniant notitiam. Definitio, ſeu deſcriptio hæc à me excogitata, rectè videtur tradita, cum procedat per ordinem ad omnia quatuor cauſſarum genera, à quibus liber ipſe dependet; cauſſa enim materialis exprimitur, in quantum dicitur conſtare ex folijs; Cauſſa verò formalis conſiſtit in illa ordinata cõgerie, vt continente expreſſionem internorum conceptuum; Cauſſa autem finalis declaratur vltimis illis verbis, videlicèt, [Vt conceptus in folijs exarati, alijs, nempe legentibus, innoteſcant] ad hũc enim finem liber inſtituitur: Cauſſa denique efficiens inuoluitur implicitè in ipſamet definitione, in quantum congeries, & expreſsio prædicta neceſſario eſſe debet ab alio congerente, & exprimente, ſeu ſcribente. His poſitis ſic argumentor; Operi manuſcripto prædicta definitio integrè, & propriè conuenit, ergo nomine libri propriè venit etiam liber manuſcriptus; patet conſequentia; quia vniuerſaliter, cui conuenit definitio, conuenire debet ipſa ratio definita: cui V. g. competit definitio hominis, conuenit, & eiuſdem hominis eſſentia, &c. difficultas autem, ſi quæ eſt, in antecedente reſidet, quod probo, applicando ipſi manuſcripto ſingulas prædictæ definitionis particulas; nam manuſcriptum congeſtum ex pluribus folijs eſt aptum, vt in ipſo ſcribantur verba expreſſiua conceptuum internorum, vt alijs legentibus ipſi conceptus manifeſtentur; proinde nomen libri propriiſſimè aptari poterit manuſcripto: & conſequenter aio, ſiue in fauorabilibus, ſiue in odioſis, nomine librorum venire, tum libros typis impreſſos, tum manuſcriptos, non extenſiuè, ſed comprehenſiuè: quę eſt concluſio principalis à me probanda. Secundò probatur; quia, cum longè prius, quam adinuenta fuerit ars typographica, paſſim Auctores vſurpauerint nomen hoc, ſequitur, eius ſignificatum proprium non poſſe adæquatè conſiſtere in libris impreſſis, ſed in impreſſis, & manuſcriptis. antecedens, quod eſt luce clariùs, abſque errore negari non poteſt; quia non tantum in profanis litteris, ſed, quod maius eſt, in ſacris nomen hoc frequenter vſitatũ inuenimus, vt vnicuique ſacrorum Bibliorum volumen veteris, & noui Teſtamenti peruoluenti fiet manifeſtum. Præterea litterę, quæ legi ſolent in die cœnę Domini, in quibus continentur cenſurę Summo Pontifici reſeruatæ, quę quolibet anno Romæ coram eodem Pontifice promulgari ſolent, ſunt antiquiores, quàm ſit Typographia; & tamẽ in primo canone earumdem litterarum prohibentur libri hæreticorum de hæreſi, vel religione tractantes: eſſe autẽ has litteras antiquiores eſt manifeſtum; nam aliqui ipſam bullam cœnæ exponẽtes, & eius primum Auctorem inquirentes, dicunt fuiſſe *Martinum V. Summum Pontificem* anno Domini 1417. Alij verò ſuſtinent, fuiſſe *Clementem V.* anno 1305. Alij denique antiquiorem volunt fuiſſe vſum huius bullæ, vt aſſerit *Duardus in commentarijs eiuſdem Bullæ. lib. 1. cap. 4. quæſt. 1. in fine plures referens*: de initio autem artis Typographicæ, licet ſit aliqua diuerſitas apud Auctores; quatenus nonnulli inquiunt cœpiſſe anno Domini 1440. alij 1450,

alij

alij denique tardius, vt legitur apud Patrem noſtrum *Ioannem Stephanum Menochium* in ſuis eruditis diſſertationibus par, 1. cap. 2. quod etiam confirmari poterit ex tabella chronographica edita à noſtro P. Theophylo Raynaudo; nihilominùs, quidquid ſit de hac varietate, certum omninò eſt. litteras bullæ cœnæ longè antiquiores fuiſſe;& ideò patet veritas prædict. antecedẽtis, quod erat mihi probandum.

Ex his omnibus concludo, vſum huius nominis *Liber* vetuſtiſſimis tẽporibus viguiſse, ac proinde non eſſe reſtrictum ad libros typis impreſſos, qui fuerunt poſtea multis elapſis ſeculis, ne dũ annis.

77 Neque dicas, per hoc nomen impropriè, & extenſiuè ſignificari libros manuſcriptos, propriè verò ſignificari impreſſos, ne dicas, inquam, hoc; quia manifeſta eſt falſitas; nullum enim nomẽ in ſua prima impoſitione aptatur improprio ſignificato; ſed id fieri poteſt conſequenter; nimirum, poſtquam idem nomen accommodatum fuerit proprio ſignificato, deinde per quamdam proportionem extenditur ad improprium; proinde dico, librum manuſcriptum propriiſſimè, & comprehenſiuè, & non impropriè, & extenſiuè venire nomine librorum; immò, ſi aliqua eſſet admittenda extenſio, potius eam aio, eſſe concludendam ratione librorum impreſſorum; nã, vt dixi, hoc nomen fuit primò adinuẽtum, ex ſcriptione, quæ fiebat ab antiquis in corticibus tenuioribus arborum; poſtea verò aptatum fuit manuſcriptis ex charta, aut pergameno conſtantibus & deindè vltimo loco libris impreſſis; non dico autem, nomen hoc extenſiuè conuenire libris impreſſis, ſed loquutus ſum quaſi comparatiuè; reuera enim nomen libri propriiſſimè etiam conuenit impreſſis, vt patet ex tradita definitione libri in vniuerſum.

78 Tertiò probari poteſt concluſio à pari; nam verba, in quacumque materia ſint formata, ſiue in charta, ſiue in mẽbrana, ſiuè in cortice, ſiue in alia materia, non variant eſſentialem rationem libri, vt habetur ex Vlpiano *in L. Librorum appell. ff. de leg.* 3. ergo neque, ſi inſtrumentum, quo mediante formatur, ſit diuerſæ materiæ, videlicèt ex ligno, ſtãno, vel ex calamo plũbeo, variabitur formalis ratio libri: nam diuerſitas harũ materiarum ſolum accidentalem cauſabit mutationem; quia ſemper retinebitur conceptus ille, nempè, ſcriptio ad manifeſtandos conceptus internos pluribus folijs exaratos: ſicuti clauis, cuius ratio formalis conſiſtit in eo, quod eſt eſſe reſeratiuum inſtrumentum, ex quacumque materia ſit confectum, ſiue ex ferro, ſiue ſtamno, ſiue argento, &c. ſemper retinebit eumdem conceptum formalem, nempè, eſſe inſtrumentum aperitiuum.

Ex his omnibus colligimus, ſub nomine libri comprehenſiuè, & propriè contineri ſcriptionem, ſeu manifeſtationem conceptuum, ſiue ſcriptio formata ſit characteribus ferreis, ſiue plumbeis, &c. & falſum eſt, nomine libri apud nos venire illum, qui eſt typis impreſſus, & non manuſcriptus; vtrumque enim venire, eſt omninò certum; & ideò in quacumque lege, ſeu diſpoſitione tum fauorabili, tum odioſa librorum appellatione, vtrumque librorum genus debet intelligi, niſi aliud declaretur.

REGVLA XVI.

Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.

REGVLA XVII.

Indultum à Iure beneficium non eſt alicui auferendum.

HAe duæ Regulæ quamdam inter ſe ſimilitudinem, ſeu æquiparationẽ habentes impellunt me, vt de illis ſimul quæſtiones inſtituam: præmittenda tamen eſt breuis terminorum declaratio.

1 Et primo animaduerto, appoſitum eſſe verbum, *Decet*, & non verbum *Debet*, quod neceſſitatem importat, vt notauit *PecKius num.* 1. & hoc ad ſignificãdum non deeſſe poteſtatem reuocandi beneficium ſubdito conceſſum, quamuis id non videatur conueniens, niſi in quibuſdam caſibus, vt declarabitur in progreſſu quæſtionum.

2 Controuerti poteſt, num in his regulis ſub nomine beneficij comprehendatur priuilegium? pro qua re ſuppono, hæc duo in rigore loquutionis inuicem diſtingui; nam beneficij nomine ſignificatur gratia illa, quæ eſt ſecundùm, vel præter ius commune, vt cum *Princeps* feudum concedit, vel rem aliquam donat;

nat; priuilegium autem denotat gratiā contra ius commune, ſeu contra legem aliquā. V. g. nō ieiunare, non perſoluere horas canonicas ad quas quilibet ſacerdos tenetur. ita *Abbas cap. Olim. de ver. ſignif. n. 7. Bartolus in L. 5 finita. §. Ex hoc edicto. n. 5. ff. de damn. infec Azor. in ſumma to. 1. lib. 5. cap. 22. qu. 5. Pe-ckius hic nu. 3.* & alij, quos laudat *Merolla tom. 3. diſp. 6. cap. 1. num. 2.* Sed nihilominus, vt animaduertit *Suarez de legib. lib. 8. cap. 1. num. 5.* quæſtio eſt de nomine, quia priuilegium habet rationem beneficij; & ideò mihi videtur dicendum, quod beneficium dupliciter ſumi poteſt; latè, & ſtrictè; ſi latè, vtrūque ſub ſe comprehendit; ſi ſtrictè, diſtinguitur à priuilegio; quatenus illud non eſt contra ius modo explicato; hoc vero eſt contra. Addo quòd *Suarez loc. citato.* refert *Sylueſtrum, verb. Priuilegium, quæſt. 3.* qui diſtinguit priuilegium latè, & propriè ſumptum, & ait, priuilegium propriè acceptum eſſe contra ius; ſed latè ſumptum ſufficere, quòd ſit vltra, vel præter ius. Verum hæc omnia ſunt controuerſiæ potius ad nomen, quam ad rē ſignificatam ſpectantes; & ideò non eſt de illis valdè curandum. Dico igitur, in his regulis ſub nomine beneficij venire tum beneficium ſtrictè, tum latè ſumptum; ac proindè contineri etiam priuilegium; idcircò indiſcriminatim de illis loquemur. & hęc ſatis eſſe poſſunt quoad terminorum intelligētiam: ſupereſt vt nonnulla, quæ dubitationē aliquam inuoluunt, ſuper prædictas regulas diſcutiantur.

CAPVT I.

An aliquando deceat, Principem beneficium à ſe conceſſum reuocare?

3 SI verba huius regulæ ſimpliciter, & abſolutè ſpectemus, negatiuè erit reſpondendum; præcipuè quia Principi maximè conuenit conſtantia in ſuis actionibus, vt ſubditi procliuiùs, & facilius fidem dictis Principum adhibeāt, ſicut rectè hoc oſtendit *Baldus conſil. 326. lib. 1.*

Cæterum his non obſtantibus, dico, nullam eſſe indecentiam, ſi Princeps aliquando reuocet beneficiū, ſeu priuilegiū à ſe collatum; & ideò addo, in multis caſibus regulam hanc non procedere; Concluſio hęc eſt certa, eamque demōſtrat tum experientia, ſecundùm quam paſſim videmus plura priuilegia à Summo Pontifice, vel à Rege conceſſa irritari, tum etiam id ſuadet recta ratio, quatenus interdum nonnulla emergunt occaſiones, ob quas expedit, vel modificare, vel reuocare totaliter priuilegium, aliquod; quia ex eius permanentia nonnulla ſequerentur inconuenientia; idcircò de prædicta concluſione abſolutè, & vniuerſaliter ſpectata, neque eſt, neque eſſe poteſt dubitatio, aut controuerſia; difficultas autem eſſe poterit in caſibus ſpecialibus; quapropter pro maiori huius quæſtionis intelligentia, aliqui ſunt caſus diſcutiendi, in quibus dubitatio inueniri poterit, num deceat reuocatio beneficij, ſeu priuilegij?

Pro horum notitia ſupponendę ſunt formæ, ſub quibus concedi poſſunt beneficia, ſeu priuilegia; tres autem aſſignari ſolent. Primò conceditur gratis, & ex pura Principis liberalitate abſque onere. Secundò ſub aliquo grauamine. Tertiò intuitu meritorum ex parte ipſius beneficiati. Difficultas principaliter conſiſtit de beneficio ſub priori forma conceſſo; videlicet, an dedeceat reuocatio beneficij etiam gratis collati; videtur enim contraria firmitati, ac conſtantię animi, quæ maximè elucere debet in Principe: ad eximendum autem ipſum Principem à tali turpitudine, inquirimus motiua, ideſt cauſas, quę omnem indecentiam expellant à reuocatione, & in ſequentibus declarantur; nā abſque vlla cauſa, certum eſt, reuocationem eſſe illicitam, & aliquod eſſe peccatum leue, aut etiam graue ſecundùm occurrentes circumſtantias, vt bene animaduertit *Suarez lib. 8. de legib. cap. 37. num. 10.* idque colligit ex hac regula, *& ex cap ſuggeſtum. de Decim.* 4

Primus igitur caſus, in quo aliqua reperitur dubitatio, eſt, an priuilegium conceſſum non ſubdito, & ab eodem acceptatum reuocari poſſit? Sunt duæ ſententiæ, quarum prima negat. ita ſentiūt quamplures Canoniſtæ, quos laudat *Merolla tom. 3. ſuæ Theologia moralis diſp. 9. cap. 7. num. 146.* & his Authoribus ſubſcribunt *Suarez lib. 8. de legibus cap. 37. num. 2. Sanchez lib. 8. de matrim. diſput. 33. num. 5.* Ratio fundamentalis, qua nititur hæc ſententia eſt, quia priui- 5

le-

legium à non ſubdito acceptatum tranſit in contractū, & ideò reuocari nequit; nullus enim Princeps poteſtatem habet priuandi non ſubditum bonis ab illo legitimè acquiſitis, vndecumque ad illum bona peruenerint, & ideò, quamuis ea habuerit à Principe, cui non ſubditur; nihilominus poſt talium bonorum adeptionem manet in non ſubdito Ius in eiſdem bonis, ac ſi aliunde ea obtinuiſſet. Rurſus Authores allegati loquentes de priuilegio, quod ſubdito conceditur, oppoſitum docent, nempe eſſe reuocabile: ratio eſt; quia tale priuilegium non tranſit in dominium ſubditi; proinde ſemper dependet à voluntate Principis, qui illud conceſſit.

6 Secunda ſententia ex parte eſt præcedenti contraria, nullum in re hac agnoſcens diſcrimen inter non ſubditum, & ſubditum, ita alqui apud *Merollam num.* 152. *in fine*, qui eam opinionem probabilem exiſtimat *num.* 149. Suaderi poterit hæc ſententia; quia vel datur, per conceſſionem priuilegij transferri dominium rei, vel non transferri: ſi primum eligatur, tunc non poterit Princeps priuare aliquē Iure acquiſito abſque graui cauſſa, ſiue ille alius ſit ſubditus, ſiuè non ſubditus; ac proinde eadem eſt ratio, & nulla, quantum adnoc, videlicet quoad tollendum, vel non tollendum ius, reperitur differentia inter ſubditum, & non ſubditum: ſi verò ſecundum eligatur, faciliùs erit oſtendere, eamdem eſſe rationem inter vtrumque, nempe inter ſubditum, & non ſubditum; nam ob conceſſionem priuilegij ſupponitur non eſſe translatum dominium, ſed permanſiſſe apud Principem; ac proindè poterit Princeps vti ſuo iure, reuocando ſcilicèt priuilegium: quamuis, vt licitè id fiat aliqua requiratur ſufficiens, & proportionata cauſa, vt ſupra ſuppoſuimus. Hæ ſunt duæ extremæ ſententiæ, quæ nonnullis adhibitis diſtinctionibus recipi poſſunt.

Pro qua re ſupponendum eſt, priuile-
7 gium, quod conceditur, eſſe in duplici differentia; aliud enim tale eſt, vt inuoluat translationem dominij, ſeu donationem alicuius rei, vt euenit, quando liberè conceditur aliquod feudum, ſeu caſtrum, vel ius ad exigendum tributū, aut quid ſimile; aliud verò priuilegium non continet translationem dominij, ſed ſolum conſiſtit in quadam facultate, ſeu licentia exercendi actum aliquem contra ius commune prohibens talem actum, vel in licentia non operandi hūc, aut illum actum, quem ius præcipit: ſi de priori ſit ſermo, tunc priuilegium, ſeu beneficium eſt irreuocabile, & hoc ob rationem aſſignatam, videlicèt, non poſſe principem ſuo arbitrio auferre rē ab alio, ſiue hic alius ſit non ſubditus, ſiue ſubditus; & in hoc conuenio cum Authoribus ſecundæ ſententiæ, ob rationes ab eiſdem aſſignatas. Secus verò eſt dicendum de priuilegio, quod non continet dominij translationem; quia hoc aliquando poterit licitè reuocari.

Nonnulla alia poſſent hic inquiri circa permanentiam, & reuocabilitatem priuilegij, & præſertim an priuilegia à Principe ſeculari conceſſa Eccleſiæ, vel eccleſiaſticis perſonis ſint reuocabilia, nec ne? Aliqui affirmant, alij verò negant, legatur *Molina tom. 1. de Iuſtit. tract. 2. diſp. 38. Ver. Tertia pars. Sanchez in ſumma lib. 7. cap. 12. num. 18. Suarez de immunitate lib. 4. cap. 30. Leſſius lib. 2. de Iuſtit. cap. 33. dub. 4. num. 35. & plures alij* penes laudatos Authores. Hæc autem controuerſia non eſt à me hoc loco diſcutienda; quia non multum facit ad præſens inſtitutum; nam ſi talia priuilegia dicantur irreuocabilia, debent conſequenter comprehendi ſub regula de permanentia beneficij à Principe collati: ſi verò ponantur reuocabilia, & ideò regula in illis ponatur non procedere, parùm refert; quia Regulæ Iuris non debent ita ſe habere, vt in nullo caſu deficiant: in nonnullis enim ceſsāt, ſeu fallunt, vt patet ex earumdem regularum commentatoribus, itaque omitto aliquas alias limitationes, ſecundum quas Authores docent, beneficium à Principe conceſſum nequaquam manſurum, vt videre eſt apud Authores prædictos.

CAPVT II.

An ceſſante cauſa, ob quam beneficium à Principe collatum fuit, hoc non obſtante, beneficium ipſum permanere deceat?

PLures huic quæſito annecti poſſunt difficultates, quas examinant Au- 8
thores in tractatu de Legibus, agentes de priuilegijs, & præſertim de diſpenſatio-

Digitized by Google

tionibus, inquirentes, num ceſſet diſpenſatio, ſi deſinat cauſa, cuius intuitu Princeps motus fuit ad illam concedendam? de hac autem re varia Authores diſcutere ſolent, quæ omnia maximè dependent à determinando cauſarum genere, nempè à cauſa finali, & impulſiua, de quibus non idem ſentiunt Doctores; ac proinde diuerſa ſentientes occaſionem præbuerunt, vt variæ inſtituerentur controuerſiæ; ego tamē eas quęſtiones inire curabo, quæ facere videntur ad maiorem huius regulæ intelligentiam, in qua dicitur, quòd decet eſſe manſurum beneficium conceſſum à Principe. Exquirendum igitur eſt, an tam magnus ſit fauor, qui inuenitur in beneficio, quod à Principe emanat, vt etiā definēte motiuo, ſeu cauſa conceſſionis permanſurum ſit ipſum beneficium? Vt autem hæc elucidentur, operæ pretium eſt prius declarare, quid ſit cauſa finalis, & quid impulſiua: Rurſus quot, & quales ſint modi, quibus ceſſare poſſit cauſſa finalis; ex his enim rectè explicatis facilior aperietur via ad propoſitę quæſtionis deciſionem: exordium ergo ſumo à prædictarum cauſarum natura, explicādo, qualiter inter ſe differant.

9 Aliqui cenſent, cauſam finalem eam eſſe, quę ita mouet Principis mentem, vt ſi ipſa non adeſſet, *Princeps* beneficium minimè conceſſiſset; impulſiuam verò eam eſſe, quæ mouet ad faciliùs concedendam gratiam, itaut ipſa non exiſtente, adhuc eadem gratia concederetur: hanc ſententiam, ſeu modum explicandi vtramque cauſam ſuſtinent plures, & graues Authores, *Panorm. in Cap Poſtulaſti num.* 1. *nota.* 4. *de Reſcrip. Decius ibidem in noua edit. num.* 10. *notat.* 4. *cap* 3 *num.* 11. *Bonacina diſp. de Voto quæſt.* 2. *puncto.* 3. §. 2. *nu.* 10 & alij, quos refert *Tiraquel. tract. ceſſante cauſa. limit.* 1. *num.* 36. *&* 37.

10 Sed alijs prædicta expoſitio non placet; putant enim interdum euenire, cauſam, quę ita mouet diſponentem, vt abſque illa nequaquam diſponeret, eſſe impulſiuam. ita *Merolla tom.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 2. *num.* 714. *& tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *num.* 322. vbi citans *Suarez lib.* 4. *de legibus cap.* 30. *initio*, *& Sanchez*, quaſi ſibi contrarium *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 39. *nu.* 14. ait, cauſam finalem eam appellari, quæ eſt principalis, præbens ſufficientem rationem concedendi gratiam, (nempè diſpenſationem in legibus, de qua hic Author ibidem loquitur) eamque honeſtam, & iuſtam reddens, ſine qua talis non eſſet; impulſiuam verò eam eſſe, quę ſolum ſecundariò, & occaſionaliter mouet Principem ad gratiam concedendam. ita ex laudatis Authoribus diſcurrit *Merolla*, contra quem dico, prędictas explicationes non eſſe ſibi contrarias: ſed vnam in alia implicitè contineri; nam omnes illæ cōditiones, quæ in vtraque explicatione habentur, conueniunt cauſæ finali; eſt enim talis, quæ ita mouet, vt ſi non adeſſet, gratia non concederetur: rurſus eſt principalis, quatenus ab ipſa primò, & per ſe pendet conceſſio: prætetea debet eſſe licita, & honeſtam reddere debet conceſſionem; ſi autem talis non eſſet, proculdubio non haberet rationē cauſę; quia careret vi ad mouendam mentem Principis ad concedendam gratiam: diuerſitas autem vtriuſque explicationis in hoc tantum conſiſtit, quòd aliæ in vna; in altera verò aliæ ponuntur conditiones: omnes tamen conueniunt neceſſariò ipſi cauſæ finali, vt vidimus; & ideo abſque vlla contrarietate vtramque explicationem admitto.

His breuiter tactis, aggredior deciſionem quęſtionis propoſitæ, ſequentes cōcluſiones inſtituens.

Dicendum eſt primò. *Si* cauſſa, quę ab initio fuit vera, & poſtea ceſſat, ſit impulſiua, certum eſt, permanere beneficium conceſſum a *Principe.* eſt communis ſentētia, quā docet *Gloſ in explicatione huius regulæ, Verb. Decet. Tiraquel. limit. prima cit. num.* 18 ac alij, quos laudat, & ſequitur *Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 30. *num.* 7. Concluſio efficaciter probatur, quia validitas conceſſionis, ſicuti, & cuiuſcumque diſpoſitionis totaliter depēdet a cauſſa finali, vt communiter docent Auctores, & non à cauſſa impulſiua, aliter inter vnam, & aliam cauſſam nullum haberetur diſcrimen. Fateor tamen, conceſſionem beneficij dependere poſſe in aliquibus circumſtantijs extrinſecis à cauſſa impulſiua, nempè, quoad maiorem, vel minorē facilitatem concedendi beneficium, quoad impoſitionem minorum, vel maiorū onerum, &c. nunquam tamen quoad ſubſtantiam conceſſionis, niſi forſitan per accidens, & indirectè, non autem 11

di-

Digitized by Google

directè, & per ſe, vt eueniret præcipuè in duobus caſibus. Primò ſi Princeps, qui motus eſt ſolum ad faciliùs gratiam cõcedendam; ob expreſſionem cauſſæ alicuius impulſiuæ, ſub paucioribus oneribus gratiam conceſſit, quam tamen non fuiſſet conceſſurus, niſi plura, & longè grauiora impoſuiſſet onera; in tali enim caſu, ſi falſa eſſet cauſſa illa impulſiua, vitiaretur gratia etiam quoad ſubſtantiam, ſed indirectè, & per accidens, quatenus *Princeps* non exiſtente tali cauſſa non fuiſſet gratiam conceſſurus, niſi ſub maioribus oneribus. Nec dicas, ex hoc ſequi, nullum eſſe diſcrimẽ inter vtramque cauſſam, cum puncatur deſinere gratia quoad ſubſtantiam ex defectu vtriuſque cauſſæ, contra ea, quæ ſuperius dicta ſunt in vtriuſque cauſſæ explicatione; reſpondeo enim eſſe manifeſtum diſcrimen; quia in caſu prædicto corruit diſpoſitio, ſeù conceſſio gratiæ, cum non habeat annexa onera, ſub quibus iuxtà mentem Principis diſponentis erat facilius concedenda, quòd eſt indirectè, & per accidens corruere; ſed defectus in cauſſa finali directè, & per ſe tendit ad tollendam ipſam ſubſtantiam gratiæ ſine vllo reſpectu ad onera: & ſic patet diſcrimen inter vtramque cauſsã. Secundò poteſt fingi alius caſus, in quo ex defectu cauſſę impulſiuę, corruat gratia, indirectè tamen: vt ſi fingatur, quòd Princeps non exiſtente hac, vel illa cauſſa impulſiua, tot, & talia imponeret onera conceſſioni, vt ille, cui fit conceſſio, non poſſet abſolutè, aut ſaltèm maxima cum difficultate ſubſtinere onera iniũcta; & ideò nollet ob impotentiam beneficium acceptare; quapropter intuitu alicuius cauſſæ impulſiuæ, Principe non imponente, vel moderante onera, conceſſio facilis, quoad acceptationem redderetur; in hoc enim caſu dici poteſt, indirectè, & per accidens cauſſam impulſiuam reſpicere gratiam ſecundũ ſubſtantiam, vel eam ponendo, vel tollendo, modo tamen explicato.

12 Dicendum eſt ſecundò, quòd, ſi cauſſa finalis non totaliter ceſſat, ſed remanet ex parte, ſeù remanent aliquæ eius reliquiæ, non perit gratia. ita *Dynus in hac regula, num. 3. Tiraqul. limit. cit. num. 36. Sanchez diſp. 30. cit. num. 8.* & alij, quos ipſi laudant. Ratio fundamentalis pro hac cõcluſione eſt, tùm quia in moralibus minor cauſſa requiritur ad vſum conceſſionis, quàm ad ipſam conceſſionem (ſicuti in rebus phyſicis plus exigitur ad aliquod producendum, quàm ad illud conſeruandum; nam ad productionem requiruntur diſpoſitiones completæ; ad conſeruandum verò hoc non eſt neceſſarium v. g. vt primò generetur ſubſtantia ignis, deſideratur calor vt octo, ſed idem ignis poterit conſeruari habens calorem remiſſum) tum etiam quia vrget fauor, quem habet beneficium à Principe conceſſum, ratione cuius fauoris decet, ipſum beneficium, quantum fieri poteſt, permanere, vt ſtatuitur in hac Regula. Sed ex hac doctrina inſurgit dubitatio, videlicèt, quot & quales eſſe debeant hæ reliquiæ, quæ ſufficiant, vt beneficium perſiſtat? Punctũ hoc non inuenio apud Auctores declaratum; & ideo dico, id eſſe determinandum arbitrio prudentum, ſpectatis omnibus, nempè qualitate beneficij, & reliquiarum cauſſæ finalis; nam quo maius eſt beneficium, eò efficaciores debent eſſe reliquiæ, & ſic in caſibus indiuidualibus prudens vir ponderare debet, an adhuc his, aut illis vigentibus reliquijs, principis mens, vt beneficium a ſe collatum non extinguatur, perſeueret.

Ex hac concluſione inferunt Doctores, quòd ſi intuitu officij, ſeù dignitatis Princeps conferat beneficium, vel priuilegium aliquod, non extinguitur priuilegium, etiam ceſſante dignitate, & officio. ſic habetur *in L. eam legem. C. de excuſat. mun. lib. 10.* & ita docent *Dynus hic num. 3. & 4. Ioannes Andreas ibidem. num. 7. Calderinus conſil. 26. quod eſt tertium de Reſcript. Tuſcus to. 1. lit. B. concluſ. 49 num. 4.* & alij; item ex eodem principio inferunt, quòd priuilegium canonis contentum *in cap. Siquis ſuadente. 17. quæſt. 4.* remaneat in clerico degradato ſaltem verbaliter, & ob priſtinæ dignitatis memoriam, vt colligitur *ex Gloſ. cap. Ad abolendam. verb. prærogatiuam. de Hæreticis*; & docet *Tiraquel. Regula Ceſſante cauſſa limit. 15. num. 4. Tuſcus tom. 1. lit. C. concluſ. 202. num. 52. 53. & 54.* & alij. 13 14

ſimiliter, vt ait Tuſcus, Conſiliarius Principis retinens priuilegium, etiam ceſſante officio, nequit torqueri: & ſic in alijs ſimilibus, quæ moraliter, ſeù politica fictione iuris cenſentur permanere, niſi ob aliquod delictum lege, 15

aut ſtatuto aliquo priuentur tali honore, & delictum ſit adeò graue, & enorme, vt extinguat fauorem illum, quem imbibitum habet beneficium à Principe conceſsum.

16 Quæres hic, an cauſa, quæ ceſſat, in dubio iudicanda ſit finalis, an potius impulſiua? Reſpondeo, varias eſse in re hac *Doctorum* ſententias, vt videre eſt apud *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 21. num. 20. Merollam to. 1. diſp. 3. cap. 3. num. 177. & 128. & tom. 2. diſp. 4. cap. 3. num. 356.* In fauorabilibus ſaltem cenſeo, præſumendam eſse impulſiuam & non finalem, vt aſserit *Dynus hic nu. 6.* & conſequenter permanere beneficiū, ſeù priuilegium collatum à Principe. Legatur Sanchez loco citato.

REGVLA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit.

VErba huius Regulæ adeò ſunt clara, vt nulla, aut ferè nulla egeāt declaratione, prout quoque apertiſsima eſt ſimilis regula *in L. 30 ff de Reg. Iur.* vbi ſic dicitur. [Quod ab initio vitioſum eſt, nō poteſt tractu tēporis conualeſcere] Cum ergo perſpicua ſint verba, ipſius ſolum regulæ conuenientiam oſtendendā puto; & aio, præciſam temporis ſucceſſionem, ea quæ ſecundùm ius inualida fuere, minimè poſse validare; tēpus enim firmare nequit infirma, ſtabilire videlicet, ſeu roborare debilia, niſi aliud extrinſecum adueniens operetur, vt rectè hic animaduertit *Io. Monachus* Et merito id aſseritur; quia tempus ex ſe ſufficiens non eſt ad ponendam, vel tollendam obligationem *L. obligationū ferè §. placet. ff. de actionibus, & oblig.* ideoque quod à principio vitium inuoluit, nequit ſolo temporis progreſsu vitio illo ſpoliari; ſicuti è contrario actus ab initio legitimè initus non poteſt ex præciſo temporis tractu vitiari, vt colligitur *ex Reg. factum 73. infra.*

His breuiter præmiſsis nōnulli actus ſūt examinandi, qui ſub hac regula continentur, alijque etiam, in quibus regula deficere videtur, quod in ſequentibus præſtabitur.

CAPVT VNICVM

Varij actus declarantur, in quibus regula locum habet.

1 DIcendum primò, ſponſalia, quæ cōtracta à minoribus ante ſeptenniū ſunt ipſo iure inualida ex *Cap. litteras. Cap. acceſſit de deſponſat. Impub* ſaltem quando malitia non ſupplet ætatem, ſolo temporis tractu nequaquam validari, etiam poſtquam contrahentes ad pubertatem peruenerint, ſi iterum conſenſum præbeant; ſi quidem, cum prior ille cōſenſus fuerit ab initio irritus, ſolo temporis curſu nequit conualeſcere. & hæc eſt communis Iuriſtarum, & Canoniſtarum ſententia, quam ex hac regula firmant *Dynus hìc in princ. PecKius num. 1. circa medium.* Obiter hic tamē aduerto, conſenſum adueniente pubertate præſtandum ſufficere, ſi tacitus fuerit, vt docent Auctores de matrimonio tractantes; cuius quidem taciti conſenſus conditiones declarat *Baſilius lib. 12. cap. 5. num. 3. in fine.* Et hæc, quę de ſponſalibus dicta ſunt, verificātur proportionaliter in matrimonio, ſi conſēſus à contrahentibus detur ante ætatē à iure requiſitam.

2 Dicendum ſecundò, teſtamentum ab impubere, vel ab amente conditum cū poſtea, vel pubeſcit teſtator, vel qui erat amens, reſipiſcit, conualeſcere non poſſe. ita expreſsè ſtatuitur *Inſt. quib. non eſt permiſſum facere teſt. §. Præterea.* eaque diſpoſitio in hac regula fundatur, vt notatur in argumento ante §. citatū poſito: eſtque vna nimis Doctorum ſententia: ſicuti è conuerſo, vt ibidem habetur, teſtamentum ante amentiam, furoremue factum, vel eo etiam tempore initum, quo furor intermiſerit, licèt poſtea ſuperueniat, validum eſse: quod idem ſentiendum eſt de Legatis, quæ fiunt à perſona inhabili, & teſtari prohibita; quia nec legata ab ea relicta conualeſcent, vt colligitur *ex L. 2. ff. de leg. 1. & ibi Gloſ. & hic n. 5. notat Dynus.*

3 Dicendum tertiò, legatum ab initio inutile non ex defectu ipſius legantis, ſed legatarij, quamuis poſtea id remoueatur, ex quo defectus oriebatur, non conualeſcere. plura ad hoc probandum haberi poſſunt exempla, quæ à *Leſſio recenſentur lib. 2. de Iuſtit. cap. 19. dub.*

5; ego aliqua afferam; & primo aio, legatum hæreticis, & Apoſtatis à fide catholica relictum eſſe irritum. ita expreſſè diſponitur *L. fin. C. de hæret. & L. hi, qui Sanctam C. de Apoſtat.* Rurſus hoc ipſum dicendum erit de fautoribus, receptoribus, & defenſoribus hæreticorum, niſi intra annum egerint pœnitentiam *ex Authent. Friderici Imp. C. de*
2 *hæreticis.* Secundo inualidum erit legatum relictū Iudæis, vel infidelibus *Cap. Sane 2. 24 quæſt. 2.* & hanc ſententiam docent *Ricciullus de Iure perſon. lib. 2. c. 44. nu. 12. in fine. Sanchez lib. 2. in Decalog. lib. 2. cap. 31. nu. 22. Menoch.*
3 *conſil. 185. nu. 14. & conſil. 186. & alij.* Limitatur tamen incapacitas prædictorum, ſi ſermo ſit de legato ratione pietatis ad ſubleuandam eorumdem neceſſitatem; tunc enim prædictis legari validè poſſunt alimenta: de quo videndus *Sanchez lib. cit. c. 14. num. 41. Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 154. verſ. de Iure ciuili*: præciſa tamen ſimili neceſſitate, inualidum erit legatum, ſi tempore, quo teſtator moriatur, inueniantur ipſi legatarij prædicto defectu laborare: & ideò, etiam ſi poſtea reſipiſcant, non conualeſcet. Secus autem erit dicendū, ſi ante mortē teſtatoris verè pœniteant, & reconcilientur, vt mox dicetur. Eadem denique doctrina applicanda eſt legato, quod ſit ſeruo, cui in ſeruitute permanenti adeo legari nequit, vt nec poſtea conualeſcat, ſi liber euadat. *L. Seruis C. de leg.* ijs enim ſolis legatū fieri poteſt, qui teſtandi facultatem habent *§. Legati. Inſt. de legat.* proindè rectè notat *Leſſius dub. cit. num. 53.* eum, qui ob aliquod delictum eſt inteſtabilis actiue, id eſt condere nequit teſtamentum, eſſe etiam inteſtabilem paſſiuè, nēpè ex teſtamento capere non poſſe.

4 Neque huic doctrinę aduerſatur *Molina diſp. 195. num. 5. de Iuſt. & Iure.* aſſerens validum fore legatum, ſi legatarius, qui tempore conditi teſtamenti incapax fuit, efficiatur poſtea capax tempore mortis teſtatoris, vt ipſe probat *ex L. Seruus eius. ff. de acquir. hæred. iuncta L. Si mihi & tibi. § Regula. ff. de reg. Iur.* quia licèt ab initio ob legatarij incapacitatem tale legatum minimè ſubſiſtat, firmitatem nihilominus exindè non recipit ſolo temporis lapſu, ſed ex vi teſtamenti, quod, cum valorem habere incipiat eo momento, quo teſtator moritur, quia tunc capacem reperit legatarium, nullumque illi obſtare impedimentum, ſuum idcireò robur in ipſum legatum transfundit; quapropter legatū iſtud dici non poteſt à ſuo principio inualidum; proprium enim initium, ac effectum ſumit tempore mortis teſtatoris; cum iam legatarius capax euaſit, non autem tempore, quo conditum fuit teſtamentum.

Sed inſtabis eo ipſo, quòd ſeruo legatur à Domino, acquiritur ei libertas, ſicuti libertatem acquirit, ſi à Domino hæres inſtituatur, etiamſi nulla fiat mētio manumiſſionis *L. Quidem. §. 1. verſ. Cum igitur & L. fin. C. de neceſſ. ſeruis, &c.* ergo idem erit in legato. 5

Reſpondeo negando paritatem, & conſequentiam; quia in iure expreſsè habetur exemptio à ſeruitute ob inſtitutionem hæredis, vt patet *in d. L. Quidem, & d. L. fin.* eam verò non habemus ob inſtitutionem legati: quod animaduertit *Fagundez lib. 2. de iuſt. cap. 6. nu. 1.* & merito ita diſpoſitum eſt, quia hæres vniuerſalis repræſentat perſonam teſtatoris; ideoque conueniens fuit, vt talis inſtitutionis ſeruum hæredem acquirere libertatem; ſicuti ob eamdem rationem, ſi ſeruus fiat tutor filiorum eiuſdem teſtatoris, ſtatim liber fit, vt habetur in citatis iuribus: idque meretur talis honoraria inſtitutio, qualis non eſt inſtitutio legatarij.

Quod verò diximus de inualiditate legati ſeruo relicti, intelligi debet regulariter; nam ipſe aliquando legati capax eſt: puta legati alimētorum, vt Auctores affirmant *Tuſcus in pract. concl. tom. 7. lit. 5. concluſ. 233.* & habetur *in L. Seruus ad cuſtodiam. ff. de aliment. & cibar. leg.* in multis enim caſibus, vt notat *Leſſius lib. 2. cap. 4. dub. 4. nu. 15.* poteſt ſeruus dominium, quāuis imperfectum, acquirere. 6

Dicendum quartò de nullitate ex defectu rei, & materiæ, & primò ſeſe offert legatum rei affixæ alteri rei. V. g. Legatum de marmore, quod columnæ eſt annexum: quod quidem legatum irritum eſſe determinatur in Iure *per tex. de Reg. caton. L. 1. initio. & L. cætera. §. 1. ff. de leg. 1.* rationē autem huius rei apud Auctores non inuenio: forſitan fundatur in hoc, quia, cum tale marmor ſit quid acceſſorium, & columna, cui eſt affixum ſit quid principale, & non ſit 7 8

legata, idcircò trahit ad ſe ſuum acceſſorium, nempè marmor; & conſequenter, cum columna, ſeu ædes libera ſit à legati ſubiectione, ita & marmor. Hæc mihi congrua videtur, & probabilis ratio nullitatis prædictæ, quàm tamen prudẽtum iudicio libentiſſimè ſubmitto. hac igitur nullitate in eo caſu præſuppoſita, quæritur, an tale legatum reconualeſcat, ſi marmor poſtea, à columna, ſeu ab ędibus ſeparetur? cui quæſito cenſeo cum diſtinctione ſatisfaciendum; conſiderandus eſt namque modus, quo legatum inſtituitur; abſolutè videlicèt, an conditionaliter? ſi enim legatum ſit abſolutum, ita eſt nullum, vt licèt poſtea marmor ab ędibus ſeparetur, validum non reddatur per tex. in d. L. cætera, & ibi ſcribentes. Bart. Bald. & alij. & in hoc locum habet præſens regula; nam ſola temporis progreſſio abſque alio extrinſeco adminiculo non eſt ſufficiens ad validandum legatum, quod à ſui initio fuit irritum. Si verò legatum ſit conditionale, & cõditio reſpiciat tempus poſt mortem teſtatoris; veluti, ſi legetur marmor hoc pacto, quando nimirum ſequuta legantis morte reperiatur ab ędibus ſeparatũ; in hoc caſu puto, validum eſſe; quia ex nullo capite vitium continet. huius concluſionis veritas colligitur ex eadem L. cætera, & ex Gloſſ. cum alijs. Notat autem hic Dynus nu. 11. in fine, quod, licet aliquid cenſeatur inutile, & tractu temporis non firmetur; nihilominùs, ſi ſub conditione concipiatur, tunc pendẽte conditione, non debet inutile dici, & ideò non impeditur effectum aſſumere per conditionis euentum, ideſt purificata conditione; ſed Bartolus in d. L. cætera nu. 2. clarius loquens ait, in legatis conditionalibus non verificari regulam Catonianam; quia ſupponitur, quòd teſtator apponens conditionem noluit, vt ſpectetur tempus teſtamenti, ſed tempus futurum; & ideò locum non habet regula Catoniana.

8 Dicendum quintò, quod, ſi ſtipuletur res ſacra, vt Eccleſia, calix, &c. quamuis poſtea fiat profana, non valet ſtipulatio, ita Dynus hic num. 6. & Gloſſ. in explicatione circa medium verſ. aliquis mihi, & infra verſ. non firmatur.

9 Dicendum ſextò, inutilem eſſe ſtipulationem, ſi quis alteri obliget hominẽ liberum, & tractu temporis non firmari, quamuis poſtea hic liber homo ipſius ſtipulantis ſeruus efficiatur. Dynus num. 6.

REGVLA XIX.

Non eſt ſine culpa, qui rei, quę ad eum non pertinet, ſe immiſcet.

NOmen rei in regula hâc generaliſſimè ſumitur, vt bene aduertit 1
Peckius exponens regulam ipſam nu. 1. & ideò accipitur, quatenus ſignificat quamcumque adminiſtrationem, controuerſiam, ſententiam, iudicium, factũ, patrimonium, & alia.

Præterea verba [Ad ſe non pertinet] 2
ſumuntur tot modis, quot res aliqua dici poteſt ad nos pertinere, videlicèt, vel ratione dominij, vel iuris, vel denique adminiſtrationis, vt eſt tutela, &c. quicũque igitur rem alienã inuadit, vel ſeſe intromittit in ius, ſeu adminiſtrationem, quam alius habet, immiſcere ſe dicitur rei, quę ad ſe non ſpectat; ac proinde talis intromiſſio non caret culpa. & ſi ex illa damnum aliquod euenerit, tenebitur ad damnum illud perſonæ læſæ reſarciendum.

Ad hos reducuntur ij, qui ſe immiſcẽt 3
ad aliquam artem exercendam, cuius ſunt imperiti: puta ſi quis artem medicam ignoraret, & hoc non obſtante, eam exerceret, hic grauiter delinqueret; & ſi damnum aliquod ex hoc obuenerit, tenebitur ad reſtitutionem iuxta quantitatem damni illati. idem etiam dicẽdum erit, ſi quis iuris ciuilis, aut canonici indoctus ſeſe intrudat, vel decidendo caſus ad alterutrum ius ſpectantes, vel acceptando beneficium, quod habeat animarum curam; quia hic culpa nõ vacat. Si quis demum in arte aliqua peritus ſit, quam tamen ei prohibitum ſit ratione ſtatus exercere, dicitur culpabiliter ſe immiſcere rei ad ſe non ſpectanti; & ideò Sacerdos exercens artem medicã, ſeu chirurgiam, cẽſetur ſeſe intromittere rei ad ſe non pertinenti; quamuis eiuſdem artis valdè peritus ſit, quia exercitium hoc eſt ei per ſacros canones prohibitum, in cap. tua de homicid. quod idem aſſero in alijs ſimilibus.

RE-

Digitized by Google

REGVLA XX.

Nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur.

CAPVT VNICVM

Quomodo, & quando Regula procedat?

1 PRæſens regula deducta eſt ex varijs legibus in iure ciuili contentis, & præſertim ex *L. nemo ex ijs 44 ff. eo tit.* eius autem ſenſus eſt, nemini prohibitum eſſe pluribus vti exceptionibus ad ſe defendendum. ex quo Doctores inferunt licitum eſſe reo vti multiplici exceptione in ſui adiutorium; ſiue prædicta exceptionum pluralitas ex iurium diuerſitate procedat, iuris videlicet ſpecialis, & iuris communis; ſiue ex diuerſitate titulorum; poterit enim reus in ſui tutelam allegare tum ius commune, ſi ipſi fauet, tũ ius ſpeciale, & priuilegiũ, tum etiam aliud ſimile. diuerſitas verò titulorum, quibus iuuari poterit in ciuilibus, erit v. g. titulus donationis, emptionis, præſcriptionis, &c. veluti ſi Titius aliquem fundum poſſideat, & eum Sortes ad ſe ſpectare intendens, in foro iudiciali litem moueat cõtra ipſum Titiũ poſſidentem fundum titulo emptionis; ſi enim titulus iſte nõ erit ſufficiens, poterit quidem aliũ titulum allegare, quo ſe tueatur; exempli gratia donationis, præſcriptionis, &c. vnus enim titulus verus ſatis erit ad infringendam, deſtruendamque actoris petitionẽ. Quo circa meritò deciſum fuit à Rota, admittendam eſſe in beneficialibus titulorũ multiplicationem, quam deciſionem refert *Farinac. in deciſionibus Rot. Rom. tom. 1. part. 2. deciſ. 742. num. 3.* Idemque dicendum eſt de iurium diuerſitate; ſi enim ius à reo allegatum nempè ius commune erit inſufficiens, poterit quoque pro ſe allegare ius ſpeciale, & è cõtra.

2 Hæc autem omnia admittuntur etiã in criminalibus; ideoque ſi reus v. g. fuerit accuſatus de homicidio, poterit ſe defendere illud negando, vel ſi illud fateatur, titulum iuſtæ defenſionis allegare, ſe ſcilicet commiſiſſe homicidium propter vitæ defenſionem, vt ſe ab hoſte inſultante liberaret; quod tamen à reo probari debet, ſecus remaneret de crimine conuictus, & conſequenter puniendus.

Aduertunt tamen hi ſcribentes, quòd quamuis admittatur in Reo defenſionũ pluralitas, id intelligi non debeat, quãdo in exceptionibus reperitur contrarietas manifeſta, & ineuitabilis, itaut exceptiones allegatæ iuxta nullum ſenſum veræ eſſe poſſint. de qua contrarietate latè diſcurrit *Gloſ. hic circa mediũ verſ. ſed non ne contraria. & Gagnolus in d. L. nemo à num.* 8 examinans nonnullorum placita, & reſoluens, in quibus caſibus contrarietas in defenſionibus noceat, nec ne; quæ omnia apud eoſdẽ legi poſſunt. 3

Limitatur quoque regula in ijs caſibus, in quibus lex impedit vſum plurium defenſionum, quòd expreſsè notatur in eadem L. *Nemo*. & caſus declarantur *à Gloſ. ibidem incipiens à verſu Hæc autem vera ſunt.* 4

Sed contra regulam hanc poſſet quis vrgere probans non poſſe reum vti pluribus titulis, quia illos ſi proponeret, videretur velle acquirere iterum dominium illius rei, quod iam ex alio titulo acquiſiuit; quòd videtur impoſſibile, vt expreſsè ſtatuitur *in L. poſſideri § ex pluribus in fine. ff. de acquir. vel amit. poſſ.* vbi dicitur, dominium non poſſe, niſi ex vna cauſſa coniungi & ratio eſt, quia, quod noſtrum eſt, nequit amplius noſtrum fieri *text. & Gloſ. verſ. quod meum circa medium in cap. inter dilectos. §. cæterum. in fin. de fide inſtrum.* vbi ſic habetur. [Iuxta legum ſanctiones, quod meum eſt, ex alia cauſſa meũ fieri non poſſit, niſi deſierit eſſe meum] 5

Reſpondeo cum diſtinctione. Si ſermo ſit de acquiſitione dominij, vel Iuris iã perfecta ex vno determinato titulo, certum eſt, non poſſe acquiri dominium ex alio titulo, vt rectè probat argumentũ ex varijs iuribus; at ſi locutio procedat non quoad acquiſitionem, ſed quoad conſeruationem dominij, ſeu iuris iam acquiſiti, dico, licitum eſſe reo titulos cumulare, eoſque in forum, & iudicium externum proferre, vt deficiente vno alius allegetur, & ita ipſe reus vi alterius tituli ſeſe contra actorem defendat.

Placet hic demum inquirere, cur exceptionum cumulatio permittatur reo; cumulatio verò actionũ denegetur actori? vt expreſsè vtrumque ſtatuitur in 6

L.

Digitized by Google

L. Nemo de reg. Iur. diſcrimen namque non ita paſſim apud ſcribentes inuenio, niſi apud Gloſſam in explicatione præſentis regulæ poſt initium *verſ. Sed hac ratione dubitandi*, vbi rationem diuerſitatis colligit ex eo, quòd Iura magis fauent reis, quàm actoribus, vt patet *ex reg. Cum ſunt partium iura, &c.* quam ſupra expoſuimus, & *ex L. fauorabiliores* 168. *ff eo tit.* Rurſus poſt medium loquens de reo ait, idem eſſe dicendum in exceptionibus, in quibus reus eſt actor *L. 1. ff. de except.* & reſpondet etiam, aſſignando aliud diſcrimen inter actorē & reum, quatenus in poteſtate actoris eſt agere, ſed conueniri non eſt in poteſtate reorum *L purè § fin ff. de doli mali excep.* Hæc ex Gloſſa, cuius doctrina mihi arridet, eiuſdemque rationes in aſſignanda hac differentia ſufficientes videntur.

REGVLA XXI.

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

1 IN hac Regula quædam veluti admonitio continetur, per quam monemur, in electionibus prudenter factis cōſtantes eſſe debere, animique leuitatē, & variationem vitare: vt rectè enim notat *Tuſcus pract. concl. tom 8 lit V. concluſ.* 21. variatio eſt legibus inimica, & doli plena. & *PecKius nu.* 1. ait, leuitatem, ſeu inconſtantiam Reipublicæ exitioſam eſſe; ideoque valdè odioſam, & quantum fieri poteſt reſtringendam. hunc itaque defectum hic reprimit Sūmus Pontifex ad perſeuerantiam nos inducens, cuius virtutis laudes recenſet *D. Bernardus epiſt.* 19. ſcribens ad Ianuenſes.

2 Ex his tamen, quæ dicta ſunt inferendum non eſt, variationem nunquam licere; hoc enim aſſerere falſum eſſet; in multis enim caſibus, quod ſemel nobis placuit, mutatis circumſtantijs, diſplicere debet; & quamuis rationem mali res non inuoluat; poteſt nihilominus aliquando eſſe variabilis. Puta, diſpoſitiones, quæ liberè, & non ex obligatione in teſtamentis fieri ſolent talis ſunt naturæ, vt ex puro voluntatis beneplacito vſque ad mortē diſponentis ab ipſo poſſint variari. Quando autem admittatur variatio, & quomodo, declarant Auctores naturam facti perpendentes, & fusè id explicat *Tuſcus*, caſus varios, enumerans *tom. 8. lit. V. concl.* 20. & 22. apud quem legi poſſunt.

REGVLA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægrauari.

REGVLA XXIII.

Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.

ANimaduertit Auguſtinus Barboſa, 1 priorem ex his duabus Regulis exponens, num. 2. vulgi errorem eſſe exiſtimare, quòd per hanc regulam id ipſum probetur, quod in ſequenti ſtatuitur, *neminem videlicèt pro alterius delicto eſſe puniendum;* nam, vt ipſe inquit, minùs benè aſſeritur hoc, quia non videtur veriſimile, Summum Pontificem Bonifacium VIII. vtramque regulam ad idē immediatè referre voluiſſe: ideirco ait, in priori regula non eſſe ſermonem de pœna alicui inferenda pro alieno delicto, de quo locutio eſt in poſteriori; ſed tantummodo declarari, factum, crimēue vnius nō debere alteri nocere *L. Factum ff eo tit.* Hæc tamen quæ à *Barboſa* notantur, quamuis vera ſint, attamen ego cenſeo, ſignificata vtriuſque Regulę, ſi inuicem comparentur, non differre, niſi, quia vna videtur eſſe alterius cauſa, ita ut mutuò ſeſe inferant, vt patet illas diligenter conſideranti; in priori enim obſeruatur, quòd non debeat quis grauari odio, quo alter premitur: hoc eſt, quòd eo ipſo odio dignus nō ſit, quo alter dignus exiſtimatur. In poſteriori autem dicitur, non eſſe ſupplicio aliquem afficiendum, ſi nulla in ipſo culpa reperitur. Ex eo igitur, quòd quis nō meretur pœnam, rectè infertur, nullam in eodem inueniri rationem odij, cum pœna ei debeatur, qui cauſſam in ſe, ſeu motiuum odij continet. Rurſus ex eo, quod ratio odij in aliquo reperitur, benè infertur pœna dignum eſſe; & hanc explicationem veram eſſe cenſendam etiam iuxtà mentem Barboſæ, ex eo patet, quia ipſe vtramque regulā declarat in ordine ad pœnam, ſiue merendam, ſiue non merendam. His obiter conſideratis deuenio ad aperiendū, de qua pœna in his regulis Summus Pontifex loquatur. Aio itaque ſermonem

hic

hic non eſſe de pœna temporali, ſed de æterna, ſecundùm quam vnus pro alio nequaquam punitur, vt in ſequenti capite habetur.

CAPVT VNICVM

Qua ratione probetur, neminem ob alterius culpam pœna eſſe afficiendum?

1 Diximus modo in prædictarum regularum explanatione, eas loquentes de pœna eſſe intelligendas de æterna, qua meritò vnus pro alio mulctandus non eſt. cęterum loquendo de pœna temporali oppoſitum eſt aſſerendum; nam data ſufficienti cauſa poteſt aliquis innocens ob alienam culpam puniri, vt infra videbitur. Placet igitur vtramque partem accuratius examinare, & in hac prima quæſtione ſermonem inſtituere de pœna æterna.

Sed antequam quæſtionis examen aggrediar, ſuppono tanquam certum, quòd pœna æterna nõ infligatur, niſi reo peccati mortalis, ſiue illud ſit perſonale, ſiue originale, & non alteri, vt colligitur ex his regulis, & expreſsè docet *S. Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium relata in cap. iam itaque 1. quæſt. 4. & ep. 75. ad Auxilium Epiſcopum cap. non imputantur eadem cauſa, & quæſtione.* qui communis eſt Theologorum, & catholicorum ſenſus fundatus in ſacris litteris. Etenim *cap. 18. Ezech verſ. 20.* ſic dicitur [Anima, quæ peccauerit ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum.] ſimilia verba habentur in alijs ſacræ Scripturę locis, vt *Deutor. 24. & 4. Reg. 14. Si* ergo iniquitas patris non portabitur à filio, ideſt non imputabitur filio, nec è conuerſo, quamuis pater, & filius aliquo modo vnum faciant, multo magis id erit aſſerendum de iniquitate aliorũ, qui non ſunt ita connexi. Ex quibus colligitur, neminem puniri in ſpiritualibus ſine propria culpa, neque in hac vita, neque in futura, vt docet *D. Thom. 2. 2. quæſt. 108. art. 4. in fine corporis.* Si verò loquamur de pœnis temporalibus, ſæpè vnus pro alterius peccato punitur; de quo habemus expreſſum teſtimonium *in exodo cap. 20.* vbi dicitur, Deus viſitat iniquitates Patrũ in filios vſque ad tertiã, & quartam generationem. ſimiliter legimus à Deo maledictũ fuiſſe Chanaam ob peccatum Patris ſui Cam. *Geneſ. 7.* & pro peccato Achan punitum fuiſſe populum Iſrael, in hoſtium manus à Deo traditum *Ioſue 17.* Quod etiam videmus in humanis, in vtroque foro tùm eccleſiaſtico, tùm ſęculari; quoniam ob crimen lęſæ maieſtatis à patre commiſſum puniuntur filij, & ſucceſſores, priuanturque ſucceſſione in bonis paternis, licet innocẽtes ſint, & nullatenus delicti participes. Itẽ Eccleſia punit interdũ aliquam vniuerſitatem ſuſpenſione, vel interdicto vniuerſali, quod ad omnes extenditur de illa communitate, & ex parte etiam ad infantes, priuans eos eccleſiaſtica ſepultura tempore, quo interdictum durat.

Neque valet dicere, quòd hæc doctrina de interdicto vniuerſali afficiente etiam innocentes videatur contradicere communi ſententiæ ſuperius poſitæ, & à me receptæ, neminem videlicèt puniri in ſpiritualibus, neque in alia, neque in præſenti vita ob alterius peccatum, cum certum ſit interdictum eſſe pœnam ſpiritualem, & tamen ex modo dictis habeatur, ſe extendere ad innocentes propter alterius culpam. 2

Reſpondetur enim, quod, quãuis pœnæ prædictę ſint ſpirituales, quia quibuſdam bonis ſpiritualibus externis priuãt; attamen, vt benè aduertit *Suarez tom. 5. in 3. de cenſuris diſp. 28. ſect. 3. nu. 1.* non priuant bonis internis, quæ directè pertinent, & ordinantur ad ſpiritualem animæ ſalutem; de quibus loco citato loquitur D. Thomas docens, neminem in ſpiritualibus ob alterius culpam puniri.

Quærere quis poſſet, cur interdum filij, & alij puniantur in temporalibus, nõ autem in ſpiritualibus internis ob parẽtum peccata? Reſpondeo rationem eſſe, quia vnus homo ſecundum temporalia ſpectatus poteſt eſſe pars alterius, ſicuti filij ſecundum corpus ſunt veluti quid patris, ſeruus res domini, & homines particulares ſunt pars, & res communitatis & ſic dum puniuntur filij ob peccatum patris, cenſetur, & ipſe pater puniri in aliquo ſui: quod etiam aſſero de punitione ſerui ob peccatum domini, & de punitione perſonarum particularium ob delictum commiſſum à capite illius cõ- 3

mu-

munitatis. alias etiam rationes aſſignat Barboſa in huius regulæ explicatione. ſed præcedẽs tradita mihi ſufficiẽs videtur. Non ita autẽ eſt, ſi ſpectetur homo ſecundùm animam; quia hoc modo non eſt quid alterius, neque alteri, niſi ſoli Deo ſubdi poteſt; & ideò in bonis animę interioribus nequit puniri ob alienum peccatum. Et licet ob Adæ peccatum, qui primus humani generis parens fuit, puniãtur in ſpiritualibus animæ; hoc tamen eſt, quia Adæ peccatum fuit quodammodo noſtrum omnium proprium, vt Theologi declarant.

REGVLA XXIV.

Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe.

1 QVæ in hac regula habentur, ſunt ex ſe clariſſima, & colliguntur *ex cap. omnis anima. de cẽſibus* vbi admonemur, omnem animam, omnem nempè hominem, ſublimioribus poteſtatibus ſubditam eſſe: quod deſumitur *ex D. Paulo ad* Rom. 12. vbi eadem formalia verba profert, & addit, quòd qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: & id ipſum ſcribit, quoque *ad Timoth. c.* 4. In iure etiam ciuili ſimilis doctrina continetur, vt *in L. non videtur* 128. *ff. de reg. Iur.* Ex quo in vtraque regula infertur, eum, qui iudicis iuſſu, ſeu mandato aliquid operatur, non præſumi doloſè id facere, quia parendi neceſſitatẽ habet; ſuperioris enim auctoritas ita operantem excuſat. Sed contra objicit *Dynus in hac regula num.* 3 dicẽs eum, qui aliquod illicitum exercet, etiamſi mandato Iudicis faciat, non eſſe excuſandum: huic tamen inſtantiæ ipſemet benè reſpondet diſtinguens tripliciter Iudicis pręceptum, ſeu mandatum, hoc pacto: aut enim pręceptum eſt contra legem, aut ſecundum legem, aut eſt dubium. Si primum, non debet ſubditus obedire, imò reſiſtere quot modis poteſt. Si ſecundum, Iudici parendum eſt, & ſi ſubditus non obtemperet, puniendus erit. Si denique tertium dicatur, tunc quoq; obediendũ eſt, quia in dubijs pro iuſtitia, & Iudicis auctoritate pręſumi debet *L. Seruo inuito. §. Cum præter ff. ad S.C. Trebell.* & ſic in eo, qui hoc modo obedit, ceſſat omnis præſumptio doli, & fraudis. ita ex Dyno, qui etiam ex alijs hanc ſententiam confirmat. Et hæc, quæ de Iudice dicta ſunt, intelligi debẽt de quouis ſuperiore in ijs, quæ ab ipſo præcipi poſſunt.

Huic materię plura accomodari poterunt, quæ à me examinata fuere in tractatu de conſcientia dubia *diſcept. 6. c.* 4. §. 14 *per tot.* & præſertim *concl. 3. &* 4. vbi egimus de obligatione, quam habent ſubditi, parendi Principi ſuperiori indicenti bellum, quando dubitant de ipſius belli iuſtitia: quæ lectori ibi videnda remitto.

REGVLA XXV.

Mora ſua cuilibet eſt nociua.

EAmdem regulam habemus in iure ciuili *L. in condemnatione* 134 *§. vnicuique eo tit. & in L. Emptor. ff. de aqua pluuia arcen.* vbi ſic dicitur. [Actori moram ſuam nocere debere, manifeſtum eſt.] Cæterum, quia in aſſignanda vera, & legitima morę definitione valdè laborant Authores, & etiam inquirunt, num regula hæc interdum fallat, quatenus non ſolum propria mora vnicuique noceat, ſed etiam aliena; idcircò placet has difficultates examinare, ſequentes inſtituendo quæſtiones.

CAPVT I.

Quid ſit Mora, & quinam eius effectus?

TAnta rerum varietas in quibus dari poteſt mora difficilem reddidit Iuriſperitis exactam ipſius morę definitionem, quod notauit *Gloſs. in L. mora. ver. Difficilis. ff. de vſur.* committi enim poteſt mora in contractibus, in execucione vltimarum voluntatum, in iudicijs, & in multis alijs rebus, quas declarat *Peckius hic num* 1. quibus non obſtantibus aliquàm Auctores moræ definitionem aſſignare conati ſunt, parum in verbis diſcrepantes: poſſumus autem conuenienter ſic eam definire. Mora eſt quædam iniuſta dilatio in faciendo, id quòd fieri debet. Ad hanc definitionem reduci poſſunt aliæ ab Auctoribus traditæ, & ſub ea comprehenditur quæcumcumque culpabilis mora in omni materia, in qua locum habere poteſt. 1

Mora autem diuerſos cauſat effectus, 2

qui

qui nociui ſunt ipſi moroſo: quinque tamen principales effectus enumerantur à *Gloſ in L. mora verſ hæc autem mora*, & octo aſſeruntur à *PecKio hic num. 11. & ſeq.* ex quibus præcipuus eſt, quia facit rem, vel eius intereſſe æſtimari officio Iudicis eo modo, quo cœpit eſſe tempore moræ, vt declarant laudati Authores, apud quos alij etiam effectus videri poſſunt.

3 Placet hìc vero aliqua breuiter examinare quoad obligationem ſoluendi, ſeu reſarciendi intereſſe, quod paſſus eſt creditor ob moram debitoris: & ideò ſuppono omnem ſtipulationem ſub triplici forma procedere; vel enim eſt pura, quatenus fit abſque determinati tēporis, & conditionis deſignatione; vel in diem, nimirum, quando promiſſio adeò facta eſt, vt adimpleri debeat certo die v.g. Kalendis Ianuarij; vel deniq; eſt ſub conditione, nempè, cum quis non ſe obligat, niſi purificata aliqua conditione: qui triplex ſtipulandi mòdus expreſsè habetur *in Inſt. de verb. oblig. §. omnis ſtipulatio*. Hoc præſuppoſito aio, quòd, ſi pura fuit ſtipulatio, debitor, vt in mora conſtituatur, eſt à creditore præmonendus, alias non teneretur ad intereſſe: & ſi à creditore conueniatur coram Iudice, atque ob id aliquas cogatur facere expenſas, obligaretur ipſe creditor tales expenſas illi reſarcire, vt aſſerit *PecKius num. 4* Si verò obligatio fuerit in diem, tunc, ſi potens debitor certo die, quo tenebatur, non adimpleat, incipiet mora abſque vlla præmonitione, vt habetur *in L. magnam ff. de contrab. & comitt. ſtipul.* quia, vt dici ſolet, dies tunc interpellat pro homine. Si denique promiſſio, & ſtipulatio fuerit ſub conditione, eius euentus non ſufficit, vt docet *PecKius num. 9.* vt debitor in mora conſtituatur: quod ipſe congrua probat ratione, quæ ſummatim ita exponi poteſt. Ante conditionis euentum pro creditore nata non erat actio, neque ex parte debitoris actualis obligatio, quæ incœpit eo die, quo purificata fuit conditio, & æquum non eſt, vt eo ipſo tempore, quo exorditur obligatio, ſimul mora habeatur, ita vt in ea debitor conſtitutus iam ſit. *ſic PecKius citans Bartolum in L. Quoties ff. de verb. oblig.* quantum autem eſſe debeat tempus, quo elapſo mora cenſeatur incipere, id Iudicis, aut prudentis viri arbitrio eſt decernēdum, ſpectatis omnibus tum extrinſecis tùm intrinſecis circumſtantijs.

4 Aduerte tamen hìc, quòd, quamuis elabatur ſufficiens tempus, vt in foro externo, & iudiciali debitor exiſtimetur in mora, & ſubijciatur omnibus ijs effectibus nociuis, qui ex mora proueniunt; nihilominus in foro conſcientiæ, ſi reuera debitor impotens fuerit ad adimplendam ſtipulationem factam, mora non erit culpabilis, nec debitori nociua; ideoque nō tenebitur ad intereſſe, quod creditor ob talem moram paſſus ſit, niſi ſe ab initio obligauerit ad intereſſe ſoluendum; quia tunc ratione contractus erit ad id obligatus, vt communiter docent Theologi in materia de reſtitutione. *& de hoc videndus eſt Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 30 dub. 74. nu. 7.*

CAPVT II.

An mora vnius aliquando alteri noceat?

5 STatuitur in præſenti regula, moram, vt noceat, debere eſſe propriam, quod ſignificatur cum dicitur [Mora ſua] ly enim, *ſua*, proprietatem importat: idcircò Authores regulam hanc explicantes, alienam moram, docuerunt, non eſſe alteri noxiam: quod tamē, quia non eſt generaliter verum, in multis enim caſibus deficere videtur, propterea erit in hac quæſtione diſcutiendum. Et quamuis *Decius in reg. iuris 133. §. vnicuique mora.* aſſerat, regulam hanc indiſtinctè procedere, ex qua Doctores inferunt, moram alijs non nocere; id nihilominus, ait, fallere in quibuſdam caſibus, in quibus aliena mora nocet, vt patet in fideiuſſore, cui noxia eſt mora principalis *L. mora ff de verb oblig. & ibi Gloſ. in explicatione caſus*, vbi etiam declarat, quando mora non noceat: *& alij apud eumdem Decium*, quos ſequitur *Barboſa hic nu. 8.* qui optimam de hac re rationem adducit, inquiens, id eſſe, quia fideiuſſoris obligatio eſt veluti acceſſoria repræſentans principalis debitoris obligationem, ita vt fideiuſſor idem cenſeatur cum principali moroſo. Benè verum eſt, quod animaduertunt hìc præfati Doctores, moram Rei, ideſt principalis debitoris, fideiuſſori nocere quoad perpetuandam obliga-

tionem, non autem ad eam augendam, nimirum non quoad pœnam, ſeu intereſſe à principali debitum; quia in his non ſe obligauit fideiuſſor: & ideò debitoris mora cenſetur aliena, niſi tamē fideiuſſor ad hęc etiā omnia ſe obligaſſet, *vt loc. cit. notat* Barboſa.

6 Item mora filij eſt patri nociua, quo ad peculium, prout ſtatuitur *in L. Cum filius, de verb. oblig.* puta, ſicuti declarat Gloſ. ibidem, ſi filius familias promittat ſeruum alicui dare, & cum poſſit, illum tamen non det, & interim ſeruus promiſſus moriatur: hoc caſu reſpondet Gloſſa citata, propter moram filij patrē teneri ſoluere precium de peculio, vt in texto deciditur.

7 Nocet inſuper mora tutoris pupillo, vt colligitur *ex L. ſi lege, & L. ſed ſi. eo. tit* quo tamen pacto id eueniat declarant ibidem *Gloſ. & ſcribentes.* Ex prædictis igitur patet, regulam eſſe limitandam in determinatis caſibus, & præcipuè in enumeratis.

REGVLA XXVI.

Ea, quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, iuribus non ſubſiſtant.

CAPVT VNICVM

Aliqua ad Regula elucidationem afferuntur.

HOc ipſum etiam expreſsè ſtatuitur *in L. Factum* 132. *ff. eo tit. & ibi Gloſ. remiſſiuè, & alij*. Pro maiori tamē huiuſce regulæ intelligentia præmitti debet expoſitio, per quam aperiatur quid, & quotuplex ſit officium Iudicis, de quo ſæpiſſimè apud Iuriſtas fit mentio.

1 Dico igitur primò, officium, prout de illo in præſentia loquimur, ſeu, prout Iudici conuenit, eſſe poteſtatem quādam ad lites decidendas, & dirimendas, & ad grauamina impedienda, atque tollenda. hanc deſcriptionem colligo ex *Petro PecKio hic num.* 1. & ex alijs.

2 Dico ſecundò Iudicis officium eſſe in duplici differentia; aliud enim vocari ſolet nobile, aliud verò mercenarium, ita communiter Iuriſtæ. quæ quidem diſtinctio deſumitur in ordine ad modum procedendi; nam quando Iudex exercet poteſtatem ſuam non ad inſtantiam partis, & quaſi alteri inſeruiens, ſed arbitrio ſuo, tunc dicitur officio nobili iuriſdictionem exercere. V. g. Cum non requiſitus aduerſus delinquentes procedit, eos inquirendo, vel cum minorem læſum, omnique actione ciuili derelictū in integrum reſtituit, vt colligitur *ex L. in cauſa. § fin. ff. de minor. 25. an.* & ſimiliter in alijs caſibus. Quando autem ad alterius inſtantiam procedit, dicitur officio mercenario exercere, quatenus actioni ab altero propoſitę deſeruit, & nequit abſolutè, ac ſimpliciter arbitratu ſuo procedere, ſed ſententiam ferre debet iuxtā modum, quo eſt ipſi cauſa propoſita: & quia ita procedens aliquam videtur cum ſeruo ſimilitudinē habere, qui in operando nutu domini actionem præſcribentis ducitur, idcircò per quamdam veluti metaphoram procedere dicitur officio mercenario, & quaſi ſeruili. His præhabitis.

Dico tertiò, ſi Iudex procedens ſuæ poteſtatis limites egrederetur, tunc ea omnia, quæ hoc modo fierent, non ſubſiſterent, ſed irrita eſſent. Communis eſt ſententia, quæ tum in hac regula, tum in alia iuris ciuilis ſuperiùs citata continetur. V. g. ſi Iudex poteſtatē ſuam exerceret in non ſubditum, vel in ſubditum, ſed extra territorium, vel denique iudicium proferret de re, quæ eſt ſupra ipſius poteſtatem, omnia inualidè fierent, vt habetur *ex L. fin. ff. de Iuriſdict. omnium Iud.* his verbis [Extra territorium ius dicenti impunè nō paretur: idem eſt, & ſi ſupra iuriſdictionem ſuam velit ius dicere] plures alios caſus affert *Gloſs. explicans hanc regulam verſ. 6. prima.* Qui ſanè ad huius regulæ confirmationem faciunt. 3

Dico quartò, præcedentem concluſionem locū habere in omnibus actibus, in quibus iudex eſt incompetens, vt rectè animaduertit *Barboſa hic num.* 2. item in quocumque Iudice, quamuis ſupremo, nimirum in ſummis principibus ſuperiorem non agnoſcentibus, & vt addit *PecKius num.* 5. etiam in Pontifice, qui nequit in clericum iuriſdictionem exercere ratione bonorum temporaliū, quæ ipſi Pontifici non ſunt temporaliter ſubiecta, niſi in quibuſdam caſibus, quādo ita exigeret bonum publicum. 4

Limitatur tamen regula, quando ageretur de exercenda iuriſdictione volun- 5

taria

taria, cuiuſmodi eſt emâcipare aliquem, approbare ſacerdotem ad audiendas confeſſiones ſacramentales faciendas à ſubditis ipſius Epiſcopi approbantis, conferre beneficium eccleſiaſticum, & ſimilia: quę licet iuriſdictionalia ſint; attamen, quia ad iuriſdictionem volũtariam ſpectant, quæ vbique poteſt exerceri; idcircò etiam extra territorium hæ actiones validæ ſunt: & ratio eſt, quia talis actionis exercitium nemini præiudicat, neque lædit iuriſdictionem contentioſam, quam Iudex, ſeu Princeps habet in ſuo territorio.

REGVLA XXVII.

Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus.

CAPVT VNICVM

Quomodo Regula intelligatur?

1 HAbetur in iure ciuili, quæ eſt 188, vbi ſic dicitur [Nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt: eãdẽque doctrina continetur *in L. Cum donationis C. de tranſact.* & hac de re non ſolum Iuriſtæ, & Canoniſtæ, verum etiã Theologi diſertè agunt, inter quos eſt *D. Thom. 2. 2. q. 59 art. 3. ex Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 11.* Notandum tamen eſt hìc *cum Gloſ. poſt medium*. quod illæ duę conditiones nempè, ſcienti, & conſentienti, copulatiuè, & non diſiunctiuè ſumendæ ſunt, itaut alterutra deficiente, iniuria inferretur, puta ſi quis ſciat, iniuſtam actionem, quam ab alio ſuſtinet, eſſe ſibi damnoſam, ſed tamen non conſentiat, verum inuitus eam patiatur; huic certè iniuria fieret: & è conuerſo, ſi conſentiat, ſed ignoret ſibi detrimento eſſe, adhuc iniuria irrogaretur. optimè igitur ex hac regula, vt iniuria vitetur, vtramq; conditionem adeſſe neceſſe eſt.

2 Ratio verò fundamentalis, qua regula nititur, ſequenti diſcurſu clarè aperitur. Nemo iniuriam pati cenſetur, niſi ipſius ius violetur, vt ex terminis patet: ius autem alterius nequit violari, niſi nolente ipſo, cuius eſt ius, qui, ſi velit, iam cedit iuri ſuo, illudque à ſe abdicat: proptereà quamuis ab alio læſionem patiatur; nihilominus, cum talis læſio ſit iuxta voluntatem patientis, nequit eſſe illi iniurioſa: nam iniuria eſſentialiter importat eſſe contra ipſam ſuſtinentis volũtatem, vt clarè docet *Ariſt. cap. 10 cit.* his verbis [Nullus eſt, qui iniuria ſpontè afficiatur] repugnat enim eamdem actionem eſſe voluntariam; & iniurioſã reſpectu eiuſdem patientis: iniurioſa tamen eſſe poteſt in ordine ad alium: quapropter ſi quis occidat alium volentem occidi, licèt occiſio non ſit ipſi interfecto iniurioſa, cum non fuerit inuitus, ſed volens ſui mortem ab alio inferẽdã; erit tamen actio iniurioſa reſpectu Reipublicæ, cuius ipſe interemptus pars eſt: imò, cum talis voluntariè occiſus ſit creatura, & imago Dei, *vt in d. art. 3. docet D. Thom.* puniendus eſt, vt ipſe ait, tùm ſecundùm legẽ diuinam, tum pariter ſecundùm humanã, quatenus videlicèt eccleſiaſtica ſepultura priuandus eſt.

3 Rurſus ob eamdem rationem addo, quod ſi quis ſuadente *D*iabolo clericum ſcientem, & conſentientem percutiat, quamuis actio non ſit ipſi clerico iniurioſa, erit tamen talis reſpectu ſtatus, totius nempè ordinis clericalis, vt hìc aſſerit Gloſsa.

4 Ex hoc autem aliqui, quos tacito nomine adducit *Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 7. dub. 3 num. 13.* occaſionem deſumpſerunt limitandi regulam hanc, aſſerentes eam ſolùm extendi ad illa, quæ totaliter ſunt ſub noſtra poteſtate, & in quibus iuri noſtro cedere poſſumus, vt eſt proprius honor, fama, & bona externa, quorum dominium apud nos eſt, & de quibus liberè valemus diſponere; non autem extendi ad ea, de quibus diſponere nequimus, & quorum veluti cuſtodes ſumus, vt eſt propria vita, membrorum integritas, coniux, & ſimilia, in quibus iuri noſtro minimè cedere poſſumus: hinc iniuria etiam illis fit, quibus talium bonorum cuſtodia demandata eſt. ita ſentiunt hi Auctores: ſed oppoſitum defendit *Leſſius ibidem*, cui ego adhæreo, & hoc idem Auctor probat, tanquam magis conſentaneum vſitato loquendi modo; quia volens in ſuo corpore læſionem pati ab alio illatam nequit de illo conqueri, nec dici poteſt iniuriam ab eodem recepiſſe, quod expreſsè habetur *ex Ariſt. loc. cit.* vbi, vt vidimus, docet, neminem ſpontè iniuriam pati, quia requiritur, vt inuitus illam ſuſtineat. Nec valet reſpondere, Ariſtotilem loqui de bonis, quorum diſpoſitio à nobis totaliter dependet, non

autem de ijs, quorum non ſumus abſolutè domini, vt eſt vita, & membrorum integritas, &c. non valet, inquam; Philoſophus enim ſermonem habet etiam de his bonis, vt clarè deprehenditur ab exemplo, quod ad confirmationem adducit loquens de Euripide, qui matrem volentem interfecit. idque etiam confirmatur; quia, ſi quis, volens, ſe ipſum occideret, non diceretur vtique iniuriã ſibi irrogaſſe, quia non poteſt à ſe ipſo inuitus lædi: & impoſſibile eſt, vt ſimul liberè velit, & liberè nolit eamdem in ſe ipſo pati læſionem.

5 Sed in contrarium vrgebis probans abſurdum, quod ex hac Leſſij ſententia inferretur; videlicèt, quòd neque Chriſtus dominus à Iudæis, neque Sancti Martyres à Tyrannis iniuriam paſſi fuiſſent, cum ſpontè, & hilari animo cruciatus, mortemque ſuſtinuerint, quod aſſerere, magnum eſſet inconueniens.

Facillimo negotio huic inſtantię ſatiſfacio reſpondendo, quòd, licèt quis ſpontè ob aliquem finem iniuſtam patiatur læſionem, non tollitur, quin à lędẽte iniuriam ſuſtineat, dum iuri ſuo non cedit, ſed in patiendo permiſſiuè ſe habet: ſic Chriſtus Dominus ſpontè mortem ſuſtinuit ſibi iniurioſam, ob humani generis redemptionem, non reſiſtens, ſed permittens cruciatus, & mortem: ita etiam Sancti Martyres ob Dei gloriã, & in veræ fidei teſtimonium multa patiebantur non cedentes iuri ſuo, ſed ſolũ permiſſiuè ſe habentes. Et hoc etiam modo ad prædictam inſtantiam reſpondet *Leſſius dub. cit. num* 14.

REGVLA XXVIII.

Quæ à Iure cõmuni exorbitant, nequaquã ad conſequentiã ſunt trahẽda.

CAPVT VNICVM.

Explicatur Regula.

1 ADeo eſt naturali rationi conſentaneum ius commune, vt merito *Doctores* aſſerant, reſcriptorum formam explicari debere iuxta ipſum Ius; ac proindè, quando eſt illi contraria, iuxta illud ſeruandam eſſe, niſi conſtet, Summum *Pontificẽ* oppoſitũ voluiſſe. Propterea nimis conuenienter in hac regula, & in alia ſimili, quæ eſt L. *Quod contra rationẽ.* 184. *ff. eo.* ſtatuitur, non eſſe ad conſequentiã trahenda, quæ ab hoc iure exorbitant.

2 *Pro* ſufficienti tamẽ regulæ intelligentia declarare oportet, quid ſit exorbitare, de quo hic eſt locutio, & quo pacto differat à corrigere. aio igitur, quòd exorbitare idem importat, ac deuiare, ſeu diſcordare. ita verbum hoc exponitur *à Gloſ. hic in fine, & à Dyno in princip.* ideò, quoties extenſio alicuius reſcripti, ſeu ſtatuti, aut priuilegij derogat iuri cõmuni in aliqua eius parte, à tali iure dicitur exorbitare, & conſequenter reducendum illud eſt ad terminos iuris communis, niſi conſtet, concedentem, qui poteſtatem ſupra ius habet, ampliationem illam exorbitantem voluiſſe.

3 Differt exorbitare à corrigere ſicut pars à toto: ſtatutum namque tunc appellatur iuris correctorium, quando illi in totum derogat; exorbitans verò quãdo ſolum in partem. ita cõplures, quos laudat, & ſequitur *Barboſ. hic num.* 2. *& PecK num.* 6. hinc faciliùs admittitur extenſio in reſcripto, ſeu priuilegio exorbitante, quam in corrigente, *vt nu.* 3. *notat idem Barboſa.* His circa terminorum declarationem breuiter præmiſſis deuenio ad regulę diſpoſitionem.

4 Dico itaque, in exorbitantibus, per ſe loquendo, non fieri extenſionem de vno ad alium caſum. Eſt communis ſententiam, quam ex hac regula Doctores firmant. *Tiraquell. in L. ſi vnquam, verbo libertis. num* 27. *Menoch. remed.* 15. *de recup. poſſ. num* 17. *Barboſ. cit. nu.* 3. & alij apud eum. Dixi, per ſe loquendo, quia in multis caſibus regula hæc non procedit; ideoque limitari ſolet, vt etiam in exorbitãtibus fiat extenſio fauore piæ cauſæ, vel fauore animæ, ita *apud Barboſ. num.* 4. *&* 5. *Aymon. de antiquit. tempor. p.* 4. *initio, & nu.* 79. *Villagut de extenſ. legum limitatiuarum. num* 9. *& ſeq. & de extenſ. leg. exorbitan. Ampliat. vlt nu* 3. *Farinac. in fragm. criminal. part.* 1. *lit. E, num.* 108. *&* 109. PecKius verò poſt varias ampliationes, quibus regula extenditur tandem à nu. 14 tredecim ponit limitationes, proponẽs caſus in quibus regula non procedit, penes quem legi poſſunt.

5 Plura à me eſſent dicenda circa huius regulæ diſpoſitionem; ſed quia in explicatione 15. regulæ loquens de reſtrictione eorum, quæ odium continent, & de extenſione illorum, quæ fauorem includunt, multa per varia capita, & preſertim per quartum, & quintum penè diſ-

cuſ-

cauſſa, ſunt, & conducere poſſunt ad hãc regulam; idcircò, ne iterum repetantur, ad eum locum lectorem remitto.

REGVLA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

CAPVT VNICVM.

Traditur vera Regulæ Intelligentia.

LEges veræ iuſtitiæ eò principaliter tendunt, vt vnuſquiſque quod ſuũ eſt pacificè retineat; ad hoc autem obtinendum valdè accomodatum medium eſt, quod per hanc regulam proponitur, cum dicitur. *Quod omnes tangit*, hoc eſt, ad omnes ſpectat, *debet ab omnibus approbari*, ſeu recipi, ne alicui præiudicium inferatur.

1 Explicaturus autem verba regulæ, dico, dictionem illam vniuerſalem, *Omnes*, ſumi poſſe dupliciter, vt hic notant Cõmentatores. *Dynus Barboſ. & alij* Primò, quatenus diſtributionem importat, ac ſi diceret, omnes, tanquam ſingulos in ſpeciali. Secundò in quantum ſignificat plurium collectionem, vt eſt Collegium, Vniuerſitas in communi, &c. In regula verò ſignum illud vniuerſale intelligitur in prima, & non in ſecunda acceptione. profectò ſi agatur de re aliqua ad omnes in indiuiduo pertinente, ab omnibus, & ſingulis res erit approbanda; aliter inualida eſſet approbatio, quamuis fuerit à reliquis, vel à maiori parte. Exempli gratia, ſi plures ſint habentes communem fundum, & velint eidem fundo ſeruitutem aliquam imponere, nequeunt id facere, niſi ſingulorũ conſenſus intercedat; idemque erit in alijs ſimilibus exemplis.

2 Limitat tamen *Barboſa loc. cit.* deciſionem hanc, quando ex iuſta cauſſa oppoſitum expediret, quia tunc conſenſus maioris partis ſufficiens eſſet: & hoc declarat, exemplum afferendo in præſentationibus ad beneficium eccleſiaſticum, quæ ad plures, & ſingulos patronos pertinent; tunc enim ſatis eſſe, ait, maiorem ipſam partem. & hoc docet *ex Roch. de curte tractat. de iure patronat. verbo honorificum. num. 91.* & ratio eſſe poterit, ne electio ab beneficium maneat ſuſpenſa. Quæ quidem limitatio ponitur ab ipſomet Barboſa in alijs caſibus, vt puta, quando, ſi requireretur ſingulorum conſenſus, aliquod ſequeretur abſurdum, vel quando maximum vrgeret bonum publicum, vel ſi exiguum eſſet præiudicium, &c. abſolutè tamen loquendo ſeruãda eſt regulæ huius diſpoſitio, ita vt, cum actus tangit omnes ſingillatim acceptos à ſingulis debeat approbari.

Si verò negotium pertineat ad vniuerſitatem, non eſt neceſſe ad expeditionem concludendam, vt ſinguli qui legitimè ſuffragio ferendo interueniunt, conſentiant: ſed ſufficit, ſi maior pars conſenſum præſtet. & hoc conuenienter quidem diſpoſitum eſt; vt enim rectè obſeruat *Decius in L. aliud eſt. § refertur. ff. de reg. Iur. ex Gloſs. ibidem*, negotia vniuerſitatis non ita facilè expediri poſſent, ſi omnium qui præſunt, conſenſus requireretur: quare ipſe infert *ex Bart. & Bald.* quòd quamuis in aliquo actu pertinente ad communitatem dicatur, eſſe de omnium conſenſu; id tamen intelligitur de conſenſu maioris partis: quod quidem limitatur in caſu, quo conſtaret, diſponentis mentẽ fuiſſe, quòd omnium conſenſus requireretur. 3

Denique poſſet quis interrogare, quando nam debeat neceſſariò dari approbatio hæc, quam regula requirit à ſingulis interuenientibus præſtanda, ita vt, ſi vlterius differatur, ſit nullius valoris? Reſpondet *PecKius hic num. 2. ex Ioan. Monaco* cum diſtinctione, videlicet, quòd in actibus extraiudicialibus, etiam ſi approbatio, ſeu conſenſus ex interuallo præſtetur, erit validus *L. profundum. ff. de ſeruit. ruſt. præd.* & in hoc differt ab auctoritate, ſeu licentia, per quam alicui facultas conceditur ad agendum, quæ oportet eſſe in ipſo actu, & non ſufficit ex interuallo, & poſt actũ præſtari. L. *obligari. §. tutor ſtatim ff. de auctor. & conſenſu tutor.* non ita eſt conſenſus, & voluntas, quę ſiuè præcedat, ſiue ſequatur, per ſe loquendo nil refert. Excipit tamen idem author quoſdam caſus, qui, vt ipſe inquit, videri poſſunt apud *Iaſonem conſ. 1. lib. 2.* & hæc in extraiudicialibus. 4

In iudicialibus verò, & etiam de extraiudicialibus, quę ſolemnitatem, & præuium tractatum requirunt, neceſſariò interuenire debet in ipſo actu conſenſus illius, ad quem ſpectat actum validare: nec ſufficit, ſi poſtea interponatur, vt patet *ex cap. dudum. §. quia etiã de reb. Eccleſ. non alien.* & ideò ante prædictum conſenſum actus non habet vigorem. 5

Non-

Digitized by Google

Nonnulla alia, quæ hîc forent dicẽda, examinanda relinquo ſub Regula 56. quæ magnam habet affinitatem cum præſenti; cum ibi dicatur, quòd in re communi potior ſit conditio prohibentis.

REGVLA XXX.

In obſcuris minimum eſt ſequendum.

CAPVT I.

Verba Regulæ explanantur.

EAdem Regula continetur in Iure ciuili *L. ſemper in obſcuris*, & colligitur etiam expreſsè *ex L. ſemper ſtipulationibus in fin. ff. eo. tit.* Plures ſuper hanc regulam ſcripſere, quos refert *Barboſa in collect. & in var. tract. de Axiom. vtriuſq. Iur. Axiom.* 165. *n.* 4. Vt autẽ ſolito ordine procedamus breuẽ quamdam præmittimus huius Regulæ declarationem, vt poſtea, illa rectè explicata, nonnullas decidamus quæſtiones.

1 Duæ ſeſe offerunt dictiones, quæ aliqualem poſtulant expoſitionẽ, videlicèt, Obſcurum, & Minimum, quod regula in obſcuris præſcribit ſequendum. Incipiendo autem à primo, dico, obſcurum propriè dictum nõ eſſe idem, quod ambiguum, vt rectè animaduertit Gloſs *in L. Veteres verſ. obſcuram ff. de pactis.* ait enim, obſcuritatem eſſe in dictione, ambiguitatem verò in oratione. Hinc deuenientes Auctores ad explicandum, quid ſit obſcurum, ſeu obſcuritas, quamuis verbis parùm mutatis id exponant, in idem tamen recidunt; dicunt enim aliqui, obſcurum id eſſe, quod intelligi nequit, ita *Felin. in procem. decret. nu.* 2. *circa medium*, & colligitur *ex L. qua in teſtamento. ff. de ijs, quæ pro non ſcript. hab. & ex L. ita fidei. propè fin. ff. de Iur. Fiſci.* Alij verò dicunt, obſcurũ eſſe, quod plures habet intellectus, & ſignificationes, ita vt nequeat deprehẽdi, iuxta quã definitionẽ ſumatur dictio illa, obſcurum, quæ eſt in præſenti regula. Ex quo infert *Frãciſcus Aretinus in L. qui ex pluribus ff. de verb. oblig.* paria eſſe nõ dicere, & obſcurè dicere *L. de ætate ff. de interrog. actionib.* vbi tex. ſic ait [Nihil intereſt, neget quis, an taceat interrogatus, an obſcurè reſpondeat, vt incertum dimittat interrogatorem] nam ex verborum obſcuritate gignitur in mente audientis, aut legentis incertitudo, ſeu dubietas. Meritò igitur obſcuritas in quacũque diſpoſitione reprobatur à Iure, vt patet ex tex. *Cap. erit autem lex. diſt.* 4. vbi enarrantur conditiones, quę legi conuenire debent, inter quas habetur claritas; lex enim debet eſſe manifeſta: cuius quidẽ conditionis neceſſitas ibi declaratur; cum ſubditur [Ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat] & vt *Gloſs. ver. Captionem.* interpretatur, ne alicui laqueus paretur per eam, hoc ipſum proclamant multa iura apud *Barboſam cap. cit. Erit lex. num.* 10. vbi citat *Emanuelem de Valle de Incant. & enſalm. ſect.* 1. *cap.* 5 *num.* 23. aientem, quod lex dubia ſibi ipſi inſidias parat: & num 24. addit, legem, quę multiplicem habet intellectum, allegari nõ poſſe in decidẽdis cauſis. Ex his omnibus habemus quid ſit obſcurũ, & qua ratione obſcuritas reprobetur in Iure: quæ oĩa hîc ſatis ſunt pro intelligentia huius primæ dictionis. Supereſt, vt declaremus ſecundam, nempè Minimum, quod in obſcuris ſequi debemus. Minimum autem idem importer, ac vilius, ita *Albericus in dictionario, litt. M.* & addit, minimum interdum ſumi pro non maximo; idque colligit *ex L. Si quid venditur. in fine. ff. de Aedilit. edicto;* quod etiam Gloſſa eodem modo ibi exponit, ver. minimum, dicens, id eſt non maximum. 2

CAPVT II.

Vtrum in obſcuris abſolutè ſequi debeamus regulam hanc; an verò aliquid aliud ſit examinandum?

POſſet quis dubitare, vtrum regula de eligendo minimo, quando verſamur in obſcuris, ſit ita certa, vt nullo alio præmiſſo ſeruari debeat? Pro huius quęſiti deciſione ſupponendum eſt, omnẽ diſpoſitionẽ, ſiue procedat à lege, ſiue ab homine, cõſtare ex verbis, & ex mẽte diſponentis; verba autem duplicem habent ſignificationem, videlicèt naturalem, & ciuilem. Naturalis eſt illa, quæ conuenit rei ex primæua impoſitione, quam ſolent Doctores exemplificare in 3

hac

hac dictione, *Mors*, quæ ſimpliciter,
& propriè vſurpatur ad ſignificandam
veram, & realem ſeparationem ani-
mæ è corpore. Ciuilis verò ſignifica-
tio ea eſt, quæ rei tribuitur ob aliquam
ſimilitudinem, ſeu paritatem, quam res
habet cum ſe ipſa ſumpta ſecundù n na-
turalem ſignificationem; & ideò profeſ-
ſio religioſa appellatur mors ciuilis, qua
tenus Religioſus vi profeſſionis videtur
eſse tanquam mortuus huic mundo; &
ſic in alijs ſimilibus. Et hæc quoad verba,
Quoad mentem verò dico, eā eſſe volū-
tatem diſponentis, non purè interuam,
quia vt ſic, nihil ad intentum iuuaret,
ſed vt expreſſam verbis, aut alijs con-
iecturis externis, & ſenſibilibus. His bre-
uiter premiſſis.

Dicendum eſt primò, regulam hanc
4 non eſſe ita intelligendam, vt in obſcu-
ris ſtatim debeamus minimū ſequi, ſed
prius eſſe inſpiciendum, quod veriſimi-
lius cenſetur, ita præſcribitur *in regula*
45. quæ eſt huic affinis, & dicitur. [In-
ſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimi-
lius] & habetur etiam in iure ciuili, *in*
L. In obſcuris inſpicimus. ff. de Reg. Iur.
hoc ipſum docent communiter Autho-
res *Gloſ. hic ver. In obſcuris. Dynus*
ibidem num. 30 *Ioannes Andreas nu.*
1. *Petrus PecKius n.* 1. *Romanus conſ.*
350. *num.* 23 *& conſil.* 455. *num.* 5. *Tu-*
ſcus in pract. concluſ. litt. O. concluſ. 55.
num 3. *Auguſtinus Barboſa in axiom.*
vſu frequent. axiom. 165. *num.* 5. *& in*
dicta regula Inſpicimus, *& alij*. Ratio
autem, quare in obſcuris ſequi debea-
mus veriſimilius, eſt ex ſe euidens; quia
in omni diſpoſitione, ſiue procedat à Iu-
re, ſiue ab homine, debemus in intelli-
gentia eiuſdem conformari menti, ſeu in
tentioni diſponentis; quando autem ve-
ritas non apparet, lumen rectæ rationis
dictat, vt ſequamur id, quod magis ad
veritatem accedit, quale eſt veriſimi-
lius.

Dicendum eſt ſecundò, illud eſſe iudi-
5 candum veriſimile, quod eſt proximum
& ſimile veritati: ita illud definitur à
Baldo conſil. 61. *num.* ... *lib.* 3. *Tuſcus in*
pract. Concluſ. lit. V. concl: 163. *num.* 1.
& alij. Solet etiam dici, veriſimile eſſe
id, quod legibus, & Iuri communi con-
uenit, & non contradicit: ita *Menochi-*
us conſil. 38 *num.* 7. *& de arbitri. caſu*,
83. *num.* 5. *Gironda de priuileg. num.*
553. & ideo arguere à veriſimili eſt ar-
guere à ratione naturali; proinde ab
Authoribus veriſimilitudo appellari ſo-
let cognata naturæ: ſic *Tiraquel. L. Si*
vnquam, num. 6 *Oldradus. Conſil.* 13.
in fine. Barboſa axiom. 223. *num* 4. *Se-*
baſtianus Medic. tr. de Reg. Iur: Reg.
2. *num.* 8 *& plures apud ipſum.*

Dicendum eſt tertiò, veriſimilitudi- 6
nem ex pluribus capitibus eſſe deſumen
dam, vt notat *Dynus in regula citata*,
Inſpicimus, num. 4. nempè vel ex rebus
ipſis inter ſe comparatis, vel ex re cō-
parata ad pretium, quando agitur de
venditione, & emptione alicuius rei.
Rurſus inquiri etiā debet veriſimilitudo
vel ex dignitate perſonarum, vel ex mo-
re, & conſuetudine regionis, vel ex cō-
ſuetudine, & modo loquendi, & deni-
que ex alijs omnibus, ex quibus hic, &
nunc deduci poterit id, quod veriſimili-
us intenderit diſponens. Si autem con-
tingeret, vt diligenter omnibus conſi-
deratis maior veriſimilitudo colligi ne-
queat, tunc recurrendum erit ad hanc
regulam, videlicet, illud eſſe ſequendū,
quod in eo genere, de quo agitur, eſt
minimum, ſiue in quantitate, ſiue in
qualitate.

CAPVT III.

An regula hæc aliquando deficiat, ita
ut non minimum, ſed mediocre
ſit eligendum?

VT videatur qualis, & quanta ſit hu- 7
ius regulæ firmitas, præſupponere
oportet diſpoſitiones, in quibus inue-
niri poterit obſcuritas illa, de qua agit
ipſa regula. Dico igitur, tres diſpoſitio-
nes aſſignari ab Authoribus, nempè con
tractus, vltimas voluntates, & delicta,
pro vt ſunt materia, de qua feruntur
ſententiæ pœnales iuxta qualitatem
delicti à legitimo Iudice. ita *Dynus* in
explicatione huius regulæ num 2. *Petrus*
PecKius ibidem num. 2. & ſequentib. hoc
autem colligitur ex varijs iuribus: & quo-
ad contractus habetur *in L. ſi ita ſtipu-*
latus fuero decem, aut quindecim. ff. de
verb. oblig. quoad vltimas voluntates diſ-
ponitur *in L. Idem Iulianus. §. Scio. ff.*
de leg. 1. *L. nummis ff. de leg.* 3. *L. Qui*
concubinam §. cum ita eod tit Demum
quoad delicta hoc ipſum ſtatuitur *in L.*
inter pares. ff. de re iudic. L. Diem pro-
ferre. §. Si plures. ff. de recept. arbitr.
L.

L. penult. ff. de pœnis.

Ex his iuribus colligitur, in prædictis tribus diſpoſitionibus inueniri poſſe obſcuritatem, de qua præſens regula loquitur; & ideo firmitas regulæ in iiſdē diſpoſitionibus eſt inueſtiganda, & ſtabilienda.

8 Sed in contrarium efficax ſe offert argumentum ex vtroque iure deſumptum, in quo diſponitur, in obſcuris mediocre eſſe eligendum; ergo deficiens videtur regula ſtatuens, in obſcuris minimum ſequendum fore: conſequentia non eſt neganda, ſi verum eſt antecedens, quod probatur, adducendo iura, in quibus hoc determinatur, videlicèt *in L. legato ff. de leg. 1.* vbi dicitur, quòd, ſi quis legat ſeruum, & nō deſignat aliquē determinatū ex multis, quos habet, non tenebitur hæres aſſignare legatario optimum ſeruum, neque ſatisfaciet donando peſſimum, ſed mediocrem donare debet: ita ibidem notat Gloſsa. rurſus hoc ipſum confirmatur *ex L. Qui Lanceam. ff. de auro, & argento leg.* in qua diſponitur, quòd habens lanceam maximam, minorem, & minimam, ſi lanceam leget, & non appareat, qualem legare voluerit, cenſebitur legaſſe eam, quæ eſt mediæ magnitudinis. Denique *in L. ſi quis argentum. §. Si verò. C. de donation.* habetur, quòd, ſi quis loco redditum annualium debeat aſſignare agrum vnum ex iis, quos poſſidet, non tenebitur aſſignare optimum, neque debet viliorem aſſignare, ſed mediocrem. Eadem diſpoſitio in alio caſu habetur in eadem lege. *§. ſimiliquè modo.* Confirmari etiam poteſt idem antecedens *ex* iure canonico, nempè *ex cap. ea enim. §. hoc Ius. 10. quæſt. 2. & ex cap. 1. de officio cuſtodis*, quibus in locis ſtatuitur, mediocre in ambiguis eſſe eligendum.

Quòd verò ſpectat ad delicta, & pœnas pro eiſdem delictis infligendas, habetur etiam ius diſponens, quòd quando delinquentis intentio non apparet, præſumitur delictum patrare voluiſſe, ita vt durius ſit puniendus. ita *ex L. 1. §. Diuus Adrianus. ff. ad leg. Cornel. de ſicariis*, vbi ſtatuitur, quod ſi quis hominem non occiderit, ſed vulnerauerit, vt interficeret, tanquam homicida ſit damnandus; & ideò in hoc caſu, in quo intentio vulnerantis latet, & eſt obſcura, lex videtur diſponere contra regulam hanc, non eligendo minimum, ſed maius, quatenus vult, vulnerantem eſſe dānandum, vt homicidam. Ex tot autem iuribus inferre quis poſſet, præſentem regulam de minimo ſequendo in obſcuris, deficere in omnibus prædictis tribus diſpoſitionibus; nempè in contractibus, vltimis voluntatibus, & delictis, ac proinde fallacem eſſe.

Cæterum, vt ſaluemus regulæ firmitatem, & ſatisfaciamus argumento deducto ex iuribus citatis, quæ contraria videntur, eſt diligenter notanda diſtinctio, quam ponit Gloſsa in explicatione huius regulæ, *§. In obſcuris*, quām etiā ibidem admittit *Dynus num. 6. & ſequ.* videlicèt, aliud eſſe loqui de obſcuro in quantitatibus, & in iis, quæ quantitatibus æquipollent, & aliud de obſcuro, quod inueniri poteſt in ſpeciebus; in illis .n. ait, minimum eſſe eligendum, & in eiſdem regulam hanc ſemper verificari: in iſtis verò nequit ſemper locum habere. Hac diſtinctione admiſſa, dicimus, iura ſupradicta, quæ ſtatuunt, mediocre in obſcuris eſſe ſequendum, intelligi debere in illis caſibus, in quibus obſcuritas reperitur in ſpeciebus, in quibus non eſt minimum ſemper eligendū, ſed mediocre; & ideò reſpondere poſſemus ad præfatum argumentum dicentes, quòd præſens regula in quantitatibus locum habeat. Verum, niſi maior declaratio addatur, intellectus non acquieſcit: oportet igitur duo præcipuè explicare, ſcilicet, quid per quantitates, & quid per ſpeciem in præſentia intelligatur? quòd clarè prædicti Authores nō exponunt: præterea eſt exponendum, cur in quantitatibus regula ſit firma, nō autem in ſpeciebus? 9

Pro intelligentia prioris dico, quod nomine quantitatis hìc venit res ſpectata ſecundum numerum, cui æquipollet pondus, & menſura; & ideò in obſcuris, quando videlicet mens donantis eſt dubia, num ad maiorem, vel ad minorem numerum ſe extenderit, eligendus eſt minor iuxta præſcriptum regulæ: & ſic in iure deciditur, vt patet per textum *in L. citata. Si ita ſtipulatus fuero*: idē dico de pondere; nam ſi donatio ſit decem nummorum, & pondus nummorum ſit multiplex, eligendi ſunt nummi minoris ponderis, vt habetur *ex L. nummis citata.* Denique hoc ipſum eſt aſſerendum de menſuris, quando ſunt variæ, vt communiter dicunt Doctores, quos at- 10

Digitized by Google

attuli in tractat. de conſcientia dubia *diſcept. 6. cap. 1. §. 9. ſub num. 2.*

11 Nomine autẽ ſpeciei hic intelligi debet res ipſa ſecundum ſuam ſubſtantiã, vt Homo, Equus, Bos, & ſimilia; ſpecies enim in iure interdum ſumitur pro re, vt probat *Rebuf. in L. ſciendum eſt. ff. de verbor. ſignif.* adducens ad id confirmandum nonnullas leges: idque etiam probat *Albericus in Dictionario. verbo ſpecies*, & hęc de primo. remanet, vt ſecũdum explanemus, nempè cauſſam,

12 quare in quantitatibus firma ſit regula, non autem in ſpeciebus. Aio igitur, huius diuerſitatis cauſſam eſſe, quia in ſpeciebus effectus diſpoſitionis interdum poteſt eſſe inutilis, aut deriſorius, non verò in quantitatibus, vt exemplis ſuperius allatis demonſtratum eſt: & ideò rectè adnotauit *PecKius ſub nu.* 10. quãtitatem, quantumcumque minimam, ſemper vtilem eſſe; contra vero ſe habet ſpecies, in qua res poterit eſſe inutilis, aut deriſoria; proinde benè addit idem Author, mediocre eſſe eligendum, quãdo res inutilis eſſet, ſi minimum eligeretur.

13 Sed vrgebit quis, probando oppoſitum ex doctrina, quam tradit *Dynus num. 7.* videlicèt, etiam in ſpecie, ſeu in genere nihil poſſe inueniri prorſus inutile, vt in Equo, Boue, Homine, & ſimilibus; & ideò determinatur *in L. Si quis argentum ſuperius citata §. ſimilique modo*, quòd ſpectari debeat mediocritas in electione ſeruorum, qui ex multis donati fuerunt; ergo quamuis minimum ſit vtile, debetur mediocre; & conſequenter non valet ratio illa, quam aſſignauimus tamquam cauſſam, quare regula hæc ſit firma in quantitatibus, ſcillcèt, quantitatem quãtumcumque minimam ſemper eſſe vtilẽ; deficit enim cauſalis iſta, cũ habeamus, in ſpeciebus minimum etiam eſſe vtile, & hoc non obſtante, in iure diſponatur, in illis mediocre eſſe eligendum.

Ad hoc argumentum, quod apud Authores neque tactum inuenio, ita, ni fallor, eſſe reſpondendum cenſeo, nempe has regulas, quæ ſunt veluti prima principia, debere eſſe firmas, & vtiles in ſuis diſpoſitionibus, & conſequenter locum habere in illis materijs, in quibus effectus, de quo diſponunt, nequeat vanus, aut ridiculus eſſe: & ideò, cum in quantitatibus minimum ſemper ſit vtile, in ſpeciebus verò, & generibus quandoque ſit inutile, aut irriſorium, vt ſupra oſtẽſum fuit, propterea regula hæc ſolum reſpicit tãquam adæquatam materiam, quantitates, & non ſpecies, & genera, in quibus interdum eſſet fallax. Deinde ratio illa, quàm, vt cauſalẽ aſſignauimus, explicanda eſt, vt locum habeat in illa materia tantùm, in qua minimum ſemper eſt vtile, vt eſt minimum in quantitatibus. Ad argumentum igitur, poſita hac doctrina pro reſpõſione antecedentis, neganda eſt conſequentia, in qua infertur, deficere rationem illam, quæ vt cauſalis fuit aſſignata.

Remanet, vt aliquid dicamus de artificialibus, quæ vt ait *Dynus num. 6.* æquipollent ſpeciebus: dico igitur, in artificialibus inueniri poſſe minimum inutile, aut deriſorium. V. g. ponamus, quòd quis promittat per donationem, aut leget alicui per teſtamentum imaginem B. Virginis, aut alterius Sancti, & in ſatisfactionẽ, ab ipſo promittente aſſignetur donatario, ſeu legatario imagò cerea, cuius magnitudo ſit vnius vnguiculi, quod eſt minimum in hac re, procul dubio tale minimum eſſet inutile, vel parum vtile, imò deriſorium, proinde in hoc caſu eſſet mediocre eligendum, tum quoad materiam, tùm quoad magnitudinem, arbitrio prudentis determinãdum: & idem aſſero de alijs artificialibus. 14

Ad ea, quæ ex delictis proponuntur, dico, non eſſe contra firmitatem regulę, quia, quoties delictum talibus veſtitur circumſtantijs, vt ex illis reſultet præſumptio euincens præſumptionem illã, quæ habetur ex obſcuritate facti, toties locum non habet regula; quia haberetur veriſimilitudo tollens obſcuritatem requiſitam ad eligẽdum minimum; & ideò non illud, ſed maius eſſet ſequendum, quod ex efficaciori præſumptione deduceretur. V. g. ſi quis Caium occidat, & dicat, nõ dolo, ſed caſu illum interfeciſſe, & conſequenter pœna minima ex ijs, quas tale delictum meretur, eſſe puniendum, debet hoc colligi ex qualitate delicti, ſeu ex modo, quo fuit commiſſum; & ideò, ſi occiſor poterat illum vulnerare gladio, quẽ ad manus habebat, & vulnerauit tamen baculo, aut, ſi poneretur gladio percuſſiſſe, cum potuiſſet vulnus capiti infligere, inflixit tamen brachio, aut humeris, aut in alia corporis parte, in qua vulnus non ſoleat mortem cauſſare, tunc colligimus, in ipſo vulnerante non fuiſſe 15

voluntatem occidendi; cæterum, ſi vul-
nus atrociter fuerit illatū, itaut mors ſe-
quatur, colligeretur, animum interficiē-
di fuiſſe in vulnerante; & conſequenter
maiori, & non minima pœna eſſet puni-
endus: & in hoc caſu, in quo habetur ve-
riſimilitudo prauæ intentionis, nempe
voluntatis occidendi, regula de obſcuris
nihil diſponit. Ex his prædictis coniec-
turis deducunt Authores animum occi-
dendi, vel non occidendi, vt conſequē-
ter determinent pœnam, quam Reus
meretur. Si verò nulla haberi poterit ve-
riſimilitudo, & omnia ſint obſcura, pœ-
na mitiori, ſeu minima, intra latitudinē
pœnæ, quàm tale delictum promeretur,
eligenda erit, vt notat *Dynus in expli-
catione regulæ num. 17. & ſequent.*

16 Ad argumentum autem in contrariū
ex L. 1. §. *Diuus Adrianus ff. ad leg.
Cornel.* Reſpondeo, quòd in illo caſu, de
quo lex illa mentionem facit, ideò diſ-
ponitur, quòd vulnerans, quamuis non
occiderit, habendus ſit, vt homicida;
quia ex atrocitate, ſeu modo, quo vul-
nus inflictum fuit, colligebatur animus
occidendi; ac proindè habita veriſimili-
tudine de tali praua intentione, ceſſauit
obſcuritas, & conſequenter locum non
habuit regula hæc.

17 Ex his omnibus, quæ pro intelligētia,
& firmitate huius regulæ hactenus dicta
ſunt, breui quodam corollario nonnul-
la ſunt diligenter obſeruanda; & præci-
puè eſt notandum, obſcuritatem eſſe
veluti menſuram huius regulæ; quoad
eius vigorem, ſeu efficaciam: & ideò to-
taliter, aut veriſimiliter ceſſante obſcuri-
tate, ceſſat etiam regula: veriſimilitudo
autem ex varijs capitibus erit deducen-
da, videlicet ex proprietate verborum,
ſecundum quam fit diſpoſitio, ex conſu-
etudine loci, in quo ipſa diſpoſitio in-
ſtituitur, ex qualitate perſonæ diſponen-
tis, & pariter illius, in cuius gratiam
diſponitur, & etiam ex qualitate rei, de
qua eſt diſpoſitio. Ex his, & ſimilibus de-
duci poterit veriſimilitudo de mēte diſ-
ponentis, qua obtenta, ſtatim deſinit ob-
ſcuritas, & neceſſitas eligendi minimū;
& ideò diſpoſitio erit moderanda, & re-
ducenda ad mediocritatem à prudenti-
bus determinandam.

CAPVT IV.

*Nonnulla reſoluuntur dubitationes
iuxta huius regulæ præ-
ſcriptum.*

EXplicatis ijs, quæ ad plenam huius
regulæ intelligentiam facere vide-
bantur, operæ pretium eſt, aliquos caſus
examinare, quorum deciſio in eadem
regula fundari debet; & ideò illos diſtin-
ctè proponam, diuerſa inſtituendo quę-
ſita.

Quæres primo, num promiſſio gratui- 18
ta ſoluendi aliquid quolibet anno ſingu-
lis hominibus de aliquo Collegio exten-
datur ad alios, qui poſt promiſſionem ei-
dem collegio ſuperadduntur: pono exē-
plum, vt clariùs declaretur quæſitum.

Titius ſe obligauit indefinitè quolibet
anno ſoluere aureum vnum ſingulis Ca-
nonicis Eccleſię Cathedralis, ſeu Collegi-
atæ, non declarando numerum perſona-
rum, nempè Canonicorum, quibus faci-
enda eſſet ſolutio; tempore tamen, quo
facta fuit promiſſio, & obligatio, Cano-
nici Eccleſiæ Cathedrali inſeruientes e-
rant, v. g. decem, poſtea verò auctus
eſt ipſorum numerus; & ideò dubita-
tur, an promiſſio, & obligatio, dum
Titij mens nequit colligi, ſed manet ob-
ſcura, debeat ita explicari, vt non ſe
extendat, niſi ad illos tantum cano-
nicos, qui in cathedrali reperiebantur
tempore obligationis, ac proinde Ti-
tius nihil teneatur ſoluere canonicis ad-
iunctis, an verò debeat ad hos etiam
extendi? ſi primum eligatur, tunc locum
habebit regula hæc de minimo; quoniam
cum tot, & non plures, aut pauciores
inuenti fuerint canonici in illa cathedra-
li, quando Titius ſe obligauit, ideo in
re hac adiunctis alijs minimus numerus,
ad quem tendit Titij promiſſio, eſt dena-
rius: ſi autem ſecundum admittatur, tunc
regula non procedit. Iſte eſt caſus, de
quo varia ſunt Authorum placita.

Prima enim ſententia, loquendo ex- 19
preſsè de hoc caſu, docet, nō videri pro-
mittētem obligari ad ſoluendum aliquid
canonicis poſtea adiunctis, ita *Petrus Pe-
cKius de regulis Iur. canonic.* hanc re-
gulam exponens num. 3. & idem ſuſtinet
*Genuenſis in practicabilibus Eccleſiaſti-
cis,* varians dumtaxat exemplum *quæſt.
553. num. 4.* & confirmat opinionem

hanc

hanc *ex cap. Quanto de cenſibus*: ibi enim refertur, quòd fratres monaſterij Bellæ Villæ ex diſpoſitione fundatoris debebãt ſingulis annis ſoluere Fratribus Monaſterij *S.* Irenæi vnam procurationem: & quia tunc pauci commorabantur fratres in dicto monaſterio S. Irenæi; idcircò onus ſoluendi non erat graue pro monaſterio Bellęuillæ: ſed poſtea nimium aucto numero fratrum S. *I*renæi, vix ſufficiebant quatuor Marchæ ad vnam procurationem pro tot Fratribus: (Qualibet autem Marcha, vt notat *Iaſon. L. fin. num. 2. ff. de in litem iurando* valet ſexaginta quatuor ducatis) & ideo Fratres Bellæ villæ nimis grauati poſtulauerunt a Pontifice, vt ſuper hoc prouideret: Pontifex indulſit eis, ne vltra primam menſuram in procuratione eſſent obligari. Ex facto, quod in cap. citato enarratur, confirmant aliqui ſententiam hãc à pari; nam, ſicuti Fratres conuentus *B*ellæ villæ non tenebantur ſoluere aliquid plus ſupra primam menſuram, quamuis numerus Fratrum *S.* Irenæi adauctus fuerit, ita & in caſu noſtro Titius non videtur obſtringendus ad ſoluendum aureum vnum, niſi illis cannnicis, qui tempore promiſſionis erant in Cathedrali.

20 Secunda ſententia cenſet de rigore iuris Titium teneri, etiam adiunctis canonicis ſoluere ſingulis aureum vnum, quamuis Iudicis officio poſſi. ſibi prouideri, vt non obligetur ſoluere alijs de nouo additis ſupra numerum illorum, qui tempore promiſſionis inſeruiebant Eccleſiæ Cathedrali. ita refert ſenſiſſe aliquos *Ioannes Andreas cap. Quanto de cenſibus* in caſu ſimili. Alij modificantes hanc ſententiam, dicunt, quòd ſi promiſſio facta fuerit aliquibus ſub nomine collectiuo, videlicet vni collegio, tunc obligationem ſe extendere ad omnes de illo collegio, ſiue creſcant, ſiue decreſcant. ita videtur velle *Abbas in eodem Cap. Quanto. nu. 5. & 6.* & citat *Gloſſam* pro hac eadem ſententia docẽtem, quòd licet Pontifex in caſu illo, de quo in prædicto capitulo agitur indulſerit, vt Fratres monaſterij Bellæ villæ nõ tenerentur ſoluere aliquid ſupra quantitatem, ad quam tenebantur tempore fundationis, moderationem tamẽ hanc, exiſtimat, fuiſſe ex quadam æquitate, & non ex Iuſtitia, & huic acceptioni adhæret *nu 9. & 10.* & apud ipſum *Innocentius, Ioannes Andreas, & alij*. ſed Hoſtienſis oppoſitum tuetur, nempe mediocritatem fuiſſe ex iure, quia non eſt veriſimile, quòd quis promittendo velit ſe in infinitum grauare. *Abbas* verò, cui prior expoſitio magis placet, probat illam ex textu ipſo, in cuius fine Pontifex ſtatuit, quòd ſi facultates prædicti monaſterij augerentur, deberent Fratres ſoluere procurationem omnibus monacis monaſterij S. Irenæi, etiam iuxtà numerum ampliatum; at, ſi prima obligatio intelligeretur reſtricta ad illum numerum fratrum, qui reperiebantur tempore, quo cœpit ipſa obligatio, non fuiſſet conditionalis illa de augmento facultatum à Pontifice apponenda; quia quocumque augmento dato, obligatio fuiſſet in ſui initio determinata.

Placet etiam hic referre mentem Innocentij, qui diſtinguit duos caſus, primus eſt, quando obligatio procedit ex mera liberalitate donatoris, & tunc ait, eſſe moderandam, creſcente numero Fratrum; alius verò caſus eſt, quando proceſſit ex facto lucratiuo, nempè aliquo dato, vel retento, & tunc vult, non eſſe moderandam: & de hoc *Abbas* tale exemplum affert. V. g. Quis det furnum ſeu molendinum in emphyteuſim hac cõditione, vt recipiens gratis coquere, ſeu molere debeat pro ipſo donante, & eius familia: ſi autem familia nimium augeatur, refert idem *Abbas* opinionem *Federici*, & aliorum aſſerentium, de iure teneri emphyteutam, etiam pro tota familia ampliata, gratis opus illud exercere; ſed ex Iudicis officio poſſe ei prouideri. Cæterum ipſemet *Abbas* notat, hoc eſſe contra limitationem prædictam datam ab ipſo Innocentio docente, hoc procedere, quando obligatio fuerit ex mera liberalitate, non autem quando fuerit aliquo dato, ſeu retento, vt euenit in caſu iſto de emphyteuſi; & ideò ſic concludit; videlicèt, quòd ſicuti recipiens furnum exponit ſe ad lucrum, ſi familia minuatur, ita debet ſe exponere ad damnum, ſi eadem familia augeatur, cum contrariorum eadem ſit diſciplina. Vlteriùs addit, quòd moderatio facta à Põtifice in procurandis Fratribus monaſterij S. Irænei, quæ refertur in *cap. Quãto* ſuperiùs citato, fuit ex Indulgentia; ſed de iure obligationem habebant fratres monaſterij Bellæ villæ procurare omnes fratres S. Irenæi, ſiue diminutæ, 21

ſiue auctæ fuiſsēt facultates. Hæc ex Ab-
bate Panorm. cuius ſententia, vt ex dictis
colligitur, eſt, quòd obligatio de procura
tione ſoluenda, ſi ſpectetur iuris rigor,
maneat eadem, quamuis augeatur nu-
merus eorum, quibus procuratio ſolui
debet; de æquitate tamen poterit Iudex
moderare ipſam procurationem.

Applicando autem doctrinam hanc
caſui, qui in titulo huius quæſtionis pro-
ponitur, idem eſſet dicendum iuxta mē-
tem Abbatis, videlicèt, Titium teneri ad
ſoluendum vnum illum aureum canoni-
cis etiam adiunctis, ſecundùm rigorem
iuris, quamuis ex indulgētia Iudex legi-
timus poſſit id moderare. Præmiſſis igitur
Doctorum opinionibus ſupereſt, vt meā
aperiam ſententiam.

22 Dicendum eſt primò. Si Canonici au-
geantur, augmentum verò ſit tale, vt
tempore, quo Titius ſe obligauit, credi-
bile fuerit, id facilè euenire potuiſſe, tunc
Titius obligabitur etiā canonicis adiun-
ctis eodem modo vnum aureum perſol-
uere. Ratio autem, qua ducor eſt, quia
ex communiter accidentibus præſumi
debet voluntas iſta in Titio; nam paruū
augmentum, ſicut etiam aliqualis dimi-
nutio quoad numerum perſonarum, quę
in aliqua vniuerſitate commorantur, fre-
quenter contingere ſolet: igitur, cum
obligatio Titij fuerit indefinita, & de re-
bus, quæ augmentum, & diminutionem
facili negotio recipiant, obligatio cen-
ſebitur implicitè inuoluere voluntatem
ſoluendi aureum illum canonicis paruo
incremento, aut decremento affectis.

23 Dicendum eſt ſecundò. Si numerus ca-
nonicorum nimium creſcat, non videtur
obligādus Titius omnibus canonicis ad-
iunctis aureum ſoluere. Concluſio hæc
probari poteſt contraria ratione, qua pri
orem probauimus, videlicèt talem volū-
tatem tempore obligationis, neque im-
plicitè in Titio fuiſſe, quia nemo præſumi-
tur in infinitum velle ſe obligare.

24 Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, plura
ſimilia colligi poſſunt. V. g. ſi ab aliqua
vniuerſitate, nempè ab aliquo conuen-
tu, ſeu collegio religioſorum pro curan-
dis ægrotis eiuſdē familiæ eligatur medi-
cus, eidemque annuale ſtipendiū aſſigne-
tur; & poſtea acciderit, religioſos dictę v-
niuerſitatis nimium augeri, eſſet etiam
augenda merces, ſicut & minuenda, ſi
numerus ſubditorum notabiliter decre-
ſceret: vndè iuxta proportionem labo-
rum, arbitrio boni viri prædicta merces
eſſet taxanda, ſiue in augmento, ſiue in
decremento; ſecus autem ſi augmentum,
aut decremētum religioſorum non eſſet
magni momenti, iuxta ea, quæ ſuperius
dicta ſunt. Idem etiam aſſero de tonſo-
re, vel alio, qui ex pacto conueniat cum
prælato familiæ de opera ſua exhibenda
pro ſubditis illius familiæ.

Quæres ſecundò. ſi Titius operarios 25
conducat, vt in ipſius prædio laborent,
eiſque indefinitè promittat diurnā mer-
cedem in ea quantitate, quæ ab alijs
ſolui ſolet pro ſimili labore, & inter cō-
ducentes diuerſitas reperiatur, quatenus
vnus ex illis ſex, alius verò ſeptem, aut
octo ſoluat, iuxta quàm mercedem ex his
cogendus ſit prædictis operarijs ſatisfa-
cere?

Reſpondet ad hunc caſum in terminis
*Guido Papa in ſuis deciſionibus Gratio-
nopoli habitis deciſ.* 253. dicens, merce-
dem eſſe iuxta minorem quantitatem
operarijs ſoluendam, & in additione
id probatur per hanc regulam, videlicet,
in obſcuris minimum ſequi debemus: &
hanc eamdem ſententiam expreſsè do-
cet *Petrus PecKius in explicatione re-
gulæ num.* 2. ſuadetur etiam ex iure ci-
uili in *L. Qui concubinam. §. cum ita.
ff. de legatis.* 3. & ratio eſt, quia Titius in
caſu poſito adimplet, id quod promiſit;
eius enim obligatio fuit ſoluere operarijs
ſtipendium in ea quantitate, quam alij
conductores in eadem ciuitate ſoluunt
pro ſimili labore: ad hoc autem verificā-
dum ſatis erit, ſi aliqui id agant; proin-
dè Titius hoc ipſum faciens, non cenſe-
tur reſilire ab illo, quod promiſit: ne-
que vlla apparet ratio, cur debeat poti-
us ſe conformare cum alijs conductori-
bus pinguius ſtipendium ſoluentibus.

Sed ſic vrgebis. Recta ratio videtur di- 26
ctare, in prædicto caſu, in quo indefi-
nita fuit taxatio ſalarij, non eſſe in Titio
conductore obligationem ſoluendi illud
maius, & rigoroſum ſtipendium, quod
ab aliquibus ſoluitur, neque conueniens
eſt, vt eligat infimum; ſed ex hypotheſi,
quòd ſtipendium in eo loco, & pro tali
labore ſit triplex quoad quantitatem,
videtur eligendum medium; & ſic ſer-
uabitur æqualitas inter conductorem, &
operarios, & nemo grauabitur.

Reſpondeo, negando in caſu poſito
eſſe obligationem ex iuſtitia eligendi ſa-
larium medium; quia Titius ad hoc non

ſe

ſe adſtrinxit: neque verba, quibus promiſit ſuis operarijs ſoluere ſtipendium, id ſignificabant; ſed ſolum ſignificabant ſtipendium iuſtum, & quod in eo loco erat in vſu, quæ omnia rectè ſaluantur ſoluẽdo infimum, quod ſupponitur iuſtum: & hoc poteſt confirmari afferendo aliũ caſum ſimilem in venditionibus, & emptionibus reciprocis, de quibus agunt Authores. V. g. indigeat *Petrus* centum aureis, eoſque mutuos petat à Paulo mercatore, qui loco pecuniarum offerat eidem *Petro* tot merces, vt poſtea Petrus eas pecunia numerata alteri vendat, acceptetque Petrus oblationem, & ab eodem poſtulet *Paulus* pretium ſummum, & rigoroſum, ſed iuſtum: deinde Petrus reuendat ipſi Paulo eaſdem merces, quas ſanè Paulus nolit redimere, niſi ſoluendo pretium infimũ, quamuis iuſtum. In hoc caſu, licet nonnulli dicant, interuenire iniuſtitiã, & palliatam vſuram; nihilominus alij melius ſentientes, inquiunt, nullam in prædictis venditionibus, & emptionibus inueniri iniuſtitiam; ſupponimus enim, quod *Paulus* vendens merces pecunia credita non inierit pactum cogens Petrum, vt merces illas reuenderet ipſi Paulo; quia tale pactum eſſet pretio æſtimabile, & conſequenter redderet negotiationẽ vſurariam; ſed ſupponimus, quòd Paulus vendens merces pecunia credita, relinquat Petrum in eius libertate, vt merces illas vendat cui voluerit; Petrus verò liberè non quærat alios emptores, ſed poſtulet a Paulo, vt illas redimat, & Paulus emat pretio infimo, vt dictum eſt: in hoc autem facto non reperiri vſurã, patet, quia non dantur contractus mutui, ſed puræ venditiones, non inueniri iniuſtitiam probatur, quia ſi aliqua eſſet iniuſtitia maxime haberetur ex eo, quod pretium eſſet iniuſtum, quod tamen eſt falſum; in vtraque enim venditione pretium iuſtum ab emptore ſolutum fuit; nã in prima, in qua Paulus fuit venditor, quamuis à Petro emptore petierit, & exegerit pretium rigoroſum, illud tamen erat iuſtum; in ſecunda verò venditione, in qua emptor fuit Paulus, pretium, quod ipſe Paulus ſoluit, licet fuerit infimum, erat tamen intra latitudinem iuſti pretij, & ſic nunquam in his negotiationibus reperitur iniuſtitia quoad pretium.

27 Quæres tertiò, ſi quis in ſuo teſtamẽto legatum faciat vxori ſuæ in ea quantitate, quam heredes ipſius teſtatoris ſint habituri, hæredes verò non ſuccedant vniformiter, ſed alius in pluribus, alius verò in paucioribus portionibus, an tale legatum ſit regulandum iuxta maiorem, aut minorem quantitatem?

Reſpondeo, ſi nulla ſit coniectura, per quam veriſimiliter appareat mens teſtatoris, ſed omnia ſint obſcura, legatũ eſſe menſurandum iuxta regulam hanc; & ideò iuxta minorem portionem erit vxori præſtandum. ita *Petrus PecKius in explicatione eiuſdem regulæ. num. 4.* & colligitur *ex L. Nummis ff. de legat. 3.* in caſu ſimili.

Quæres quarto, ſi Iudices damnantes Titium ad aliquam pecuniam ſoluendã diſcrepent quoad quantitatem, in quantum vnus damnauit illũ ad viginti, alius verò Iudex ad quindecim, in executione cui ſtandum ſit? 28

Reſpondeo, Titium non eſſe cogendũ, niſi ad minorem ſummam. ita expreſsè ſtatutum eſt *in L. Inter pares. in fine ff. de re iudicata. Gloſſ. ibi in declarat. caſus & L. diem proferre. §. ſi plures. vnde quæritur. ff. de recept. arbitr. PecKius hic. num 4.* In hoc enim caſu locum habet regula de minimo admittendo, quando omnia manent in obſcuro, ſeu in dubio.

Quæres quintò, ſit ne minimum ſequendum, ſi quis promiſerit, ſeu vouerit donare calicem in eleemoſynam alicui *Eccleſiæ*? dubitatur enim, ex qua materia conſtare debeat. 29

Reſpondent ſequentes Authores, debere eſſe aureum, aut argenteum. ita *Bart. in L. Titius ff. de auro, & argento legato. Romanus ſingul. 521. Decius in regula; ſemper in obſcuris. num 6 ff. de reg. Iuris. Azor. in inſtit. moral par. 1. cap. 21. quæſt. 10. in fine. Sanchez in ſumma. lib. 4 cap. 13. nu. 13. Fagundez in præcepta Eccleſ. lib. 3. cap. 21. num. 11. Merolla in Theologia morali tom. 1. diſp. 3. cap. 3. dub. 2 coroll. 4. num. 109.* Ratio fundamẽtalis deſumitur ex rubricis Miſſalis *de ritibus ſeruandis in celeb. miſſæ. cap. 1.* vbi præſcribitur, quòd calix eſſe debeat, vel aureus, vel argẽteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & idem præſcribitur de materia patenæ; hoc enim exigit diuinus cultus: proinde non videtur promiſſor ſuæ promiſſioni ſatisfacere tradẽs calicem cõſtantem ex alia inferiori ma-

te-

teria, vt lignea, ærea, & ſimili; prohibetur enim hoc *in C. vaſa. & C. vt calix. de conſecrat. diſt.* 1. & ideò in hoc caſu intentio promittentis præſumitur fuiſſe de tradendo calice ex materia aurea, vel argentea iuxta Eccleſiæ conſuetudinem fundatam in exigentia cultus diuini, qui tanto ſacrificio debetur: hinc regula de minimo ceſſat in hoc caſu, ex veriſimili promittentis intentione. Sententiā hanc eſſe probabilem, tum auctoritate illorum, qui eam tuentur, tum etiam ratione, nemo negare poteſt. Ego verò cenſeo, aliquam eſſe adhibendam limitationem, videlicèt, ſi in aliquibus Eccleſijs inueniretur conſuetudo vtendi calice ex alia materia, nempe ex ære inaurato, quam conſuetudinem reperiri teſtatur *Io. Delugo tract. de ſacr. Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 90. *& Fagundez cap. cit. nu.* 10. tunc aio, eum, qui calicē promiſit, in dubijs ſuæ obligationi ſatisfacere, ſi calicem tradat ex prædicta viliori materia, adhærens huic regulæ ſtatuenti, in obſcuris minimum ſequendum eſſe: nam conſuetudo illa, ſi legitimè ſit introducta, ceſſare facit contrarium vſū fundatum in iuribus citatis, & in rubricis Miſſalis, quæ in re hac, vt *ex Iacobo Granado* ait *Delugo*, non obligant ſub graui culpa: & contra limitationem hanc non vrgent, vt patet, rationes, quibus innituntur citati Auctores oppoſitum docentes: hinc *Suarez tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 81. *ſect.* 7. *concl.* 2. vult, ratione paupertatis, imò ſimpliciter, ſine peccato fieri poſſe ex ſtāno: quod colligit *ex D. Thoma qu.* 83. *ar.* 3. *ad ſextum.* quā ſententiam nouiſſimè ſequitur *Paulus Maria Quarto* de rubricis Miſſalis *p.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 2. *dub.* 1. arbitror tamen, in hac re quoad electionem materiæ ſtandum eſſe conſuetudini, ex qua colligi poterit veriſimiliter promittentis intentio, vt ex materijs, quæ ſunt in vſu, tradatur calix ex alijs materijs minus pretioſis confectus.

REGVLA XXXI.

Eum, qui certus eſt, certiorari vlterius non oportet.

CAPVT VNICVM.

Explicatur quid, & quotuplex ſit certitudo, & de qua præſens Regula ſermonem habeat.

PRius quam ad explicādum deueniā, quando ſit, vel non ſit neceſſitas certiorem faciendi eum, qui certitudinē habet de aliqua re, alienum non erit declarare, quando quis certus eſſe dicatur. 1

Pro cuius intelligentia animaduertēdum eſt, certitudinem, prout ad præsētem regulam ſpectat, multiplicem eſſe, quatenus ex diuerſis capitibus poteſt prouenire, quæ tamen *à PecKio hic nu.* 1. ad tria reducuntur. Sed, vt ordinatè, & clarè procedam; mihi videntur ea diſtingui poſſe iuxta triplicis certitudinis diuerſitatem, nempè phyſicæ, ſeu naturalis, legalis, & moralis. De ſupernaturali non loquor, quæ in actu fidei diuinæ reperitur; eius enim tractatio ad præſens inſtitutum minimè pertinet.

Phyſica certitudo ea eſt, quæ acquiritur per euidentiam obiecti, cuius origo eſt ab aliquo ex quinque ſenſibus. Veluti, ſi quis corporeis oculis Titium aſpiciat, qui hanc, vel illam actionem exerceat, diceretur phyſicè certus de tali obiecto, idemque eſt de alijs obiectis perceptibilibus à reliquis ſenſibus. Et loquendo iuxta principia philoſophica, datur certitudo, quæ fundatur in aliquo motiuo, quod vel ſe habet, vt cauſſa Phyſica illius rei, de qua eſt certitudo, vel vt effectus, ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus, neceſſariò tamen cum re illa connexus. 2

Legalis certitudo habetur ex iuris interpretatione. V. g. ſi quis promittat tali determinato die aliquid in gratiam alterius ſe facturum, adueniente eo die, diceretur certus de ſua obligatione, itaut nulla alia admonitio neceſſaria eſſet, vt ſtatuitur *in L. magnam. C. de contrah. ſtipul.* hoc enim caſu dies ipſe pro homine interpellat, qui tamen dies interdum apponitur à contrahentibus, vel priuatis perſonis, interdum à publicis viris, interdum etiam à lege. 3

Moralis denique illa eſt, quæ oritur ex 4

ex motiuis adeò vehementibus, & efficacibus; vt nullus dubitationi locus relinquatur, quæ etiam æquiualet aliquo modo certitudini ſcientiæ, quatenus firmum, & non titubantem reddit intellectum. Ad hanc moralem certitudinem reducitur illa, quæ habetur ex teſtificatione alicuius viri magnę auctoritatis, de cuius fide, & veritate ambigi nequit, de qua certitudine plura hic dicit *PecKius num.* 1.

5 His circa certitudinem breuiter præmiſſis, remanet, vt huius regulæ ſenſum explanemus, eumque verum eſſe firmemus, quia in multis caſibus deficere videtur. Pro qua re diſtinguere debemus finem, propter quem, non obſtante certitudine, additur intimatio, ſeu certioratio; ſi enim fiat ſolum, vt quis ſciat, tunc non eſt neceſſaria talis intimatio, ſed ſufficit, vt aliundè ille rem non ignoret: & in hoc caſu loquitur regula, dicens, eum, qui certus eſt, vlterius certiorari nō oportere. V. g. Si quis rem aliquam vendat vitio aliquo, ſeu defectu laborantem, puta mancipium prauis affectum moribus, vel prædium, cui ſeruitus annexa eſt, ſi venditori ipſi conſtet, emptorem tales defectus ſcire, non tenetur emptorem ipſum de ijs defectibus facere certiorem. Secus tamen eſt, ſi emptor ignoret; quia tūc requiritur certioratio, alias venditor teneretur ad intereſſe actione ex empto, prout expreſsè habetur *in L. 1. ff. de act. empt. §. venditor, & §. hac ita.* vbi communiter ſcribentes: & in hoc caſu regula non procedit, ſed in primo.

6 Occaſione autem huius doctrinæ quęrunt Doctores quid reſoluendum, ſi venditor ſciens defectus, dicat emptori, ſe nolle ad eos obligari? & reſpondēt, tale pactum fieri non poſſe de vitijs, quæ ab ipſo venditore cognoſcuntur; benè tamen fieri poſſe de illis, quæ ignorantur, ita *Dynus hic nu.* 2. & expreſsè definitur *in L. Quæro. ff. de actoribus empt.*

Et hæc dicta ſufficiant in eo caſu, in quo intimatio, ſeu denunciatio non eſt de ſubſtantia, ſeu de forma.

7 Cæterum quando notificatio exigitur vt forma, tunc ſatis non eſt ſcientia; quod euenit in ijs caſibus in quibus lex præcipit denunciationem, itaut ea non facta actus ſit irritus. V. g. quamuis Iudex certam de re aliqua cognitionem habeat, nihilominus, vt legaliter procedat, debet informari à partibus eius officium implorantibus; talis enim informatio non requiritur, vt Iudex certior fiat de re illa, cum iam ſupponatur notitiam rei illius habere, ſed vt forma iuris ſeruetur, vt ſtatuitur *in L. dies §. hoc autem ff. de damno infecto*. hanc diſtinctionem admittunt communiter Doctores *Dynus hic nu. 4. Alex. conſ. 27. in prin. lib. 6. & conſ. 138. lib. 7. Barboſa nu.* 2. qui etiam alios caſus affert, in quibus ſola ſcientia non ſufficit, ſed poſcitur denūciatio; puta, quando volumus eum, qui notificatur, impellere, vt aliquid operetur, vel ei prohibere, ne illud faciat. Denique aut denunciatio poſtulatur in bonum, ſeu commodum ipſius denunciantis, aut in fauorem denunciati. Si primum, adhuc debemus ſubdiſtinguere; aut ea requiritur, vt ipſe denuncians ius aliquod ex denunciatione acquirat, vel denunciatus pœnam aliquam, vel morā incurrat, & tunc ſatis non eſt ſola ſcientia; aut ſolum agitur, vt denunciatus conſtituatur tantum in mala fide, & eo caſu quæuis ſcientia ſufficiens eſt. Si verò dicatur ſecundum, nempè, ſi ſermo ſit de notificatione, quæ fiat in commodum ſolius denunciati, tunc non eſt neceſſaria denunciatio, ſed ſatis habetur priuata illius notitia. ita ex *Barboſ. hic, & in tract. de axiom. Iur axiom.* 41. *n.* 2 & alij apud eum. *Tuſc. pract. concl. to. 1: lit. C. concl.* 199. *num.* 8. *& ſeq.*

REGVLA XXXII.

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.

CAPVT VNICVM.

Quandonam Actor, & Reus ſint paris, vel diſparis conditionis?

EAdem regula, ex qua hæc Pontificia deſumitur, habetur parùm mutatis verbis in iure ciuili *L. non debet 41. ff. eo.* & in vtramque regulam plures ſcripſere, quos laudat *Barboſ. de Axiom. vſu frequent. Axiom.* 10. *num.* 7.

Animaduertunt hic Doctores, præſentem regulam, quamuis vna videatur, duplicem tamen eſſe, &, vt notat *PecKius num.* 2. vna quidem eſt negatiua, altera verò implicitè affirmatiua. Prima negatiuis dictionibus conſtat, eſtque ea, quam in præſentiarum exponimus, dicēs 1

Non

Non licere actori, &c. Secunda affirmatiuis dictionibus hoc, vel ſimili modo ab auctoribus formatur. *Permittendum eſſe reo, quod actori permittitur: & è contra.* Et meritò; quia actor, & reus ſe habent vti correlatiua, vt obſeruant. *Mar. Anton. in varijs reſol. lib. 3. reſol. 9. num. 3. & Barboſ. loc. cit.* vtriuſque enim eadem eſt cōditio *Cap. prudentiam. de mutuis petit.* ibi enim Pōtifex loquēs de remouenda appellatione ait, quòd vno, eodemque iure appellationis remedium actori, & reo conuenire, cenſendum ſit; ideoque, ſi actor reſcriptum obtineat, vt appellatione remota reum conueniat, & poſtea reus actorem velit reconuenire, non poterit vtique actor ſic recōuentus appellare, quia, vt in tex. cit. habetur, par eſt vtriuſque conditio.

2 His præmiſſis, cum plura, & varia ab Auctoribus de vtraque hac regula tradi ſoleant exempla, ego aliqua ex ijs pare faciam; & exordium ſumo à negatiuis, quæ iuxta verbalem ſenſum huic regulæ ſunt conformiora. Et primò, Reo non permittitur poſt recognitionem depoſitionum, quæ à teſtibus proditæ ſunt, vlterior teſtium productio *Auth. de teſtibus c. 5. § Illud tamen.* ergo neque actori, textus enim de vtroque communiter loquitur, vt inquit *Dynus hìc num. 2.* Præterea licitum non eſt reo procuratorem reuocare poſt litis conteſtationem, niſi cauſa cognita *L. ante litem, & L. poſt litē. ff. de procur.* quæ ſanè, & ſimilia etiā in perſona actoris ſeruanda ſunt *L. qua omnia ff. eo. tit* quod idē aſſero in multis alijs caſibus, qui ſparſim in corpore iuris reperiuntur, & notant ſcribētes.

3 Deuenio nunc ad exempla, quæ fundantur in regula formata terminis affirmatiuis. et dico, ſi actori petenti concedatur dilatio ad teſtes capiendos, eamdem quoque reo eſſe concedendam. ita cōmuniter hìc legiſtæ apud *Dynum in princ.* Rurſus ſi actor obtinuerit reum citandum eſſe, vt in iudicio perſonaliter compareat, debet etiam actor perſonaliter comparere *Dominic. c. vnico. verſ. quid ſi actor. de dol. & cōtum. in 6. Decius in Reg. non debet ſuperiùs cit. num. 2.*

4 Aduertit tamen ibidem *Decius num. 3.* non haberi in ea regula, quòd à pari ſemper procedant actor, & reus in eadē cauſſa; nam cauſſa rei quandoque fauorabilior eſt *L. fauorabiliores. 168 ff. de reg. Iur. & cap. cum ſunt partiū iura ſupra eo.* vbi notauimus. Item aſſerit *nu. 2.* in fine, regulam non procedere in cauſis fauorabilibus, nempè in libertate, dote, matrimonio; teſtamentis, alimentis, pia cauſſa, &c. fauor enim cauſſæ tunc prænalet fauori rei, vt apertè ſtatuitur *in cap. fin. de ſent. & re Iud. & L. inter pares. ff. de re iud.* inter quas enumerant quoque Doctores cauſſam fiſci, vtpote fauorabilem; proindè in dubijs ſententia pro fiſco ferenda eſt: quod tamen procedit in cauſis ciuilibus, ſeu quādo fiſcus agit ex vi contractus, in quibus, data inter fiſcum actorem, & ſuum priuatum aduerſarium paritate in probationibus, decidendum eſt pro fiſco; at ſi agatur de cauſis criminalibus, vel de cauſſa lucratiua prouenienté ex aliquo crimine, tunc regula firma erit, vt in ferenda ſententia magis reo, quàm actori faueatur.

5 Omittenda denique hìc minimè ſunt multa, quæ idem Decius examinat declarans, quando actor, & reus à pari procedere debeant: & contra, quando melior ſit actoris, quàm rei conditio: quæ tamē oſtendenda promittit in fine legis prædictæ *Non debet*, ſe remittens ad ea, quæ infra dicturus erat in *L. fauorabiliores:* huius ego authoris doctrinam, quam loco citato tradit, breuius, & paulo clariùs explicabo.

Suppono igitur, cauſſam vertentem in iudicio poſſe ſecundùm triplex tempus conſiderari; videlicèt in principio, ſeu quando eius examen inchoandum eſt; in medio, ſeu in ipſius progreſſu, & in fine, nempè quando à legitimo Iudice omnibus neceſſarijs peractis eſt terminanda, & decidenda. Hac triplici temporis differentia præſuppoſita, dico, initio cauſſæ melioris conditionis eſſe actorem, quàm reum: in medio à pari procedere, æqualiſque conditionis eſſe: in fine verò meliorem eſſe rei conditionem. Singula membra diſtinctè ſunt probāda: primum autem ſic oſtendo: In tantum initio cauſſæ dicitur melior actoris conditio, in quātum ipſemet actor, ad cuius inſtantiam cauſſa in iudicio vertit, debet ſuam intentionem fundare, atque ad ſui beneplacitum hunc, vel illum libellum porrigere, & quæ ei videbuntur, ſcripturas præſentare; quod planè nequit reo conuenire, qui, antequam actor ſuam fundet intentionem, nihil ad illam cauſſam pertinens operari poteſt; & ideò rectè di-

ci-

citur actor in principio cauſſæ melioris conditionis.

Secundum verò membrum, nempè, in medio cauſſæ parem eſſe vtriuſque conditionem, ſuaderi poteſt exemplis ſuperius allatis, quibus iam huius regulæ veritatem oſtendimus.

Tertium denique, melior nempè in fine cauſſæ Rei conditio, probatur; tum quia in obſcuris pro reo decidendum eſt *Cap. cū ſunt partium Reg. 11. vt ſupra, & d. L. fauorabiliores*. tum etiam, quia rei conditio eſt miſerabilis, vtque rectè conſiderat *Barboſa in d. reg. cum ſunt partiū Iura. n. 3.* præſumptio eſt pro ipſo reo, quatenus creditor non præſumitur cōparuiſſe in iudicio plenè inſtructus, ſed veluti ab actore aggreſſus: nec parui momenti cenſendum eſt æqualiter eum proceſſiſſe cum actore in decurſu cauſſæ, & in ſui ipſius defenſione; quapropter conuenientius eſt præſumere, quod, ſi plenè inſtructus fuiſſet, ius ſuū clarè oſtendiſſet; cum denique, quia in dubijs tutior eſt liberatio, & abſolutio, quàm condēnatio: melius enim eſt errare in miſericordia remittendi, quàm in ſeueritate vlciſcendi *cap. alligant verſ. deinde. 26. quæſt. 7. & L. abſentem. ff. de pœnis*.

6 Sed contra ſecundum obijci poteſt primo, quòd in probationibus, quamuis eæ ſint in medio cauſſæ, melior eſt conditio rei, vt notat *Decius in L. fauorabiliores num. 5* ergo falſum eſt, in medio cauſſę paris conditionis eſſe actorem, & reum.

Reſpondeo. Hoc quod eſt, in medio cauſſę à pari procedere actorem, & reum, non debet intelligi de ijs, quæ immediatè tendunt ad deciſionem, & pertinent ad ſubſtantiam cauſſæ, in qua actor ſuam intentionem adæquatè, & totaliter fundat contra reum, de ijs nimirum, quæ certum reddunt, vel tantum probabile, aut dubium, vel obſcurum id, quod actor petit à Reo. Hęc porrò non aliunde, quàm ex probationibus tam in iure, quā in facto promanare poſſunt; talis .n. eſt cauſſæ conditio, qualis probationū; & cōſequenter, ſi probationes allatæ ab actore ſunt manifeſtæ, erit etiam manifeſta cauſſa, itaut in fauorem actoris decidendum erit: at, ſi probationes erunt tantum probabiles, dubiæ, aut obſcuræ, eūdem defectum in cauſſam transfundunt; & tunc in fine pro reo erit ferenda ſententia, vt diſponitur in regulis ſuperius citatis; & meritò; quia cum res eſt incerta, præſumptio iuris eſt in fauorem poſſidentis, videlicèt Rei. Debet igitur paritas in medio cauſſæ attendi in ordine ad extrinſeca, quæ ſubſtantiam cauſſæ non mutant, neque attingunt, vt ſunt v. g. dilationes ad decidendum, prorogationes terminorum, ſuſpenſio cauſſæ, remotio appellationis, & ſimilia, quæ nō ſunt apta ad ſubſtantiā cauſſę variandā, vt ſunt probationes. Et ſic ex prædictis colligi poterit, quo ſenſu, & quando verificetur dictum illud, nempè, in medio cauſſæ paris conditionis eſſe actorem, & reum. Ad argumentum autem neganda eſt conſequentia ita vniuerſaliter intellecta.

Obijcies ſecundò. Reus non poteſt Iudicem ordinarium recuſare; actori tamē permittitur, ex pluribus ordinarijs, quos reus habet, vnum ad ſui libitum eligere alijs recuſatis. Rurſus actor poteſt reum de aliquo publico crimine accuſare; reus verò ſuum accuſatorē reaccuſare nequit vt habetur *in L. negando. C. qui accuſ. non poſſ.* Denique fides præſtatur iuramento actoris de qualitate, & quantitate rerum amiſſarum per furtum à iure cōmiſſum, ſi alia via nequeat id in iudicio probari. L. *Si quando. C. vnde vi.* at iuramento rei oppoſitum probare volētis non creditur: ergo deficere videtur hæc regula dicens, non eſſe licitum actori, quod reo licitum non eſt, vt patet ex allatis exemplis. 7

Reſpondeo ad ſingula, & ad primum dico, id ita in iure eſſe diſpoſitum ad inconueniens vitandum; nam, ſi ante litē conteſtatam liceret reo, pro arbitrio ſuo proprium iudicem recuſare, poſſet ſemper variare, & impedire, ne actor cauſſam coram iudice introducat. imò addo, quod refellendo proprium Iudicem, nullo cōcurrente rationabili motiuo, inferret ei iniuriam. Contra verò actor recuſans aliquem ex Iudicibus rei non facit illi iniuriam; quia non eſt ipſiuſmet proprius Iudex, nec ſequitur prædictum inconueniens, nempè, impediri cauſſę introductionem, vt de reo diximus; quia hæc introductio dependet a libera actoris voluntate, qui eam quoque poteſt non inchoare.

Ad ſecundum reſpondeo ex *Vlpiano. L. is, qui ff. de pub. Iudicijs.* vbi ait, eum, qui reus eſt factus, pūrgare ſe debere, nec antea accuſare: & rationem aſſignat

quia reus non relatione criminum, ſed innocentia purgatur.

Ad tertium, & vltimum dico, iuramento rei circa crimen ab ipſo commiſſum non eſſe credendum ob delicti enormitatem, & ob periurij periculum, de quo prudenter dubitari poteſt in homine facinoroſo.

Ex itaque omnibus deducitur, in prædictis caſibus, & alijs hîc à *PecKio* examinatis eamdem nõ eſſe actoris cum reo conditionem vtque inconuenientia vitentur, præſentem regulam eſſe limitandam iuxta iuris præſcriptum.

REGVLA XXXIII.

Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

CAPVT VNICVM.

Quando, & in quibus caſibus conſilij variatio permiſſa ſit?

1 EIſdem ferè verbis in Iure ciuili habetur regula, quæ eſt 76. ſic inquiens, *Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius iniuriam*. Vtraque regula connexionem habet cum vigeſima prima, vbi dicitur. *Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt*. ideoque, ſicuti in ea, vt ibidem obſeruauimus, quædam veluti admonitio cõtinetur pro ſuadẽda nobis animi conſtantia, ex qua fit, vt mutabilitas vituperetur, ita id ipſum in hac eadem regula proponitur. Efficax profectò ſtimulus ad retinendam in bono conſtantiam nobis datur ab Eccleſiaſtico *cap*. 27. *verſ*. 12. vbi legitur, quòd homo ſanctus, ſeu ſenſatus, vt quidam vertunt, in ſapientia manet, ſicut ſol: nam ſtultus, ſicut luna mutatur; quemadmodum enim ſol eamdem ſemper retinet lucem, motum, ac tenorem, ita etiam iuſtus in eadem bonitate firmus manet; proinde in hoc maximè Deo aſſimilatur, cui inter alias perfectiones conuenit immutabilitas: contrà verò ſtultus, & inconſtans eſt, & lunæ inſtar mutabilis. admonemur igitur per ſupra dictas regulas, vt conſtantiam ſectemur, & in ſuſceptis conſilijs permaneamus.

2 Verum, vt huius regulæ conuenientia appareat, intelligi ea debet, quando ex mutatione ſequitur alterius damnum, prout expreſsè in ipſamet regula indicatur; quia ſecus eſt, cum ex variatione nullum oritur alterius detrimentum: imo tunc laudabilis eſſe poterit conſilij mutatio, ſi in melius fiat. *Auth. de nuptijs*. §. 1. *verſ. non erubeſcimus vbi Gl. & alia Gl. in L. Nonunquam verſ. mutatis. ff. de collat. bonor.* quod aſſerunt communiter ſcribẽtes, iuxtà illud vulgate effatum, nempè, ſapientis eſt mutare conſilium.

Addendum tamen hîc eſt, quod, cum dicitur non poſſe conſilium mutari in alterius detrimentum, hoc intelligitur, quando vi conſilij alter legitimum ius acquiſiuerit; tũc enim, qui dedit conſiliũ nequit in alterius præiudicium variare; ſicuti manifeſtũ eſt in electionibus, & præſentationibus, quæ iuxta iuris formam factæ ſunt ad officia, vel eccleſiaſtica beneficia, & in ſententijs à iudice latis iuxta ritum, prout diſponitur *in Cap. quãuis. de ſent. & re iudicata*. & licèt animaduerſio hæc explicitè non habeatur in hac regula canonica, habetur tamen apertè in ciuili ſuperius relata, in qua dicitur, nemo conſilium mutare poſſe in alterius iniuriam: iniuria verò ſupponit damnum contra iuſtitiam. 3

Sed aduerſus regulam poſſet quis vrgere contrarium probans tali pacto. Antequam lis conteſtetur conceditur actori variare conſilium, ſeu libellum exhibitum emendare. *L. edita. C. de edẽdo*. quod ibi in explicatione textus, & in verbo *emendari* apertè declarat *Gloſſa*; & tamen mutatio hæc non fit abſque rei detrimento, quatenus propter hanc variationem cogitur longiori tempore in lite detineri: ergo regula non procedit. 4

Reſpondeo, quamuis ante litis conteſtationem permittatur actori mutatio libelli; hoc tamen eſt, quia ante tale tẽpus non videtur iudex cauſſam cognouiſſe; ideoque liberum eſt ipſi actori, quemcumque libellum præſentare, eumque legitimo Iudici offerre, qui illũ reo oſtẽdet, vt ipſo inſpecto poſſit deliberare, quid ei faciendum expediat. *L. Ariſto. ff. de Iure deliber*. vt autem variatio fiat abſque præiudicio, & damno rei non debet actor audiri, niſi prius eidem reo ſoluat expenſas ab ipſo factas. Quod verò dicitur de commoratione in litigando, non obſtat; quoniam ante libelli præſentationem non eſt lis actualis; quia, vt aſſerui, non debet actor audiri: & per cõſequens deciſionis procraſtinatio redundat

Digitized by Google

dat contra actorem ipſum, & non contra reum.

5 Vrgebis iterum. Poteſt Princeps priuilegium à ſe conceſſum reuocare, quæ quidem mutatio reſultat in damnum alterius, nempè perſonæ priuilegiatæ; ergo regula non militat.

*R*eſpondeo. Quæ ad reuocationem priuilegij à Principe conceſſi ſpectant, ſuperius *Reg. decet 16.* ſufficienter diſcuſſa ſunt; ibi enim declarauimus, quando talis reuocatio deceat: & ſimiliter caſus examinauimus, in quibus conceſsio priuilegij ſit irreuocabilis. itaque ad ea me remitto, quæ eodē loco dicta ſunt. Quod verò attinet ad huius regulæ firmitatem, aio, firmam eam eſſe, ſi intelligatur iuxta datam expoſitionem, videlicet, non poſſe conſilium in alterius præiudicium mutari, quādo non adeſt ſufficiens cauſſa ad mutationem; ſecus verò, ſi aderit; tunc enim mutatio ſub regula non comprehenderur, & ſic patet ſolutio ad prædictam inſtantiam.

6 Inſtabis denique. Summus Pontifex poteſt *E*ccleſias vnitas ſeparare, & ſeparatas vnire etiã cum damno Epiſcoporũ, qui earumdem *E*ccleſiarum ſunt paſtores, vt patet *ex Cap. mutationes 7. quæſt. 1.*

*R*eſpondeo, mutationes has licitè fieri poſſe à Pontifice, vel ob neceſſitatem, vel ob maiorem Eccleſiarum vtilitatem, vt ipſemet Pontifex declarat *in Cap. expoſuiſti. de præben. & dignit.* & tunc ob alterutram ex his cauſſis prudens erit conſilij mutatio, & non contra regulam.

7 Nonnullas alias dubitationes à *Docto*ribus hic poſitas cenſeo omittendas; facilis enim eſt earum ſolutio, quia vt plurimum fundātur in caſibus, qui dependēt ex contractibus, in quibus contrahentes mutationi conſenſere, & propterea ad rem noſtram parum conducunt.

REGVLA XXXIV.

Generi per ſpeciem derogatur.

CAPVT I.

Quid ſit Genus, quid Species, quid Indiuiduum apud Legiſtas?

EXpendens Bartolus caſum, qui ad hanc regulam pertinet, & continetur *in §. ſi quis fundum. L. quæſitum ff. de fund. inſtructo.* ait, *in §. illo.* materiã haberi profundiſſimam, multum inuolutam, atque à Gloſſa, aliiſque Doctoribus nimis imperfectè tractatam. Rurſus *PecKius* in hac regula *nu. 1.* inquit, admodum difficilē eſſe illius explanationem. Ego verò ſubdam, regulã hanc eſſe adeò implicatam, totque in ipſa contineri difficultates, vt inexplicabilis ferè reddatur: hinc meritò *Tuſcus in ſuis pract. concluſ. tom. 9. lit. G. concl. 36. initio* aſſerit, brocardicam eſſe materiam ratione variarum opinionum, quæ circa illam verſantur. Quapropter conabor pro viribus eam elucidare, quantum mihi eiuſdem regulæ profunditas, & difficultas permittet.

Dico igitur, regulam hanc ex variis iuribus ciuilibus, & canonicis deſumi, & firmiorem reddi, videlicèt *ex L. in toto 81. ff. de reg. Iur. & L. ſanctio ff. de pœnis, & L. ſeruis vrbanis §. ult. ff. de leg. 3. ex cap. 1. & cap. paſtoralis §. quoniã de reſcriptis.* antequam tamen propter ipſius intelligentiam ad aliquas quæſtiones deueniam, præmittenda eſt terminorũ explicatio, nempè quid generis, & quid ſpeciei nomine hic comprehendatur?

*P*ro qua re ſupponendum eſt, per hoc nomen genus multa ſignificari, nam ſecundùm Ariſtotelem, ac reliquos Philoſophos importat id, quod ineſt in pluribus ſpeciebus, & de illis in quid prædicatur, vt animal de homine, leone, equo, &c. aliquando verò genus ſumitur pro agnatione, vel cognatione, nonnunquam pro cõditione, & qualitate quoad mores, vt cum dicimus, hoc hominum genus in ſuis actionibus ita procedere ſolet: quas quidem acceptiones optimè declarat Rebuffus *L. Tingi appellatione. verbo omnē genus ff. de verb. ſignif.* Cæterum à Iurecõſultis genus ſumitur, quatenus importat aliquod eorum, quæ conſiſtunt in põdere, numero, & menſura, vt aſſerit *Gloſ. L. 2. §. in creditum, & L. 3. §. cũ quid ff. de reb. cred.* loco autem prius citato *verſ. genus ponit eadem Gloſſa* exemplum in mutuo, dicens, quicquid eſt mutuum, eſſe creditum, ſed non è conuerſo; quia non omne creditum eſt mutuum. Inſuper plebs comparata ad populum differt ab eo, tanquam pars à toto, vt habetur *Inſtit. de iure naturali §. Et lex.* populus enim comprehendit 1

omnes ciues etiã patricios, & ſenatores; plebs verò reliquos ciues excluſis patricijs, & ſenatoribus. ita *ex Inſt.* Ex his autem colligere poſſumus, nomine generis apud Legiſtas venire aliquod vnum vniuerſale continens plura ſub ſe: neque oportet, vt hæc plura ſint veræ, & propriè ſpecies illius vniuerſalis in eo ſenſu, quo ſpecies ſumitur apud Philoſophos, ſed ſatis erit, vt ſub aliqua conſideratione, ſeu reſpectu contineantur ſub aliquo communiori. V. g. hoc nomen, fundus, quod importat quicquid ſolo tenetur L. *quæſtio* 115. *ff. de verb. ſignif.* eſt genus ad prædium, agrum, & poſſeſſionem, quæ ſunt ſpecies, & inter ſe differunt; ager enim dicitur ab agendo, quatenus in eo aliquid agitur, & ad hominis vſum colitur: poſſeſſio verò, eſt ager in, quantum eo vtimur: & ſic poſſeſſio, & ager ratione proprietatis inter ſe differunt, quia ager eſt ipſa proprietas loci, cuius vſus appellatur poſſeſſio; prædium autem vtrumque continet: ideoque tam ager, quàm poſſeſſio dicuntur ſpecies fundi: quæ omnia habentur *in L. citata*, & ibidem à *Rebuffo* explicantur. Rurſus, cum fundus ſit aliquod totum, poſſunt eius partes appellari ſpecies, vt arbuſtum, vinea, hortus, domus, &c. ita aſſerit *Ioannes Brechæus in L. rectè dicimus. num.* 12 *ff. de verb. ſignif.* Ex his, & alijs ſimilibus infertur, genus apud Legiſtas non ſumi neceſſariò in ea ſignificatione, in qua accipitur à Philoſophis, ſed magis latè pro eo, quod ſe habet, vt totum plures ſub ſe continens partes, ſiue hæ partes ſint verè, & philoſophicè ſpecies, ſiue impropriè, & legaliter, vt ex allatis exemplis patet. Et hæc quoad explicationem huius nominis ſatis ſint. quibus admiſſis facilè declarari poterit, quid apud
3 Legiſtas intelligatur nomine ſpeciei: aio igitur, per ſpeciem intelligi id, quod de pluribus indiuiduis prædicatur, ſiuè philoſophicè, vt eſt. V. g. homo, qui ſub animali continetur tanquã vera ſpecies ſub genere, & de pluribus indiuiduis prædicatur, nempè de Caio, Titio, &c. ſiue prædicetur, vt ſpecies tantum legalis, cuiuſmodi eſt, ſiſtendo in prædictis exemplis, ager, qui, vt notauimus, eſt ſpecies fundi, & dicitur de hoc, & illo agro; licet ratio agri non ſit ſpecies philoſophica; quia non eſt ratio a parte rei eſſentialiter incluſa in eo loco, qui ager nuncupatur, ſed eſt quædam ratio ab humano intellectu excogitata extrinſecè conueniens realitati illius terreni, quod ager vocatur, quatenus induſtria hominum cultum eorumdem vſui inſeruit. *L. quæſtio eſt ſuperius citata.* ſimiliter erunt ſpecies legales partes fundi, videlicet arbuſtum, pratum, vinea, &c. quæ de pluribus indiuiduis prędicari poſſunt; ſed habent rationem ſpeciei, non quia à parte rei inuoluantur in illis rebus, quæ appellãtur arbuſtum, pratum, &c. ſed quia extrinſecè eis conueniunt: & hæc de ſpecie. In hac verò regula genus, & ſpecies derogatiua generis ſumuntur ſecundum legalem ſignificationem. Indiuiduum au- 3
tem, quod ſecundum philoſophos de nullo alio inferiori prædicatur, apud Legiſtas eſt aliquod certum, ſenſibile, determinatum, & indiuiſibile, cuiuſmodi etiã ſunt ſeruitutes, vt aquæ ductus via, &c. De quibus paſſim Iuriſtæ. His omnibus pro terminorum explicatione præmiſſis, deuenio ad examinandas difficultates aliquas ad regulę veritatem pertinentes.

CAPVT II.

De fine, in quem præſens regula tendit, & de materijs, in quibus locum habet.

AD intelligentiam rerum, quæ proprium habent finem, ad quem ordinantur, non parum confert eiuſdem finis notitia; ideòque, vt regula hæc complerè percipiatur, eius finem inquirere oportet.

Dicendum eſt primò, quod adequa- 4
tus, & proprius finis intrinſecus, qui in hac regula præfigitur, eſt concordare genus cum ſua ſpecie, quando vnum alteri aduerſatur. ita quamplures apud *Barboſ. in collect. in hac reg. num.* 2. talis autem conciliatio, vt videbimus, fit mediante derogatione, per quam ſpecies vniuerſalitatem generis hìc, & nunc reſtringit: hunc verò eſſe finem præſentis regulæ, ſuadetur; quia iurium correctio vitanda eſt, & iura, quæ inuicem aduerſantur, concordari debent, ſalua, quoad fieri poteſt, vtriuſque iuris natura, & proprietate verborum: quæ conciliatio expreſsè decernitur *in Cap. cum expediens, initio. de elect. in* 6. & ideò, quando alia via nequit haberi, niſi per derogationem generis, expedit, hoc fieri ad ſaluandam vtramque diſpoſitionem: ergo finis, quem

Digitized by Google

quem regula hæc reſpicit, nequit eſſe alius à prædicto. & hæc ſatis quoad primũ punctum, tranſeo nunc ad aliud.

5 Dicendum ſecundò, huius regulæ diſpoſitionem ferè locum habere in omni materia. ita *Caſtr. conſ. 476. in princ. lib. 2. Berous conſ. 57. num 10. Tuſcus lit. G. concl. 36. num 5. PecKius hic n. 3.* videlicèt in vltimis voluntatibus, reſcriptis, ſtatutis, legibus, conſuetudinibus, contractibus, &c. quod tamen intelligo cum hac reſeruatione, vt quamuis diſpoſitio præſens circa omnes prędictas materias verſari poſſit; nihilominus in multis caſibus non habeat effectum; aliquas enim admittit limitationes, vt infra declarabitur. Probatur autem concluſio, quatenus aſſerit, diſpoſitionem hanc in omni materia verificari, hoc pacto. Finis intentus à Iure tranſcendit per omnem materiam, vt infra oſtendetur, ergo diſpoſitio hæc locum habet in in omni materia.

6 Dicendum tertiò, Regulam procedere, ſiue ſpecies pręcedat, ſiue ſubſequatur. ita docent ferè omnes *Decius L. in toto num. 7. & 14. Dynus nu. 4. PecKius hic num 7. Simeon Vaz de principijs, & locis comm. vtriuſq. Iur. lit. G. num. 9. Barboſ. tract. var. axiom. 108. num. 5. hic num. 5.* & quamplures alij: quod apertè ſuadetur *ex L. ſeruo 14. ff. de pecul. leg. vbi Gloſ.* expreſsè in explicatione caſus. pro contraria tamen ſententia citatur *Ioannes de Imola à Iaſone apud PecKium*, & perpauci alij dicentes quod quando genus præcedit, & ſpecies ſequitur, tunc non reſtringatur genus à ſpecie; Sed concluſio, vtpotè communis, eſt omninò tenenda, & oſtenditur tum ex varijs iuribus à Decio allatis, tũ quia fundatur in identitate rationis; eadem enim viget ratio in vtroque caſu, nec ſufficiens diſparitas poteſt aſſignari.

CAPVT III.

Inquiritur, quandonam in vltimis voluntatibus generi per ſpeciem derogetur.

DEclarauimus in præcedente quæſtione materias, in quibus regula hęc locum habere poteſt; ſed quia ſolum ſub quadam vniuerſalitate eas aperuimus, non deſcendendo ad ſpecialia, idcirco in hac quæſtione nōnulli caſus in prædictis materijs deſignatis ſunt enodandi: & primò ſermonem faciam de legatis, per quæ aliquid in ſpecie, & aliquid in genere relinquitur, ſiue vtrumque legatum factum ſit eidem perſonæ, ſiue diuerſis.

Dicendum eſt primo, in legatis ſpeciẽ sẽper generi derogare. dixi, ſemper, quia ita habetur *in L. ſeruis Vrbanis. § ſi alij verna. ff. de leg. 3.* Concluſio hæc nonnullis exemplis dilucidabitur, & primo loco affero caſum, qui ponitur *in L. hæres meus § 2. ff. eo. tit. iuncta ibi Gloſſa.* 7
Si quis videlicet ſex ſtatuas marmoreas habeat, & præter illas habeat quoque rude aliud, & impolitum marmor, & legatum inſtituens relinquat Titio duas ex prædictis ſtatuis, eidemque Titio etiã leget omne ſuum marmor; certè ex vi huius legati acquiret Titius totum illud rude marmor; nullam verò ſtatuam marmoream præter illas duas nominatim legatas. ita habetur *in L. prædicta.* ratio autem eſt, quia cum in legatis nominantur aliqua indiuidua, ſeu ſpecies, quę ſub genere continentur, non fit extenſio ad alia indiuidua, ſiue ſpecies; genus enim per nominationẽ inferioris reſtringitur ad nominata; & ſic in caſu poſito marmor, quod eſt genus comprehendens omnes ſex illas ſtatuas, limitatur ad duas illas in legato expreſſas. hanc ſententiamque communiſſima eſt, auctores amplectuntur, *Gloſſ. in explicatione caſus, & Bartolus, vbi Dynus hic num. 5. Tuſcus lit. G. concl. 36. num. 7.* & alij, quamuis vt dicitur in eodem textu, Ofilius, & Trebatius oppoſitum ſenſerint, omnes nimirum ſtatuas deberi; ſed minus benè, vt notat *Gloſſ. ver. Trebatius*, ſi enim voluiſſet teſtator omnes ſex Titio relinquere, non debuiſſet duas tantum deſignare.

8 Rurſus, ſi quis legauit in ſpecie aliquibus ſuis conſanguineis, quos in indiuiduo nominauit; poſtea verò in genere, legauit omnibus conſanguineis; diſpoſitio hęc debet intelligi, vt in hoc legato generali non comprehendantur priores conſanguinei expreſsè nominati, quia diſpoſitio illa precedens, cum ſit ſpecialis, derogat ſubſequenti diſpoſitioni generali; *Grauet. conſ. 86. num. 4. & 5. Burius conſ. 90. nu. 9. lib. 2. Barboſ. de axiom. Iur. ver. Genus, num. 4. & alij, in L. Alimenta § Baſilica, & L. Stichus in princ. ff. de alim. & cibar. legat.*

9 Aliud denique placet exemplum afferre

re, quod habetur *in L. ſeruis vrbanis 97. §. ſi alij verna. ff. eo. tit.* & fusè declaratur à Gloſſa, in cuius declaratione aliquid continetur mihi ingerens difficultatem. Caius, v. g. plures habet ſeruos, quorum aliqui ſunt vernæ, ideſt nati ex ancillis, quæ domi ſunt, vt ait *Gloſs. L. cum ſuper. verſ. eo. C. de rei vind. & inſtit. de legat. §. huic proxima. verſ. vernam. Albericus in dictionario*, & alij: qui tamen vernæ non ſunt curſores: aliqui verò ſunt curſores ſolum, & non vernæ: alij demum ſunt vernę ſimul, & curſores. His præhabitis. Caius legatum inſtituit relinquens Titio omnes vernas, Seio verò omnes curſores: dubitatur cuinam cedere debeant alij ſerui, qui ſunt ſimul vernæ, & curſores? Ad quod reſpondet *Gloſſa*, quòd cedunt *Seio*, & nō Titio: cuius rei rationem aſſignat ex textu; quia in ſeruis vernis ſimul, & curſoribus continetur, vt genus, eſſe vernas, &, vt ſpecies, eſſe curſores; ſpecies autem ſemper generi derogat. ita ex Gloſs. cuius verborum ſenſus eſt. ideò ſerui ſimul vernæ, & curſores cedūt legato Seij, quia genus, quod in tali legato continetur reſtringitur per rationem ſpecificam curſoris, atque adeo includi debet ſub legato omnium curſorum. illud autem, quod in hac ratione à Gloſſa aſſignata inuoluit difficultatem, eſt; quia ſupponit, vernam eſſe genus, curſorem verò ſpeciem, quod tamen probandum fuiſſet, & non ſupponendum; cum ratio generis in hoc caſu non magis vernæ, quàm curſori cōuenire videatur; ratio enim generis, cum in quadam maiori vniuerſalitate, ſeu communitate conſiſtat, ratio verò ſpeciei in minori, & in hoc caſo æqualem videamus conuenire vniuerſalitatem vernę, & curſori, nequimus rationem gene-
8 ricam tribuere potius vernæ, quàm curſori: æqualitas autem patet; nam eſſe vernam extenditur ad duo, ſcilicet ad ſeruos curſores, & ſeruos non curſores: ratio item curſoris ad duo extenditur, nempè ad ſeruos vernas, & ſeruos non vernas, vt habetur in figuratione caſus; ergo cum æqualis ſit vniuerſalitas, ſeu communitas, non apparet, cur magis vni, quàm alteri ratio generis tribuatur.

Huius difficultatis ſolutionem neque apud commentatores, neque apud alios inuenire potui. Eam ego nihilominus conabor pro viribus aperire, cum alij nullam de ea faciant mentionem.

Pro quo ſuppono primò præcipuas, & primarias conditiones, quæ genus conſtituunt, in his duabus conſiſtere, nempè, vt genus ſit id, cui alia ratio adueniat, & item ſit contrahibile per rationē ipſam aduenientem, quod in præſentia ex philoſophis ſupponi debet. 10

Suppono ſecundò, in hoc caſu non eſſe loquendum de genere, & ſpecie in ea acceptione rigoroſa, in qua ſumitur ab Ariſtotele, & Philoſophia, qui docent, genus, vt ſpeciem conſtituat, contrahi debere per differentias contentas intra limites ipſius generis, vt eſt animal v. g. quod eſt contrahibile per rationalitatē, rugibilitatem, hinnibilitatem, &c. conſtituens diuerſas, & rigoroſas ſpecies: nō eſt inquam ſermo de genere ita rigoroſè accepto, ſed in ſenſu magis amplo, vt adnotanimus ſuprà in explicatione terminorum, & ſignanter animaduertit *Ioannes Streinio in explicatione huius regulæ num. 1.* ſumimus ſiquidem genus, vt dicens aliquod continens ſpeciem, itaut illud ſit, & dicatur contrahibile, hæc vero immediate contractiua. Ex quo fit, vt hæ conditiones neceſſariò exigant; vt genus dicat, vel ſit aliquod prius, ſpecies tamen aliquid poſterius, ſiuè loquamur de genere, & ſpecie propriè acceptis, & philoſophicè, ſiue impropriè, & legaliter. Porrò illud, cui alterum aduenit, reſpectu aduenientis, ſe habet, vt genus; adueniens verò, vt differentia contractiua, quod inductione manifeſtum eſt. 11

Suppono tertiò, genus interdum eſſe ſpeciem reſpectu alicuius, retinens tamē rationem generis reſpectu alterius, & ſic animal reſpectu corporis eſt ſpecies, & reſpectu hominis eſt genus. 12

Ex his igitur colligere poſſumus intentum: propterea dico, vernam, ſi comparetur in caſu noſtro ad ſeruum, ſe habere, vt ſpeciem, quia datur ſeruus, qui ſit verna, & ſeruus, qui non ſit verna. Si verò verna referatur ad curſorem, ſe habet, vt genus. Inſuper vernam, certum eſt, eſſe aliquid prius, quia cum ipſa ſerui natiuitate exorditur, curſorem verò non ita; quia poſt ſerui natiuitatem inchoatur: & ideò reſpectu vernæ ſe habet, vt adueniens, & conſequenter, vt contractiuum, & verna ſeſe habet, vt contrahibile: ecce quomodo verna eſt genus ad ſeruum curſorem, & ad ſeruum non curſorem, ſcilicet officio curſoris 13

ſpo-

ſpoliatū, & in hoc ſenſu puto, loqui Gloſſam, cum vernam genus appellat.

14 Denique argumentum pro ratione dubitandi deſumptum ex qualitate vniuerſalitatis, ſeu communitatis inter curſorem, & vernam, reſpondeo; eſto talis æqualitas concedatur, licet obſtaret generi philoſophico, non tamen obſtat generi legali, quod pauciores requirit conditiones, quàm requirantur à genere philoſophico, vt patet ex doctrina tradita à commentatoribus explicantibus genus, prout habetur in hac regula. ſatis enim erit, vt comparetur ad aliud, vt continens, vel vt tale, cui alterum adueniat ipſius contractiuum, quacunque contractione. Et hæc obiter dicta circa prædictam difficultatem ſint ſatis.

15 Sed inſtabis aduerſus principalem concluſionem hoc alio pacto. Si quis generaliter legauerit fundum, vt inſtructus eſt; poſtea verò ſpecialiter adiecerit, cum ſupellectili rem aliquam, quę nominatim expreſſa non fuerit, tunc per talē expreſſionem non derogatur legato generali, vt habetur *in L. quæſitum § fin. ff. de fund. inſt.* ergo falſa eſt concluſio, in qua aſſeritur, in legatis per ſpeciem ſemper generi derogari.

16 Reſpōdeo explicando diſpoſitionē, quę cōtinetur *in L. quæritur*. & adhærendo diſtinctioni, quam huic argumento ibidē tradit *Gloſſa verſ. non videri minutum*; quam etiam approbat *Dynus hic nu. 6.* aio igitur, adiectionem illam rei ſpecialis ſupra legatum generale nempè ſupra legatum fundi, vel procedere ex errore, quatenus teſtator ignorat, alia in fundo reperiri præter rem in ſpecie expreſſam, vel procedere ex ſciētia, quatenus teſtatori notum eſt, in fundo illo legato res alias vltra expreſſam inueniri. Si igitur enumeratio ſpecialis ex errore proceſſerit, non officit legatario, quia nulla fit generis derogatio; nam intentio teſtatoris, quæ in hoc caſu ſpectanda eſt, non fuit detrahere aliquid ex rebus, quæ in fundo continentur: & ideo integrum manet legatum generale. Si verò non ex errore, ſed ex ſcientia, dico cum citatis auctoribus, ex duplici fine poſſe id contingere; vel ad tollendam omnē dubitationē, & tunc ſpecies ad maiorem euidentiā cenſetur enumerata, & ex abundantia: ideoque generi non derogabit, vt expreſſè habetur *in L. pediculis. §. Labeo. ff. de aur. & arg. leg. & ibi Bartolus, & Gloſſ. verbo Labeo.* & clarè diſponitur *in L. legata in princ. ff. de ſuppell. leg.* vel ſpecialis enumeratio fit ad limitandum; & tunc certum eſt, derogare legato generali, vt notat *Gloſſ. locis citatis*, & alij. Quid verò dicendum ſit, ſi dubium oriatur, an ſcilicet ex abundantia, & ad tollendam dubitationem, an verò ad limitandum facta ſit expreſſio rei ſpecialis? reſpondet *Dynus in 3. caſu*, dicens, potius videri appoſitam ad tollendam dubitationem; & ideò legatum generis tūc non diminui: quod ipſe *Dynus* probat *ex prædicta L. quæſitum § ſi quis fundum.* ſed huic ſententiæ non ita facilè poſſum adhærere, quia, quando res eſt modo prædicto dubia, itaut ex verbis, vel antecedentibus, vel conſequentibus colligi nequeat mens legantis, neque ex alijs coniecturis, tunc ſtandum eſt ſignificationi verborum, quę reſtrictionem, ſeu limitationem important: & ſic non placet ſententia Dyni. His poſitis ad argumentum reſpondetur, diſtinctionem prædictam applicando antecedenti, & negando conſequentiam.

Pro cōpleta tamē intelligenda ſolutionis datæ ſatis faciendū mihi videtur dubio, quod hic occurrere poſſit. Diximus in concluſione, Generi per ſpeciem ſemper derogari, idque probauimus ex *d. L. ſeruis urbanis*. & tamen oppoſitum aliquando habemus, vt ex iuribus paulò ante allatis, & ex auctoribus negantibus in nonnullis caſibus derogationem hanc: ergo falſò aſſeritur, generi per ſpeciem ſemper derogari: dictio enim illa, *Semper*, eſt nota perpetuitatis, vt Doctores, & iura affirmant.

Reſpondeo ex *Barboſa de dictionib. vſu frequent. dict. 31. num 2.* & ex alijs 17
ab eodem citatis, per dictionem hanc ſignificari generalitatem quoad tempus, non quoad caſus. Rurſus addo, quod dictio hæc interdum ſumitur pro *Frequenter*, ſeu *plerumque*, vt ex diuerſis iuribus probat *Rebuff. in L. nam quem. verſ. & ſic dictio ſemper ff. de verb. ſignif.* & vt ait *Boer. deciſ. 158. n. 16.* ſumi debet ciuiliter; ideoque in caſu præſenti ita eſt explicanda, vt ſcilicet ſignificet per adiectionē ſpeciei generi ſemper, nēpe ſecundū ſe, & abſolutè derogari, niſi ex mēte adijcientis oppoſitum colligatur, quod ex verbis concomitantibus, vel ex alijs cōiecturis haberi poteſt, vt ſuperius dixi.

Dicendum ſecundo, quòd, ſicuti gene-

ri

ri per ſpeciem derogatur, eodem modo ſpeciei vniuerſaliori derogatur per ſpeciem minus vniuerſalem. ita *Alex. conſ. 29. in princip. lib.* 1. *Baldus conſ.* 372. *initio lib.* 5. idem aſſerendum eſt de generibus inuicem comparatis, quatenus vnum minus vniuerſale ſe habet, veluti ſpecies, reſpectu vniuerſalioris, quod ſe habet, vt genus. *Bald. conſ.* 253. *num.* 4. *lib.* 5. *Tuſcus concl. cit. num.* 3. ratio autem deſumitur ex paritate; eadem.n.eſt in omnibus prædictis; quia derogatio procedit ex ſpecialitate, ſeu minori vniuerſalitate reſpectiuè ad maiorem.

19 Rurſus animaduertendum eſt, quod ſpecialitas quinq; modis ſpectari poteſt; primò videlicet in ordine ad cauſsã, ſecũdo ad perſonas, tertiò ad tempus, quartò ad ordinem, quinto ad pœnam, ſeu deciſionem. ita *Tuſc. concl. 36. cit. num. 33. ex Bald. d. conſ.* 253. *num.* 4.

20 Item animaduertendum eſt *eſt ex PecKio hic num.* 2. illud, quod reſpicit perſonas, eſſe magis ſpeciale, quàm ſit illud, quod reſpicit cauſſam; ideòque, ſi cauſſa pupillorum committatur alicuiui Iudici, & cauſſa pertinens ad vltimas voluntates alteri Iudici, & eueniat agitari contra pupillum cauſſam ſubſtitutionis, Iudex, ad quem ſpectare debet deciſio cauſſæ, erit Iudex pupilli: ſic aſſerit *PecKius nu. cit. ex Bald. in L. prima quæſt. de off. proconſ.* ratio quidem huius rei eſſe poteſt; quia licet cauſsæ vltimarum volũtatum reſpectu aliarum cauſſarum ſe habeant, vt ſpecialiores in ordine ad fauorem, & alijs quoad modum procedendi præferantur; nihilominus, ſi concurrat ſimul ſpecialitas perſonæ, vt in caſu prędicto, in quo agitatur cauſſa pupilli, tunc coram Iudice ipſius pupilli id faciẽdum erit, & non coram Iudice, ad quem ſpectat iudicium vltimarum voluntatũ, quia fauor pupilli fundat quamdam ſpecialitatem, quæ præualet ſpecialitati ratione cauſſæ; & proindè ſpecialitas illa derogat huic ſpecialitati.

21 Dicendum tertio, probabilius mihi videri, quòd derogatio prædicta non ſolũ intelligenda ſit, quando derogatiuum, & derogabile continentur in eadem obligatione, ſeu ſcriptura, ſed etiam quando in diuerſa. ita *ex Dyno hic num.* 10. quamuis contrarium doceat *Alex. conſ.* 23. *num.* 9. *lib.* 2. *PecKius hic num.* 4. *in ſolutione prima dubitationis.* citans *Signorolum conſ.* 87. *num.* 7. & 8. *Tuſc. concl. cit. num.* 60. Cæterum quicquid ſit de horum auctorum mente, concluſio ſuadetur ex eo, quod non appareat ſufficiens ratio, quare generica, & ſpecialis diſpoſitio, etiam ſi in diuerſis ſcripturis contineantur, nequeant mutuò referri, & comparari, & conſequenter derogationis munus exercere: propterea ſi Titius V. g. magnam habens ſupellectilem eam vi legati in vna ſcriptura relinquat *Sorti*, & poſt aliquod tempus virtute alterius ſcripturę relinquat Caio partem eiuſdem ſupellectilis enumerans aliqua bona, videlicèt omnes ſtatuas, ſubſellia, & ſimilia, tunc ſpecialitas hæc derogat illi generalitati prioris legati; & ideò poſt Titij mortem Sorti erit danda ſupellectilis, demptis tamen ſtatuis, ſubſellijs, &c. quæ Caio cedere debent: & ſic in alijs ſimilibus. Quæ tamen doctrina procedit in vltimis voluntatibus, in quibus ante mortem teſtatoris legatarius non acquirit Ius. Secus verò in ijs diſpoſitionibus inter viuos, in quibus acquiſitum eſt ius: hoc enim caſu ſpecies in diuerſa ſcriptura nullatenus derogat generi iuxta Doctores ſuperiùs pro hoc citatos; quorum doctrinam in hoc tantum ſenſu amplector.

CAPVT IV.

Expenditur, quo pacto generis derogatio per ſpeciem locum habeat in alijs materijs.

VIdimus quandonam ſpeciei expreſſio generi addita illud limitet, & reſtringat in vltimis voluntatibus, ſeu legatis: nunc verò ſupereſt, vt de eadẽ reſtrictione ſermo habeatur in alijs materijs, quas in prima quæſtione enumerauimus, quod per ſequentes concluſiones diſtinctè, & ordinatè præſtabitur.

22 Dicendum eſt primo, in contractibus, qui fiunt inter viuos, per ſpeciem limitari genus *Dynus in hac regula num.* 14. *Decius L. in toto de reg. iur. num.* 12. *Tuſcus lit. G. concl. 36. nu.* 64. *Fulgoſ. conſ.* 215. *num.* 1. *in princ. PecKius hic num.* 2. *Barboſa axiom.* 107. *num.* 15. concluſionem hanc probant laudati Auctores nonnullis exẽplis ex iure deſumptis. V. g. renunciatio generalis reſtringitur ad talem rem, vel ad talem perſonã, vt expreſsè diſponitur *in L. iubemus initio C. ad ſen. conſ. Velleia.* puta. Sint om-

omnia bona Titij tacitè obligata Sempronio, & Caius velit contrahere cum Titio, ſed quia eſt Sẽpronio poſterior quoad hypotecã in bonis ipſius Titij, petat, vt Sẽpronius renunciet iuri anterioris hypotecæ in fauorem ipſius Caij; tunc talis renũciatio etiam verbis generalibus facta intelligitur reſtricta ad perſonam dũtaxat Caij, & ad vnicam illam cauſſam, de qua agebatur, & non ad alias perſonas, & cauſſas; & ſic ſpecialitas hæc derogat generalitati verborum, quæ in renunciatione habentur. hoc exemplum afferitur, & declaratur à Gloſſa exponente legem citatam, & loquente de renunciatione, quæ fit ab vxore ratione hypotecæ, quam habet in bonis mariti. Alia ſimilia exempla reperiuntur *in L. cum Aquiliana, & L. qui cum tutoribus ff. de tranſact. L. ſtipulationes commodiſſimũ. & L. doli clauſula ff. de verb. oblig.*

23 Dicendum ſecundò, regulam hanc etiã extendi ad ſtatuta, quatenus per ſtatutũ ſpeciale derogatur generali: ita communiter *Doctores apud Tuſcum concl. 36. lit. à num.* 10. *Barboſ. axiom.* 102. *num.* 8. limitatur tamen concluſio ab eiſdem in caſu, quo ſtatutum ſpeciale idem cõtineret, quod in iure communi continetur; tunc enim, ſi generale ſtatutum diſponat contrarium, præfertur ſpeciali: ſecus autem eſſet dicendum, ſi ſpeciale in aliquo diſcordaret à iure communi. ita *Tuſcus num.* 13. *Barboſ. num.* 8. *cit.* qui id aſſerunt *ex Baldo conſ.* 78. *lib.* 1. *& ex alijs.*

24 Dicendum tertiò, quando in lege aliqua habentur verba generalia, & ſpecialia, per hæc generalibus derogari: quod procedit non ſolum, quando ea verba inueniuntur in eadem lege, ſed etiam quando in diuerſis *Tuſc. concl. 36. cit. n.* 57. *&* 58. *Barboſ. ibidem num.* 16. *& alij per eos*. & quæ de lege dicta ſunt, locũ etiam habent in conſuetudine, in qua per ſpecialem generali derogatur. *Gratian. conſ* 795. *num.* 16. *Tuſc. concl. cit. num.* 41. *& Barboſ. nu.* 12.

25 Dicendum quartò, per reſcriptum, ſeu mandatum ſpeciale derogari generali. ita expreſsè ſtatuitur *Cap.* 1 *de reſcrip. in fin. Gloſſ. ibi verſ. mandatum, Decius L. in toto num.* 19. *& alij,* qui docent, hoc etiam intelligi, quamuis de generali mentio non fiat.

Dicendum quintò, in priuilegijs præ-
26 ſentem regulam non procedere, quia in illis ſpeciale non derogat generali, niſi de eo mentio facta ſit. *Gloſſ. in cap. veniens de præſcript. in explicatione caſus propè finem, & in cap.* 1. 25. *quæſt.* 1. *exponendo ſummarium. § quod autem in fine.* & hic *verſ. pro ſolutione. Decius in d. L, in toto. num.* 20. *Panorm. cap.* 2. *de reſcript.. num.* 6. *&* 10. *Menoch. de præſumpt. lib.* 1. *præſump.* 4. *num.* 2. *& ſequent.*

Contra hoc tamen inſtabis probando 27
oppoſitum à pari. Reſcriptum ſpeciale poſterius derogat generali prius conceſſo *cap. Paſtoralis. §. quoniam autem. de reſcript.* ergo etiam priuilegium ſpeciale derogat generali.

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem; nam, vt rectè animaduertit Gloſſa, in expoſitione huius regulæ *verſ. pro ſolutione, & verſ generi* circa medium, alia eſt ratio de reſcriptis, & alia de priuilegijs: diuerſitatem autem eadẽ gloſsa ibidem aſſignat: quia per primum priuilegium, quamuis generale cõſequitur priuilegiatus ius plenum, ſed per primum reſcriptum generale non conſequitur quis plenum ius in ſpeciebus ipſius reſcripti; & ideò ſtatim, & maiori facilitate illi derogatur.

Inſtabis ſecundò efficacius per textũ 28
in cap. dudum § nos igitur. & cap. quãuis 2. *§. nam prima. de præben. & dignit. in 6.* priori autem loco Pontifex loquens de priuilegijs, & gratijs expreſsè ait, generali gratiæ primò conceſſa derogari per poſteriorem ſpecialem, licèt de priori mentio facta non fuerit; ergo falſa concluſio prædicta, in qua oppoſitum aſſeruimus. Antecedens ſuadetur, afferendo caſum, qui in textibus citatis enarratur: etenim *in cap dudum.* ſermo erat de priuilegio, quod Pontifex ſuo Legato conceſſerat, de poteſtate, videlicèt recipiendi reſignationes omnium beneficiorum in partibus ſuę legationis, eademque beneficia perſonis idoneis conferendi: poſtea verò idem Pontifex conceſſit Titio præbendam primo vacaturam; & de facto quædam vacauit, quam, licèt prius alteri contuliſſet Legatus; nihilominus collata deinde fuit Titio, cui Papa voluit gratificari: huiuſque deciſionis rationem afferens, inquit textus, quia per ſpeciem generi derogatur, quãuis de genere nulla fiat mentio. hæc habentur in *d. cap. dudum.* & ſimile etiam continetur *in d. cap. quamuis.* His itaq;

Digitized by Google

iuribus ducti aliqui Canoniſtæ, inter quos *Hoſtienſis, Imola, & alij in cap. 1. de reſcriptis apud Abbatem ibidem*, ſenſerunt, per priuilegium ſpeciale generali derogari; ideoque, ſi Pontifex concedat v. g. alicui omnes decimas talis determinatæ Parochiæ, & poſtea alteri concedat decimas alicuius prædij eiuſdem Parochię, hoc ſecundum priuilegium primo derogaret.

29 Prædictorum auctorum mentem fusè examinat *Abbas loc. cit. à num.* 10. & aduerſus Hoſtienſem, & Imolam adducit contrariam opinionem, quam tuetur *Compoſtella*. qui hoc pacto diſtinguit; aut enim illud priuilegium generale continet vniuerſaliter omnia vno, & eodem actu, & tunc ſpeciale non derogat generali: tale autem eſt prædictum priuilegiũ per quod omnes decimæ alicui conceduntur; aut generale non continet vniuerſaliter omnia vno, eodemque actu, ſed verificatur in aliqua tantum ſpecie ſub genere contenta; & tunc generi derogatur. V. g. ſi Pontifex mandet, vt vni prouideatur de beneficio in prouincia determinata, & alteri prouideatur in certa Eccleſia eiuſdem Prouincię, tunc prior conceſſio generalis non continet eodem actu omnia illius prouincię beneficia, ſed in vna tantum beneficij collatione verificaretur, & per ſpecialem conceſſionem alteri factam reſtringeretur. Ipſe verò *Abbas* ad prædictas concordandas ſententias, & ad varios pariter textus conciliandos aliam excogitauit ſolutionem; ſic enim *loc. cit. verſ. ſed melius* diſtinguit. Aut per generale priuilegium non eſt acquiſitum ius in re, ſed tantum ad rem, aut eſt iam acquiſitum ius in re: ſi primum, per ſpeciale derogatur generali, & in hoc caſu procedit opinio *Hoſtienſis*. ſi ſecundum, tunc per ſpeciem generi non derogatur: ratio eſt, quia non præſumitur Principem voluiſſe tollere ius in re ab alio quęſitum, niſi de illo mẽtionem faciat in ſecundo priuilegio: & hanc diſtinctionem alij amplectuntur, vt *Probus in add. ad Io. Monacum in explic. huius regulæ. Decius conſ.* 147. *tom.* 1. vbi latè eam declarat, ac defendit; idemque docet *Gloſ.* explicans regulam *verſ. genere.* quid autem ſit ius in

30 re, & quid ius ad rem, ſupponendum eſt potius in præſentia, quam exponendum: de vtroque enim agunt Doctores in tractatu de Iuſtitia, & videndus eſt *Leſſius lib. 2. cap. 2. dubit. 2. nu.* 11. & fusè de hac re loquitur *Tuſc. tom. 4. cit. lit. I. concl.* 626. *& ſeq.* certũ enim eſt difficilius tolli ius in re, quàm ad rem; ideoque maior eſt ratio ad ſuſtinendum, quòd ſpeciale priuilegium generali non deroget, quãdo per generale eſt quęſitum ius in re.

Hac igitur doctrina concordari poſſũt iura, quę pro vtraque opinione ab auctoribus allegantur, & allata ſunt in inſtantia prędicta.

Reſpondetur itaque ex prędictis, quod *in cap. dudum, & in cap. quamuis.* ſermo ſit de facultate recipiendi reſignationes beneficiorum, & poſtea eadem beneficia conferendi perſonis idoneis, in qua facultate Legatus, cui Pontifex priuilegiũ generale conceſſerat, nullum habebat quęſitum ius in re, ſed ſolum poteſtatẽ in futurum; & ideò poterat tali priuilegio derogari per ſubſequens ſpeciale, quamuis de generali merito facta non fuerit. Auctores vero, quos pro concluſione ſuperius adduxi, interpretandi ſunt de priuilegio generali, per quod priuilegiatus plenum ius acquiſiuit in re. Et ex his patet ſolutio ad inſtantiam, cuius antecedente ſecundum tradita principia declarato, neganda eſt conſequentia.

Nonnulla alia, quę de hac regula dici poſſunt tum pro ea amplianda, tùm pro ea reſtringenda, legi poſſunt apud *Tuſcum concluſ. cit.* & apud *Barboſ. dict. axiom.* 107.

REGVLA XXXV.

Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.

CAPVT I.

Quotupliciter ſumi poſſint plus, & minus?

DEclaratis terminis facilè intelligetur huius regulę diſpoſitio, quę eti- 1
am habetur *in L. eo. ff. eo. tit.* exponendũ autem eſt, quo ſenſu plus, & minus in præſentia ſumi debeant; multipliciter n. accipi poſſunt; primo in ratione quantitatis, ſeu in pondere, numero, & menſura, cuiuſmodi eſt pondus centum librarum reſpectiuè ad decem: vel triginta aurei reſpectiuè ad viginti, in quibus exemplis plus, & minus dicitur conſiſtere in quãtitate. ſecundò ſumi poſſunt ratione

totius,& partis. V. g. domus eſt quid totū, cuius partes ſunt pauimentum, parietes, tectū, &c. ideoque domus eſt quid plus in ratione totius, pauimentum verò, cęteręque partes ſingulę ſunt quid minus. Tertio aliquando ſumuntur, vt genus in ratione totius metaphyſici, & vt partes in ratione ſpecierum: genus enim dicit, quid plus, quatenus, vt ſic, comprehendit omnes ſpecies ſub ipſo contentas; ſpecies verò quid minus reſpectu generis potentialiter accepti. Quarto interdum plus, & minus ſpectātur in qualitate, quo modo obligatio puta plus eſt, quàm conditionalis. Quinto conſiderantur reſpectu temporis; plus enim eſt aliquid ſtatim dare, minus verò poſt aliquod tempus. §. *item ſi ille inſt. de fideiuſſ.* His præmiſſis dicendum remanet in qua ſignificatione plus, & minus in hac regula conſiderentur, quod ex aliquibus proponendis caſibus dilucidè in ſequenti capite apparebit.

CAPVT II.

Explicatur, quo ſenſu plus, & minus in hac Regula ſumi debeant, & explicatio nonnullis caſibus confirmatur.

2 DIcendum eſt primò, ex enumeratis acceptionibus, ſecundum quas plus & minus vſurpari poſsūt, eam eſſe admittendam, vtpotè ab hac regula intentā, quæ conſiſtit in ratione quantitatiua, & & in ration. totius reſpectiuè ad partes ex quibus componitur. ita colligitur ex mente Doctorum regulam declarātium, & expreſsè aſſerit Barboſ. *hic num.* 2. & merito iuxtá talem ſignificationem pręſens regula exponitur; quia tali data interpretatione ſatis clara redditur ipſius diſpoſitio; quoniā ex ipſamet re euidēter, & non ſecundum iuriſfictionem apparet, in maiori quātitate minorem contineri, & in toto partes includi, tanquam minus in eo, quod eſt plus, ſumendo partes diſtributiuè, & non collectiuè.

3 Dicendum eſt ſecundo, præſuppoſita prędicta ſignificatione, regulam in omni materia verificari, & hoc colligitur ex dictione illa, *Semper*, quę, licet importet interdum frequentiam, & non omnimodam vniuerſalitatem in quocumque caſu, & quacumque re, vt in declaratione antecedentis regulę adnotaui; nihilominus id debet intelligi, ſpectando ſubiectam materiam, de qua agitur; ideoque in quibuſdam materijs fallir, vt videbimus. Aio igitur, regulam ſpectari poſſe in vltimis voluntatibus, in contractibus, in ſententijs iudicialibus, in teſtificationibus, & ſimilibus, in quibus tamen diſcutiendū eſt, an, & quando regula procedat, & quando fallat: quod vt præſtem, nonnullos proponam caſus.

4 Dicendum itaque tertio, regulam militare in vltimis voluntatibus; ideoque ſi teſtator v. g. intendat legare Titio centum aureos, & per errorem ſcribat ducentos, valebit legatum, quoad centum; quia minus continetur in maiori quantitate: ex quo rectè docuit *Dynus* initio explicationis huius regulę, quod ſi quis legare intendat quartam ſuorum bonorū partem, & ſcribat dimidiam, debebitur legatario quarta *L. qui quartam. ff. de leg.* 1 vbi huius rei ratio aſſignatur, quia quarta ineſt dimidiæ, hoc eſt tamquam minus continetur in eo, quod eſt plus.

5 Dicendum, quartò, regulam procedere etiam in ſtipulationibus. V. g. ſi Titius interrogans Caium dicat. Promittis mihi decem? Caius verò reſpondeat, viginti; obligatio non erit contracta, niſi pro decem; quia, minor ſumma hæc in maiori continetur *L. 1. §. ſi ſtipulanti, &c. de verb. oblig. & L. inter ſtipulantem. § ſi ſtipulante me. ff. eo. tit.* & ratio obligationis fundatur in illa voluntate, qua Caius voluit ſe obligare ad plus; ergo à fortiori erit obligatus ad illud minus, quod eſt incluſum in maiori, & non remanebit obligatio pro viginti, quia obligatio Caij debet regulari ſecundum interrogationē ſtipulantis, nempè, Titij petentis decem.

6 Sed aduerſus hanc rationem poſſet quis vrgere probando falſam eam eſſe, idque *ex text. d. legis prima*. vbi in ſecundo caſu habetur, quòd ſi Titius interrogans petat viginti, & Caius reſpondeat decem, obligatio non erit contracta, niſi in decem, ergo falſum eſt obligationem Caij regulādam eſſe iuxtá interrogationem ſtipulantis; ſi enim eum ea deberet regulari, obligatio eſſet cōtracta in viginti, & non in decem tantum.

Reſpondeo, obligationem hanc, quæ fit mediante ſtipulatione, commenſurari debere iuxta ſtipulantis interrogationē, dummodò non excedat quantitatem illam, ad quam reſpondens vult ſe obli-

gare. Pro intelligentia autem textus citati animaduertendum eſt, duos ibi eſſe caſus; in primo proponitur, quòd interrogans petat decem, & alius reſpondeat viginti, & ſic obligatio in decem non excedit ſummam intentam ab ipſnmet reſpondente. In ſecundo autem caſu res contrarin modo ſe habet; nam ponitur, quòd interrogans petat viginti, & alius reſpondeat decem; & tunc, ſi contraheretur obligatio in viginti, daretur exceſſus vltra reſpondentis intentionem; & ſic patet diſparitas inter vnũ, & alterũ caſũ; qua diſparitate admiſſa ad argumentum contrarium neganda eſt conſequentia.

Vlterius inſtabis, adducendo textum
7 *L. ſi decem. ff. locati* vbi dicitur, quod, ſi quis ſuum fundum alicui locet pro decẽ; ille verò alter putet, pro quinque fundũ ſe conduxiſſe, tunc nihil agitur; quia, vt in dicta lege ait *Baldus*, contractus vitiatur, & conſequenter neque pro quinque valebit; quamuis in hoc caſu illa quinq; ſint quid minus incluſum in eo, quod eſt plus, nempè in decem, quæ intendebantur à locatore; ergo regula diſponens, quod plus contineat id, quod eſt minus, nõ erit vera in ſtipulationibus quoad valorem contractus; nam de valore interpretari debet regula, ſeu de continentia illa, quæ validam, & vtilem reddat ſtipulationem, & non de continentia materialiter ſumpta; quia, vt ſic, non eſſet neceſſaria regula præſcribens: certum eſt enim, quinque contineri in decem. & idem dicimus de alijs ſimilibus.

Reſpondeo, in caſu, de quo eſt ſermo *in L. ſi decem*, fallere regulam vt notauit *Decius in* L. *in eo. num.* 8. *ff. eo.* vbi addidit, doctores laborare in intellectu regulæ, poſito ſcilicet caſu illo in lege prædicta; ideoque ait, veram eſſe ſolutionẽ *Baldi in L. diem proferre. §. ſi plures. ff. de arbit.* vbi docet, regulam intelligi, quãdo maior ſũma abſolutè profertur, ſecus, quando reſpectu alicuius corporis; maior autem ſumma *in L. ſi decem.* profertur reſpectu rei locatę. *Ex* hac Baldi doctrina inquit ipſemet *Decius*, quòd locator, *in d. L. ſi decem* petens maiorem ſummã non videtur minori conſentire, vt colligitur ex natura ipſius rei, de qua ibi agitur, nempè de re locanda: quam expoſitionem confirmat *Decius* in caſu ſimili expreſſo *in L. diligenter §. item ſi mandauero. ff. mandati.* vbi dicitur, quòd, ſi quis mandat domum ſuam, vel fundum vendi pro centum, non videtur conſentire minori quantitati.

Poſita igitur hac *Baldi* ſolutione, quã approbat *Decius* facilis erit ad argumentũ reſponſio, aſſignando diſcrimen inter vnum, & alium caſum; nam *in L. 1. § ſtipulanti.* ſtipulatio illius maioris ſummę, quam interrogans petit, eſt abſoluta, & non reſpectiua ad aliquod corpus; ideoque non videtur interrogatus ita firmiter adhærere maiori quãtitati, vt minori non conſentiat, quam reſpondens promittit. in caſu autem poſito *in L. ſi decem.* ſtipulatio maioris ſummæ, quam petit locator, eſt reſpectiua ad corpus locandum, in cuius locatione locator non præſumitur conſentire minori quantitati, quàm ſit illa, quæ ab ipſo ſtipulante, ſeu locatore æqua æſtimatur.

Placet tamen ad vberiorem doctrinã 8
afferre, & examinare ſolutionem, quam ad prædictum argumentum tradit *PecKius hic num. 6.* vbi notat naturam contractuũ, qui ſunt indiuidui, in quibus validitas nequit haberi pro parte tantũ; in his. n. contractibus volũtas contrahẽtiũ eſt, vt in toto valeãt. & hoc prædictus auctor confirmat *ex L. quod ſi vno. ff. de in diem adiect. & L. ſi quis aliam. ff. de ſolut.* in caſu autem ſupra poſito locatoris intentio erat fundum locare pro decem, & non pro minori ſumma; ideoque non ſuſtinetur contractus pro quinque. E conuerſo tamen, ſi locator intendat locare in minori, & conductor in maiori, valebit locatio pro minori; quia ambo contrahentes conſentiunt. Diſcrimen autem inter caſum, de quo agitur *in L. ſi decem.* & caſum, de quo ſermo habetur *in §. ſi ſtipulanti* fundatur in hoc, quod caſus *dicta L. ſi decem.* verſatur in contractu indiuiduo ad commodum, videlicèt vtriuſque contrahentis ſpectante, qualis eſt locatio, quæ eſt in vtilitatem tùm locatoris, tum conductoris; idcircò debet eſſe ſecundùm mentem vtriuſque; caſus verò in illo Paragrapho non verſatur in contractu indiuiduo, quoad vtilitatem vtriuſque contrahentis, ſed ſolius interrogantis, & petentis; ac proinde obligatio ex parte reſpondentis ſaluari poterit in ſumma minori, vtpotè contenta in maiore. ita mihi videtur dicendum ad prædictas cõciliandas leges, admittendo ſolutionem hanc, quam *PecKius* adducit. 9

Obijcies. Nequit hæres adire vnam, aut

ant alterã parté hæreditatis non adeundo totam, & tamen pars continetur in toto corpore hæreditatis, ergo falſi regula de eo, quod eſt plus &c.

Reſpondeo, mirum non eſſe, quòd in hoc caſu regula fallat, quia habetur ius, in quo contrarium diſponitur *in L. ſecunda, ff. de acquir. vel omitt. hared.* vbi aperte ſtatuitur, non poſſe aliquas partes repudiari, aliquas verò agnoſci, ideſt adiri ab hærede inſtituto.

10 Dicendum eſt quintò, regulam locum etiam habere in ſententijs: exempli gratia ſi vnus Iudicum, vel arbitrorum cõdemnat reum in quindecim, alius in decem, alius verò in quinque, ſententia erit valida in quinque, cùm omnes Iudices iam conſenſere in quinque, vtpotè quid minus contentum in eo, quòd eſt plus, nempè in decem, aut quindecim, ſic expreſsè diſponitur in *L. diem proferre. §. ſi plures ff. de recept. arbit.* ideoque etiam ſtatuitur *Cap. 1. de arbitr. in 6.* Aliqui tamen hoc limitant, quando reliqui Iudices declarent in quinque tantum non conſentire: alij verò dicunt, id non eſſe neceſſarium, aut nihil prodeſſe; de quo vide *PeeKium hic num.* 4.

11 Vlterius ſi quis per ſententiam abſolutus eſt à petitione totius prædij, abſolutus cenſeri debet à petitione cuiuſlibet partis eiuſdem prædij: *L. ſi quis cum totum. ff. de except.* rei iudicatæ, & in hoc caſu verificatur regula; nam pars reſpectu totius eſt quid minus in toto contentum.

12 Dicendum ſextò, in teſtificationibus hoc ipſum eſſe aſſerendum; propterea ſi vnus teſtis deponat, Titium poſſediſſe talem fundum per decem annos; alius verò dicat poſſediſſe per triginta annos, ſtabilitur poſſeſſio per tempus decem annorum, quod eſt minus, ita docent nõnulli, quos citat, & ſequitur *PeeKius num. 4. ampliat. 4.* & ratio eſt, quia illa poſſeſſio in maiori continetur. ſed *Decius L. in toto. num. 16. ff. eo.* aſſerit, regulam fallere in teſtibus deponẽtibus ſuper valore rei, & citat aliquos ita ſentientes, quos vide apud ipſum.

13 Dicendum ſeptimò, in mandatis, ſeu reſcriptis Pontificijs regulam fallere; V. g. ſi Pontifex mandat, vt Caio conferatur beneficium tanti valoris, non poteſt eidé conferri beneficium minoris valoris; & ratio eſt, quia reſcripta ſunt ſtricti iuris; idcirco reſtringuntur tantum ad ea, quæ in ipſis expreſſa ſunt *Cap. cum dilecta de reſcript.* & communiter Doctores, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in eodem cap. nu. 4. & ſeq.* & expreſsè definitur *in Cap. Cui de non ſacerdotali §. fin. de præbendis in 6. vbi Gloſſa, & ſcribentes*, qui hoc confirmant, quia mandatũ, ſeu reſcriptum debet ad vnguem ſeruari.

CAPVT III.

Si quis ſolum viginti reuera debeat; in inſtrumento autem appareat, ſe debere quinquaginta, ideoque à creditore auctoritate Iudicis cogatur ad totam ſummam, an licitè poſſit etiã cum iuramento negare, ſe debitorem eſſe?

SPeculator *tit. de Poſitionibus* §. 1. plura exagitans hanc caſum tangit, 14
quem nobis, cum non rarò poſſit contingere, eiuſque deciſio in præſenti regula fundetur, placet diligenter examinare, claritatis verò gratia figurabitur eo modo, quo in praxi facilius euenire ſolet. Titius v. g. qui ex mutuo, vel aliter virtute publici inſtrumenti debebat Caio quinquaginta aureos, aliquo elapſo tempore ſoluit eidem Caio viginti in cõpotum, de qua ſolutione nullam accepit, nec publicam, nec priuatam cautionem.

Euenit, quòd Caius petijt à Titio non ſolum triginta, in quibus erat verus creditor, ſed etiam totam ſummam, nempè quinquaginta iuxtà tenorem contractus, & renuente Titio illam integram ſoluere, obtinuit à Iudice, vt coram eodé fateretur debitum vigore inſtrumẽti publici, in quo ipſe Titius cõſtitutus fuerat debitor à principio in quinquaginta: negauit Titius, præſtito iuramento coram Iudice, abſolutè ſe debitorem eſſe: quæritur, an grauiter peccauerit, & fuerit periurus?

Prima ſententia aſſerit, licitè, & abſque periurio id fieri minimè poſſe; & ex antiquioribus eam docet *Bartolus in L. ſi is, qui ducenta §. vtrum. ff. de reb. dubijs. Panor. in cap. vnico. de plus petit.* 15
num. 15. Felin. cap. nam concupiſcentiam. num. 14. de conſtitut. Alex. Alciat. & alij, quos laudat Couarr. tom. 2. var. reſol. lib. 1. cap. 2. num. 5. Probari autem poteſt hæc opinio ex eo, quòd Titius negans ſe debitorem eſſe, negat totum,

tum, & conſequenter quamlibet partẽ
negare videtur; ideoque in caſu noſtro
negaret, ſe debitorem eſſe in triginta, quę
ſunt pars maioris ſummæ, nempe quin-
quaginta aureorum; & quia falſum aſſe-
rit cum iuramento, erit periurus.

16 Secunda ſentẽtia eſt priori directè op-
poſita aſſerens nimirum, id ſine periurio,
& ſine alio peccato fieri licitè poſſe, ita
Couar. loc. cit. vbi fusè, varijſque rationi-
bus hanc opinionem oſtendere conatur,
eamque ex recentioribus ſequuti ſunt
*Guttier. pract. quaſt lib. 1. quaſt. 62. nu.
2. Azor. in moral. inſt. to. 1. lib. 11. cap.
8. Suarez to. 2. de relig. lib. 3. de iuram.
cap. 9. num. 6. Sanchez in decalog lib. 3.
cap. 6. num. 33. Bonacina to. tract. diſp.
4. quaſt. 1. punct. 2. num. 5. verſ. nono
ſequitur*. & ratio fundamentalis huius
ſententiæ eſt, quia creditor iniuſtè petit
quinquaginta à Titio, cũ is triginta tan-
tum debeat: igitur licitè poterit Titius
vtens verbis ambiguis Iudicem interro-
gantem decipere, negando petitionem
ea intentione, & ſenſu, quo falſa proce-
dit: vel ſi ſolùm partem fundi poſſideat,
& ſimpliciter fuerit interrogatus, num
poſſideat fundum, poterit etiam negare,
quòd illum poſſideat.

17 Tertia ſententia eſſe poteſt, quam
excogitauit Zaſius volens prædictas
duas contrarias concordare; & ideò *in
L. 1. §. ſtipulanti. de verb. oblig* inquit,
quod, aut actor petit totam integram
ſummam, videlicèt quinquaginta, adie-
cta clauſula ſalutari, *omni meliori modo,
quo poteſt, coniunctim, & diuiſim* iuxta
*L. Si quis eum totum verſ. proinde ſi
quis. ff. de excep. rei iud.* aut vero præ-
dictam clauſulam omittit. Si primum,
tunc nequit debitor totum debitum ne-
gare, quia ad partem teneatur. Si vero
ſecundum, tunc ait ipſe, videri credito-
rem ſe aſtrinxiſſe ad totum; propterea,
quamuis debitor nequeat directè, & ab-
ſolutè debitum negare, ſuamque obli-
gationem; nihilominus poteſt negare
actionem, & libellum, dicens, eum non
eſſe verum, ſed falſum. ita Zaſius.

Quibus præmiſſis ſententijs remanet
aperiendum, quid ego de ijs ſentiam.

18 Dico igitur primò, ſimpliciter, & ab-
ſolutè loquendo, ſecundam ſententiam
eſſe admittendam, quã ſic probo. Titius
in ijs circumſtantijs non eſt verè debitor
ſummæ petitæ; ergo ius habet negan-
di ſe debitorem eſſe, hoc eſt illius quan-
titatis, de qua procedit petitio. Dixi,
ſimpliciter, & abſolutè, ad denotandum,
quòd, quamuis in caſu poſito reus ius
habeat negandi totum debitum, attamẽ
ad vitandum periurium debet negando
vti aliqua verborum forma, per quam
in eiſdem verbis veritas habeatur. qualẽ
autem eſse oporteat formam hanc, in
ſequentibus oſtendam.

Dico ſecundò, formas reſpondendi 19
poſitas à Canoniſtis, licèt ſecundùm ſe
ſufficientes ad vitandum periurium, non
videri tamen vſitatas, ideoque expediti-
ùs, & tutiùs cenſeo, verbis amphibolo-
gicis, ſeu ęquiuocis eſse vtendum: ſup-
pono enim hìc ex communi Theologorũ
conſenſu, licitum eſse æquiuocare, quã-
do ad rem aliquam cælandam iuſta cauſa
occurrit, & indebitè cogimur ad eam
manifeſtandam.

Dico tertiò, controuerſum eſse apud 20
Doctores modum æquiuocandi, ad hoc
vt mendacium non ſit in verbis: aliqui
enim aſserunt conſiſtere in ſignificatio-
num pluralitate, ideſt in verbis, quæ plu-
res habeant ſignificationes, ita vt profe-
rens illa ſumat ſub vna, audiẽs verò ſub
altera ſignificatione. V. g. ſi quis æquiuo
cans, & ſignans librum aliquem dicat. Li-
ber iſte eſt Sempronij; propoſitio hæc eſt
ambigua; bifariam enim intelligi poteſt
dictio illa, *eſt*; primò, quatenus ſignifi-
cat dominium, & tunc ſenſus eſt, Sem-
pronium habere dominiũ talis libri. ſe-
cundo, non in quantum adnotat domi-
nium, ſed editionem, nempè librum à
Sempronio compoſitum, quamuis ſit ſub
alterius dominio. poterit autem contin-
gere, vt aliquis iniuſtè, & indebite con-
ueniatur interrogatus, an liber ille Sem
pronij ſit, & poteſt cum æquiuocatione
reſpondere, non ad mentem interrogã-
tis, ſed in alio ſignificato, dicens, librum
non eſſe Sempronij, intelligendo quoad
editionẽ, & ſic in alijs ſimilibus. Auctores
verò aliqui hunc ęquiuocationis modum
admittentes negant tñ, ęquiuocationem
verbalẽ fieri poſse per additionẽ, vel re-
ſtrictionẽ mentalẽ, quãdo verba ſecundũ
ſuam ſignificationẽ ſpectata nõ ſunt am-
bigua, ſed vnum tantũ habent ſignificatũ.
puta, ſi quis interrogetur cum iuramen-
to, an tali die locutus ſit cum Caio, & re-
uera ſit locutus cum eo, non poterit iux-
ta eorum ſententiã id negare, addendo
in mẽte reſtrictionem aliquam, nempè,
non ſum locutus hora matutina, ſed veſ-

per;

Digitized by Google

Pertina At verò hunc æquiuocandi modũ plures admittunt graues auctores, inter quos legatur *Suarez tom 2 de relig lib. 3. de iuramento. cap 20. num. 4. Sanchez in ſumma lib. 3. cap. 6. nu. 15.* qui hãc ſententiam defendentes ad rationes aduerſariorum reſpondent. Aduertunt tamen ipſi, id, quòd in mente additur, non debere eſſe ad libitum, ſed proportionatum, itaut cum externa propoſitione congruum, & verum habeat ſenſum, aptaque reſultet ad interrogationem reſponſio. Multa circa hoc de æquiuocationis vſu eſſent diſcutienda, quę tamen omittenda cenſeo, cùm quia ad præſentem materiam non faciunt, in qua ſatis fuit determinaſſe, & probaſſe, in caſu de quo agitur, licitum eſſe æquiuocari, quicumque ille ſit modus æquiuocationis, tum etiam quia alibi examinaui modum hunc in quadam ſimili quæſtione, inquirens videlicet, ſi quis ſit verè debitor in tota ſumma, ad quam ſoluendam ſit omnino impotens, an poſſit abſque periurio æquiuocare, & negare cum iuramento, ſe debitorem eſſe, in caſu, quo à debitore, qui ſcripturas non habet ad probandum ſuum creditum, cogatur coram legitimo Iudice iurare?

21 Hæc quoad probationem prædictarum concluſionum ſatis ſint: remanet nunc, vt ad contrariæ ſententiæ fundamentum reſpondeam, quatenus aſſerit, debitorem quoad partem tantum non poſſe licitè negare, ſe eſſe debitorem; quia iuxta hanc regulam pars, in qua eſt verè debitor, continetur in toto debito; ideoque, negando totum, abſolutè videtur etiam negare partem incluſam in toto.

Huic fundamento, quod præcipuum eſt pro ſententia aduerſariorum, ſatisfacio *ex Couarr. d. nu. 5. verſ. quintò etiã;* & dico, præſentem regulã militare, quoties maior ſumma eſt prolata verbis affirmatiuis; tunc enim certum eſt, ei minorẽ ineſſe; at verò maiori ſummæ negatiuè prolatæ, neque naturaliter, neque ciuiliter ineſſe minorem: ideoque in caſu poſito Titius negans, ſe debitorem eſſe in quinquaginta, non eſt periurus, quamuis reuera debitor ſit in triginta, quæ ſunt pars maioris ſummæ; quia non rectè infertur, quòd negans totum diuiſibile in plures partes neget quoque quamlibet illius partem.

22 Sed inſtabis ex eodem *Couarr.* ibidem, vbi aſſignãs diſcrimen inter ſummã affirmatiuè, & inter eamdem ſummam negatiuè prolatam, ait, quòd in priori modo, ſi quis affirmet, ſe debitorem eſſe in maiori, nempè in quinquaginta, implicitè etiam affirmabit, ſe debitorem eſſe in minori, nempè triginta posteriori autem modo, ſi neget, ſe debere maiorem ſummam, non inde ſequitur fateri, ſe debere minorem: qua præſuppoſita doctrina ſic argues. Si Titius fateretur totam quantitatem, fateretur vtique etiam partem; ergo negando totum, videtur negare etiam partem, id eſt triginta, quæ tamen cum reuera debeat, & cum iuramento negauerit, conſequenter fuit periurus. conſequentia probatur ex regula contrariorum, in quibus eadem eſt diſciplina iuxta commune axioma. *L. 1. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. Iuris, & L. inter ſtipulantem §. ſacram. ff. de verb oblig.*

Reſpondeo, quòd, quamuis in præſenti caſu Titius neget maiorem illam ſummam, non ex hoc tamen ſequitur, quòd etiam neget, ſe debere minorem, ſed negatio illa maioris præſcindit, & à confeſſione, & a negatione minoris ſummę, id eſt negans quinquaginta, neque infertur negare triginta, neque illa fateri. & hoc pacto doctrinam *Couarr.* intelligendo, ad inſtantiam conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia; illud enim vulgare axioma de contrarijs non militat, vbi eſt diuerſa ratio, vt ex multis, quos refert, aſſerit *Barboſ. axiom. 58. num. 11.* eſſe autem diuerſam rationem manifeſtè patet; nam totum diuiſibile nequit eſſe ſine ſuis partibus, & conſequenter, qui affirmat totum, affirmat neceſſariò partem: ſicuti qui diceret, Eſt Petrus, implicitè etiam, & neceſſario diceret, eſſe tum animam, tum corpus ſimul ipſius Petri; contra verò pars poteſt exiſtere ſine toto; vnde qui aſſereret Petrum non exiſtere, non poſſet exinde inferre, neque exiſtere animam eius; poteſt enim Petrus eſſe mortuus, & anima ipſius exiſtere in cælo.

Et hæc quoad argumenta contrariæ ſententiæ primo loco à me ſupra recenſitæ. quod verò ad tertiam ſententiam pertinet, quam veluti mediam tuetur Zaſius citatus, nil in contrarium occurrit; quia eius opinio, ſi adhibeatur diſtinctio illa de adiectione clauſulæ ſalutaris, vel de eius omiſſione, cum ſit re- 23

cta,

& rationi congrua, non parùm probabilitatis habere videtur.

R E G V L A XXXVI.

Pro Poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere.

COnfirmati poterit regula hæc Pontificia ex Iure ciuili, in quo tres habẽtur leges hoc ipſum ſtatuentes, videlicèt *L. qui dolo. L. parem eſſe, &* L. *ad ea ff. eo. tit.* quæ diſponunt, quod, ſi quis doloſè deſijt poſſidere rem aliquam, quam prius poſſidebat, & hoc in alterius præiudiciũ, habendus eſt tanquam verus, & actualis poſſeſsor, prout antea erat. Pro maiori autem huius rei intelligentia nonnullæ terminorum notiones declarandæ ſunt, & præſertim quid vox iſta, *dolus*, ſignificet; plures enim apud Iuriſtas admittit diuiſiones, quę apud *Tuſcum* videri poſſunt *tom. s. lit. D. concl* 570 *initio* Sed, antequam doli ſpecies exponantur, & in quanam ſignificatione hìc ſumatur, eius deriuationem iuuat aperire, quod in ſequentibus dilucidè pręſtabitur.

C A P V T I.

Quid ſit dolus, & in quot, & quales ſpecies diuidatur?

5 VT rationẽ doli exactè agnoſcamus non parum confert eius etymologiam, præmittere, vt ſciamus, vnde nomen hoc originem trahat, quod explicans *Rebuffus in L. hæc verba ff. de verb. ſignif. pag. mihi* 308. *in princ.* aſſerit, dolum dici à dolando, ideſt lædendo, vel minuendo. Dolari quidem dicitur aliqua materia. V. g. lignum, quando dolabra aſperitatem eius lenit, & inæqualitatem complanat. ita idem *Rebuff. ex L. ferri. eo tit. pag.* 667. *verbo, dolare eſt*: poſtea verò per quamdam ſimilitudinem hoc idem nomen metaphoricè de rebus ſpectãtibus ad artẽ translatũ fuit ad res politicas: quæ ſimilitudo, ſeu proportio ſic, ni fallor, mihi videtur declarari poſſe; ſicuti enim aſperitas, & inęqualitas inter vnam, & aliam ligni partẽ per dolabram leuitur, & partes complanantur, & æquales fiunt; ita in politicis mediante dolo, nempè ſimulatione blandis verbis adornata, qua quis vtitur, tollitur alteri inæqualitas voluntatis, quatenus conformis redditur voluntati illius, qui dolo vſus eſt. Hoc pacto mihi videtur exponi poſſe proportio hæc, & ſimilitudo inter dolationẽ artificialem, & politicam, ſi ſequamur deriuationem huius vocis iuxtà mentem Rebuffi. Cæterum veriùs cenſeo, ex alio capite etymologiam huius nominis ſumendam eſſe; quia hoc nomen, *dolus*, cum ſit græcum, nequit à latino deriuare, nempè à dolare, quod latina vox eſt, cum potius latina vocabula à græcis originem trahant.

Dico igitur primò, deriuare à verbo δόλω, quod eſt decipio, prout habetur in Theſauro linguæ græcæ in voce, δόλεαρ, vbi citatur Euſtathius hoc ipſum ſentiens, vnde δολεάζω eſca capio, & δέλεαρ eſca ad capiendos piſces. formatur autem hoc nomẽ δόλος à præterito medio δέδολα ideſt decepi, & ideo hodie apud græcos, vernacula lingua loquentes eſca, qua piſces capiuntur δόλος, & δόλωμα appellatur.

Et hæc ſatis circa huius nominis etymologiam: reliquum eſt, vt eſſentialem ipſius doli rationem inquiramus, quam ego adhuc apud Iuriſtas non reperi; ipſi enim agere minimè curarunt de dolo præcisè ſpectato, ſed illum reſtrictè conſiderarunt ad bonum, vel ad malum: & meritò; quia tractatio de dolo abſtracto nihil, aut parũ ad legales materias conducit, cum ad philoſophos potiùs, quam ad Iuriſtas pertinere videatur. Verumtamen ex eorum doctrina non erit mihi difficile ſtatuere definitionem realem doli pręſcindentis à ſpeciebus, præſertim à bono, & à malo. pro qua re animaduertendum eſt *ex D. Thoma* 2. 2 *quæſt.* 55. *art.* 4. quòd dolus propriè loquendo pertinet ad aſtutiam, cuius munus eſt vias non veras aſſumere, ſed ſimulatas, et apparentes in ordine ad aliquem finem, ſiue bonum, ſiue malum, vt idem S. Doctor ibidem docet, *& qu.* 111. *art.* 3. *ad finem.* Prædicta autem viarum aſſumptio bifariam conſiderari poteſt; primò, quatenus manet in illa mediorum inquiſitione, ſeu excogitatione, & hoc pacto ad aſtutiam ſpectat: quemadmodum excogitatio rectarum viarum, & modorũ ad debitum finem tendentium pertinet ad prudentiam: Secundo, vię hæ ſimulatæ, & apparẽtes ſpectari poſſũt in ordine ad operis executionem, & hoc pacto ad dolum attinẽt. Rurſus aduertendum eſt, quòd, ſi propriè loqui velimus, tùm 2

aſtu-

aſtutia, tùm dolus in malum ſumuntur, quamuis impropriè, & abuſiuè quandoque in bonum accipiantur, vt rectè idem *S. Thom.* notauit *d. quæſt.* 55. *art.* 4. *ad primum. & Valentia* 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 6. *p.* 2. *verſ. dolus eſt*, aſſerit, dolum ſolere in bonam, & malam partem aliquando accipi, ſicuti in bonum accipitur illud Apoſtoli 2. Corinth. 12. [Cum eſſem aſtutus, dolo vos cœpi.] Propterea Iuriſtæ ſermonem habentes de dolo ſolent illum diuidere in malum, & bonum, de qua diuiſione nos inferius loquemur.

3 Ex his omnibus facilè colligi poteſt realis definitio doli præſcindentis ab eius ſpeciebus, quem ita abſtractè ſumptum hoc modo poſſumus deſcribere. Dolus eſt quædam executio mediorum apparentium, & non verorum, quæ per aſtutiam ſunt excogitata; vtque breuius dicā, eſt quædam executio aſtutiæ. Definitio hæc, vt iacet, abſtrahit ab omni ſpecie doli, eiſque omnibus, tanquam genus, conuenit; & quia dolo tantum, & non alteri competit, ideirco rectè tradita videtur.

4 Dico ſecundo; dolum diuidi in bonū, & malum: eſt diuiſio communiter apud Iuriſtas recepta, & expreſsè habetur *in L.* 1. §. *non fuit ff. de dolo malo.* vbi *Gloſ. verſ. etiam bonum* iuncta alia *Gloſſa in L. magiſtros. C. de profeſſoribus lib.* 10. *verſ. conſpirante.* Nec obſtat quòd dolus & aſtutia, cuius ipſe eſt executio, vt adnotauimus, in malam partem propriè loquēdo ſumantur, non obſtat, inquam, quia per quamdam ſimilitudinem extendi etiam ſolet ad bonum, quando in finē honeſtū, & rationabilē ordinatur: puta, ſi quis ſimulatione vteretur, vt ſe à latronibus, vel ab hoſte iniuſtè aggrediente defenderet: talis enim ſimulatio fit ex honeſta cauſa, & ideò licita eſt iuxta textum *in cap. vtilem.* 22. *quæſt.* 2. vbi de tali ſimulatione nonnulla ex ſacris litteris afferuntur exempla, multaque etiam adducuntur *à Couar. lib.* 1. *var. reſol. cap.* 2. *num.* 6. *& à Barboſ. in explicatione capitis citati*, quibus oſtendunt, ſanctiſſimos viros ſimulationē interdum vſos fuiſſe ob finem honeſtum, in eaque ſe laudabiliter geſſiſſe, qualis fuit ſimulatiò Abrahæ cum finxit, Saram, nō vxorem, ſed ſororem ſuam fuiſſe, ne ab Aegyptijs interficeretur. & ſimulatio Iacob alloquentis patrem ſuum Iſaac, eique dicentis, ſe eſſe filium ſuum primogenitum Eſau: quarū ſimulationum rationes, niſi agnoſcatur, eas licitas fuiſſe, videri poſſunt apud Sacrorum Bibliorum commentatores; ſatis enim eſt nobis ipſas in præſentiarum ſupponere: cuius etiam generis fuit dolus ille bonus, & laudatiſſimus Salomonis *lib.* 3. *Reg. cap.* 3. quando contendentibus coram ipſo duabus illis mulieribus de infante, qui viuus remanſerat, finxit, ſe velle puerum gladio diuidere, & dimidium vni dimidium que alteri partem dare, qua ſimulatione, quæ prudens quidem fuit, ac licita, in veræ matris notitiam deuenit, eique illum tradidit. Ex quibus patet, dari poſſe dolum bonum, quem ſanè ſic poſſemus rectè definire. Dolus bonus eſt quædam prudens ſimulatio in ordine ad honeſtum finem. Porro dolus hic bonus à veteribus appellabatur ſolertia, vt habetur *in L.* 1. §. *non fuit ff. de dolo malo.* Solertia autem eſt perſpicacitas ingenij, & dexteritas ad aliquid operandum, vt docet S. *Thomas* loco ſuperius citato, & alibi: indè eſt, vt eos, qui ſunt ingenio præditi, ac perſpicaces, ſolemus appellare homines. bonæ indolis, quaſi dolum bonū interius habētes; & hæc de dolo bono. Malus verò duplici definitione deſcribitur *in L. cit.* dicitur enim primò eſſe machinatio quædam ad alium decipiendum, quatenus vnum agitur, & aliud ſimulatur. Secundo dicitur eſſe quæcumque calliditas, fallacia, machinatio, &c. adhibita ad alterum circumueniendum, & decipiendum: & quamuis hæ duæ definitiones parum mihi differre videantur, in textu tamen legis prædictæ poſterior vera appellatur.

Quæres hic primo, quam agnoſcant Doctores diuerſitatem inter dolum malum, & fraudem? Reſpondeo in hoc differre, quia dolus malum tùm in factis, tùm in verbis committi poteſt; fraus verò in factis tantum, ita S. *Thomas d. quæſt.* 55. *art.* 5. *Menochius lib.* 5. *præſumpt.* 3. *num.* 4. 5

Quæres ſecundo, an dolus, & lata culpa ſint omninò idem? Reſp. non eſſe idē, ſed ſolū in iure æquiparari *L. quod Nerua ff. depoſit.* vbi Gloſſa *verſ. dolū eſſe*, inquit, latam culpā dolo æquiparari, quatenus ille, qui de dolo tenetur, etiam de lata culpa teneatur. differunt tamen in quantum dolus ex fraude prouenit: lata culpa verò ex fatuitate, quod idem habetur ex alia Gloſſa *Inſtit. quibus mod. contrab. oblig. circa finem. verſ. dolo*. quæ 6

docet, in depoſito obligari depoſitarium de dolo, & pariter de lata culpa, quæ ro dolo accipitur.

7 Quæres tertiò, an dolus rectè diuidi poſſit in verum, & præſumptum? Reſpódeo, à nonnullis Iuriſtis admitti ſolere talem diuiſionem *Bart. in L. quod Nerua. num. 14. ff. depoſiti. & L. dolum C. de dolo num. 5. Alex. conſ. 103. nu. 13. lib. 1.* & alij apud Menochium *præſump. 3. cit. nu. 5.* qui Doctores inquiunt, dolũ verum eum eſſe, qui manifeſtis indicijs detegitur; præſumptum autem, quando indicijs non ita claris probatur. Cęterũ *Rebuffus in* L. *lata culpæ de verb ſignif. verſ. dolus verò malus. pag. 633.* reijcit hanc diuiſionem, dicens, eam non inueniri apud Iuriſconſultos, & addit, quòd, cum malitia, & calliditas dolo inſint, ſemper verus dolus appellabitur, quamuis dolus aliquis fortioribus indicijs, & coniecturis probetur: ex hoc tamen nequit inferri, eſſe dolum præſumptum, & non verum, alias nullus daretur verus dolus; quia omnis dolus indicijs eſt probandus *L. dolum.* C. *de dolo malo.* vbi ſic dicitur. [Dolum ex indicijs perſpicuis probari conuenit.] Aduerte tamẽ quòd, ſi Rebuffus attentè legatur, facilè deprehendetur, non negari ab ipſo dolũ præſumptum, imò potius velle videtur, omnem dolum talem eſſe; ſemper enim procedit ex coniecturis; & ideo oportet eſſe quid præſumptum, ſicuti eſt omne illud, quod medijs coniecturis panditur. Non negat igitur hic auctor, dolum dici poſse præſumptum, ſed negat, dolum præſumptum eſſe membrum contradiſtinctum à vero: vult enim omnem dolũ eſſe præſumptum, quatenus ex indicijs procedit, & ſimul eſſe verum; licet vnus eſſe poſſit altero magis præſumptus, quãdo videlicèt indicia ſunt manifeſta, vel quando præſumptio eſt à lege, quia pręſumptio præſcripta à iure pro veritate habenda eſt, vtpotè longè fortior ea, quę eſt ſolum ab homine, vt communiter docẽt auctores. Hæc mihi viſum eſt breuiter colligerę ex doctrina Rebuſſi, qui poſtea exponit iura, quę faciunt pro oppoſita ſententia Bartoli, & aliorum. Verum nõ eſt elaborandum in decernendo, quænã ex his opinionibus verior ſit, tum quia parum id conducit ad præſens inſtitutũ, tum quia vtraque ſententia videtur potius de nomine, quàm de re contendere; quapropter ad alia progedior.

CAPVT II.

Examinantur caſus, in quibus Regula hæc locum habet.

Declaratis ijs, quæ ad agnoſcendam doli naturam neceſſaria videbãtur, remanet, vt nonnulli proponãtur, & reſoluantur caſus ad præſentem regulam ſpectantes iuxtà ipſius regulę pręſcriptũ, quod in ſequentibus complebitur.

8 *D*icendum eſt primò, Si quis poſsideat rem aliquam, & timens, ne tanquam poſſeſſor iuridicè conueniatur, rem illam in alium transferat, tunc non obſtante tali translatione conueniri poteſt, ac ſi poſsideret. Ita ſtatuitur in hac regula, & in alijs ſimilibus, quæ in iure ciuili habentur, de quibus ſuperiùs actum eſt. & meritò in vtroque iure ſic diſpoſitum fuit; nemini enim dolus, & fraus ſauere, & patrocinari debet *L. 1. §. 1. ff. de dolo malo. cap. ſedes. de reſcriptis.*

9 Sed in contrarium poſſet quis vrgere probans, non rectè æquiparari eum, qui poſſidet, cum illo, qui deſijt poſſidere: in multis enim differunt, & præſertim in modo procedendi contra ipſos; nam poſſidens conuenitur actione directa, quatenus aliquid directè ab eo petitur: at qui deſijt poſſidere, actione tantum vtili conuenitur, nempè non ex aliquo directo iure, ſed ex æquitate quadam: quãuis ambæ actiones, quoad effectum minimè differant, vt declarat *Gloſ in L. Actio. verſ. actio ff. de negot. geſtis.* vbi etiam explicat in quonam diuerſificentur. Rurſus, qui verè poſſidet, licet mala fide, ſubſidio tamen iuris defenditur contra quoſcumque alios, qui non ſunt domini; ille verò, qui deſijt poſſidere, tali ſubſidio caret. Denique deſinẽs poſſidere conuenitur de valore, & pretio rei; at poſſidens de re ipſa. cum igitur in hiſce omnibus differant poſſeſſor, & deſinens poſſidere, non rectè videntur æquiparari poſſe.

Reſpondeo, quod quamuis modo explicato differant, nihilominus æquiparatio non procedit ſecundùm veritatem, ſed ex iuris fictione in pœnam delicti ab eo commiſſi, qui doloſè, & in alterius damnum poſſidere deſijt: ſicuti quamuis fictio, & veritas inuicẽ differant, in hoc tñ caſu ob rationem aſſignatã, prout in multis alijs caſibus, à iure ęquiparantur.

Di-

10 Dicendum ſecundò, eadem obligatione teneri, qui rem poſſeſſam conſumpſit, vel deſtruxit, ne, tanquam poſſeſſor, conuinceretur. *PecKius hic num.* 1. ideoque eadem forma, & actione contra ipſum agetur, ac ſi rem poſſideret: & quamuis res perempta ſit, fingetur nihilominus, adhuc eam in rerum natura permanere, idque in odium ipſius, qui rem doloſè conſumpſit: et quia res iam deſtructa præſtari nequit, ideò in executione ſententiæ officio Iudicis ipſe doloſus condemnari deberet ad ſoluendum pretium æſtimatione præcedente. Ex quibus infertur, nullam fere differentiã eſſe, quoad modum condemnandi, inter eum, qui actu poſſidet, & eum, qui doloſè deſijt poſſidere, licet ſit diuerſitas tantum quoad executionem. ita colligitur *ex L. quamquam. §. Iulianus. ff. de aqua pluuia arcenda. vbi Bartol. & alij.*

11 Dicendum tertiò, ſub regula comprehendi non tantum eum, qui doloſè deſijt poſſidere, ſed etiam eum, qui per dolum, fecit, ne poſſideret. ita decernitur *in L. ſed & ſi lege. §. meritò nam, & is. ff. de petit. hered.* verba autem legis hæc ſunt. [Nam, & is, qui dolo fecit, quo minus poſſideret, vt poſſeſſor, condemnatur] vbi *Bartolus*, & communiter ſcribentes. Concluſio tamen hæc intelligi debet in eo caſu, in quo non acquirens tenebatur ex contractu, vel quaſi contractu rem acquirere, & per dolũ fecit, ne acquireret: quod rectè notauit *PecKius hic nu.* 4. *ampliat.* 7. & animaduertit *Streinius in hac regula nu.* 4.

12 Dicendum quartò, regulam extendi ad illum, qui, licet non dolo, nihilominus lata culpa deſijt poſſidere. colligitur *ex L. mulier. §. ſed enim. ff. ad ſenat. Conſult. Trebell. & ibi Gloſſa ver. culpa. Bartolus, & reliqui.* ratio eſt, quia lata culpa dolo æquiparatur, vt ſupra oſtendimus in primo quęſito, exceptis tamen cauſſis capitalibus.

13 Dicendum quintò, regulam habere etiam locum in beneficijs eccleſiaſticis: idque accidit, quando quis doloſè ceſſat poſſidere vnum beneficium, vt aliud obtineat; tunc enim re cognita habebitur, tanquam poſſeſſor duorum beneficiorũ. *Rebuf. in tract. nominationum. quæſt.* 9. *num.* 20. Et hæc pro huius regulæ explicatione ſufficiant.

REGVLA XXXVII.

Vtile per inutile non debet vitiari.

CAPVT I.

1 *Præmittuntur aliqua ad Regulæ intelligentiam.*

Similis huic habetur regula in iure ciuili *in L. 1. §. Sed mihi ff. de verb. oblig.* & ibi ſcribentes, qui plura circa eamdem regulam notant, & varias proponunt dubitationes. Verum, antequã quæſtiones de re hac ex regula ſubortas aggrediar, oportet terminos, & aliqua alia declarare.

Animaduertendum igitur eſt, per vtile, & inutile nõ ſolùm hìc ſignificari veram, & propriam vtilitatem, ſeu beneficium, & carentiam vtilitatis, ſeu commodi, vel neceſſarium, & non neceſſarium, ſed hos terminos etiam extendi, quatenus importare poſſunt poſſibilitatem, & impoſſibilitatem: rurſus non ſolum dici de rebus, verum etiam de tempore vtili & inutili, de perſonis, & de ſexu fœminino, ac maſculino, vt rectè notat *PecKius in commentarijs huius regulæ num.* 5. *& 6. & alij*: quod clarius explicabitur in ipſis quæſtionibus ex hac regula deducendis. Hæc autem omnia ſub vtili, & inutili in poſterum comprehendemus.

Cæterùm contra hanc regulam nonnulla iura oppoſita afferri ſolent; & ideò Authores, vt eius veritatem firment, aiunt, eam verificari in ijs rebus, quæ sũt ſeparabiles, ſeu diuiduæ, non autem in ijs, quæ ſunt inſeparabiles, ſeù indiuiduæ; in illis enim dicunt, vtile non vitiari per inutile ſibi coniunctũ, ſecùs autem in iſtis nempè ſi indiuidua ſunt: oportet tamen hęc duo melius explicare; & primò, vnde deſumenda ſit vtilitas, aut inutilitas rei. Secundo, ex quo habeatur inſeparabilitas, & ſeparabilitas rerum, aut perſonarum, ſeù eſſe indiuidua, vel diuidua. 2

Quoad primũ aio, inutile, quadrifariã appellari, ſeu naſci ex quatuor cauſis; Primò ex defectu cauſſæ efficientis, puta ſi quis de re aliqua diſponat, aut cõtrahat cũ alio, nõ habens poteſtatẽ id faciendi, tũc iſte dicitur inutilis in ordine ad diſpoſitionem, ſeu contractũ, &c. Secundò inutilitas eſſe poterit ex defectu cauſſæ

Digitized by Google

materialis, vt ſi quis aſſignet alteri habitationem adcò anguſtam, vt vix lectum capere poſſit. Tertiò ex defectu formæ, ſeu cauſſę formalis, vt euenit, quando non ſeruantur conditiones neceſſariæ ad valorem diſpoſitionis, ſeù contractus: & ſi queratur, cur receſsus ab vna ex his cõditionibus vitiet totum, reſpondeo, rationem eſſe, quia receſſus ab vna parte formæ cenſetur receſſus à tota forma: et hoc propter inſeparabilitatem, ſeu indiuiduitatem, quam ipſa forma tradit diſpoſitioni, ita ex alijs *Lotterius de re beneficiaria lib. 3. qu. 17. nu. 13. 14* Quartò denique inutile erit ex defectu cauſſę finalis, vt ſi adæquatè ceſſet finis, ob quę datum fuit priuilegium, inſtituta lex, impoſitum tributum, cõceſſa immunitas, & ſimilia.

Vtile è conuerſo dicitur, quando nullus reperitur defectus prouenięns ex prędictis quatuor cauſſis.

3 Quoad ſecundum, ſcilicet, quid in re hac dicatur indiuiduum, ſeu inſeparabile ab altero, & quid diuiduum, ac ſeparabile, aio iuxta doctrinam *Bartholi in L. Grecè §. illud. ff. de fideiuſſoribus*, quem ſequitur *Iaſon in L. 1. num. 5. ff. de verb. oblig. Alciatus in L. ſoluendo ff. de verb. ſignific. PecKius in hac regula num. 11. & alij*, indiuiduum quatuor modis ſumi. primò ratione naturæ, & huiuſmodi ſunt ſeruitutes, excepto tamen vſufructu, qui licet ſit ſeruitus, eſt tamen diuiduus, vt habetur *L. 1. § ſi vſus fructus. ff. ad legem falſidiam & Gloſs. eodem §.* ſimiliter indiuidua eſt obligatio ſaltem poſt contractum, vt eſt obligatio fabricandi talem domum, vel obligatio trahendi, ſeù reſtituendi rem aliquam; quæ ſine deſtructione totius diuidi nequit, vt eſſet v.g. liber Ariſtotelis, & Bibliorũ, & permulta alia huiuſmodi indiuidua, quæ declarantur *à Barthola in L. eadem dicimus §. Cato. nu. 2. 3. ff. de verb. oblig.* Secũdus modus indiuidui eſt ratione formę, vt ſunt ſolemnitates, quæ pro forma requiruntur ad valorem alicu-

2 ius diſpoſitionis, ſeu contractus. Tertius modus eſt ratione connexionis, & dependentiæ, vt eſt inter ſeruum, & eius peculium *L. 1. & 2. ff. de peculio*, & inter acceſſorium, & principale. Quartus denique modus eſt ratione conuentionis inter ipſos cõtrahentes V.g. ſi eligãtur ex pacto duo compromiſſarij ad dirimendas aliquas controuerſias, ſi vnus ex illis electis nõ poterat legitimè eligi, tunc electio erit irrita; nam duo illi compromiſſarij, quamuis ex natura connexionem nullam haberent, nihilominus ex conuentione inter compromittentes ſiunt connexi *L. Pedius §. ſi in ſeruum. ff. de recept. arbitr.*

Ex his omnibus prehabitis pro huius regulæ explicatione, quam plurimę deduci poſſunt queſtiones, quarum præcipuas, & ad praxim ſpectantes ſeligam.

CAPVT II.

An locatio rei eccleſiaſtica oltra triennium ſit tota irrita, an verè ſuſtineri valeat quoad triennium. 4

PRæſens queſitum ſupponit prohibitionẽ de rebus Eccleſię non alienãdis, tum à ſacris canonibus inſertam *in Clementinis tit.* tum in Extrauag. *Ambitioſa*, edita à Paulo Secundo, per quã alienatio ſolum in tribus caſibus admittitur, inter quos eſt locatio ad triennium tantùm, & non vltra: & quia in Extrauagante prædicta alienationes factę contra formam præſcriptam irritantur, & plures imponuntur pœnæ contra ipſos alienantes, inſurgit dubitatio, num contractus locationis initus de rebus Eccleſiæ. V.g. de aliquo prædio, ſi fiat vltra trinennium, puta per ſexennium, aut nouennium, ſit quoad totum inualidus, an verò validus, quoad triennium, irritus tamen quoad reliquum tempus?

Prima ſententia cenſet, eſſe irritum contractum hunc quoad totum tempus, & in hoc caſu annullari per adiectionẽ inutilis, nempe vitiari licitum per adiectionem illiciti, ita quamplures, & graues authores affirmant *Bartholus, & Iaſon in authent Qui rem num 23. C. de ſacroſanc. Eccleſ. Alexander conſil. 17. num. 10. lib. 4. Lapus alleg 89 num. 4. verſ. pro parte altera, Ruinus conſil. 86. num. 8. lib. 1. Redeanus de reb. eccleſ. non alien. in tract. tom 15. part. 2. pag. 482. num. 21. Tiraquell. de retract. conuent. in fine, num. 146. Gratianus in diſcept. forenſ. cap. 162. num 23. to. 1. Couarr. variar. reſol. lib. 2. cap. 16. nu. 5.* qui licet initio videatur contrariam

ap-

approbare ſententiā, nimirum, eamq; valere contractum hunc validum eſſe quoad priores tres annos, & hac occaſione hinc inde plura exagitet pro vtraque opinione; nihilominus poſtea in § *tandem* amplectitur hanc priorem opinionem; in qua etiam eſt *Azor part. 3. lib. 7. cap. 10. quaeſt. 4. & lib. 9. cap. 2. quaeſt. 4. Mantica de tacit. & ambig. conuent. lib. 5. tit. 5. initio. Marius Anton. Genuenſ. in praxi Curiæ Archiepiſ. Neapol. cap. 6. nu. 10.* & in ea etiam videtur eſſe *Zacharias Paſqualigo centur. 4. deciſ.* 344. nam diſcutiens quemdam caſum locationis conditione appoſita, vt poſſit protrahi vltra triennium, doctrinam talem tradit, ex qua deducitur eſſe in hac ſententia: idemque ſentiunt alij: & extat etiam deciſio Rotæ apud *Farinac. deciſ. 30. par. 1. tom. 1.* Ratio fundamentalis eſt, quia licet ex parte materiæ ſit diuiſibilitas, nam primi tres anni ſeparari poſſunt à reliquis; nihilominus ex parte formæ habetur indiuiſibilitas, ſeu inſeparabilitas, quatenus vna videtur locatio, & conſequenter quoad partem nequit ſuſtineri, & quoad aliam partē reijci, ſed tota indiuiſibiliter cenſetur irrita, cum ſit contra legem canonicam. Et confirmatur, quia in Extrauag. cit. poſt factam prohibitionem apponuntur hęc verba [Si quis autem contra huius noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis, & rebus eiſdem quidquam alienare præſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, infeudatio huiuſmodi nullius omninò ſint roboris, vel momēti] dictio nulla, *omninò*, idem importat, quod totaliter, & omni ex parte, vt aduertit *Barboſa in tract. var. de dictio. vſufrequent. dict. 240. nu. 3. & 4.* Confirmatur ſecundò, nam in Clement. citata ſtatuitur, quod nec recipienti aliquid ius acquiratur ex tali alienatione; dictio autem illa *aliquid*, verificari debet etiā in modico, extenditurque ad minimū, vt aduertit idem *Barboſa dict. 21. nu. 1.* ſi tali dictioni præponatur negatiua, & quidē præponitur in Clem. cit. ideòq; refertur ad totum, & ad quamlibet eius minimā partem. Hæc ſunt præcipua huius ſententiæ argumenta.

5 Secunda autem ſententia eſt extremè oppoſita, videlicèt, locationem prædictā ſuſtineri poſſe, & validam eſſe pro triennio; reijci tamen, vt irritam quoad reliquos annos. ſic docent etiam quamplures non obſcuri nominis Authores *Baldus in Authent. ſi quas ruinas, &c. de ſacroſanc. Eccl. Iulius Clarus in ſuis tract. lib. 4. § Emphyteuſis quaeſt. 6. nu. 4. Molina noſtræ Societ. tract. 2. de Iuſtitia diſp. 467. num. 3.* quamuis num. 4. hanc ſententiam modificet, vt mox dicemus. *Rebellius de obligat. iuſtit. par. 2. lib. 14. quaeſt. 6. num. 1. Stephanus Quaranta in ſumma Bullarij verb. alienatio rerum Eccleſ. num. 18. §. hunc accidentem. Vgolinus de poteſt. Epiſc. cap. 44. § 7. num. 5. in quarta exceptione. Tuſcus verb. locatio concl. 406. initio, & alij.* Ratio pro hac ſententia eſt, quia videtur, tēpus habile, quod eſt triennium, ſeparari poſſe à tempore inhabili, quod eſt illud excedens, proinde verificari poterit præſens Regula; quod per inutile non vitietur vtile.

Tertia ſententia referri poteſt, quæ, diſtinctione præmiſſa, prędictas opiniones ad concordiam reducit, & ideò vtrāque amplectitur; ait enim, conſiderandū eſſe in his locationibus, aut ſimilibus, an tempus habile, ſeu licitum ſeparari poſſit, nec ne à tempore inhabili, ſeu illicito? quo poſito ait, ſi tēpora illa ſint ſeparabilia, veram eſſe ſecundā ſententiam, quia poſita prędicta ſeparabilitate locū habet regula, nempè vtile per inutile non vitiari; ſi verò tempora illa non ſint ſeparabilia, tunc ait, primam ſententiam eſſe admittendam, quia nequit in indiuiduis locum habere regula, vt ſupra declarauimus. Hanc explicationem admittit *Molina de primog. lib. 1. cap. 21. num. 28. ver. Hæ autem.* qui proſequitur plura docendo vſque ad nu. 30. eamdemq; ſententiam tuetur *Barboſa de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 95. nu. 1. & ſequentibus.* & ab eadem, ni fallor, nequeunt diſſentire Authores primæ ſententiæ. 6

Difficultas autem poſita eſt in agnoſcendo, quandonam in huiuſmodi contractibus illa duo tempora ſint ſeparabilia; varia enim ab his laudatis Authoribus indicia traduntur, quæ omnia ad hoc vnum reuocari poterunt, videlicèt, an forma, ſub qua fit locatio, ſit talis, vt indicet, intentionem contrahentium fuiſſe contrahere pro toto illo tempore, ita vt non fuiſſent contracturi pro minori, nempè pro tempore habili, & permiſſo, quod euenit, v. g. ſi notabiliter interſit, vel vtriuſque contrahentis, vel ſaltem 7

vnius

vnius ex illis, locationem fieri pro toto illo tempore, quod in contractu appoſitum fuit; tunc enim ſignum eſt, intentionem fuiſſe contrahendi pro toto eo tẽpore indiuiſibiliter, & ideò vitiari locationem, etiam quoad tempus permiſſum, quia vna, & indiuiſibilis cenſetur locatio.

8 Similiter ſi locatio fiat ad vitã vnius, ſeù alterius, vel ad decennium tota, corruit, ita vt nec pro tempore permiſſo, videlicèt pro primo triennio ſuſtineri poſſit, quia vi illius transferretur vtile dominium in locatorem, & eſſet alia ſpecies contractus diuerſa à locatione, nempè emphyteuſis, vt notat noſter *Molina*; proinde, quia toto hoc tempore, & in qualibet illius parte idem contractus ſpecie permaneret, nempè emphyteuſis, colligeretur, intentionem contrahentium fuiſſe velle contrahere indiuiſibiliter pro toto illo tempore, & ipſos nõ contracturos pro tempore dumtaxat permiſſo, & ſic vna, eademque erit alienatio vim habens pro toto tempore illo. Rurſus, ſi in contractu dicatur locatio fieri per ſex annos continuos. v. g. per ſex, ſignum erit vnicam eſſe locationẽ, vt indicat continuitas toti illi tempori appoſita; vel ſi pro primo triennio pretium locationis ſit maius, minus verò in ſecundo triennio, tunc ſignum eſt, primũ triennium eſſe connexum cum ſecundo, & ſimul vnam indiuiſibilem conſtituere locationem. Denique, vt vnico verbo prædicta omnia, & ſimilia complectar, eſt conſiderandum, num tempus permiſſum aliquam connexionem habeat cum tempore ſubſequenti non permiſſo; tunc enim fiunt inſeparabilia; ac proinde vitiant contractum.

9 Contrarium dicendum tamen eſſet, ſi oppoſita indicia haberentur. V. g. ſi ipſorum contrahentium nihil, aut parùm intereſſet, locationem fieri pro toto illo tempore, itaut contracturi etiam fuiſsẽt pro ſolo triennio, & nulla reperiretur connexio inter vnum, & aliud tempus; tunc enim ſeparabilitas argueretur, & tempus permiſſum ſeparari poſſet à non permiſſo, & locatio ſuſtineretur pro primis tribus annis, & ſolum reiiceretur pro ſequentibus. ita hi Authores ratiocinantur ad conciliandas ſententias oppoſitas: quid autem mihi probabilius videatur, mox aperiam.

10 Dicendum eſt primò, hanc explicationem eſſe omninò recipiendam, & ideò neque priorem, neque poſteriorem ſententiam, vt iacent, eſſe abſolutè approbandas, neque abſolutè reiiciendas, ſed cum diſtinctione prædicta vtramque eſſe admittendam. Probatur vnico argumento, quia vtraque ſententia fundatur in regula, quæ, vt expoſitum fuit, non militat in rebus ſeparabilibus, & ſolum verificatur in indiuiduis, & inſeparabilibus; & ita quando habetur ſeparabilitas, recipienda eſt ſecunda ſententia; quando verò eſt inſeparabilitas, admittenda eſt prior ſententia.

Dicendum eſt ſecundo, quando res eſt dubia, recurrendum eſſe ad coniecturas, quæ maximè habentur inſpecta forma, ſub qua fit contractus, & ſecundum illas modo explicato eſſe iudicandum in foro externo; nam in foro conſcientiæ debet quæſitum reſolui iuxta intentum ipſorũ contrahentium, an ſcilicet voluerint ita pro toto tempore contrahere, vt non pro minori. 11

Dicendum eſt tertiò, ſi penſatis omnibus non habeãtur coniecturæ, ex quibus deduci poſsit intẽtio contrahẽtium, potius pro vna, quàm pro alia forma, neque ipſi contrahẽtes adſint, ita vt poſſint propriam intentionem manifeſtare, vel quia ſunt mortui, vel longè diſtantes, vel demum, quia ipſimet nequeant coniecturare de intentione, quam habuerũt tempore, quo facta fuit locatio, tunc præſumẽdum eſſe, intentionem ipſorum cõtrahentium non fuiſſe, ita contractum pro toto illo tempore inire, vt non facturi eſſent illum pro minori tempore habili. ita videtur ſentire *Molina de primog. cap. illo 2 n. num.* 28. §. *Illud tamẽ. in fine*. & ratio deſumi poteſt ex vniuerſalibus principijs, videlicet, in dubijs neminem præſumi inualidè contractum inire voluiſſe, aut cõtra legẽ facere; igitur ſi forma, ſub qua facta fuit locatio explicari nõ poterit alterutro ex prædictis modis, ſcilicet, an diuiſibiliter, vel indiuiſibiliter comprehẽdat totum tempus locationis; debemus in dubijs interpretari formam locationis iuxta modum licitum, ita vt valorem retineat quoad tempus permiſſum; licet deficiens ſit quoad reliquum tempus. 12

Ex his commodè ſatisfieri poterit argumẽtis adductis pro vtraque ſententia, quę nil aliud probant, niſi vtramque partem primæ noſtræ concluſionis. 13

Ad

Ad Primum argumentorum pro priori ſententia negandum eſt ex parte formæ, ſub qua ſit locatio vltra tempus permiſſum, ſemper haberi indiuiſibilitatem, ſeu inſeparabilitatem; nam, vt dictum eſt, ex coniecturis vnum, aut alterum colligi poterit. Ad primam confirmationem reſpondeo, dictionem illam; *omninò*, quamuis importet idem, ac totaliter &c. nihilominus congruā ex iure communi recipere poſſe interpretationem, vt ex pluribus Legiſtis notat *Barboſa* in explicatione huius dictionis *nu.* 18. & ideo in caſu præſenti exponi poteſt, vt referatur ad tempus non permiſſum, non autem ad permiſſum, quod ab ipſo iure conceditur; nam lex, quę generaliter loquitur, non præſumitur improbare id, quod per alias leges conceditur, vt habetur *in L. ſciendum ff. Qui ſatis dare rogantur, & L. Decurionibus. C. de ſilentiar. lib.* 12. & notat *Molina de primogen. d. cap.* 21. *§. cui opinioni*.

Ad ſecundam confirmationem aio, quòd textus ille, qui adducitur ex Clement. vbi dicitur non acquiri aliquod ius ab eo, cui ſit conceſſio, &c. debet eodem modo exponi, nempè pro tempore non permiſſo, ſeu inhabili.

Ad argumentum verò pro poſteriori ſententia, facilis eſt reſponſio ex dictis; nam quatenus vniuerſaliter, & abſque diſtinctione aſſerit, tempus permiſſum, & licitum in caſu poſitò eſſe ſeparabile a tempore non permiſſo, & illicito, eſt negandum, quia interdum hæc duo tempora in contractu etiam locationis ſunt inſeparabilia, vt ſupra oſtendimus; ſi verò argumentum nō procedat vniuerſaliter, ſed tantùm in quibuſdam caſibus, non eſt negandū; nihil autē contra me, nec cōtra Authores primæ ſententiæ, qui non defendunt, hæc duo tempora nunquam ſeparari poſſe, ſed id abſolutè tuentur, præſcindendo a circumſtantijs, ex quibus deduci poterit ſeparabilitas.

14 Quæ dicta ſunt de locatione, applicari debent emphyteuſi, quando permiſſa eſt vſque ad talem determinatam generationem, & non vltra, v. g. vſque ad tertiam tantum, & hoc non obſtante concedatur vſque ad quartam, aut quintam; de hoc enim contractu eodem modo eſt ratiocinandum, ſicuti de contractu locationis, cum in hoc parificentur; Pro complemento autem huius controuerſiæ duo ſuperſunt elucidanda in ſequentibus.

Quæres primò, quid dicendum ſi locatio ſiat ad plura triennia, v. g. ad duo, vel tria, & tale adijciatur pactum, vt priori triennio peracto, alterū incipiat, & tot ſint locationes, quot ſunt triennia, videlicet duo, vel tria? & in idem recidit, ſi pactum hoc alio modo ſiat, nēpe, vt completo priori triennio, ex nūc pro tunc intelligatur alia locatio per aliud triennium, & ſic deinceps. Talem locationem non eſſe irritā ſentit *Baldus de feud. quibus modis. tit* 1. *§. aut ſi in Libellario, & in L. voluntas. C. de fideicommiſſ*. Sed oppoſitum communiter tuentur alij; *Alexander conſil.* 165. *per totum lib.* 2. *& conſil.* 104. *num.* 6. *lib.* 3. *Ruinus conſil.* 37. *num.* 13. *lib.* 1. *Vaſcus de iure emphyt. quæſt.* 29. *nu.* 15. *Couarr. var. reſol. lib* 2. *cap.* 16. *num.* 4. *Molina noſter tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 466. *num.* 8. *ver. An verò locatio. Azor. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæſt.* 3. *Barboſa allег. illa* 95. *nu.* 17. & nouiſſimè *Hyacinthus Donatus in ſua quadripartita praxi to.* 1. *tract.* 14. *quæſt.* 40. *num.* 2. *& alij*. 15

Reſpondeo hanc ſecundam ſententiā eſſe recipiendam, quæ probari poteſt per textum *in Auth. de non alien. coll.* 2. *cap.* 3. *§. Quod autem*, vbi declaratur, nullius roboris eſſe pactum à quibuſdam adiectum in contractu emphyteuſis, videlicet quod peractis duabus alijs generationibus miniſtri Eccleſię obligentur iterum concedere in emphyteuſim eamdem rem priùs conceſſam ad duas generationes; declaratur, inquam, nullum, & irritum eſſe huiuſmodi pactum, & in eodem textu aſſignatur ratio in fine eiuſdem Paragraphi, vbi ſic dicitur [In hoc enim nihil aliud eſt, quàm per reuolutionem perpetuas eis emphyteuſes, magis autem priuationes Eccleſiaſticarum agi rerum] videlicet in talibus conceſsionibus, per quamdam fraudem potius priuationes rerum Eccleſiarum tractari, quam emphyteuticas illarū cōceſſiones; proindè declaratur, pactum hoc, vt potè à iure reprobatum, non valere.

Quæres ſecundò, num quę dicta ſunt de locatione rerum immobilium Eccleſię, verificentur etiam de fructibus, ſeu redditibus, itaut nequeant locari vltra triennium? Reſpondeo, eſſe duas ſententias, quarum prima vult, ſub lege prohibente locationem vltra triennium nō comprehendi locationem fructuum. ita 16

Co-

Couar. cap. illo 16. *num.* 6. *Cenedus in decret. collect.* 76. *num.* 5. *Mantica de tacit. coniect. lib.* 5 *tit.* 3. *nu.* 21. *Vaſquez in opuſc. de redditibus cap.* 1. §. 2. *nu.* 34. *Molina noſter tract.* 2. *de iuſt. diſp* 368. *Scortia in Bull. Pontific. Teorem.* 115. *& alij*.

Secunda ſententia negat, eamque defendunt *Guttierrez in quaeſt. can. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 15. *Boerius deciſ.* 224. *nu.* 2. *Garzia de beneſ part.* 2. *cap.* 1. *num.* 33. *Bonacina diſp.* 2. *quaeſt. vnica. punct.* 2. *num.* 25. *Barboſa ibidem nu.* 19. *& Hyacinthus Donatus tract.* 14. *cit. quaeſt.* 44. & haec ſententia, vt probabilior eſt tenenda, & probari poteſt ex Extrauag. *Ambitioſa*, in qua, cum prohibetur alienatio rerum eccleſiaſticarum, declaratur, ſermonem eſſe non ſolum de rebus immobilibus, verùm etiam de mobilibus, quae ſeruando ſeruari poſſunt, ſeu de mobilibus pretioſis, quae inſeruiunt cultui diuino, & alimentis miniſtrorum; tales autem ſunt fructus percipiendi vltra triennium; nam, cum hi non extent, neque ſint extituri, niſi poſt tres annos, nullum eſt periculum, vt deperdantur: praeterea inſeruiunt pro alendis miniſtris Eccleſiae: igitur comprehendi videntur ſub prohibitione de non alienando. totũ hoc confirmat Barboſa alio argumento, nempè ad vitãdas fraudes; nam qui poſſidet bona illa Eccleſiae, locans pro pluribus annis, poteſt de praeſenti in praeiudicium ſucceſſorum recipere fructus, aut magnam illorum partem maturandam tempore futuro, cum detrimento illorũ, qui ſucceſſuri ſunt.

Ad fundamentum prioris ſententiae negandum eſt, talem alienationem non comprehendi ſub lege prohibente, vt ſuperius vidimus.

CAPVT III.

Si reſeruetur penſio cum clauſula [Dũmodo non excedat tertiam Beneficij partem] ſi exceſſerit, an tota vitietur, nec ne?

17 CAſus tali pacto formatur. Sit Titius habens beneficiũ eccleſiaſticũ, cuius valor aſcẽdat ad trecẽtos aureos, & velit ob aliqua motiua illud Caio renũtiare, reſeruando ſibi penſionem, habita prius licentia à Summo Pontifice, qui eam cõcedens, clauſulam apponat, videlicet, [Ne penſio excedat tertiã partem fructuum eiuſdem beneficij] & hoc non obſtante reſeruetur penſio ſuperans tertiã partem fructuum eiuſdem beneficij; nam, quamuis tertia pars ſit centum dumtaxat aurei, penſio tamen reſeruata aſcẽdit. v. g. ad centum viginti; propterea quaeritur, num reſeruatio haec tota corruat, quatenus eſt contra formam praeſcriptam à Pontifice, an potius ſuſtineatur pro parte legitima, nempè pro centum tantùm aureis.

Prima ſententia vult, totam penſionẽ vitiari, & corruere; quia licèt quantitas, ſeu ſumma ſit diuidua, & conſequenter regula, quae aſſerit, vtile non vitiari per inutile, locum habere poſſit, nihilominus, quia forma ex mente diſponentis eſt indiuidua, idcircò non ſeruata forma tota diſpoſitio erit irrita: & in hac ſententia videtur eſſe *Barboſa tract. de clauſ.* 49. *num.* 4. vbi, licet prius ponat ſententiam, quae aſſerit, non vitiari totam penſionem; poſtea tamen affert argumẽtum in cõtrarium, illudque ita exagerat, vt in ſententiam hanc, quae vult, totam penſionem corruere, deuenire videatur. 18
probatur autem haec opinio, quia clauſula, *Dũmodò, &c.* conditionalis eſt, proindè formam importare videtur, vt communiter aſſerunt Iuriſtae apud *Flaminium Pariſium de reſig. lib.* 1. *quaeſt.* 3. *nu.* 13. qua deficiente, etiam in minimo, tota diſpoſitio corruit. *L. Maeuius. L. Qui hered. ff. de condit. & demonſt.* vt ex pluribus aſſerit *Barboſa in ſuis varijs tract. axiom.* 100. *num.* 3. *& ſeq.* & etiam *in Cap. cum dilecta. num.* 6. *de reſcript.* Et confirmatur, nam deciſum fuit in Rota, quam refert Garzia loco infra citando, quòd, ſi penſio in obolo eſt nulla, tota corruit; inde eſt, vt ſi in cõſtitutione penſionis apponatur eadem clauſula, videlicet, Dummodo non excedat medietatẽ, quãdo tamẽ excedit, in totũ erit nulla, vt docent *Flaminius Pariſius lib.* 6. *de reſignat. quaeſt.* 2. *num.* 58. *Hieronymus Gigas de penſione. qu.* 9 *num.* 4 *& quaeſt.* 35. *num.* 2. & apud eoſdem *Mandoſius de penſion. verſ. clauſula*, Dummodo. Haec autẽ, & alia argumenta ſuadere videntur inualiditatem reſeruationis, & pẽſionis, de qua procedit quaeſtio haec.

19 Secunda ſententia eſt contraria; nempè, reſeruationem non vitiari in totum, ſed eſſe reducendam ad tertiam partem fructuum, ita *Caſſad. deciſ.* 4. *de penſion.*

ver.

verſ. ſine praiudicio. Puteus deciſ. 32. *nu.* 2 *Loterius de Rebeneſic. lib.* 1. *quæſt.* 41. *num.* 29. *Garzia eodem tract. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 417. *& ſeq. Riccius in collect.* 1246. *Mareſcotti variar. reſol. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. *& alij.*

Probatur autem primò, quia dictio illa, *dummodo*, non ſemper importat cõditionem, imo ex ſua propria natura denotat modum; vt ex multis Authoribus affirmat *Barboſa diction.* 95. *num.* 2. igitur ſi poterit conſtituere diſpoſitionẽ modalem, & non conditionalem, debemus illam ita intelligere, ne actus corruat; nam in dubijs pro validitate actus eſt præſumendum, vt habetur *in L. legem quoties ff. de rebus dub.* Secundò, quia ita videtur eſſe intentio Pontificis, qui, dum maiorem ſummam reſeruat, multò magis videtur reſeruare voluiſſe minorẽ: igitur penſio reducenda erit ad eam quantitatem, quæ non excedat tertiam partem fructuum beneficij. Tertiò id cõfirmari debet ex quadam Rotæ deciſione, quæ extat in volum. 3. deciſionum diuerſarum *par.* 3 *lib* 3. *Deciſ.* 1160. quæ incipit *Archidiaconus. n.* 7. in qua quidẽ deciſione diſcuſſæ hinc indè fuerunt rationes pro vtraque parte, & tandem concluſum fuit, penſionem, quæ excedebat, eſſe reducendam ad ſummam debitam.

20 Tertia ſententia procedit cum diſtinctione tali pacto; ſi penſio illa exceſſiua in ea quantitate impoſita fuit ad petitionem reſignantis beneficium, & ita excedat, vt nequeat congrua remanere, nẽpè vt ſuperſint centum pro Rectore, ſeu mille pro Epiſcopo, ſicuti ſtatuit *Concilium Trident. ſeſſ.* 21. *de reformat. cap.* 3. tunc ait, totam penſionem vitiari, & nullam eſſe; ſi verò non fuit impoſita ad petitionem reſignantis, ſed ex alia cauſa, tunc non vitiari totam, ſed quoad exceſſum dumtaxat. ita docet *Garzia cap. cit. num.* 422. Probat autem primam huius ſententiæ partem, quia reſignans, & petens penſionem in tanta quantitate ſub determinata conditione videtur voluiſſe reſignare, vt ſibi ſoluatur tanta penſio, aliter non præſumetur reſignaturus, & ſic reſeruatio fit indiuidua, & nequit vitiari pro vna, & non pro alia parte: & conſequenter in hoc caſu fallit regula Iuris ſtatuens, vtile per inutile non vitiari. Secũdam verò partẽ probat, quia, cum penſio non ponatur ad petitionem reſignantis, ſed propter vacationẽ beneficij, vel ob aliã cauſam extra modum conditionatum, clauſula illa, *dummodo*, non debet ſumi conditionatè proindè ſolum operabitur reductionem, non verò nullitatem.

Quarta ſententia, quæ etiam cum diſtinctione loquitur, duos caſus figurat. 21
Primus ita ponitur: ſi ille, qui impetrat, in litteris exponit, penſionem non excedere tertiam partem, cũ reuera excedat; tunc aſſerit, nullam eſſe reſeruationem, & totam vitiari: & ratio eſt, quia in his, aut ſimilibus litteris ſemper intelligitur clauſula, ſi res ita ſe habeat, ſicuti exponitur. *cap. ex parte de reſcript.* ſurreptitia igitur erit impetratio, & tota diſpoſitio corruet.

Secundus caſus erit, ſi reſeruatio fiat motu proprio Pontificis abſque eo quod exprimatur, ad quam partẽ fructuũ aſcẽdat penſio ſuper beneficium, cui onus imponitur; & in hoc caſu, ſi inueniatur, quòd penſio illa excedat ſummam conuenientem, facienda erit reductio. Hanc ſententiam ita declarat, & defendit *Gigas de Penſione. quæſt.* 35. *à num.* 2. & deinceps. His omnibus præmiſſis quid probabilius mihi videatur, nunc aperiam.

Dicendũ eſt primò ſententiã primo loco relatã ſi intelligatur vniuerſaliter nõ 22
eſſe recipiendam. Probatur, tũ quia clauſula *dummodò*, non ſemper importat conditionem, tum etiam quia materia iſta de ſe eſt diuidua; proindè ſi aliunde non ſit indiuidua, permittit, vt regula de vtili locum habeat, & ſic penſio reduci poterit ad ſummam, quæ non excedat tertiam partem. Quod clauſula non imponat cõditionem in caſu præſenti, oſtẽditur, quatenus admittere poteſt hunc ſenſum, videlicèt, pẽſionem reſeruari ad quantitatem illam, quæ non excedat tertiam partem fructuum beneficij; ſic enim ſaluatur validitas diſpoſitionis, & nemini fit præiudicium, nempè nec penſionario reſignanti, nec ipſi reſignatario. Ex nullo autẽ capite materiam de ſe diuiduam fieri indiuiduã facilè oſtènditur; non enim ex parte formæ; quia, vt probaui, clauſula in ipſa diſpoſitione contenta non eſt conditionalis, nec præter hanc reperitur alia clauſula, quæ ſit conditionalis; rurſus nec ex intentione pẽſionarij, & titularis, aùt *S*ummi Ponti-

ficis habetur aliquid, per quod diſpoſi-
tio ex diuidua fiat indiuidua. Ergo a pri-
mo ad vltimum dicere debemus, in hac
diſpoſitione vtile non vitiari per inutile,
videlicet id, quod eſt licitum, non reddi
illicitum per additionem illiciti.

Dicendum eſt ſecundò, ſi penſio ex-
23 cedens imponatur in tanta quantitate
ad inſtantiam reſignantis beneficium,
reſeruationem corruere in totum, & hoc
ad rationē aſſignatā à *Garzia*, vt in rela-
tione tertiæ ſententiæ aſſertum fuit, vide-
licèt, quia reſignans, ſub tali conditio-
ne, & non aliter reſignare voluit; idcir-
cò locum non habet reductio.

Dicendum eſt tertiò, corruere totam
24 etiam in caſu poſito in quarta ſententia,
nempè quando *Pōtifex* mouetur ad im-
ponendam penſionem tantæ quantita-
tis ob expreſſionē falſam quoad valorē,
ad hoc vt principaliter determinetur
penſio; ſecus ſi expreſſio fiat pro ſtatu-
enda congrua in fauorem titularis: quā-
uis conſecutiuè ex tali expreſſione de-
terminetur quantitas penſionis. *Sic Lot-
terius quæſt. illa* 41. *num.* 30. 31. 32. &
ratio eſt; quia falſa expreſſio non nocet
reſignanti; nam congrua ſemel determi-
nata ſemper remanet pro ipſo titulari; ſe-
cùs autem eſſet, ſi expreſſio falſa quoad
valorem fieret pro determinanda quan-
titate penſionis; tunc enim tota vitiare-
tur, vt rectè ibidem notat idem *Lotte-
rius*.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, ſolue-
re poſſumus rationes allatas pro alijs sē-
tentijs, quæ faciunt contra poſitas con-
cluſiones.

Ad illud igitur, quod adductum fuit
25 pro priori ſententia, nempè per illā clau
ſulam, *Dummodò non excedat*, &c. in-
duci formam, quæ ſi deficiat, tota diſpo-
ſitio conſequenter corruit, Reſpondetur,
negando, per illam clauſulam vniuerſali-
ter haberi conditionem; nam interdum
habet tantum vim admonitionis, vt no-
tant plures, inter quos eſt *Bertachinus
in repertorio Iuris. verb. Dummodò, Re-
buffus in* L. *maiori parte. verſ. Dummo-
dò ff. de verb. ſignif. Menochius conſil.*
134. *nu.* 36. & alij, quos citat, & ſequitur
*Barboſa in collect. cap. non poteſt. de
preb. & dignit. in* 6. *num.* 8. in caſu au-
tem noſtro negamus, induci formam, vt
ſupra diximus.

Ad fundamentum, quo nituntur Au-
ctores ſecundæ ſententiæ reſpondeo, eſſe
admittendum, ſi aliundè non reſultet in-
diuiſibilitas, vel ex ipſa diſpoſitione, &
modo impetrandi, vel ex intentione
Pontificis.

Ad rationes pro tertia, & quarta ſen-
tentia patet reſponſio ex his, quę dicta
ſunt in ſecunda, & tertia concluſione.

CAPVT IV.

*Surreptio contingens in vna tantum
reſcripti parte, num totum
reſcriptum vitiet?*

PRo completa huius quæſiti deciſione 26
ſupponere debemus, quod nomen
hoc, *Reſcriptum*, in iure, & ab Authori-
bus interdum latè, interdum verò ſtri-
ctè accipi ſolet, vt notat *Abbas in ſūma-
rio rubricæ de Reſcript.* & vt aliquibus
placet, tripliciter ſumitur, videlicèt gene-
raliter, minus generaliter, & ſpecialiter:
ſic *Cardinalis Zabbarella cap ſuper lit-
teris num.* 12. *eod tit. & Nebriſſenſis*
in vocabulario vtriuſque iuris, ex Gof-
fredo. Si autem latè, & generaliter acci-
piatur, eſt mandatum Principis aliquid
præcipientis, vel indulgentis, ſiue priua-
tis perſonis, ſiue vniuerſitatibus, ſiue
ad inſtantiam aliorum, ſiue motu pro-
prio: ſic ex *Rebuffo de clauſulis Man-
dat. de diuiſione Reſcripti, & ex Goffre-
do apud Nebriſſenſem*; hoc autem pa-
cto comprehendit quamcumque diſpo-
ſitionem factam à Principe, ſeu quod-
cùmque reſcriptum, ſiue Iuſtitiæ, ſiue
gratiæ. Minus autem generaliter com-
prehendit reſcripta, quę pertinēt ad ne-
gotia, & lites, ſiue ſpectantes ad perſonas
priuatas, ſiuè ad communitates, & de
Reſcriptis ſub hac acceptione agitur in
rubrica citata. Denique ſumitur aliquā-
do ſpecialiter, & ſtrictè, & ſic nihil aliud
eſt, niſi illud, quod ſcribit, & emittit
Princeps pro Iuris obſeruantia, vt euenit
quando remittit, ſeu delegat cauſſam
aliquam decidendam ab ipſo delegato.
In pręſentia autem conſidero reſcriptum
largè ſpectatum, ſiue ſit reſcriptum gra-
tiæ, ſiue Iuſtitiæ, in quibus ſæpè accidit
ſurreptionem aliquam inueniri: idcircò,
cum aliquando ſurreptio vitiet totum
reſcriptum, aliquando verò minimè, &
hoc determinandum ſit iuxtà regulam
hanc, quam examino, placet nonnulla
exempla in medium afferre, quibus de-
claratis, ſimile iudicium feratur de alijs
caſ-

Digitized by Google

eaſdem inuoluentibus rationem:

27 Supponere etiam debemus ſurreptionem, vel eſſe circa cauſſam impulſiuam, vel circa cauſſam finalem; & quamuis diſſentiant Authores in declaratione vtriuſque cauſſæ, vt videri poteſt apud *Tiraquel tract. ceſſante cauſſa, in prima limitatione*, & apud *Sanchez lib. 8 de matrim. diſp. 1. cap. 2. num. 714. & tom. 2. diſp. 4. cap. 6. num. 322. 323.* nihilominus in materia hac de reſcriptis, quidquid ſit in alijs materijs, placet deſcriptio illorum, qui aiũt, cauſſam finalem eam eſſe, qua non exiſtente, Princeps non moueretur ad concedendam gratiam, vel qua ſignificata denegaret, quod petitur; Impulſiuam verò eam, quæ declarata, vel falſò expreſſa, ſeu tacita, aut faciliùs, aut difficilius moueret voluntatem Principis: ſic explicat vtramque cauſſam in materia de reſcriptis *Tiraquel. limit. cit. num* 11. quem ſequitur *Sanchez loco cit.* & quamplures apud ipſum. Propono igitur caſum examinandum in reſcriptis gratiæ, quæ per ſurreptionẽ magis vitiantur, quàm reſcripta iuſtitiæ, vt notat *Sanchez diſp. cit. num. 3. & nu. 54.* quia reſcripta gratiæ, quæ per ſurreptionem obtinentur, ipſo iure ſunt irrita; reſcripta autem iuſtitiæ ſunt valida, vſque dum ſurreptio ab aduerſario allegetur. Caſus autem diſcutiendus ita figuratur. Titius perpetuo caſtitatis voto aſtrictus, & timens incontinentiæ periculum, petijt à Pontifice diſpenſationem, & finis fuit ad vitandum ſupradictum periculum; & quia volebat ducere vxorem Bertam ſibi conſanguineam, in eadem ſupplicatione allegauit pro motiuo paupertatem ipſius Bertæ, cum hoc tamen fuerit falſum; Pontifex gratiam conceſſit. quæritur, num vitium, quod continetur in vna parte huius reſcripti, nempe in diſpenſatione quoad conſanguinitatẽ, vitiet alteram partem, ſcilicet diſpenſationem quoad votum caſtitatis, non obſtante quòd vera, & legitima fuerit cauſſa diſpenſandi in voto?

28 *Prima ſententia* vult, non vitiari, quia ſunt partes omninò ſeparatæ, non habẽtes inter ſe connexionẽ, & quoad illas locum habere hanc regulam; vtile non vitiari per inutile in ijs, quæ diuidua ſũt, vt explicaui in declaratione eiuſdem regulæ. Hanc ſententiam tuetur *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 21. num. 27.* quẽ ſequitur *Merolla in ſua Theolog. morali tom. 2. diſp. 4. cap. 6. quæſt. 1. num. 403.* qui præter Leſſium, & *Sanchez*, citat Bonacinam, *Layman*, & Filliucium.

Secunda ſententia vult, per ſurreptionem fraudulentam totum Reſcriptum vitiari, hoc eſt non ſolum partem illam, in qua inuenitur ſurreptio, ſed etiam, alteram. ita quamplures Canoniſtæ *in cap. ſuper litteris de Reſcript. Panorm. num. 1. & 2. Zabarella num. 4. Berous lect. 1. à num 4. & lect. 2 à nu. 13. Barboſa num. 4 & in cap ſedes. eod tit. Felinus num. 2. Francus eodem tit. in 6. & alij.* 29

Hæ ſunt Doctorum opiniones circa hunc caſum, quæ licet contrariæ videãtur, poſſunt tamen, ni fallor, facilè in concordiam reduci. Vt autem hoc præſtetur, ſuppono, gratias, quæ proponuntur concedendæ, & continentur in partibus reſcripti duplici modo poſſe ſe habere. Primò, vt præter connexionem reſultantem ex vnitate eiuſdem reſcripti, cõnectantur per ordinem ad eumdem finẽ, V. g. ſi Titius volẽs ducere vxorem Bertam impediatur, tum ratione voti totalis caſtitatis, tum ratione conſanguinitatis, quæ eſt in ſecundo gradu, & ideo Pontifici ſupplicet petens diſpenſationẽ in vtroque impedimento; ſed in ipſamet ſupplicatione doloſè, vel taceat aliquid, quod neceſſario fuiſſet exprimendum v. g. interueniſſe carnalem copulam intuitu facilitandi diſpenſationem, vel exprimat aliquod falſum mouẽs Pontificis mentem, ſcilicèt Bertam non inuenire virum paris conditionis præter ipſum Titium, cui nubere poſſit; & Pontifex his expreſſis diſpenſet in vtroque impedimẽto: Secundò ſi ea, quæ in eadem ſupplicatione continentur, præter connexionẽ ex vnitate reſcripti, nullam aliam habeant connexionem, vt ſi Titius v. g. ſit adſtrictus duplici voto, nempè caſtitatis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ, & pro diſpenſatione caſtitatis alleget falſam cauſſam doloſè, ſcilicet incentiuus carnis, cum reuera talibus incentiuis minimè laboret, & diſpenſationẽ in vtroque voto obtineat; quamuis autem vtrumque reſcriptum ſit ſurreptitium ex dolo, quem ipſemet ſupplicans commiſit, attamen quoad vitium diuerſo modo de his reſcriptis erit iudicandum; nam primũ quoad vtramque partem vitiabitur, idest tum quoad illam, in qua fuit ſurreptio fraudulenta, ſeu illa, in qua falſa 30 31

Digitized by Google

cauſſa allegata fuit ad diſpenſandum in gradu conſanguinitatis, tum quoad illam aliam, in qua petita fuit diſpenſatio in voto caſtitatis, & allegata fuit vera cauſſa; & ſic totum reſcriptum redditur deficiens, itaut vtile per inutile vitietur; quia vtraque diſpenſatio ad eumdem finem tendit: ſed non ita eſt dicendum de ſecundo reſcripto, in quo gratiæ, quæ petuntur, non ſunt ad eumdem finem ordinatæ; quia diſpenſatio in voto caſtitatis, & diſpenſatio in voto peregrinationis ſunt omninò diſparatæ, & formaliter, ſeu virtualiter, vt loquitur *Sanchez loc. cit.* cêſentur plura reſcripta, licet realiter, ſeu materialiter ſint vnum. Ad concordiam autem reducendo Authores, qui videntur oppoſita docere, aio, eos, qui pro prima ſententia citantur, exponi poſſe in eo caſu, in quo gratiæ, quamuis ſint in eodem reſcripto, nullam tamen neque ſecundum ſe, neque in ordine ad finem habent connexionem: Authores verò poſterioris ſentẽtiæ loquuntur, quando gratiæ inter ſe diſtinctæ, & diſparatæ petuntur in ordine ad eumdem finem, vt patet ex allatis exemplis. Demum aio, quòd ſi quis velit Authores prædicto modo intelligi, & conciliari non poſſe, ita vt cogamur alterutram ſententiam admittere, placet magis prior ſententia.

CAPVT V.

Si Teſtis in vna parte proceſſus falſum aſſerat, vtrum totus proceſſus vitietur?

31 PArtem affirmatiuam cõmuniter tuẽtur Authores, & probatur primo ex varijs iuribus; celebris eſt Textus *in cap. Pura, & ſimplex. 3. quæſt. 9.* ex S. Ambroſio *lib. de Paradiſo. cap. 12.* vbi hæc verba habentur [Plerumque teſtis, dum aliquid ad ſeriem geſtorum ex ſuo adijcit, totam teſtimonij fidem partis mẽdacio decolorat] vide quo pacto textus expreſsè aſſerat totam fidem illius teſtificationis decolorari, ideſt amittere colorem veritatis, ſeu denigrari.

Et confirmatur ex alio textu S. Auguſtini epiſtola 9. ad Hieronymum, & refertur *in cap. Si ad ſcripturas. diſt. 9.* ibi enim dicitur, quòd ſi in ſacris ſcripturis inuenirentur mendacium aliquod, quamuis officioſum, nihil authoritatis remaneret in illis. ita exponit ibi Gloſs. Ex his autem iuribus, & Sanctorum Patrum dictis colligimus, ſi quis in aliqua parte ſuæ atteſtationis falſum proferat, totã teſtificationem corruere, & vtile per inutile vitiari; & hanc ſententiam expreſsè docent *Alexander conſil. 99. num. 22. vol. 5. & conſil. 150. n. 21. vol. 6. Tiraquel. de pœnis temporal. cauſſa. 44. num. 42. Iulius Clarus lib. 5. § fin. quæſt. 53. num. 8. & ſeq. Farinacius tract. de teſtibus. qu. 67 à num. 181. Maſcardus de probat. concl. 743. Rebuffus de reprobat. teſtium. nu. 204 & ſeq. & alij*, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in collectan. d. cap. Pura.* Probatur ſecundò ratione fundamentali, quia ille, qui in vno mendax deprehenditur, in omnibus alijs mẽdax præſumitur *Alciatus de præſumpt. Reg. 3. præſ. 7. Gratianus deciſ. 736. nu. 50. Maſcardus concluſ. cit. num. 4. & 5. Barboſa*, vt ſupra, & alij.

Limitanda tamen eſt hæc ſententia, quando falſitas non eſt circa ſubſtantialia, ſeu non eſt in ijs, quæ ſpectant ad negotium principale, & ita eam in multis limitat Gratianus.

CAPVT VI.

Vtrum ſententia Iudicis tota vitietur, ſi procedat de maiori ſumma, quam ſit debita?

CAſus ita formatur. Titius debens centum Sorti conuenitur ab ipſo Sorte coram Iudice legitimo, vt cogatur ſoluere: Iudex autem, audita vtraque parte, & conſideratis hinc inde rationibus, ferat ſententiam condemnans Titium ad ſoluendum Sorti centum viginti; quæritur num ſententia tota corruat, an verò ſit valida pro parte debita, inualida verò pro indebita, ita vt locũ habeat regula Iuris, nempè, vtile non debet per inutile vitiari. 32

Dicendum eſt, inualidam eſſe ſententiam illam, & eidem regulam hanc minimè ſuffragari: & ratio eſt, quia ſententia eſt quid indiuiduum, vt habetur *in L. In hoc iudicio. ff familiæ ercisc.* & expreſsè concluſionem prædictam defendunt *Baldus L. In hoc iudicio cod. tit. Barboſa in collectan. exponendo regulam hanc num. 1. Petrus PreKiuann. 22. & alij.*

Dices: Pro parte negatiua eſt regula Iu- 33

Digitized by Google

Iuris ſtatuens, vtile non vitiari per inutile: ergo falſa eſt concluſio affirmans.

Reſpondeo cum Bartolo, quem adducit *Gloſ.* hic, ſcilicèt quod vtile vitiatur per inutile, quando in iure id expreſſum habemus, vt accidit in caſu præſenti per textum *in d. L. In hoc iudicio*: vel reſpondeo cum *Gloſſa* in expoſitione huius regulę ver. [Vel dic plenius] regulariter vtile non vitiari per inutile, niſi ſit ratio, vel caſus ſpecialis contrarium ſuadens, vt euenit in caſu noſtro, in quo agitur de ſententia, quæ eſt quid indiuiduum, vt notant Authores citati; & ideò nequit quoad partem valere, & quoad partem non valere.

C A P V T VII.

An inſtrumentum à Notario confectũ, ſi in aliqua parte falſitatem aliquam contineat, totum corruat?

34 AFfirmatiuè reſpondeo. ita docent communiter Doctores, idque colligunt *ex L. 2. C. de veteri iure enucl. Gloſ. ibi verb. libri & ex cap. Quanto. ver. Abſentium. de his, quæ fiunt à Præl. & Gloſ. in cap.* Si *ad ſcripturas ſanctas. diſt. 9 ver. Quid in eis*, & ita firmant Doctores *in L. ſi ex falſis. C. de tranſact. Cynus num. 5. Bartolus num. 2. ver. aut inſtrumentum. Baldus num 24. Menochius de præſumpt. lib. 5 præſum 21. Maſcardus de probat. concl.* 742. & Canoniſtæ *in cap. Fraternitatis.* de Hæreticis. *Hoſtienſis ibi num. 6. Ioannes Andreas. num. 1. Felinus num. 16. Barboſa in cap. cit. ſi ad ſcripturas. num. 1.* & alij apud ipſum.

35 Cæterum concluſio hæc intelligenda eſt, vt locum habeat, quando falſitas inuenta reſpicit ſubſtantialia ipſius inſtrumenti, ſeu quando reſpicit illa, in quibus tota vis inſtrumenti reſidet, & de quibus Notarius facit fidem de viſu, nempe de loco, tempore, teſtibus, & ſimilibus; ita animaduertit *Barboſa in d. cap.* Si *ad ſcripturas, num 2.* & ideò ſi falſitas nõ pertinet ad ſubſtantialia, ſeu ad circumſtantias ſubſtantiales, tunc non vitiabitur totum inſtrumentum; vt ſi Notarius aſſerat, contrahentem eſſe ciuem talis loci, aut Parochiæ, cum ita non ſit; vel dicat, eſſe conſanguineum, vel affinem alicuius, & reuera non ſit, vel dicat inſtrumentum confectum fuiſſe in domo Titij, domus autem ſit alterius: in his autem, & ſimilibus, ſi ad ſubſtantialia facti minimę pertineant, non vitiabitur inſtrumentum. Vtramque partem docet *Maſcardus de prob. concl. cit. nu. 1. Menochius præſump 11. num. 6. & 27. Fachin. in controuerſ. lib. 9. c. 79. ver. Iſtis ergo*, & alij Canoniſtæ, quos laudat, & ſequitur *Barboſa loc. cit. num* 4. qui nu. 3. immediatè ſequenti, ex multis Authoribus limitat concluſionem, quando falſitas eſt de re, cuius veritas aliunde demonſtratur, vel eſt de re tenui, vel in aliquo acceſſorio, vel quando ex confeſſione partis, nempè alterius contrahentis, conſtat, alias partes inſtrumenti eſſe veras.

36 Quæres vtrum doctrina, ſecundùm quam diximus totum inſtrumentum corruere, quando in aliqua illius parte inuenitur falſitas pertinens ad ſubſtantialia, intelligi debeat quoad capitula cõnexa, & ad acceſſoria parti illi, in qua continetur falſitas, an verò etiam quoad alia, quamuis ſeparata, & diuerſa?

Reſpondeo eſſe duas ſententias, quarum prima tuetur partem affirmantem. ita *Baldus conſ. 66. num. 4 ver. Aut ſuper pluribus, lib. 3. Marianus Soccinus in cap prædicto.* Si *ad ſcripturas. num. 11. & 12. Ancharanus ibidem num. 2. & alij.*

Secũda autem ſententia eſt negatiua, quatenus volt, quod falſitas contenta in vno capitulo non tollat fidem totaliter in alijs capitibus diuerſis, & ſeparatis ita docet *Gloſ. eod. cap. ver. ſi plura capita. Maſcard. concl. 742. cit. num. 5. 11. & ſequen. Menochius præſumpt. 21. nu. 42. Barboſa cap cit.* Si *ad ſcripturas. nu.* 2. vbi ait, hanc opinionem maiori Doctorum calculo receptam eſſe: & his Authoribus aſſentior, quia cum nulla connexio ſupponatur eſſe inter capitula illa, falſitas vnius nequit tollere fidem aliorũ capitulorum, vt in ſimili loquuti ſumus ſupra agentes de ſubreptione reſcripti.

37 Dices. Semel malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali, vt habetur tam in iure ciuili, quam canonico, *L. Filius* § *1. ff. de accuſat. & cap. ſemel malus de reg.* Iuris *in 6.* & Doctores hoc ipſum communiter docent: ergo, cum Notarius deprehenſus ſit falſarius in vna parte illius inſtrumẽti, per conſequẽs totum inſtrumentũ cenſendum eſt vitiatũ.

Reſ-

Reſpondeo, quamuis falſitas in vna parte inſtrumenti poſſit præbere aliquam ſuſpicionẽ falſitatis in alijs partibus, magis, aut minus, iuxtà qualitatem materiæ, de qua agitur, conſiderationem perſonæ, aliaſque circumſtantias; nihilominus ex hoc non ſequitur, vitiari totum inſtrumentum, ſi in re inueniatur veritas in reliquis partibus: aliud enim eſt eſſe ſuſpicionem de falſitate, aliud eſſe inualidum totum inſtrumentum ratione falſitatis contentę in vna parte, licet ſit veritas in alijs partibus: de primo ego non ſum locutus, ſed tantùm de ſecundo; & dico, totum inſtrumentum non corruere: neque ex iuribus citatis contrariũ colligitur; ſolum enim ex illis deducimus, aliqualem præſumptionem falſitatis haberi poſſe, & nihil aliud.

CAPVT VIII.

An vi huius regulæ ſuſtineatur electio per viam ſcrutinij, ſi plures, quàm forma præſcribat, deputentur ſcrutatores?

28 QVæſitum declaratur, ſupponendo triplicem illam formam canonicã eligendi: videlicet per ſcrutinium, per compromiſſum, & per inſpirationem, ſeu electionem, vt notat *Gloſ. cap. Quia propter. de electione. in explicatione caſus.* quocumque autem modo ex his fiat electio, ſi plures, quàm præſcribuntur, admittantur, quæritur, num electio facta ab his omnibus ſit valida, nõ obſtante plurium, quàm par fuerat, admiſſione, & interuentu? V. g. *in cap. cit.* diſponitur, vt tres eligantur ſcrutatores de Collegio, ſeu Capitulo, qui ſigillatim vota omnium diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent: ſi autem adhibeãtur plures ſcrutatores, quã tres, dubium inſurgit, num electio ſuſtineri poſſit vi huius regulæ, itaut vtile per inutile minimè vitietur; an verò oppoſitum ſit dicendum?

Prima ſententia aſſerit, talem electionem inualidam fore, ita *Abbas in cap. quia propter cit. num. 13. verſ. tertium ſubſtantiale. Imola num. 7. Baldus nu. 35.* & alij quamplures veteres, & recentiores, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in eod. cap. num. 13. Caſtellinus tract. de electione canonica cap. 4. num. 13. & ſeq.* vbi inualiditatẽ talis electionis ſuſè probare conatur.

Ratio vnica, & fundamentalis pro hac ſententia eſt, quia numerus ſcrutatorũ pertinet ad ſubſtãtialia formę præſcriptę *in d. c. Quia propter*, volunt n. Authores prædicti, ipſa ſubſtantialia incipere à verbis illis, *Aſſumantur tres de collegio;* & ideò, cum numerus trium ſcrutatorum inducatur, vt forma, locum non habet hęc regula, ſcilicet, vtile non vitiari per inutile; quia forma trahit indiuiduitatem.

Secunda ſententia contrarium tuetur, videlicet, validam eſſe huiuſmodi electionem, & regulam hanc procedere; & ideò per adiectionem inutilis non vitiari id, quod eſt vtile, nempè per additamẽtum plurium ſcrutatorum ſupra tres non detrahi formæ ſubſtantialiter requiſitæ. ſententiam hanc ſuſtinent plures, interquos eſt *Gloſſa in eod. cap. verb. ſanior, in fine. Cardinalis Zabbarella ibidem num. 3. quæſt. 12. Mandagottus de electione. cap. 23. paulo ante finem. verſ. Verum cum quidam; Lotterius de re beneficiaria lib. 3. quæſt. 17. num. 9. & ſeq. Franciſcus Maria Samuellius in diſputation. de electione canonica. controuerſ. 1. concluſ. 3. num. 8. & alij.* 39

Probatur hæc ſententia, quia de ratione huius formæ eſt, vt ſcrutatores electi non ſint tribus pauciores; non autem, vt eſſe nequeant plures; in textu enim ita præſcribitur numerus ternarius, vt non excludatur maior; nam in maiori numero iam habetur numerus ille, qui requiritur pro forma. Probatur ſecundò à pari. In teſtamento ſolemni, & clauſo requiruntur neceſſario ſeptem teſtes ex *L. Hac conſultiſſima Cod. de teſtam.* & tamen ſi plures adhibeantur teſtes, nõ corruit forma ſubſtantialis requiſita ad valorem teſtamenti ſolemnis; ita & in caſu noſtro, quamuis tres ſcrutatores in iure præſcribantur ad validandam electionem, ſi eorum numerus augeatur, ſalua manent ſubſtantialia. ita diſcurrunt Authores huius ſententię, & ad rationem fundamentalem contrarię ſententiæ reſpondent, negando, per additionem plurium ſcrutatorum detrahi formę eſſentialiter requiſitæ, imò huius ſententiæ fautores negant, ſubſtantialia incipere ab illo verbo, *Aſſumantur*, ſed ab illis verbis ſequentibus, ſcilicet [*Qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum, &c.*]

In hac opinionum varietate, quid ſit

ſit amplectendum, non ita facilè determinari poterit, quia vtraque opinio ſuam habet probabilitatem, & abſque difficultate defenditur.

40 Dicendum tamen eſt primò, priorem opinionem rigoroſè loquendo abſque dubio tutam eſſe, & in praxi conſulendam; quia eam ſequendò, nullum reperitur periculum erroris.

41 Dicendum eſt ſecundò, poſteriorem opinionem cenſeri probabiliorem; nam rationes, quibus fulcitur, ni fallor, efficaciores videntur; & in eius maiorem confirmationem addo aliam rationem deſumptam ex fine, quem habuit Ius ad præſcribendũ, vt tres deſignentur ſcrutatores de collegio; finis autem fuit vitare fraudes, quæ in electionibus contingere poſſent, vt patet ex lectura ipſius textus, qui ſanè finis melius obtinetur, addendo alios ſcrutatores ſupra tres; & ideo nulla eſſe poterit detractio formæ, imò perfectior eius obſeruatio.

42 Dices; ſi aliquod ſit ſtatutum, vt electio ad aliquod officium, ſeu dignitatem fiat ad tempus determinatum. V.g. ad triennium, & hoc non obſtante, fiat ad quinquenniũ, electio erit inualida in totũ & non ſuſtinetur etiam quoad trienniũ: ergo ſi deſignetur maior ſcrutatorum numerus eo, qui in Iure præſcribitur, inualida erit deſignatio, etiam quoad numerum præfixum. Antecedens eſt certum, idque docent Authores *Romanus conſil. 66. num. 2. Garzia de benef. part. 2. cap. 1. num. 59. Lotterius de re beneficiaria lib. 3. quæſt. 17. num. 14. & ſeq.* & hoc non alia ratione, niſi quia non ſeruatur forma præſcripta in ſtatuto limitante electionem ad triennium: Conſequentia probatur à pari, quia in vtroque caſu eſt exceſſus in numero, qui præfigitur in forma: ergo vel in vtroque caſu debet eſſe defectus quoad formam ſubſtantialem, & conſequenter inualiditas, vel in neutro: & cum ſuſtineatur eſſe in primo caſu, debet etiam ſuſtineri in ſecundo, videlicet, deſignationem ſcrutatorum ſupra numerum præfixum eſſe inualidam.

Reſpondeo, verum eſſe antecedens; negandam tamen eſſe conſequentiam; eſt enim diſparitas inter vnum, & alterũ caſum; nam in electione ad officium ita præfigitur determinatum tempus, vt excludatur aliud longius tempus, & ſic in officiorum conceſſionibus determinatur triennium, vltra quod debet electus ceſſare: & hæc eſt praxis communiter recepta, niſi tempus illud triennale prorogetur ab habente poteſtatem; quod ſanè rectè adnotat *Romanus loc. cit.* ſecus autem in deſignatione ſcrutatorum, quæ præſcribitur *in cap. Quia propter*; nullũ enim ibi habetur verbum excluſiuum maioris numeri, neque praxis ita rigidè id declarat, vt interdum numerus non augeatur; & ſic defacto in Ordine Prædicatorum poſſunt à capitulo eligi quatuor ſcrutatores, vt refert *Samuel loc. cit.* diſcrimẽ autem hoc magnum habet fundamentum in ipſiſmet electionibus; nam expedit bono communi, vt ſuperioribus præfigatur tempus, quo durare debeant in officio, quia ex nimia diuturnitate eiuſdem regiminis in eadem perſona ſolent, per ſe loquendo, plura incommoda Republicæ euenire: oppoſitum autem accidit in maiori numero ſcrutatorum; quia talis pluralitas iuuat potius ad finem intentum in electione, vt ſupra oſtenſum eſt; proinde, quamuis in deſignanda forma promouẽdi aliquẽ ad dignitatem, & officium, non determinaretur tempus cum clauſula excluſiua, ne excedatur; deberet tamen talis clauſula implicitè intelligi appoſita, tum quia praxis id docet, tum etiam quia, ea non intellecta, varia poſſent ſequi incõmoda: contra verò in forma eligendi ſcrutatores, niſi appoſita ſit clauſula excluſiua non augendi numerum præfixum, non intelligitur excluſio; ſed ſolũ id fit, ne minuatur numerus; quia, vt dictum eſt, ex augmento potius commodum, quam incommodum ſequitur. Et ideò ad rationem fundamentalem primæ ſententiæ deſumptam ex ſubſtantia formæ reſpondent Authores huius ſecundæ opinionis, ſubſtantialia *in Cap. Quia propter* non incipere à verbis illis; *Aſſumantur tres, & cæt.* ſed ab immediatè ſequentibus [*Qui ſecretè, ſigillatim vota*] & eſſet ab aduerſarijs probandum incipere ab illis, nempè, *Aſſumantur tres*, ita vt inuoluant ſenſum excluſiuum maioris numeri; cum, vt vidimus, pluralitas ſupra numerum ternarium non repugnet, ſed potius iuuet ad finem prædictæ legis.

CA-

CAPVT IX.

An electio ad beneficium eccleſiaſticum tota vitietur, ſi electus eum vno tantum ex electoribus ſimoniã commiſerit, quamuis reliquorum ſuffragia ſufficiant ad electionem concludendam?

43 ELectionis nomine quamcumque comprehendimus prouiſionem, videlicèt præſentationem, poſtulationem, inſtitutionem, confirmationem, & cæt.

Eſſe validam, poteſt ſuaderi hac ratione. Licèt ſuffragium vnius electoris ſit ſimoniacum, nihilominus reliqua, quæ ſatis ſunt ad concludendam electionem carent tali turpitudine; & ideò nequeũt vitiari ex ſuffragio prædicto iuxtà regulã iuris: efficaciora enim eſſe debent plura illa ſuffragia, nullum habentia defectũ, quàm ſit vnicum prauum. Et confirmari poteſt à pari. Si duo ſint patroni ius habẽtes præſentandi aliquem ad beneficiũ, & conueniant ad præſentandũ Petrum, ſed vnus ex ipſis ſimoniacè id faciat, munus à prouiſo accipiens, tunc certum eſt per ſimoniacam præſentationem huius Patroni, non vitiari præſentationem alterius patroni. ita in vna *Comen coram Merlino 6. Martij* 1595. quam refert *Farinacius lib. 1. deciſ.* 103. & in nouiſsimis 550. ergo à pari dicendum eſt per electionem ſimoniacam vnius ex electoribus non vitiari electionem aliorum. ita ſuaderi poterit opinio hæc.

44 Sed oppoſitum eſt omninò recipiendum, videlicèt, electionem illam inualidam eſſe, quod habetur expreſsè *in Cap. Nobis fuit. Ver. Vni, vel omnibus. de Simonia*, & ibi *Panor. num. 2. notab. 1. Garzia de Benef. par. 8. cap. 1. num. 10. Franciſcus Maria Samuel tract. de canon. elect. controuer. 4. concl. 6. Barboſa in eod. cap. Nobis num. 2. & alij.* Probatur concluſio. Electio prædicta cum procedat à pluribus, vt facientibus vnũ collegiũ, ſeu cũ procedat ab illis iure Collegij, ſe habet veluti vna; ergo inuoluẽs defectum ſimoniæ in vna ſua parte, tota vitiatur, quemadmodum aliquis habens v. g. maculam in oculo, quæ cauſet notabilem deformitatem, & ſi in reliquis mẽbris defectu careat, dicitur tamen ſimpliciter vitiatus, & ineptus ad ordines recipiendos, vt communiter docent Authores, & colligitur *ex cap. Præsbyteriũ. de clerico ægrotante*.

Antecedens, quatenus aſſerit, electiones illas facere vnam, probatur ex varijs Authoribus: & ità rectè notat *Baldus in L. fin. initio. C. de Impub.* quòd nomẽ collectiuum ponitur pro ſingulari perſona, idemque notat *Felinus cap. Paſtoralis. num. 9. de reſcript.* & alij, & expreſsè dicitur *in deciſ.* 418 *ex deciſionibus Rotæ Romanæ* impreſſis Lugduni anno 1617. omnes igitur illæ electiones procedunt ab electoribus, non vt ſingulis, ſed vt vniuerſis, & iure Collegij, ſeu vt facientibus vnum Collegium repræſentans fictione iuris vnam perſonam.

Ad rationem allatam pro prima ſententia facilis eſt ſolutio; nam, & ſi reliquorum electiones, quæ ſincerè procedunt, ſint quoad numerum materialiter ſufficientes ad concludendam electionẽ in perſona illius electi; nihilominus, quia ſunt connexæ formaliter cum illa alia ſimoniaca electione, idcircò tota electio erit vitiata, ſecùs ſi talem inter ſe connexionem non haberent. 45

Ad confirmationem nego paritatem, quia deciſio illa Rotæ loquitur de præſentatione procedente à patronis, vt ſingulis, & non, vt vniuerſis, ſeu facientibus vnum, ſicuti rectè animaduertit *Garzia loc. cit. num. 12.* & ideò quælibet præſentatio ſtat per ſe, & tot ſunt præſentationes, quot patroni, ita vt vna non vitietur per aliam, quo caſu locum habet regula Iuris in 6. vtile non vitiari per inutile. ſecùs in caſu illo de electionibus, in quo, vt dictum eſt, electores eligunt, vt vniuerſi, nempè iure collegij, ſeu capituli, & faciunt vnam electionem.

CAPVT X.

Sit ne irrita beneficij collatio, ſi inter Collatorem, & eum, qui beneficiũ accipit, ſimonia interueniat, quam collator aduertit; prouiſus autem inculpabiliter ignorat?

CAſus, quem proponit, & examinat *Cardinalis Delugo in ſuis moralibus reſponſis lib. 6. dub. 4 num. 11. & ſeq.* ita declaratur. Sit aliquis Prælatus, 46

tus, ad quem varia beneficia eccleſiaſtica pertineat conſe te; conueniat iſte cũ Titio, et ſibi aliquod præſtet obſequium, in cuius recon penſationem promittat beneficium conferre, & aduertat ipſe collator, hanc eſſe ſimoniam; nam ſupponitur, obſequium, quod exhiberi debet, eſſe pretio æſtimabile; Titius verò id ignorans, præſtare ſpõdeat inuincibiliter, turpitudinẽ ſimoniacam in tali actione inuolui. quæritur, an collatio hoc modo facta vitietur, & ſit irrita ob culpam collatoris, anpot ùs vitiari nequeat ob bonam fidem accipientis beneficium?

Videtur non vitiari; & eſſe validã; quia, quamuis inualiditas collationis habeat rationem pœnæ, & ſpectando ipſum collatorem ratione delicti deberetur illi pœna contra ſimoniacos impoſita; nihilominus, cum talis pœna nequeat afficere collatorem, quin etiam afficiat recipiẽtem, quia eſt indiuiſibilis, itaut ſi eſt inualida reſpectu vnius, neceſſariò ſit inualida reſpectu alterius; debet idcircò potiùs præponderare innocentia accipientis, quam delictum conferentis, licèt iſte per accidens liber maneat ab hac pœnâ, & ſolum incurrat pœnas perſonales, videlicet excommunicationem, & inhabilitatem, &c.

47 Ex alia parte videtur inualida collatio, non obſtante ignorantia inculpabili recipientis; quia Eccleſia punire vult crimen ſimoniæ, à quocumque ſit commiſſum, & in odium talis delicti irritat prouiſiones, quæ ſimoniacè ſunt factæ; & ideò in caſu præſenti aſſerendum eſt, inualidam eſſe.

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, videlicet collationem hanc vitiari 48
ob delictum ſimoniæ patratum à collatore, & quoad hanc nullitatem non ſuffragari bonam fidem illius, qui beneficium recipit. Hanc opinionem inſinuat *S. Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 6. ad tertium*, quatenus docet, quòd, ſi ipſo electo neſciente, nec volente, per alios promotio ſimoniacè procuretur, teneatur ipſe prouiſus reſignare beneficium, quam primùm ſcit, ſimoniacè fuiſſe collatum, vna cum fructibus extantibus, &c. hoc ipſum tenentur communiter Canoniſtæ apud *Garziam tract. de benef. par. 8. cap. 1. nu. 14. & ſeq.* qui vniuerſaliter docent, hoc procedere etiam in prouiſione ſimoniacè facta, ignorante prouiſo; & quamuis hãc aliqui putent non eſſe ipſo iure nullam, ſed annullandam; attamen appoſitum communiter alij ſuſtinent; & hoc eſt tenendum, ſcilicet, eſſe nullam ipſo iure, quod colligitur *ex Cap. Ex inſinuatione, & Cap. Nobis. de ſimonia*, vbi ſtatuitur, talem prouiſionẽ eſſe penitus reprobandam; verbum autem, *Penitus*, ſignificat nullitatem ipſo iure, vt notat *Garzia num. 4 cit. Suarez de Relig tom. 1. cap. 57. num. 36. & ſequent. Leſſius de iuſt. lib 2. cap. 35. dub. 25 nu. 141. Barboſa in d. cap. Ex inſinuatione. nu. 3. Delugo dub. cit. num. 13.*

Ratio autem pro hac ſententia alia nõ eſt, niſi rationabilis voluntas Eccleſiæ in odium talis delicti, quod impunitum relinqui, non permittit.

Sed inſtare quis poterit, probãdo oppoſitum, ex eo quod in iure nullibi videatur diſpoſitum, quòd irrita ſit collatio, quando ſimonia interuenit inter collatorem, & prouiſum, ſi malitia ſolum ſit ex parte collatoris, bona fide exiſtente in prouiſo. Neque valet refugere ad caſum ſimilem, de quo in iure diſponitur, nempè irritam eſſe collationem, quando ſimonia committitur ab aliquo tertio, cum ipſo collatore, quamuis prouiſus illam ignoret; non valet, inquam, tale refugium, quia in pœnalibus, quæ ſunt odioſa, nequit fieri extenſio ex vno caſu ad alium ſimilem. 49

Reſpondeo; quamuis daretur, in pœnalibus non eſſe faciendam extenſionẽ de vno ſimili ad aliud ſimile; nihilominus, vt rectè notauit *Delugo dub. cit. num. 13.* admitti debet extenſio, quando eſt identitas rationis in vtroque caſu, vt probat *Suarez de legibus cap. 3. nu. 19.* & communiter alij, quos laudat, & ſequitur *Marcolla in ſua morali theologia, diſp. 4 cap. 9. dub. 5. num. 73. & ſeq.* in caſu autem, de quo loquimur, eadem adæquata ratio reperitur, quæ habetur in illo, de quo ius expreſsè diſponit, & materialis tantum eſt diuerſitas; parum enim refert, in ordine ad hanc effectum ſimoniam committi a tertia perſona cũ collatore, ignorante ipſo prouiſo, vel committi a collatore, quando prouiſus id ignorat; nam ratio formalis adæquata, ob quam Eccleſia irritat collationẽ eſt, ipſam ſimoniacè procedere, à quocũque talis ſimonia committatur: ſic reſpõdet, *Delugo* ibidem ad hanc inſtantiã; & addit, caſum illum, de quo ius diſponit, exemplificatiuè ſe habere, ſeu, vt legaliter

ter loquar, demonſtratiuè, & non taxatiuè, & reſtrictiuè, quatenus de illo tantùm conſultus fuit Pontifex; at diſpoſitio ſumi debet vniuerſaliter de omni alio caſu, in quo eadem formalis ratio inuenitur.

50 Ad rationem pro priori ſententia reſponderi poteſt, eam ab omnibus eſſe ſoluendam; quia, cum ſimonia committitur ab alio tertio, & eam ignorat prouiſus, iam habemus ſecundùm iura inualiditatem collationis; & tamen procedit ratio prædicta, videlicet non debere maliriam alterius præualere innocentiæ ipſius prouiſi, & ſic, vt manifeſtè patet, argumentum eſt ab omnibus ſoluẽdum. Reſpondeo ſecundò, quamuis in his caſibus videatur præponderare culpa vnius ſuper innocentiam alterius, hoc tamen eſt per accidens; nam Eccleſia ob huius delicti enormitatẽ iudicat, cõuenientiùs eſſe, non relinquere tale crimen impunitum, licèt alius à culpa immunis ſuſtineat aliquam pœnam realem, non autẽ perſonalem: ſicuti leges ciuiles ob delictum leſæ maieſtatis priuant delinquentis filios hæreditate paterna, quamuis ipſi tale delictum non patrauerint. Reſpondeo tertiò ex doctrina *Patris Sanchez in conſilijs lib. 2. cap. 3. dub. 116. num. 2.* irritationem hanc, propriè loquendo, non eſſe pœnam, ſed incapacitatem quamdam, in quam aliquis incidere poteſt abſque culpa, ſicuti eſt irregularitas ex defectu lenitatis in miniſtris iuſtitiæ; & ideò prouiſus de beneficio, quamuis ignoret ſimoniam commiſſam ab alio, & ſit innocens, poterit reddi incapax ad obtinendum, & retinendum beneficium vi collationis vitiatæ per ſimoniam factam, vel à collatore, vel ab alijs tertijs perſonis.

CAPVT XI.

An votum de materia partim apta, & partim inepta, totum vitietur?

51 EX pluribus capitibus prouenire poterit ineptitudo materiæ in ordine ad votum, nempè vel ratione inhoneſtatis moralis, in quantum eſt res turpis, vel ratione impoſſibilitatis, ſiue abſolutæ ſiue reſpectiuæ ad ipſum vouentem, vel denique, quia eſt indifferens, id eſt, neque bona, neque mala moraliter; ſuppono enim ex communi ſentẽtia, votum emitti debere de meliori bono, videlicèt de re aliqua hìc, & nunc Deo grata; proindè, quando verſatur circa obiectum inhoneſtum, aut impoſſibile, aut indifferẽs, ceſſat materia propria voti, & conſequẽter erit inualidum ipſum votũ. His autẽ ſuppoſitis quæritur, num votum, cuius materia partim eſt apta, partim inepta, ſit totum irritum, an verò ſit validum quoad partem aptam, nec vitietur quoad illam.

Aliqui apud *Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de voto cap. 2. num. 3.* & alij apud *Bonacinam de legibus diſp. 4. qu. 2. pu. 4. ſeſſ. 4 num. 1.* abſolutè affirmant, tale votum eſſe validum quoad partem aptã; & ita etiam docet *Nauarr. in ſumma cap. 12. num. 43. Emanuel Sà in aphoriſmis. verb. Votum num. 32* V. g. Votum peregrinationis hieroſolymitanæ genibus flexis eſt de materia partim apta, vt eſt ipſa peregrinatio ſecundum ſe, & partim inepta, quia moraliter impoſſibilis eſt ille modus peregrinandi flexis genibus; & ideò votum tenet quoad primã partem, & non quoad ſecundam. 52

Alij verò non ita abſolutè loquuntur, ſed diſtinctionem adhibent, & dicunt, duplici modo poſſe vouentem emittere votum, primò volens, & promittens illa duo per modum plurium, & diuiſibiliter, ſecundo per modum vnius, & indiuiſibiliter. Si priori modo votum emittatur, tùc aiunt veram eſſe prædictam ſententiã, videlicèt, votum eſſe validum quoad partem aptam, & inualidum quoad ineptã; ſi autem poſteriori modo fuit emiſſum, tunc eſſe irritum quoad vtramque partẽ. ita hãc ſententiam explicat *Suarez cap. cit. num. 4. & ſequen. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 35. nu. 3 & in decalog. lib. 4. cap. 10. num. 4. Caſtropalaus tom. 3. de obligatione voti, tract. 15. diſp. 1. punct. 8. num. 10. Thomas Tamburinus in decal. lib. 3. cap. 11. §. 5. & alij.*

Dicendum eſt, veriſſimam eſſe hãc ſecundam ſententiam diſtinguentem, & cenſeo, ab illa non diſcrepare Authores primæ; nam licèt abſolutè loquantur, eorum tamen locutio cum limitatione appoſita ab Authoribus ſecũdæ eſt intelligenda, quia ratio id probans, ni fallor, omninò conuincit, vt mox oſtendam. Probatur autem hæc opinio, & quoad primam partem ex iure, tum ciuili, tum canonico, nempè ex illo generali principio, quod habetur in ſummario *Cap Si* 53

in-

Digitized by Google

infantes. §. Idem quoque. de Deſponſat. impub. in 6. vbi ſic dicitur. [Actus valuit, vt potuit, non ſicuti agebatur] & dictum hoc declarat ibidem *Gloſs. §. Matrimonium* his verbis [Si non valet, vt ago, valet, vt valere poteſt] nempe ſi actus à me geſtus valorē habere nequit eo modo, quo fuit geſtus, valeat eo modo, quo iure fieri potuit: hoc ipſum principium habetur in iure ciuili in ſummario *Legis. Si tā anguſti ff. de ſeruit.* eadēque regula vti ſolēt Doctores, vt probēt actum, quando res eſt dubia, ſuſtinendum eſſe quantum fieri poterit. *Menoch. conſil. 314. n. 4. Sanch. diſp. 35. cit. nu. 25. poſt medium. Barboſa de clauſ. vſu freq. clauſ. 95. n. 10.* & alij apud ipſum. Probatur ſecundo ratione ſatis congrua, quia pars apta, quando votum terminatur ad partes materiæ per modum plurium, eſt per ſe intenta, & indepēdens ab alia parte inepta; proinde nihil ipſi deeſt, quin terminet votū validū. Secunda verò pars huius ſententiæ ſuadetur; quia hoc poſteriori modo intētio vouētis fertur in partē aptam, vt connexam cum inepta, & vt conſtituentem cum illa vnum integrum obiectum voti; & ideò ob defectum alterius vitiatur ipſa, & conſequenter totum obiectum conflatum ex ipſa; quia iuxta illud commune proloquium *S. Dionyſij cap. 4. de diuinis nominibus.* Bonum ex integra cauſa, malum autem ex ſingulari defectu coaleſcit; igitur, cum obiectum huius voti validum ſecundum omnes ſui partes per modum vnius, ſit deficiens, & ineptum ad terminandum votum validum, regula iuris de vtili non poteſt locum habere in hoc caſu ratione indiuiduitatis, quam habet obiectum.

54 Hæc autem certa eſſe debent, & ferè nullam continent difficultatem, & dubitationem, quæ tamen habetur, quando non conſtat de intentione vouentis, an ſcilicet emittens votum voluerit partes obiecti per modum plurium, an potius per modum vnius; ideò quando ex huius ambiguitatis deciſione dependet validitas voti, quoad partem vtilem, pure recurrendum erit ad præſumptionem iuris, quid ſcilicet in tali dubio præſumendum ſit, ſeu pro quo ſtet poſſeſſio, nempè pro voto, an pro libertate?

Ad hoc autem decidendum nonnullæ traduntur Regulæ à *Suarez. & Sanchez* locis citatis, quæ nunc diligēter ſunt declarandæ, & caſibus ſpecialibus applicandæ. Hæ quidem regulæ principaliter ſub duobus modis continentur. Et primò, quando dubium inſurgit de intentione vouentis, eſt attendendum, num partes materiæ, circa quam verſatum fuit votū, ex ſe, & iuxta morem, & hominum conſuetudinem ſint ſeparabiles, vel non ſeparabiles? Si priori modo ſe habent; tunc præſumptio eſt, per modum plurium fuiſſe volitas, atque adeò votum obligat quoad partem aptam; ſi poſteriori modo, tūc præſumptio eſt contraria, ſcilicet fuiſſe volitas per modum vnius, & conſequēter votum erit totum irritum: ratio huius regulæ deſumitur ex illo principio generali, videlicet, quando non conſtat de intētione, cenſeri debet voluntas tendere in obiecta ſecundum eorum naturā, & ideò, quando partes materiæ promiſſæ ſunt diuiduæ, & ſeparabiles, ita etiam præſumuntur volitæ; quod ſecus eſt, quādo ſunt inſeparabiles, aut commodè diuidi nequeunt. Secunda regula conſiſtit in hoc, vt attendatur, an vna pars ſit volita, veluti circumſtantia alterius partis, & acceſſoriè ad illam? & tunc ſi pars, quæ ſe habet principaliter, eſt inepta, quia vel mala, vel impoſſibilis, vel indifferens, totum præſumitur volitum per modum vnius, quoniam ex tali modo volendi pars apta, cum ſit circumſtantia alterius, eique acceſſoria, præſumitur volita dependenter ab illa, ideoque eius naturā ſequitur, iuxta *Regulam iuris in 6. Acceſſorium, &c.* & ſic totum votum vitiatum, & irritum præſumitur. Si verò res contrario modo ſe habeat, nempè pars principalis ſit apta, altera verò, quæ eſt mera circumſtantia, & acceſſoria, ſit inepta, præſumptio erit, eſſe volitas per modum plurium, & ideò reiecta parte inepta, votum remanebit validum, quoad partem aptam; quia in dubijs, vt dixi, præſumitur intētio ferri in obiecta iuxta eorum naturam, & cum id, quod ſe habet principaliter, ſit alis naturæ, vt non pendeat ab illo, quod ſe habet acceſſoriè, ſed è conuerſo, ideò non præſumimus voluntatem vouentis tendiſſe in rem principalem dependenter ab alia minus principali. Hæc autem omnia varijs exēplis illuſtrabuntur.

Si quis v. g. poſt matrimonium conſummatum abſque vxoris licentia caſtitatem voueat, obiectum huius voti plures includit partes, & præſertim abſtinentiam à petitione debiti, & à redditi- 55

one: inter has autem partes abſtinentia a petitione eſt obiectum licitum, negatio verò redditionis eſt obiectum illicitum, quia eſt in præiudicium vxoris; ſed eum hæ partes, ſint commodè ſeparabiles, & de facto aliquando ſeparentur, quando eſt dubia intentio vouentis, præſumptio eſt, volitas fuiſſe per modum pluriũ iuxtà earum naturam. Rurſus votum ieiunandi tempore aduentus Domini reſpicit partes ſeparabiles; nam ſi accidat, ratione infirmitatis vouentem non poſſe ſeruare ieiunium in aliqua parte illius temporis, obligabitur ieiunare reliquo tempore, in quo ceſſabit infirmitas, & hoc quia materia voti eſt diuidua, & ſic de alijs ſimilibus. Contra verò, ſi quis voueat ædificare Eccleſiam, vt in ea celebrentur Diuina, cenſebitur obiectum talis voti indiuiduum; nam, & ſi Eccleſia ædificanda partes habeat, communiter tamen non diuiduntur, quando promiſſa eſt Eccleſia vt ſic; & ideo eius partes per modum vnius præſumuntur volitæ.

56 Denique quoad acceſſorium, optimum exemplum erit, ſi ponamus votum, v.g. fuiſſe de confeſſione ſacramentali peragenda tali die determinato in honorem alicuius *Sãcti*; tunc enim, ſi vouens eo die non habet copiam Confeſſarij, non tenebitur vi voti elicere actum doloris, qui, licèt fuerit volitus incluſiuè in voto confeſſionis, cuius eſt pars, nihilominus acceſſoriè ſe habet ad Sacramentum pœnitentiæ: & ſic ratiocinandum eſt in multis alijs ſimilibus, quæ in hac materia excogitari poſſunt.

57 Nolo tamen omittere id, quod rectè animaduertit *Sanchez num.* 7. in fine citatæ diſputationis, quod etiam alij notant, videlicèt, ſi id, quod eſt modus rei promiſſæ, ſeu eſt eius circumſtantia acceſſoria, reddit longè faciliorem executionem voti, tunc in dubio præſumi debet, ſubſtantiam, & modum diuiſibiliter, & per modum vnius volita fuiſſe: & ratio eſt, quia non cenſetur in dubio, aliquis voluiſſe ſe obligare ad id, quod eſt difficilius, & laborioſius: exemplum aptum ponitur ibidẽ à Sanchez, vt quãdo quis vouet, ſe peregrinaturum ad limina apoſtolorum, tali, & tali modo, nempè equo vectum; ſi aliquo caſu ob paupertatem, vel ob aliud impedimentum non poterit equum habere, quo iter faciat, non tenebitur pedes peregrinari, quia hoc modo multo laborioſior eſſet peregrinatio; & ideò præſumimus in dubio, intẽtionem vouentis fuiſſe illa duo velle per modum vnius, & non per modum plurium.

Sed quid dicendum, quando omni- 58
bus perpenſis res manet dubia, quia, vel ignoratur, an partes ſint ſeparabiles, & communiter diuidi ſoleant, vel (quod frequentius euenire poterit) licèt ſint ſeparabiles, nihilominus aliquando ſolẽt, aliquando verò non ſolent diuidi? ſi igitur in tali caſu vouens ambigat de ſua intentione tempore voti emiſſi, nequit confugere ad naturam obiecti, & ad cõmunem vſum vouentium; quia, vt ſupponitur, praxis eſt pro vtraque parte, quatenus, vt dixi, homines ſolent, & per modum vnius, & per modum plurium, votum emittere de tali obiecto; propterea debemus examinare, pro quo in talibus circumſtantijs ſtet poſſeſſio, & præſumendum in fauorem libertatis, ita *Suarez tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de Voto, cap.* 2. *in fine* Sanchez *diſp.* 35. *cit. nu.* 8. quia, cum nõ cõſtet de obligatione voti, nequit ipſum votum eſſe in poſſeſſione, ſed libertas; & ideò eum in dubio melior ſit conditio poſſidentis, non ſolum in materia de iuſtitia, ſed etiam in alijs, vt vult communis Authorum ſententia, ſequitur in tali dubio, vouentem ad nihil teneri vi talis voti.

Poſſum alia ratione confirmare hanc 59
opinionem; nam, ſi pro voto eſſet decidendum, ſcilicet obligare, & eſſe validũ quoad partem aptam, & nõ quoad ineptam, idem numero actus vouendi debuiſſet tempore emiſſionis continere quãdam virtualem diſtinctionem, ſeu eſſe virtualiter duplex, & vnum terminari ad partem aptam, alterum verò ad ineptã, & illud eſſe validum, hoc verò inualidũ: & totum hoc eſſet ſupponendum, & præſumendum, ſi præſumeretur pro ipſo voto, ſeu pro eius validitate in ordine ad partem aptam; at verò in prædicto dubio non debemus præſumere illam diſtinctionem, ſeu pluralitatem virtualem actuum; quia, vt Authores docent, pluralitas actuum non præſumitur. Sic *Gomez tom.* 3 *var. reſol. cap.* 11. *num* 6. *verſ.* [*Quarto limita*] *Gratianus in forenſib. cap.* 93. *num.* 12. *Farinacius in praxi criminal. par.* 1. *quaſt.* 64. *num.* 3. *& alibi. Menochius de arbit. lib.* 2. *caſu.* 92. *num.* 32. & alij: & quamuis prædicti Authores loquantur de pluralitate actuum

rea-

Digitized by Google

realiter diſtinctorum, eadem tamen videtur ratio quoad hunc effectum de multiplicitate, & pluralitate virtuali; nã quęcumque ſit pluralitas, non eſt pręſumenda, ſed probanda, & dum non probatur, pro ſingularitate, & vnitate actus eſt præſumendum; proinde in caſu, de quo agitur, cum diſtinctio virtualis quamdam importet pluralitatem, in dubio non debet præſumi, & per conſequens votum prædictum debet præſumi emiſſum fuiſſe per modum vnius, & quòd intentio vouentis fuerit ferri in vtramq; partem obiecti indiuiſibiliter; hinc onus probandi oppoſitum ſe tenebit ex parte voti: & dum non probatur, poſſeſſio, & præſumptio erit pro libertate. Ita ſuaderi poterit hęc opinio.

60 Secunda ſententia contrarium docet, videlicèt, in caſu prædicto poſſeſſionem, & præſumptionem ſe tenere pro voto, ſeu pręſumi ipſum votum verſatum fuiſſe in vtramque partem per modum plurium, & conſequenter obligare quoad partem aptam: & ita docet *Sanchez in decal. lib. 4 cap. 10. num. 14 & 16* tacitè retractans, quod docuerat *in lib. 9. de matrim. diſp. 35. cit. Bonacina de legibus diſp. 4 quæſt. 2. punct. 4. §. 4. num. 7. in fine.* Probari poteſt hæc ſententia, quia, cum certum ſit partem aptam eſſe capacem terminandi votum validũ, & cũ non intrinſecè, & ex ſe, ſed ſolũ per coniunctionem alterius extrinſeci, nempè partis ineptæ, reddatur inepta ad validè terminandum votum, deberet talis defectus probari, & dum non probatur, remanet ipſa pars apta in poſſeſſione ſuæ intrinſecæ aptitudinis.

61 Inter has ſententias, quas authoritas defendentium probabiles reddit, ſecunda mihi magis placet ob rationem in eius fauorem allatam, quam confirmat illud generale principium, videlicèt in dubio pro valore actus eſſe iudicandum, vt expreſsè habetur *in L. quoties, ff. de reb. dub:* & hoc ipſum tuentur Doctores *Romanus latè conſil. 180. nu. 4. & ſequen. Abbas conſil. 62. num. 7. & 14. Tuſcus in pract. concluſ. lit. A. concluſ. 136. Marius Anton. in varijs reſol. lib. 1. reſol. 20. & alij communiter*, & ideò plures Authores teſtantur, præſumptionem, quæ habetur pro validitate actus, eſſe adeò efficacem, vt omnes alias vincat: ſic docet *Decius in cap. Quoniam Abbas num. 49. ver. [ſecundo limita] de off. de leg. Alciatus de præſumpt. reg. 1. præſumpt. 30. num. 5. Ruinus conſ. 72. nu. 4. lib. 2. Tuſcus tom. 4. lit. L. concl. 130. num. 60 & alij.* Applicando autem doctrinam hanc rei noſtræ dico, actum vouendi referri poſſe ad rem vtilem, ſeu aptam, vt coniunctam cum inepta, & cũ eadem integrantem indiuiſibiliter vnũ obiectũ, & poſſe etiam referri ad illã, veluti materialiter, & concomitanter: ſi res priori modo connectatur, vitiabitur; ſecùs ſi poſteriori modo; & ideo cum priori modo inuoluat ſuperadditam conditionem extra ſuum genus, onus hoc probandi incumbit ipſi vouenti, qui in tali coniunctione fundat ſuam intentionẽ, vt ſe eximat à totali obligatione voti.

62 Et confirmari poteſt hoc à ſimili. V. g. Si quis donationem alteri fecerit, & poſtea dubitet, num tempore donationis fuerit maior quoad ætatem, & conſequẽter valida ex hoc capite ipſa donatio; an potius minor, & inualida, tunc tenebitur ipſe donator probare minorem ætatem, vt aſſerit *Gloſ. cap. In præſentia. ver. [Secunda] de probat.* dicens, præſumi maiorem, niſi probetur minor. idem etiam ſtatuitur *in L. ſi minorem. C. de in integrum reſtitut.* quam opinionem approbat *Gloſ.* ibidem in explicatione caſus. Hoc argumentum, ni fallor, eſt valdè efficax ad probandum intentum, & pariter ad refellendam quamdam reſponſionem oretenus mihi datam à quodam docto profeſſore noſtræ Societatis, qui oppoſitam ſuſtinens ſententiam, eã fundabat in eo, quod obligatio voti in caſu poſito non eſt certa, & ideo aiebat, poſſeſſionem ſe tenere ex parte libertatis.

63 Sed contrarium ex tradita doctrina deduci poterit, argumentando a pari ex diſpoſitione iurium, quæ adducta ſunt, & referendo caſum poſitum a Gloſ. *in d. L. ſi minorem.* vbi, ſi quis alteri prædiũ vendiderit, & in vẽditione ipſa fuerit læſus, ſi allegans minorem ætatẽ, petat reſtitui in integrum; quod certè minoribus conceditur, tunc ipſi alleganti ætatẽ minorem, & in illa fundanti ſuam intẽtionem, incumbit onus probandi, ſe minorem fuiſſe tempore venditionis, ſeu tenetur probare, venditionem à ſe factã ex tali, & tali cauſa deficiente proceſſiſſe, quem defectum ius non præſumit, imo pręſumit, eũ eſſe ætate majorẽ, vt ait *Gloſ. cit. in d. L. Si minorem*, ita ſimiliter

in præſenti caſu, ſi vouens allegat ſuam libertatem, eamque eſſe in poſſeſſione, atque adeo votum emiſſum non obligare, & eſſe irritum etiam quoad partem aptam, quatenus præſumitur emiſſum per modum vnius quoad vtrāq; partem, tunc poteſt contra argui oſtendendo oppoſitum, ſcilicet hoc eſſe probandum ab ipſo vouente; nam ex vna parte conſtat voti emiſsio, & non conſtat defectus, ergo probandus, & non ſupponendus: quemadmodum in caſu illo poſito à Gloſsa, ex eo quod cōſtat venditio facta, & non conſtet defectus ætatis concluditur eſſe probandus; in vtroque enim caſu inualiditas actus fundatur in defectu: ergo ſicuti defectus ætatis non præſumitur, ſed indiget probatione; ita & defectus in parte vtili, & apta non debet præſumi, ſed probari: nulla mihi occurrit diſparitas in vtroque caſu. Cōfirmatur, quia non poteſt præſumi vouentem voluiſſe votum inane, & omnino irritum emittere; hoc enim eſſet indecēs, & contra reuerentiam Deo debitam, imò peccatum, vt ait *Sanchez ex multis lib. 4. ſumma. cap. 7 num. 4.* proinde potius præſumitur voluiſſe emittere votū validum, quantum fieri poteſt: & ideò tali voluntate poſitā, votum cadere præſumitur ſuper rem aptam, ſalua eius aptitudine, & capacitate, & conſequenter non vt facientem vnum cum parte inepta, quia, vt ſic, deſtrueretur eius aptitudo: & in hoc locum habet regula illa iuris ſuperius citata nempe [Actus valuit, vt potuit, non ſicuti agebatur]

64 Ad primam rationem pro contraria ſententia reſpondeo. Quamuis non conſtet obligatio vouentis (ſi enim conſtaret nulla eſſet controuerſia, & ambiguitas) attamen neque conſtat negatio obligationis, & pro obligatione ſunt præſumptiones iuris efficaciores, vt oſtenſum eſt, & declarabimus infra. Quia addo, hoc, quod eſt non eſſe certam, ſeu non conſtare obligationem, ex duplici capite prouenire poſſe: primo, quia non conſtat emiſſio voti; ſecundo quia certa eſt emiſſio, ſed dubitatur de aliquo defectu, vel ex parte cauſſæ, vel ex parte rei promiſſæ: ſi primum, tunc nulla remanet obligatio, quia fundamentum, ex quo reſultare debebat ipſa obligatio, non eſt certum, & tunc poſſeſſio eſt pro libertate: ſi ſecūdum, poſſeſſio eſt pro voto, niſi hic, & nunc concurrant tales coniectura, vt generent fortiorem præſumptionem in fauorem libertatis.

Ad ſecundam rationem in confirmatione poſitam dico, quod, quamuis pluralitas actuum, per ſe loquendo, minimè ſupponatur, & in caſu noſtro non habeatur, niſi vnicus actus; nihilominus certū eſt, in illo quamdam virtualem inueniri diſtinctionem, ſeu duplicem reſpectum, & per vnum terminari ad partem aptam & per alterum ad ineptam: & hoc non eſt contra id, quod aſſerunt Authores de pluralitate actuum non præſumenda; quia, vt innuitur in ipſomet argumento, loquuntur de pluralitate reali, non de virtuali, ſeu de multiplici reſpectu iuxta multiplicitatem obiectorum, in quæ tēdit idē numero actus; quia multiplicatio reſpectus negari non poteſt, & præſertim in caſu præſenti, in quo ad vitandum peccatum in ipſa emiſſione voti, & ad ſuſtinendum valorem actus, præſumitur, obiectum includens duas illas partes volitum per modum plurium, & non per modum vnius. 65

CAPVT XII.

Si Epiſcopus indulgentiam concedat vltra numerum dierum iure ſibi præſcriptum, an conceſſio tota, vel ſolum quoad exceſſum vitietur?

SVpponit quæſitum facultatem, quam ius canonicum dat Epiſcopis, concedendi indulgentias proprijs ſubditis, limitatē tamen quoad tempus, quatenus V. g. in dedicatione Eccleſiæ nequit excedere tēpus vnius anni; in anniuerſatio autem, vel alio tempore ob aliquam iuſtam cauſſam nequit excedere quadraginta dies, ita ſtatutum eſt in Concil. Lateranen. ſub Innocent. 3. quod refertur *in Cap. Cum ex eo, & cap. Noſtro. de pænit. & remiſſ. & cap Indulgentia. eod. tit, in 6.* Hoc præſuppoſito quæritur, ſi concedat Epiſcopus ſuis ſubditis aliquo tempore diuerſo à die dedicationis ſexaginta dies indulgentiæ contra diſpoſitiones ſacrorum canonum, num conceſſio hæc tota corruat, an verò ſolum corruat quo ad numerum excedentem, videlicet quo ad viginti dies ſupra quadraginta, remanente valida indulgentia quoad numerū quadragenarium præſcriptum à iure?

Prima ſententia vult totam conceſſionem 66

onem vitiari, & nihil prodeſſe, ita expreſsè docet *Ioannes Monacus in d. cap. Indulgentiæ in 6. num. 3.* & alij plures canoniſtæ, quos citat *Suarez in 3. part. tom. 4 diſp. 55. num 12. & Lotterius de re beneſ lib. 3 qu. 17. nu. 18.* quibus ipſe adhæret aſſerens, hanc ſententiam ſibi veriorem videri. Ratio, qua probatur hæc opinio, eſt deſumpta *ex Cap. Noſtro* ſuperius citato, in quo Epiſcopis, & Archiepiſcopis conceditur prædicta poteſtas ſub conditione, ne excedant diſpoſitionem Concilij relatam in fine capituli, vbi reſpondens Pontifex petitioni factę a quodam Prælato, ſcilicet, an Archiepiſcopus poſſit intra ſuam prouinciam cōcedere indulgentias iuxta formam ſibi traditam a Concilio, reſoluit affirmatiuè, addendo hæc verba [Ita tamen quod ſtatutum generalis Concilij non excedas.] Cum igitur Pontifex ſub conditione hāc poteſtatem elargiatur, ſequitur quòd conditione illa minimè ſeruata, ceſſet poteſtas collata, atque adeò corruat tota conceſſio indulgentiarum, vtpotè procedens ab eo, qui caret poteſtate. Secūdo probari poteſt *ex eodem cap. indulgentiæ*, vbi expreſsè declaratur quòd, ſi conceſſio ſtatutum Concilij exceſſerit, vires non obtineat; ergo tota corruit, quia Pontifex abſolutè determinat viribus deſtitui, & non loquitur limitatè, nempe quoad exceſſum. Tertiò probat hanc ſententiam *Philippus Probus in addit. ad Ioannem Monacum in d. cap. Indulgentiæ*, à pari dicens, quod, ſi res aliqua locetur vltra tempus permiſſum, locatio non erit valida, etiam quoad tempus permiſſum, & citat *Lapū deciſ. 80. [Ver. Quæſtionum locatio]* ſimiliter ſi Princeps poteſt concedere debitoribus dilationem quinquennalem, & excedens limites ſuæ poteſtatis concedat dilationem per ſeptēnium; tota dilatio vitiabitur, & non ſuſtinebitur, neque quoad quinquennium, & allegat pro hac ſententia *Paul. Caſtr. in L. precibus in fine. C. de precibus Imperatori offeren.* ſed Author errauit in citanda hac lege, quæ in illa rubrica non habetur, ſed locum illum debuiſſet citare *L. Quoties 3.* vbi in fine ſui commenti Paulus de Caſtro, vt veriorem amplectitur opinionem illā de inualiditate dilationis. Quartò ſuadetur ex eo, quòd cōceſſio excedēs poteſtatē Epiſcopalē procedit, veluti quædā ſententia iuridica ab eo, qui caret iuriſdictione, ergo tota corruit: quia ſententia lata à Iudice nequit eſſe partim valida, partim inualida. V. g. ſi condemnet aliquē ad ſoluēdum viginti, cum nequeat condemnare niſi in decem, tota ſentētia erit irrita, vt Iuriſtæ docent *in L. fin. ff. de Iuriſd. omnium iud.* ſic à pari, cum Epiſcopus nequeat, niſi indulgentiam quadragenariam concedere, ſi numerum dierum excedat, tota conceſſio erit inualida. His, & ſimilibus argumentis ſuaderi poterit hæc ſententia.

Secunda autem eſt oppoſita; docet enim in caſu prædicto, Vtile nō vitiari per 67
inutile iuxtà regulam Iuris in 6 *Gloſs. in cap. cit. Cum ex eo. ver. à pluribus. litt. G. Panorm. ibidem num. 8 Nauarr. de iubil. notab. 31. num. 16. Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 55. ſect. 3. num. 11. Azor. part. 2. lib. 3. cap. 55. qu. 6. Lauorius de indulgent. par. 2. cap. 11. num. 41. Bonacina de Sacram. diſp. 6 quæſt 1. punct. 2. num. 4. Santarellus de iubil. cap 3. dub. 2. Layman in theolog. morali. lib. 5. tr. 7. cap. 4. num. 2. Barboſa in collect. in cap. Cum ex eo cit. nu 6 Ioannes Delugo de pœnit. diſp. 27. ſect. 8 dub. 3. nu 135. & alij.* Ratio pro hac ſecunda ſententia eſt, quia dies illi inutiles ſunt ſeparabiles ab vtilibus. imò quilibet dies in ordine ad hunc effectum eſt ſeparabilis ab alio; quis enim prohibet, quin ab Epiſcopo concedantur pauciores dies infra numerum quadragenarium? proinde, cum ſermo ſit de ſeparabilibus, regula locum habet, & ideò vtile nō vitiatur per adiectionem inutilis.

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſentē- 68
tia, quam longè probabiliorem cenſeo, & ad illam amplectendam ducor non ſolū authoritate eorum, qui illam tuentur, ſed etiam ob rationem ab eiſdem aſſignatam, quatenus procedit ex ſeparabilibus. Supereſt igitur, vt oppoſita argumenta diluantur.

Ad primum autem, quod procedit ex 69
cap. Cum ex eo & cap. Noſtro reſpondeo, quòd non conceditur noua poteſtas, vt bene aduertit *Suarez ſect. 3. cit. n. 14.* ſed limitatur illa poteſtas, quā habebant Epiſcopi, ne ſcilicèt ea abutantur, concedendo ſuperfluas, & indiſcretas indulgentias, & nullum apponitur verbum, per quod irrita reddatur conceſſio. *Difficultas* autem videtur fieri poſſe *ex cap. Indulgentiæ in 6.* vbi nō ſolum limitatur prædicta poteſtas, verū etiā dicitur vires non obtinere, ſi Epiſcopi ſtatutum generalis

Digitized by Google

ralis Concilij exceſſerint; ſed reſpondetur, eſſe irritas quoad exceſſum, & non quoad numerum illum, in quem Epiſcopus poteſtatem habet ducor primò, quia ex vna parte intentio Epiſcopi concedẽtis, niſi oppoſitum conſtet, præſumitur, velle facere quantum poteſt: ex alia verò parte quoad numerum præſcriptum in iure concurrunt omnia, quæ neceſſaria ſunt ad indulgentiarum valorem, nẽpè ex parte concedentis eſt poteſtas, & voluntas, & ſeparabilitas, ratione cuius iuxta noſtram regulam Iuris de vtili, poteſt numerus conſtitutus non vitiari. Neque dicas, quòd, quamuis reperiantur omnia requiſita, vt quoad partem indulgentia ſit valida, nihilominus irritatur in pœnam delicti, ne, inquam, dicas hoc, quia nec ex iuribus citatis, neque ex alijs habetur impoſita talis pœna, quæ, cũ ſit odioſa, niſi certò apppareat, non eſt præſumenda; verba enim illa *in cap. indulgentiæ*, ſcilicet [Vires non obtinent,] non important pœnam, ſed effectum prouenientem ex negatione poteſtatis.

Ad ſecundum argumentum ex cap. cit. *Indulgentiæ* iam ex dictis habetur ſolutio.

Ad tertium, quod procedit ex locatione vltra tempus permiſſum, negandum eſt, vniuerſaliter eſſe irritam locationem, etiam quoad tempus cõſtitutum; quia aliquando eſt valida, vt ſupra ſufficienter oſtendimus capite 2. nempe quando partes per modum plurium accipiuntur. Videantur, quæ ibi diximus.

Ad quartum nego, conceſſionem hanc eſſe veluti quamdam ſententiam iuridicam; caret enim conditionibus, quæ neceſſariæ ſunt ad conſtituendam ſententiam, de cuius ratione eſt vel aliquem condemnare, vel liberare innocentem, vel obligare ſubditos: at conceſſio hæc eſt quædam liberalis donatio procedens à proprio Paſtore, & quamuis ſit aliqua remiſſio à pœnis, quas peccator ſoluere debebat, nihilominus talis remiſſio non eſt liberatio debita ipſi homini tanquã innocenti, vt eſt ſententia iuridica, per quam Iudex ſecundum allegata, & probata declarat reum eſſe innocentem de crimine: & ſic liberatio à pœnis mediante indulgentia longè differt à liberatione illa, quæ cũ ſententiæ rationem habeat, & ſit indiuidua, proinde per adiectionẽ partis inutilis tota vitiatur, vt diximus ſupra capite 6. quod non euenit in conceſſione indulgentiarum, quæ excedit numerum dierum præſcriptorum; nam talis conceſſio diuidua eſt, & partes ſeparabiles inuoluit, vt oſtendimus.

Quæres, vtrum, ſi Pontifex, qui habet poteſtatem ad concedendas indulgẽtias de infinito theſauro Eccleſiæ, tanquam ſupremus adminiſtrator, in conceſſione excedat cauſam proportionatam ad quantitatem indulgentiæ, hoc non obſtante conceſſio ſubſiſtat quoad illam partem, reſpectu cuius cauſſa proportionem habet? V. g. concedat *Pontifex* motus aliqua cauſſa iuſta mille annos indulgentiæ, ſed cauſſa finalis ſit ſolum proportionata ad quingentos, & non ad mille, an ſaltem quoad quingentos indulgentia habeat effectum, an potius omni effectu careat. 70

Hanc dubitationem proponit, & decidit *Suarez diſp. 54. de pœnit. ſect. 3. nu. 9.* quam poſtea breuiter examinat *Ioannes Delugo diſp 27. eod. tr. ſect. 8. quæſit. tertio.* Ratio autẽ pro totali inualiditate eſt, quia, ſicuti in conceſſione indulgentiæ ſub conditione alicuius determinati operis, vel ſub conditione plurium operum, vt euenit in iubilæo, ſi quis ſolum partem illius operis, vel aliqua, & non omnia opera ponat, non lucrabitur partem indulgentiæ, ſeu iubilęi, ſed nihil obtinebit vi illius conceſſionis; ita à pari, ſi cauſſa, ob quam datur indulgentia, non erit ſufficiens, & proportionata ad indulgentiam tantæ quantitatis, v. g. mille annorum, tota conceſſio erit inualida.

Sed dicendum eſt, conceſſionem ſubſiſtere quoad illam partem, quæ eſt cauſſæ proportionata: ita *Suarez, & Delugo* locis citatis: & ratio eſt, quia Pontifex intendit concedere remiſſionem illam, quantum poteſt v. g. remiſſionem quingẽtorum annorum, nam ad tot annos ex figuratione caſus ſupponitur ſufficiens, & proportionata cauſſa, qua mouetur *Pontifex*; & cum ſimus in diuiduis, & ſeparabilibus pars vtilis non vitiabitur per inutilem. 71

Ad rationem in contrarium reſpondeo, negando paritatem, quia indulgentia, aut iubilęum conceditur ſub cõditione talis operis completè ponendi, proinde opere non impleto, corruit conceſſio; ſed in caſu noſtro licet poteſtas concedendi indulgentiam ſit data ſub conditione, vt conceſſio fiat ex cauſſa 72

iu-

iuſta, & proportionata, nam Pontifex non eſt abſolutè dominus, ſed tantum diſpenſator theſauri Eccleſiæ, & ideò ex cauſſa iuſta, & ſufficienter proportionata debet moueri; nihilominus dico, quòd non obſtante improportione cauſſæ ad mille annos, ponitur tamen ſufficiens cōditio ad quingentos; & ideò nihil videtur deeſſe, neque ex parte concedentis, neque ex parte cauſæ ad obtinendum effectum ipſi cauſſe proportionatum.

CAPVT XIII.

Si cadauer excommunicati vitandi, aut infidelis in loco ſacro ſepeliatur, in quo aliorum fidelium corpora iacent, an omnia ſint exhumāda.

73 SVpponit preſens quæſitum legem eccleſiaſticam, per quam prohibetur, ne ſepeliantur in loco ſacro corpora excommunicati iam denuntiati, & vitandi, & ſimiliter corpora infideliū, itaut ſi aliquod fortè fuerit in eo loco ſepultū, exhumetur, & eijciatur extra Eccleſiam, quæ poſtea debet reconciliari: ita colligitur ex varijs iuribus. *cap. ſacris. de ſepul. cap. Conſuluiſti. de conſecr. & cap. Eccleſiam, in qua Paganus. & cap. ſeq. diſt. 1. de conſecrat.* & communiter Doctores. His præhabitis placet examinare quæſitū hoc; nam ei videtur adaptari poſſe regula iuris, quam præ manibus habemus, examinando, an permiſſum per adiectionem prohibiti vitietur, nec ne? ſcilicet, an humatio corporum fidelium reddatur illicita per humationem cadaueris perſonæ excommunicatæ, aut infidelis, ita vt omnia corpora, quæ in eodem loco ſacro reperiuntur, debeant exhumari, an verò debeant relinqui.

Videtur omnia eſſe exhumanda, quia per mixtionem corporis excommunicati, aut infidelis tota illa cadauerum coaceruatio inficitur, atque adeò, vt infecta, debet eijci extra locum illum ſacrum: probatur à pari. Electio ad beneficium eccleſiaſticum tota vitiatur per adictionem vnius tantùm ſuffragij ſimoniaci; vt diximus ſupra quæſt. 10. & ſicuti bonum ex integra cauſſa, malum verò ex ſingulari defectu reſultat; ita permiſſum conſtans ex partibus coaleſcit ex omnibus illis, vt permiſſis, prohibitum verò ex vna etiam parte prohibita; & non permiſſa: humatio autem corporum fideliū in loco ſacro permittitur ab Eccleſia; non permittitur autem humatio corporis alicuius viri infidelis, aut excommunicati, niſi prius abſolutio ab excommunicatione illi conferatur; proinde per mixtionē ſupradictam reſultat vnum totum non permiſſum, ſed prohibitum: ita ſuaderi poteſt pars hæc affirmatiua. Sed diſtinctione præhabita, quæſito ſatisfaciam. Aio igitur, quòd mixtione illa facta, vel diſcerni poteſt cadauer excōmunicati, ſeu infidelis, vel diſcerni nequit; hoc autem poſito.

Dicendum eſt, quòd, ſi cadauer fidelis diſcerni poſſit, debet exhumari, & ſepeliri extra locum ſacrum, remanentibus fidelium corporibus in eodem loco ſacro: ſi verò diſcerni nequeat, alia corpora ſunt ibi relinquenda. 74

Concluſio hæc ſecundum vtramque partem certa eſt; & habetur in iure canonico per textum *in cap. Sacris §. Vnde ſi contingat. de ſepulturis, & ibi Gloſ.* cęterique ſcribentes, quibus addo *Ricciullum de iure perſonarum extra gremium Eccleſiæ lib. 4. cap. 60. num. 29. 30. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 13 & de cenſ. diſp. 12 ſect. 4 nu. 4 Vgolinum de cenſ. tabula 2. cap. 9. §. 5. Reginaldum in praxi fori pœnit. lib. 33 nu. 16. Lezanam in quæſt. regul. to. 4. verb. ſepultura num. 4.* & alios: & quamuis in cit. textu canonico ſermo ſit de Cœmiterio, nihilominus non ſolum intelligitur Eccleſia, quia cœmiterium, & Eccleſia in his pari iure cenſentur *cap. Conſuluiſti. de conſecr. Eccleſ. & altar.* & notat *Alterius de cenſur. lib. 1. diſp. 10. cap. 7. ver. in vtraque parte*; ſed etiam intelligitur quiſuque locus ſacer ad ſepulturam fidelium deputatus, vt notat *Ricciullus cap. cit. num.* 20. Vtraque pars concluſionis præter authoritatem Iuris, & Doctorum ſatis congruenti ratione ſuaderi poterit: prima autem pars probatur ex eo, quòd ſi diſcerni poteſt cadauer pagani (& idem dico de corpore excommunicati) conueniens erit illud exhumari, & eijci extra locum ſacrum; nam vnitas ſepulturæ denotat coniunctionem animorum, quæ eſſe non debet inter fideles, & infideles ab Eccleſia eiectos.

Secunda vero pars probatur, quia, vt in *Cap. ſacris cit.* dicit *Pontifex*, non expedit, vt cum excommunicatorum oſſibus corpora extumulentur fidelium, & ta-

& rationem aſſignans ait [Cum licet non obſit iuſtis ſepultura nulla, vel vilis; impijs tamen celebris, vel ſpecioſa non pro ſit.] quando enim malus puniri nequit, quin etiam puniatur bonus, potius eſt tolerandus malus, quã bonus puniendus, vt habetur *in cap. Quam magnum, 23. quæſt. 4.* & notat *Panor. in cap. Sacris. cit. num. 4.* & quamuis Deus ſæpè in hac vita ob peccatum vnius punit alios, qui talis peccati participes minimè fuerint, rectè tamen id facit, vel ad caſtigandum illos ob peccata alia, quę commiſerunt, vel ad maius eorumdem meritum: & ſic ob peccatum ambitionis, quod Dauid patrauit, enumerando populum, Deus peſtilentiam immittens Populum ipſum Iſraeliticum mulctauit, vt enarratur 2. *Regum, cap. 24.* & ob peccatum Sodomæ aliquas vicinas ciuitates combuſſit. Talis autem modus puniendi ab Eccleſia erga fideles exerceri nequit, quia non poteſt ſibi præfigere finem illũ, quem Deus habet, puniendo interdum innocentes.

75 Ad argumentum autem contrarium reſpondeo, negando, illam cadauerum coaceruationem infici ob ſepultionẽ corporis viri infidelis; quia omnia illa cadauera nullam habẽt formalem vnitatem, ſeu connexionem, neque faciunt aliquod vnum morale, quamuis in eodem loco merè per accidens iaceãt. ad probationẽ argumenti nego paritatem; nam electio illa procedit à pluribus, vt facientibus vnum, quatenus iure vnius communitatis, ſeu collegij dantur ſuffragia, vt ſupra oſtenſum fuit, & ſic iuriſfictione totũ collegium ſe habet, vt vna perſona; at corpora coaceruata in eadem ſepultura, neque faciunt, neque repræſentant vnũ, ſed ſunt plura, vt plura; & ita nequit huic coaceruationi adaptari commune illud proloquium, nempè, malum ex ſingulari defectu, &c. hoc enim proloquium verificatur de illis, quæ vnitatem aliquã habent, ſeu ſunt aliquod vnum, ſiuè phyſicum, ſiue morale, in quantum iuris diſpoſitione, vel propria multorum voluntate vniuntur in ordine ad eumdem indiuiſibilem effectum.

76 *S*ed vrgebis. Quando agitur de inſeparabilibus, vtile vitiatur per inutile, vt ſæpè ſuperius dictum eſt: at, cum cadauer infidelis nequit diſcerni a cadaueribus fidelium, tunc ſe habet inſeparabiliter cum illis; ergo inficit totam illam corporum coaceruationem.

Reſpondeo. Doctrina prædicta veritatem habet, quando plura vniuntur inſeparabiliter in ordine ad aliquem effectum, itaut inſeparabilitas illa ſit formaliter intenta; at in caſu præſenti inſeparabilitas eſt ſolum in ordine ad noſtram cognitionẽ, & non eſt intenta ad aliquẽ effectum, & ſic non valet paritas.

77 Contra inſtabis probando, quòd, quãuis inſeparabilitas, ſeu negatio diſcretionis inter corpora illa ſit in ordine ad noſtram cognitionem, hoc tamen non obſtante, videtur, quod ſequi debeat effectus exhumationis omnium corporum, quę ſimul iacebant cum cadauere infidelis: probatur paritate quadam; nam, ſi quis ſit creditor alterius, & bona fide recipiat in ſolutionem à debitore pecuniam alienam furto ſublatam, quã poſtea miſceat cum ſua, quæ eſt in magna quantitate, itaut diſcerni nequeat, quænam fuerit aliena, & quænam propria; in tali caſu creditor acquirit dominium perfectum pecuniæ alienæ, & id poſtea ſciens, non tenetur domino pecuniam illam reſtituere. ita expreſsè ſtatuitur in *L. Si alieni. ff. de ſolutionibus*, & ibi ſcribentes; & tamẽ inſeparabilitas vnius pecuniæ ab alia eſt in ordine ad cognitionem noſtram: ergo à pari, quamuis non valeamus, facta mixtione corporis infidelis cùm alijs, diſcernere illud ab his, debent tñ omnia exhumari, quia vi illius inſeparabilitatis faciunt vnum aceruum, & vna pars illius inficit aliãs.

Reſpondeo; Argumentum deſumptum ex mixtione pecuniæ alienæ cum propria potius fauet, quam contradicit diſpoſitioni iuris præſcribentis, non eſſe corpora exhumanda, quando corpus infidelis veluti mixtum fuit cũ fidelium corporibus, itaut diſcerni nequeat vnum ab alio; quia ſicuti creditor per mixtionẽ illam acquirit dominiũ pecuniæ alienæ, ſic eadẽ ſepultura, ſeu locus ille ſacer acquirit ius ad corpora in ipſo tumulata, ne extrahãtur.

78 Difficultas autem, & quæſtioni hoc locum habet, quando agitur de corpore infidelis in ſemetipſo ſpectato, non autẽ quãdo corpus alicuius non fidelis eſt veluti pars corporis illius perſonæ, quæ erat fidelis, vt euenit, quando mulier grauida moritur, & in loco ſacro ſepelitur, geſtãs in vtero prolẽ etiã mortuã; tunc. n. partus ille nõ cenſetur moraliter perſona diſtincta ab ipſa matre, ſed exiſtimatur veluti

eius pars, & conſequenter acceſſoriè ad illam ſe habet; proindè nulla irreuerentia irrogatur Eccleſiæ: vnde præſens quęſitum locum non habet; quia ab Eccleſia permittitur, vt infās mortuus in vtero matris cum ipſa matre in loco ſacro ſepeliatur: debet tamen prudenter exiſtimari, prolem eſſe mortuam; nam ſi crederetur adhuc viuere mortua matre, debet ipſa mater aperiri, vt infans extrahatur, & baptizetur: & idem cenſeo eſſe faciendum, ſi dubitetur, infantem viuere; quia ſi mater ſepeliretur, & infans in vtero interiret, tunc homicidium cōmitteretur, & Eccleſia violaretur: in tali enim caſu infans nō reputatur, vt pars ſuæ genitricis, ſed vt quid diſtinctum. Hæc obiter ſint dicta, quæ pertinent ad violationem Eccleſię, & non ad præſens inſtitutum. Videatur *Suarez in 3. p. tom. 3. diſp. 81. ſect. 4. §. Quinto.*

CAPVT XIIII.

Si oleum non benedictum admiſceatur benedicto, num totũ mixtum ita vitietur, vt ineptum reddatur ad Sacramentũ extremæ vnctionis conficiendũ?

79 DE re hac fusè agunt Authores in tractatu de Sacramentis, cum inquirũt materiam neceſſariò requiſitam ad valorem Sacramenti; & præſertim ſe conferunt ad examinandum præſens quæſitum explicantes materiam remotam extremę vnctionis, quã dicunt, eſſe oleum ab Epiſcopo benedictũ, ſicuti determinauit *Concilium Tridentinum ſeſſ. 14.* tractans de hoc Sacramento *cap. 1.* quod prius determinauerat Florentinũ in decreto Eugenij expreſsè declarans, eſſe debere oleũ oliuatum. Hoc præſuppoſito, proponunt Authores dubitationem hanc, videlicet, num, ſi oleo iam benedicto ab Epiſcopo, ne deficiat, addatur oleum non benedictum, totũ illud mixtum ex oleo benedicto præexiſtenti, & ex oleo non benedicto addito, ſit apta materia ad Sacramentum extremę vnctionis? pro hac reſoluenda dubitatione varia dicũt Authores, quos referunt *Leander part. 1. tract. 4. diſp. 2. quæſt. 8 & 9 Diana part. 9. tr. 6. reſol. 44.* & etiam alij recentiores. Tribus autẽ modis poteſt caſus euenire, Primò ſi oleum non benedictum, quod additur, ſit minoris quantitatis, quam oleum benedictũ, cui additur. Secundo ſi additio paulatim, & ſucceſſiuè fiat, ita vt vltima vice, qua ſit additio, comprehẽſis præcedentibus additionibus, oleũ additum ſit maioris quantitatis, comparatum cum illo, cui prima vice fuit additũ. Tertiò poteſt accidere, vt quantitas olei nõ conſecrati ſit maior benedicto, aut ſaltẽ ęquale.

His præhabitis, quęrimus, num per additionem olei non benedicti, quocumque modo ex enarratis fiat additio, oleum conſecratum ita vitietur per mixtionem illam, vt inutile euadat ad Sacramentum extremę vnctionis? Quod attinet ad primum modum ex tribus enumeratis, quãdo ſcilicet minor quantitas adiungitur, res eſt certa, quia *in cap. Quod in dubijs, §. vltimo. de conſecr. Eccl.* expreſſè *Innocent. III.* Sũmus Pontifex declarat, poſſe commiſceri oleum nõ conſecratum oleo conſecrato, quod ſaltem intelligi debet, quando nõ conſecratum eſt in minore quantitate: & ratio huius rei aſſignatur ibidem *à Gloſſ. l. H.* & alijs ſcribentibus, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in eod. cap n. 2. & 3.* videlicet, quia minus dignũ trahitur à magis digno, & ideò nõ conſecratum vt pote minus dignum, trahitur à cõſecrato, quod eſt magis dignum: quod tamen axioma intelligi debet cum hac limitatione, quam loco cit. notat *Barboſa* & etiam in ſuis varijs tractatibus *de axiomat. iuris vſu frequen. axiom. 72. num. 1. & 2.* nempè, cum vtrumque ęquè principaliter concurrit, vt euenit in caſu de quo agimus; nam vtrumque oleum ęquè primario ſe habet in ordine ad Sacramentum, quatenus facta mixtione, oleum ſuperadditum euadit conſecratum: & ideò de hoc primo modo apud Authores non eſt controuerſia, quãuis aliquæ fieri poſſint difficultates, ſoluendę tamen ex dicendis. Si verò locutio ſit de tertio modo, res eſt indubitata; nã totum oleum non eſſet amplius conſecratum; ceſſat enim ratio prędicta, nempè minorem partem non benedictam trahi à maiori benedicta; quia in hoc tertio modo ponitur, quòd oleum additũ ſit maius, aut æquale illi, cui additur. Quod vero ſpectat ad ſecundum modum, videlicèt, quando oleum, quod additur, eſt in maiori quantitate, ſed ſucceſſiuè, & non ſimul ſit additio, aliquam inuenio apud Authores controuerſiam. Prima opinio ea eſt, quam ſequitur *Leander par. 1. tract. 4. de extrem.* 80

vnct. qu. 9. & Quintana Dueñas in ſuis ſingularibus . tract. 5. ſing. 1. num. 4. affirmantes probabilius, verius, & tutius eſſe, quòd tunc oleum maneat benedictum, quando quantitas, quæ initio erat benedicta, eſt maioris quantitatis, tota quantitate non benedicta, non ſolum ea, quæ ſimul, ſed etiam illa, quæ varijs vicibus paulatim, & ſucceſſiuè ſuperadditur: citat autem Quintana pro hac opinione *Zambranum de extrema vnctione. cap. 5. dub. 5 num. 5.* & quoſdā alios, vt *Armillam & Supplementum verb. Aqua benedicta*, apud eumdem Zambranum, & ipſe addit *Poſſeuinum, Bonacinam, & Granadum*, ſed hi Authores citati, ſaltem aliqui, non ſunt cōtrarij meę ſententiæ; quia nihil aliud dicunt, niſi quòd oleum non benedictum (& idem de aqua) quod additur, debeat eſſe minoris quantitatis oleo benedicto, cui additur; at non explicant, an minor hæc quantitas debeat eſſe ea vice, in qua fit additio, an vero omnibus vicibus ſimul ſumptis; & ideò, cum doctrina ab his Authoribus tradita vtrumque ſenſum habere poſſit, non debent à Quintana abſolutè pro ſua ſententia laudari. Proſequitur poſtea idem Author rationibus ſuam opinionem ſuadere; & primò ex Rituali Pauli V. vbi Pontifex loquens de extrema vnctione, præcipit, vt oleum infirmorum ſingulis annis feria quinta in in Cœna Domini, combuſto veteri, renouetur: & ſi infra annum ſufficere nequeat, & aliud benedictum haberi non poſſit, modico oleo non benedicto in minori quantitate, quod ſufficiens pro toto eiuſdem anni decurſu cenſeatur, ſuperfuſo, reparetur. Ex his verbis notat hic Author, quòd Pontifex præcipit, oleum cōſecrandum debere eſſe tātæ quantitatis, vt iudicetur durare poſſe per annum; rurſus vult, tunc eſſe permiſcendum oleum non benedictum, quando non inuenitur aliud benedictū, & tunc ait, oleū non conſecratum debere eſſe in minori quantitate. His limitationibus ex Rituali ſuam ſententiam probat Quintana. Secūdo probat ex *Cap. Quod in dubijs.* citato, vbi ſtatuitur, quòd altare tunc debet iterum conſecrari, quando tabula conſecrata remouetur, vel enormiter frangitur; nā vi talis læſionis non cenſetur eadem manere, & conſequenter conſecratio, cum non maneat idem ſubiectum, cui prius inhærebat, deperditur; ita à pari oleum benedictum per tot mutationes, cenſetur ita enormiter lædi, vt maior pars illius non remaneat, imò vix minima ſupereſſe videatur: ergo amittitur benedictio. Tertio probatur hoc pacto. Eadem eſt ratio de prima additione, & de reliquis, quæ ſucceſſiuè exercentur; igitur ſicuti in prima additione ſi maior ſit quantitas ſuperaddita, totum illud conflatum erit inepta materia huius Sacramenti, quia non manet idem phyſicū ſubiectum, cui inhærebat benedictio; ita & in reliquis, quæ ſucceſſiuè fiunt, in quibus omnibus non manebit idem ſubiectum phyſicum; eadem enim eſt ratio; nam per accidens ſe habebit maior quantitas, ſi addatur vnica, aut pluribus vicibus, quia verè ſemper eſt maior.

Neque valet, ſi dicas, quòd, quamuis non remaneat idem ſubiectum phyſicū, ſatis erit tamen, ſi maneat idem moraliter, proindè ſemper remanet conſeruatū, ne dicas, inquam, hoc, quia nequit oleū illud manere conſecratum, niſi remaneat idem ſecundùm eſſe phyſicum, quod eſt fundamentum retinendi conſecrationē. Rurſus neque valet aſſerere, ex intentione Eccleſiæ benedictionem illam, quæ inhęrebat oleo præexiſtenti, extendi ad oleum ſucceſſiuè addendum in minoribus quantitatibus; quia benedictio non eſt ex ſola inſtitutione Eccleſiæ, ſed etiam ex inſtitutione Chriſti Domini determinātis, materiam eſſentialem huius Sacramenti eſſe oleum conſecratum, ſeu benedictum; & ideo ſemel benedictione poſita, non eſt in poteſtate Eccleſię illam extendere ad alias portiones olei, quæ ſunt in maiori quantitate, quam ſit oleum ab Epiſcopo immediatè benedictum. Ita cōfirmat hanc opinionem *Quintana Dueñas*: poſtea verò conatur ſoluere rationes pro appoſita ſententia, quæ quidem ſolutiones infra examinabūtur.

Secunda opinio aſſerit, per multiplica- 81
tas additiones olei non benedicti remanere benedictionem in prima portione olei, & extendi ad alias portiones, quæ ſucceſſiuè adduntur, ita vt ſemper totum oleum remaneat benedictum, ſi id, quod additur, tēpore additionis ſit minus, quāuis additiones ſimul ſumptæ ſint maioris quantitatis cōparatę cum ipſo oleo ab initio benedicto, ita *Syluester in ſumm. ver. Aqua benedicta quæſt. 3* loquens de omnibus liquoribus, quæ mixtione confundūtur, *& Verb. Conſecr. 2. quæſit. 4. Vgo-*

linus

Digitized by Google

ſitus de offic. & poteſt. Epiſc cap. 28. nu. 4. ver. At qui contrarium, Alterius de cenſ tom. 2. diſp. 3. de Interdicto cap. 1. in fine. Azorius part. 2. inſtitut. morali. lib. 9 cap 4. quæſit 6. Diana reſol. cit. in fine. & eamdem opinionẽ admittere debent omnes, qui dicunt, in Eccleſia cõſecrata non amitti conſecrationem, quãdo non ſimul, & tota deſtruitur, & reficitur, ſed quando per partes, & ſucceſſiuè reparatur, & fit additio partis non conſecratæ, dummodo in qualibet vice, additum ſit minus illo, cui additur: ita tectè notat *Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. alleg 27 num.* 19. id probans tum iure canonico, tum plurium authoritate, quamuis alij diſſentiant. Rurſus eamdem opinionem recipere debent, qui dicunt, veſtibus ſacris pro ſancto ſacrificio, cum laceratæ ſunt, ſi tamen retineant formam, poſſe fieri additionem alicuius partis non benedictæ, ad quam per hanc additionem, extenditur benedictio, vt dicit *Suarez tom. 3. in 3 part. S. Thomæ. diſp.* 82 *ſect.* 2. verſus finem. Ratio fundamentalis eſt illud commune principium, quo ſæpè Iuriſtæ, & Canoniſtæ vtuntur, nempe minus dignum trahi a magis digno.

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſentẽ-
82 tia, quæ eſt iuri, & praxi conformior. Probatur autem hac ratione. In prima additione oleum non benedictum, ſi eſt minoris quantitatis oleo benedicto, cui additur, totum euadit benedictum; ergo euadent benedictæ omnes aliæ portiones olei, quæ ſucceſſiuè adduntur, quamuis, ſi ſpectentur ſimul, & collectiuè, ſint maioris quantitatis oleo illo primo, quod fuit ab Epiſcopo immediatè benedictum.

Antecedens certum eſſe debet ex cõmuni opinione, & declaratione Pontificis. *Cap. Quod in dubijs ſuperius cit.* & ex Rituali Pauli V. citato ſuperius a Quintana in fauorem ſuæ ſententię: & etiam confirmatur ex illo axiomate; Dignum trahit ad ſe minus dignum.

Sed ad hoc axioma reſpondet *Quinta-*
83 *na Dueñas ſing. cit. num.* 12 eſſe intelligendum non ratione ſolius contactus, ſed quatenus id, quod admiſcetur, ſit tam paruum, vt non tollat identitatem indiuidui, cui additur, ſed idem cum illo reputetur; & ideo illud primum benedictionem retinens poterit eam communicare illi parti, quæ facit vnum indiuiduum cum ipſo, aliter ſi per ſolum contactum olei communicaretur benedictio, ſequeretur, quod pars olei benedicti infuſa in ingens dolium olei non benedicti, & minima pars aquæ benedictæ iniecta in mare redderet totum illud benedictũ.

Cæterum, licèt hæc axiomatis interpretatio, quam tradit *Quintana* Dueñas ſit vera; falſum tamen ex illa deducitur, quòd ex mea ſententia ſequatur, non manere idem indiuiduum oleum in additione alterius olei; volo enim, per ſucceſſiuas additiones alterius olei non benedicti manere moraliter, & ſecundum communem exiſtimationem idem indiuiduũ cum ſufficiente identitate ad communicandum partibus addendis benedictionẽ, quam in ſe retinet, vt melius declarabitur in probatione conſequentiæ, quam ſic probo.

Eadem virtus, quæ fuit potens extendere benedictionem ad primam particulam olei non benedicti, erit etiam potẽs ad extendendam eamdem benedictionẽ ad reliquas particulas, quæ, modo explicato, ſucceſſiuè adduntur: ergo omnes euadent benedictæ: patet conſequẽtia: hoc autem vltimum antecedens efficaciter demonſtrari poterit; nam facta prima additione, ex portione prioris olei & ex portione ſecundi conſurgit vnum oleum totũ ſacratum, eiuſdemque omninò efficaciæ, ſicuti erat prima olei portio, quę fuit ab Epiſcopo immediatè benedicta, & conſecrata. extenſa igitur cõſecratione ad particulã olei prima vice additã, poterit fieri extenſio ad ſecundam, tertiã, quartam, & ſic infinitum; eſt enim eadẽ ratio, & nulla dari poteſt ſufficiens diſparitas; ita enim ſe habet quoad hanc extenſionem prima particula in ordine ad ſecundam, ſicuti conſtatum ex prima & ſecunda in ordine ad tertiam, & conſtatũ ex prima, ſecunda, & tertia in ordine ad quartam, & ſic deinceps.

Sed contra vrgebis; quia multiplica- 84
tio additionum tanta eſſe poterit, vt nulla, vel ferè nulla remaneat particula illius olei, quod immediatè conſecratum fuit ab Epiſcopo, quod tñ non euenit per additionem vnius, aut alterius tantum particulę; nam manente aliqua etiam minima parte prioris olei, quãdo digitus intingitur in oleo mixto, ſemper remanet vnctus aliqua particula olei conſecrati ab Epiſcopo, & hoc ſufficit ad effectũ, nempè ad valorem huius Sacramenti. ita obijcit. *Ioannes Vuierger in 3 part. S.*

Tho-

Digitized by Google

Thoma in ſupplemento. quaſt. 29. art. 4. n. 6 quem refert *Diana reſol. cit.*

Reſpondeo, quod, quamuis daretur, iteratis additionibus, nihil manere de illa portione ab Epiſcopo conſecrata, ſeu eã conſumptam fuiſſe in vngendis infirmis, ſatis tamen eſt manere in ſuo effectu, nimirum in alijs partibus, ad quas vi mixtionis extenſa fuit conſecratio cum eadẽ efficacia, quam habebat pars ab Epiſcopo conſecrata: aliam ſolutionem dat ipſe Vuierges ad hanc obiectionem, recurrens ad inſtitutionem Chriſti, & intentionem Eccleſiæ volentis, benedictionem hanc ſe extendere poſſe ad omne oleum, quando in minori quantitate additur, quia exiſtimatione hominum cenſetur potius idẽ moraliter eſſe cum illo oleo, quod prius fuit, quàm eſſe illud, quod ſuperadditur.

Dices; ſi vino conſecrato addatur aliqua pars vini non conſecrati, hoc vinum 85
additum non mutatur vi additionis in ſanguinem Chriſti Domini; ergo nec oleũ non conſecratum additum conſecrato fit conſecratum. Antecedens eſt certum, & determinatur *in Cap. Cum Martha §. Quaſiſti 2. verb. Præterea.* Conſequẽtia verò ſuaderi poteſt paritate; nam ſicuti vino non conſecrato, quantumuis exiguo, cum non tollat identitatem ſubiecti vini conſecrati, nequit communicari conſecratio, ita neque ab oleo conſecrato communicari poterit oleo non conſecrato, quantumuis exiguo.

Reſpondeo negando conſequentiam; eſt enim magnum diſcrimen inter vnum & alium caſum, & ratio diuerſitatis traditur *à S. Thoma in 4. diſt. 12. qu. 1. art. 2. qu. 6* & expreſſiùs in reſponſione ad ſecundum, vbi oſtẽdit diuerſitatem inter additionem aquę non benedictæ, cum adiungitur benedictę, & inter additionem vini non conſecrati vino conſecrato: dico igitur diſparitatem ſitam eſſe in hoc, quod in oleo (& idẽ aſſero de aqua, & liquore) ad acquirendam conſecrationem, & ad illam communicandam, nulla fit mutatio ſubſtantialis, ſed tantum vi benedictionis epiſcopalis conſequitur quandam moralem conſecrationem, quę poſt additionem alterius olei, cum quo facit vnum ſubiectum, poteſt eamdem virtutem parti additæ communicare; at in vino ſacramentaliter conſecrato fit mutatio ſubſtantialis virtute verborum, quę proferuntur à Sacerdote; & ideò, cum verba non proferantur ſupra vinum additum, nequit fieri aliqua mutatio, & conuerſio ipſius vini in ſanguinem Chriſti, non obſtante vnitate ſubiecti inter vnum, & alterum, quę vnitas non eſt ſatis ad prædictam conuerſionem: quo pacto autem ſe habeat in caſu poſito vinum additum in ordine ad conſecratum & ad ſanguinem Domini declaratur *à S. Thoma loc. cit. quaſt. 6. in corpore.* Et hæc quoad ſecundum modum, quo fieri poterit additio. Remanet pro completa intelligentia huius ſecundi modi, vt diluantur argumenta ſuperius poſita, quibus Quintana Dueñas hãc noſtram ſententiam impugnat.

Ad primum deſumptum ex Rituali Pauli V. reſpondeo, nihil in illo inueniri 86
in contrarium; concedo enim, quæ ibi à Pontifice præſcribuntur, ſcilicet ſingulis annis oleum infirmorum eſſe renouandũ, veteri combuſto, & ſi intra annum deficiat eſſe illi addendum modicum oleum non benedictum, & in minori quantitate; ex his autem nullum efficax argumentum contra meam ſentẽtiam deduci poterit; nam Pontifex non vetuit pluralitatem additionum, ſed ſolum locutus eſt de quantitate; quæ adiungi debet, & ſtatuit, debere eſſe minorẽ, quàm ſit illa, cui additur: quod verificari poterit, etiã multiplicatis additionibus, vt ſupra declaratum eſt.

Ad ſecundum *ex Cap. Quod in dubijs* 87
facilis erit reſpõſio; concedo enim, quòd, cum tabula, ideſt altare amouetur, vel tabula ſuperior enormiter frangitur, debeat iterum conſecrari, & hoc quia non cenſetur manere idem ſubiectum, cui affixa erat conſecratio: quod verò attinet ad oleum conſecratum, aio, tunc cenſendum eſſe, idem non manere, quando id, quod additur, eſt maius; nam tunc maior quantitas particulæ additę mutat identitatem denominationis; & ideo non dicitur, ſecundùm communem exiſtimationem eſſe idem quantum; quod tamen non euenit, quando minor eſt particula, quæ additur, moraliter loquendo; nam ſi quis proijciat parum aquę in mare, moraliter cenſetur eſſe idem mare: hinc nihil obſtat, quòd poſt multiplicatas additiones, vel nihil, vel ferè nihil de priori oleo maneat, cũ ſatis ſit ante defitionem communicaſſe conſecrationem alijs partibus additis modo explicato.

Ad tertium nego, eamdem eſſe ratio- 88
nem de prima additione, & de alijs, quæ

ſuc-

ſucceſſiuè ſunt, collectiuè ſumptis; eãdem tñ eſſe concedo de ipſis ſingillatim acceptis, quoad maioritatẽ, & minoritatem quantitatis: declaro rationem diſcriminis. Ponamus e. g. quòd oleum ab Epiſcopo benedictũ ſit vnius libræ, cui fiat additio particulę vnius vnciæ, quę iuxta principia præhabita non mutat moraliter identitatem prioris ſubiecti, ac proinde eſt apta, vt in eam extendatur conſecratio, ita vt ex ipſa, & priori libra reſultet ſubiectum totum conſecratum: fiãt poſtea ſucceſſiuè aliæ additiones minoris tamen quantitatis ea, cui additur: ſic poſt plures, & plures ſimiles additiones quantitas omnium partium additarum ſimul ſumptarum, poterit e. g. eſſe viginti librarum, quæ ſi fuiſſent ſimul ſuperadditæ priori libræ olei, procul dubio deſtruxiſſent identitatem ſubiecti, & conſequenter deſtructa etiam fuiſſet conſecratio; hoc tamen non euenit ſi hæ viginti libræ paulatim addantur, quia ſemper per additionem minoris partis manet identitas ſubiecti, & conſequenter conſecratio, vt oſtenſum eſt.

Ex his omnibus patet, qua ratione concedere poſſumus abſque periculo errandi, quod *Quintana Dueñas* in fine illius Singularis deducit tanquam abſurdum contra hanc communem ſententiã, videlicèt ex ipſa ſequi, quod pars olei benedicti infuſa in ingens dolium olei non benedicti, & minima pars aquæ benedictæ iniecta in mare redderet benedictum totum illud oleum, quod eſt in dolio, & totum illud mare. Ad has, inquã, inſtantias conſtanter reſpondeo, quòd, ſi additio fiat cum moderamine in hac quęſtione ſæpè declarato, nempè, ſi oleo benedicto addatur oleum non benedictũ minoris quantitatis, totum erit benedictum, & ſic ſucceſſiuè addendo, poterit tandem ingens dolium olei euadere totũ benedictum, quamuis prima pars olei, cui facta fuit additio, fuerit v. g. vnius libræ; & pariter ſi paulatim, & ſenſim partes totius maris addantur alicui paruæ aquæ benedictæ, & id quod additur non benedictũ ſemper ſit minus, poſſet tandem, ſi duratio temporis reſponderet, totum mare oceanum euadere benedictum.

CAPVT XV.

An donatio excedens ſummam abſque inſinuatione iure permiſſam, ſi non inſinuetur, tota irrita euadat?

HVnc caſum proponit Gloſſa in expoſitione huius regulæ initio, & citat *L. Sancimus.* 34. C. *de Donationibus*: ſupponit autem Gloſſa ibidem, fieri 89
non poſſe donationem vltra ſummam centum aureorum, abſque eo quòd inſinuetur; & hoc quia ius in tali donatione excedente præſumit, deceptionem, aut metum interueniſſe, vt patet ex prædicta L. *Sancimus*: & ideò ad has fraudes vitandas, diſpoſitum fuit, vt talis donatio Iudici legitimo manifeſtetur: caeterũ quoad quantitatem ſecundùm temporis progreſſum, & varietatem perſonarum, quibus ſit donatio, & ſecundùm qualitatem cauſſarum, ob quas ſit, inuenitur diuerſitas, vt notatur in ſummario rubricæ prædictæ legis; nam olim donationes vltra ducentos aureos ſine inſinuatione erant irritæ: poſtea verò aucta fuit ſumma vſque ad trecentos, & in quibuſdam caſibus vſque ad quingentos; ſed in his ſeruandæ ſunt leges municipales, ſeu cõſuetudines propriæ, quæ vigent in qualibet regione. Loquendo autem de regno *Siciliæ*, quæſitum nequit locum habere, quia in hoc regno viget lex ſtatuens, quamlibet donationem rerum immobilium, in quacũque ſumma ſit, eſſe inſinuandam, & niſi inſinuetur, non poſſe habere vim in præiudicium tertiæ perſonæ. ita habetur in pragmaticis Regni, pragmat. 61. authoritate Regis Ferdinandi ſecundi confirmata: debemus igitur quæſitum examinare ſpectando Ius commune, vel Ius ſpeciale alicuius prouinciæ, per quod ſancitum ſit, donationẽ vſque ad certam ſummam non indigere inſinuatione ad ſui valorem, indigere tamen illa vltra determinatam ſummam. Hoc autem poſito, quæritur, nũ donatio, quæ ſummam permiſſam excedit, ſi careat inſinuatione, vitietur ſolum quoad exceſſum, an verò quoad totam quantitatem.

Totam irritam reddi, ita ſuaderi poteſt; quia donatio hæc eſt quid indiuiduũ; ergo non inſinuata tota vitiatur: euidẽs eſt cõſequentia ex principijs ſuperius poſitis pro huius regulę declaratione: ante;

te;

tecedẽs autem, in quo manet difficultas, probatur à pari; nam donatio publico inſtrumento confecta à notario ſe haberet, ſicut ſententia prolata à Iudice, quę eſt quid indiuiduum, vt diximus ſupra.

90 *S*ed his nõ obſtantibus dico, donationem, quæ excedit ſummam iure permiſſam, ſi non inſinuetur, vitiari tantùm quoad exceſſum, validam tamen, & firmã manere quoad quantitatem, quæ in iure eſt cõſtituta, & permiſſa, etiam nulla adhibita inſinuatione. ita expreſsè ſtatuitur *in L. Sancimus ſuperius cit. Verſ. Si quid autem. Gloſs. ibidem in explicat. caſus.* & in iure canonico apertè hoc ipſum docet *Gloſſa in expoſitione huius regulæ. Iulius Clarus in ſuis tractatibus. lib. 4. §. Donatio. quæſt. 17. num. 2. Molina tract. de Iuſtit. diſp. 278. num. 1, Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 18. dubit. 13. nu. 97. & ſeq. Cardinalis Delugo diſp 23. de Iuſt ſect. 10. num. 149.* & alij veteres, & recentiores. Probari poteſt hęc ſententia, tum authoritate eorum, qui eam defendunt, tum etiam ratione, poſitis principijs Iuris, quibus diximus verificari regulam de vtili in ijs, quę diuidua ſunt, & ſeparari poſſunt; cum autem in donatione excedente ſeiungi poſſit ſumma permiſſa ſine inſinuatione ab ea, quæ non eſt permiſſa, ſequitur, firmam, & validam ſuſtineri quoad quantitatem permiſſam, licet ſit inualida quoad exceſſum, vt in ſimili ſupra capite 2. oſtenſum eſt de locatione prędij eccleſiaſtici vltra triennium, quãdo cõtractus locationis ſit iuxtà formam declaratam ibidem in relatione tertię ſententię: iuxta id, quod dictum fuit ab Authoribus ſecundæ ſententię ſupra capite 3. de reſeruatione penſionis in reſignatione beneficij excedente tertiam partem fructuum iuxta formam pręſcriptam, ſi ex forma reſeruationis non reſultet indiuiſibilitas, modo ibi explicato: ſicuti igitur in his caſibus, & ſimilibus reperitur diuiſibilitas, ſeu ſeparabilitas, vtilis ab inutili, ſic in caſu, de quo in præſentia agitur, quantitas permiſſa ſeiungi poterit à non permiſſa ſine inſinuatione: & per conſequẽs donatio vitiabitur quoad exceſſum, non autem quoad reliquum infra exceſſum.

91 Ad fundamentum oppoſitum reſpondeo, diſparem eſſe rationem de ſententia lata à Iudice, & de donatione; primò, quia in iure expreſsè cautum eſt, ſententiam non poſſe ex parte valere, & ex parte non valere: ita habetur *in L. In hoc iudicio. ff. familiæ Erciſcundæ*, & colligitur ex iure canonico *Cap. Cum ſuper. de officio deleg. & cap. ad probandum de ſent. & re iudic. iuncta Gloſſa*; at de donatione in iure id non habemus; imò oppoſitum expreſsè ſtatutum eſt *in L. Sancimus* paulo poſt initium: ergò argumẽtum a ſententia ad donationem non valet. Secundo probari poteſt diſparitas ex quadam extrinſeca congruentia deſumpta ex intentione tum *Iudicis*, tum donatoris; nam ſententia, quamuis poſſit ferri in plura, tanquam in materiam, circa quã verſatur, & ex hoc capite admittat ſeparabilitatem; nihilominus formaliter eſt indiuidua ex intentione Iudicis, ipſam ferentis: ſicuti locatio vltra triennium, vt diximus capite 2. quamuis quoad tempus admittat diuiſibilitatẽ, ex intentione tamen contrahentium, vt ibidẽ declarauimus, quamdam ſortiri poterit indiuiſibilitatem: at in donatione res nõ ita ſe habet, quia donator per illam donationem excedentem non intendit indiuiſibiliter donare totam ſummam illã; nam ſi hoc intenderet, eadem eſſet ratio, quoad inualiditatem, de ſententia, & donatione; quia donatio, vt ſubſtans tali intentioni, acquireret indiuiſibilitatẽ, eo modo, quo ratiocinati ſumus de locatione vltra triennium: ſolũ autẽ donator per donationem intendit donatario gratificari, quantùm poteſt; proinde donatio vim retinebit quoad ſummam permiſſam ſine inſinuatione.

Hæc autem ſatis videntur, reſpondendo directè ad quæſitum principale: aliqua tamen affinia eidem quæſito pro ampliori doctrina addere placet.

Quæres primo, vtrum donatio excedens ſummam, ſi iuramento firmetur, ſit valida quoad totum, quamuis inſinuatione careat? 92

Reſpondeo, quòd licet nonnulli, quos laudat *Molina diſp cit. nu. 8.* ſenſerint, inualidam eſſe; alij tamen cenſuerunt, totam eſſe firmam, vt *Panorm. cap. Cum contingat num. 17. de iure iurando:* & hæc eſt communior ſententia, quam ſequitur ipſe *Molina, Couarr. rubr. de teſtamentis par. 2. num. 14. Leſſius dub. cit. num. 96. Iulius Clarus lib 4 ſentent. §. Donatio. qu. 18. Gomez to. 2. variar. reſol. cap. 4. num. 8. Sanchez in decal. cap. 12. num. 11. Delugo ſect. illa 10. nu. 155.* & alij tum antiqui, tum recentiores,

quos

quos longa ſerie laudat *Sanchez loc. cit.* fusè etiam rem hanc exagitat *Suarez lib. 3. de iuramento. cap. 28. & 29.* diuerſas proponendo diſtinctiones. Probari poteſt hæc ſententia primò à pari in alijs ſimilibus. V. g. non obſtante prohibitione alienandi fundum dotalem, ſi tamen contractui alienationis addatur iuramẽtum, firmus remanet ipſe contractus: & idem eſt dicendum de contractu minorum abſque authoritate curatoris, & decreto Iudicis: tales autem contractus, quando ſunt de rebus immobilibus irriti ſtatuũtur iure poſitiuo; at ſi addatur iuramentum robur acquirunt. ita habetur in iure ciuili *Authent. Sacramenta puberum. C. Si aduerſus vendit.* & in iure canonico *Cap. Cum contingat. de iureiurand. cap. Quamuis pactum. de pactis in 6.* & id docent communiter ſcribentes, & alij; ergo, licet donatio excedens ſummam permiſſam iure poſitiuo ſit irrita, nihilominus firmabitur virtute iuramenti.

Secundo probatur, quia talis donatio ſpectato iure naturali poteſt eſſe licita, & valida, & quamuis vitioſa ſit, attento iure poſitiuo, purgatur tamẽ tale vitiũ vi iuramenti, per quod reſtituitur in priſtinã ſuam naturam, ſiuè hoc fiat, in quantum ipſemet actus reddatur in ſe validus, vt volunt aliqui, ſiuè, vt placet alijs, quantumuis in ſe remaneat inualidus, nihilominus habet omnes illos effectus, quos haberet, ſi fuiſſet validus, & ſic æquiualenter diceretur validus: quale autem ex his duobus ſit amplectendum, non oportet, vt in præſentia determinetur, quia quodcumque dicatur, nihil facit aduerſus meã doctrinã: ſi quis verò deſiderat id definitiuè reſoluere legat *Suarez l. cit. & Delugo diſp. 22 ſect. 6 n. 201. & ſeq.*

93 Aduerte tamen, prædictam doctrinam de iuramento firmante contractum in præſentia ſuſtineri in ijs caſibus, in quibus Princeps ob commune, & publicum bonum non ſolum irritet contractũ impediens, ne ex illo oriatur obligatio ex iuſtitia, verum etiam quando impedit aliquo modo, nempe indirectè, obligationem iuramenti prouenientem ex virtute religionis, quatenus, vt multi aſſerunt, inter quos eſt *Cardinalis Delugo ſect. 8. cit. num. 246.* per legem à ſe editam ita prohibet executionem contractus, vt reddat illam illicitã, & prohibitam; tunc enim irritam erit iuramentum; quia eſſet de re, quæ vi legis reddita eſt mala: at non deſunt alij, qui negant, à Principe laico impediri poſſe, ne oriatur obligatio religionis ex iuramento: licèt poſſit impediri, ne oriatur obligatio ex iuſtitia; & hanc ſententiam tuetur *Suarez lib. 2. de relig. ſuperius cit. cap. 38. num. 15.* Sed obiter dicendum cenſeo, quòd, quãuis Princeps laicus directè nequeat, poteſt tamen id indirectè facere, modo explicato: verumtamen de re hac alibi eſt tractandum.

Quæres ſecundo, vtrum in foro conſcientiæ donatarius poſſit ſibi retinere totam illam quantitatem, de qua facta fuit donatio non inſinuata? 94

Reſpondeo, poſſe tuta conſciẽtia à donatario retineri exceſſum etiã ſupra quãtitatẽ abſque inſinuatione permiſſam, niſi a donatore, vel ab eius hærede repetatur, ita *Molina diſp. 278. cit. nu. 21. Ver. Dicendum nihilominus, Leſſius cap. 18 cit. n. 99 Rebellius part. 2. de obligat. iuſt. lib. 18. quæſt. 8. num. 3 Cardinalis Delugo ſect. illa 10. num. 156.* qui, tanquam ſatis probabile, id admittit. fundamentum huius ſentẽtiæ eſt, quia talis videtur fuiſſe mens legiſlatoris in lege; nam iura, quæ irritam reddunt donationem prædictam, non intendunt, vt rectè animaduertit Leſſius, obligare donatarios ad reſtituendum exceſſum, antequam repetatur; quia huiuſmodi reſtitutio non iuuat ad bonum commune; ſed ſolum intendunt, reſtitutionem eſſe faciendam, quando donator, vel eius hæres repetere volunt exceſſum: præceperunt tamen inſinuationem ad vitandas fraudes, quæ ex parte donatarij contingere poſſent; nam donatarius ſciens, donationem eſſe per inſinuationem Iudici manifeſtandam, abſtinet ſe à fraudibus: quod etiam diſpoſitum eſt, vt ait *Delugo num. 157.* ad conſulendum prodigalitati in donationibus immoderatis, quibus imprudentes in egeſtatem deueniunt.

Quæres tertiò; ſi donator ignoret facultatem, quam habet à Iure, repetendi exceſſum donationis, an donatarius teneatur certiorem facere donatorem de tali facultate repetendi, quam habet. 95

Hoc dubiũ breuiter proponitur à Leſſio loc. cit. ad quod ipſe reſpondens ait, non teneri cum ſuo incommodo id donatori manifeſtare, ſed poſſe rem ſibi detinere, quouſque ipſe donator deueniat in notitiam ſuæ facultatis, & repetat exceſſum.

Multa alia, quæ dici poſſent de his denunnationibus, & de cauſis excuſantibus à neceſſitate inſinuationis videri poſſunt apud laudatos Authores; nam, quæ dicta ſunt in hoc capite, ſufficiunt pro huius quæſiti deciſione.

CAPVT XVI.

Vtrum liber partim à Catholico, & partim ab Hæretico compoſitus vitietur, & ſub lege prohibente Hæreticorum libros comprendatur?

NOn eſt ſermo de libro, in quo continetur hæreſis, vel tractatus de religione; quia certum eſt, talem librum prohiberi in bulla cœnæ in primo canone; ſed ſolummodo eſt de libro, qui tamquã ſuſpectus prohibetur in Indice librorum prohibitorum, vt patet ex regula 3. Indicis Hiſpani, & regula 10. Indicis editi à Pio IV. & Clem. VIII. Hoc præſuppoſito, inquiritur, quid dicẽdum, ſi daretur liber veluti mixtus, quatenus includit aliqua edita ab hæretico, & aliqua alia edita ab Authore catholico, num liber iſte habẽdus ſit, vt prohibitus ob ſuſpicionem falſi dogmatis, ita vt non obſtante doctrina ſcripta à Catholico, totus vitietur?

96 Prima ſententia ea eſt, quam tuetur *Suarez tract. de fide diſp.* 20 *ſect.* 2. *num.* 12. qui antequã caſum decidat, proponit aliquos modos, quibus id accidere poteſt; primo, ſcilicet vt æquè conueniant ad librũ componẽdũ catholicus, & hæreticus, ſiue ſint perſonæ particulares; ſiue ſit cõmunitas aliqua conſtans ex catholicis, & hæreticis; ſecundo, ſi liber ſit ab hæretico compoſitus, & in eo ſint fragmenta, ſeu ſcholia viri catholici; tertiò, ſi è conuerſo ſit compoſitus à catholico, & contineat ſcholia hæretici. His poſitis, deuenit ad deciſionem, atque, ſi primo modo res eueniat, librum eſſe prohibitum, quia malum ex quocumque defectu reſultat; proinde liber iſte cenſetur liber hæretici; idemque aſſerit, ſi res, ſecundo modo contingat, & ob eamdem rationem; nam talis liber dicitur liber hominis hæretici, atque, adeò continetur ſub lege prohibente. cũ verò res tertio modo accedit, diſtinguit ipſe: ſi enim in eo libro ſint quædam fragmenta ex libris hæreticorum, & præſertim ſint tranſcripta, vt impugnentur, & tunc talis liber non comprehẽditur ſub prohibitione, quia abſolutè, & ſimpliciter dicitur liber Authoris catholici, vt ſunt libri Roberti Bellarmini, Gregorij de Valentia, & aliorum Controuerſiſtarum: ſi verò ſcholia hæreticorum ſint ita copioſa, vt maiorem libri partem conficiant, tunc putat *Suarez*, cenſendum eſſe librum prohibitum. ita docet *ſect. cit. & tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 32. *ſect.* 2. *num.* 30. ſententiam, & regulam traditam à Suarez admittit *Delugo tract. de fide. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 47. *Alterias de cenſuris. in explicatione primi Canonis bullæ cœnæ. diſp.* 2 *cap.* 6. *dub.* 1. *Santarellus tract. de hæreſi cap.* 13. *dub. vnico concluſ.* 4. *Coninch. de fide. diſp.* 18. *dub.* 11. *nu.* 176. *in fine*.

Secunda ſententia eſt *Sanchez lib* 2. *in decalog. cap.* 10. *num.* 25. vbi reijcit hanc limitationem, quam ponit *Suarez*, & vult, non obſtante quòd copioſa ſint hæreticorum ſcholia, nihilominus ex cõmuni, & vſitato loquendi modo librum hunc non denominari librum hæretici, ſed Authoris catholici, à quo in lucem editus fuit. Hanc opinionem ſequitur *Duardus in Bullam Cœnæ. lib* 2. *can.* 1. *quæſt.* 43. *nu.* 2. *Carena de offic. Inquiſ. tit.* 10 § 1. *num.* 5. *Diana par.* 1. *tract.* 11. *de bulla cruciata. reſol.* 32. 97

Tertia ſententia illa eſſe poteſt, quam ponit *Petrus Hurtado tract. de fide. diſp.* 76. *ſect.* 8 *ſubſ.* 1. §. 303. per quam prædictas duas conatur conciliare; vult enim ſcholia, ſeu commentaria eſſe in duplici differentia; nam aliqua tota ſunt ad explicationem textus, ita vt ab illo nequeant commodè ſeiungi, & talia ſunt, vt ipſe ait, Commentaria Caietani, quæ ſeparari non poſſunt à textu S. Thomæ; tota enim ſunt ad explanandam vim argumentorum, & ad impugnanda contraria, & tales libri ſimpliciter appellantur libri S. Thomæ; proindè, ſi in libro compoſito ab Authore catholico ſunt commentaria alicuius hæretici, non dicitur liber hæretici, ſed catholici, ſiue commentaria ſint breuia, ſiue prolixa; parum enim refert magnitudo, cũ ſit potius attendenda materia, de qua agitur; nam etiam in paruo libello contineri poterit hæreſis, ſicut etiam magno volumine. Cæterum, ſi commentaria præter explicationem, alia contineant, quæ non faciunt ad textum explanandum, & ab illo commodè ſeiungi poſſunt, tunc liber comprehenditur ſub 98

pro-

Digitized by Google

prohibitione; quia verè diceretur liber authoris hæretici: ſicuti commentaria facta a Suarez in tertiã partem *S. Thomæ*, eò plura alia includũt non pertinentia ad textum, denominantur libri *Suarez*. ita Author iſte diſcurrit: ſed modum hũc reijcit *Suarez loc. cit.* vult enim, in re hac neceſsariam eſse moderationem, & cum ſit res magni momenti, magis eſt conſiderandum quid in libro contineatur, quã quomodo appelletur; ſæpè enim liber magis à commentatore, quàm à primo authore denominatur, vt ſunt libri compoſiti in ius ciuile, aut canonicũ, &c. & rationem a priori, ait, eſſe, quia in ſcholijs copioſis idem periculum imminet, quod eſt in libris integris, atque adeo cum militet ratio legis, eadem erit obligatio. Impugnatur etiam modus prædictus à *Cardinali Delugo ſect. 2. cit. num.* 47. qui dicit, non videri ſibi ſolidam hanc regulam ab Hurtado traditam; quia ſæpè libri denominantur eſſe illorum, qui commentaria edunt, vt. ſunt commentaria Salmeronis, Cornelij à Lapide, & aliorũ in ſacram Scripturam; & ideò, ſi hæreticus ſimilia ederet commentaria in ſacram Scripturam, comprehenderentur in bulla cœnæ, quia eſſent libri continentes tractatum de Religione; vnde concludens amplectitur regulam traditam à Suarez, nempè eſſe attendendum; an textus Authoris catholici excedat, nec ne, commentarium editum ab hæretico; ſi enim non excedit, ſed exceditur, maior pars debet minorem ad ſe trahere; proindè liber cenſeretur eſſe Authoris hæretici; quin addit, regulam Hurtadi poſſe admitti ad reſtringendum; propterea, quando hæreticus ex occaſione libri editi à Catholico, apponeret diſputationes, quæ non conſtituerent vnum cum textu, quem catholicus compoſuit, & non eſſent commentaria, ſed tractatus diuerſus, in hoc caſu liber eſſet prohibitus, quamuis pars appoſita ab hæretico eſſet minor; deficeret enim vnio illa, vi cuius pars maior traheret minorem.

99 Quarta ſententia, quæ alia via procedit, excogitata fuit a *Merolla in ſua theologia morali. to.* 1. *diſp.* 1 *cap.* 2. *diffic.* 10. vbi *n.* 409. diſtinguens, ait; quãdo lex iſta prohibens libros hæreticorum ſub pœna excõmunicationis, eſt odioſa, atque adeo ſtrictè intelligenda, tunc, ſi Author hæreticus, & Author catholicus equè conueniunt ad librum componendum, qui illũ legeret, non incurreret in cenſuram: ſed quia, vt ipſemet inquit num. 410. putat, legem hanc eſſe fauorabilem, quatenus lata eſt in animarum, & religionis chriſtianæ fauorem, & per conſequens latè interpretandã, idcirco legens talem librum incidit in excommunicationem contentã in bulla cœnæ, ſi in eodem libro ſit hæreſis, aut tractatio de religione; nam amplè loquendo, liber iſte dici poteſt liber authoris hæretici; quia in fauorabilibus res mihi, & alijs communis, appellatur mea, vt volunt aliqui ab ipſomet Merolla citati. Ex hac autem doctrina infertur, quando author libri eſt quædam communitas ex catholicis, & hæreticis, ſi maior pars eſt catholicorũ, librum non comprehendi ſub hac cenſura; quia pars catholica, cum ſit maior, repræſentat communitatem; nam vt aiunt Doctores. factum à maiori parte communitatis dicitur factũ à cõmunitate, vt habetur *in L. Quod maior. ff. Ad municipalem*. vbi quod facit maior pars Curiæ, habetur, ac ſi ab omnibus factum ſit; proinde liber iſte denominaretur editus ab authore catholico: ſecùs autem eſt ob eãdem rationem, ſi maior pars ſit hæreticorum. At quando cõmunitas æquè conſtat ex catholicis, & hæreticis, tunc ſi lex hæc cenſeatur odioſa, legens talem librum non incurreret in cenſuram; ſi verò fauorabilis, tunc incurreret, vt ipſe dixit de libro compoſito à duobus, quorum vnus eſt catholicus, alter verò hæreticus.

Hæ ſunt ſententiæ, quas de re hac inuenio: remanet, vt ego aperiam, quænã ex illis probabilior mihi videatur.

Dico igitur primo, ex his opinionibus, quamuis probabilibus, probabiliorem mihi videri eam, quam ſecundo loco recenſui, & defendit P. Sanchez, videlicet, ſub lege prohibente librum, cuius Author fuit hæreticus, intelligi illum librum, qui abſolutè, & ſimpliciter liber illius denominatur. Probatur concluſio; quia cum lex interdicat libros ab hereticis compoſitos, non eſt extendenda ad libros, quorum author eſt catholicus, quamuis in eiſdem libris inſertæ ſint annotationes, ſeu ſcholia hæreticorum etiam copioſa, quia, non obſtante tali magnitudine, adhuc dicuntur libri authoris catholici, & non hæretici: hoc autem melius confirmabitur ex ſequenti concluſione. 100

Dicendum eſt ſecundò, legem hanc eſſe odioſam, & non fauorabilem. Conclu- 101

ſio eſt contra *Franciſcum Merolla diſſc. 10. ſuperius cit.* & recipitur *à Ioanne Delugo ſect. illa 2. nu. 34.* probatur, quia lex iſta, cum immediatè verſetur circa pœnam inferendam legentibus librum hæretici, eſt odioſa, & per conſequens reſtringenda; omnis enim lex pœnalis odium continet; neque vis huius argumenti eliditur, ſi reſpondeatur, legem hanc eſſe cenſendam fauorabilem, quia tendit in fauorem animarum; nam finis iſte eſt remotus, qui in ordine ad determinandum, an lex ſit fauorabilis, an odioſa, non eſt attendendus, aliter nulla daretur lex odioſa; quia omnis lex, ſi eſt iuſta, vt eſſe debet, finaliter reſpicit bonũ communitatis, quod præferendum eſt bono particularium, & eſt fauorabile, atque rectè animaduertit *Suarez lib. 1. de legibus. cap. 11. num. 2.* etiam ipſa lex pœnalis, quæ communiter cenſetur odioſa, non eſſet talis, quia impoſitio pœnę contra tranſgreſſores eſt in hunc finẽ, vt ſubditi ex eius timore non frangant legem, ſed eam ſeruent: & ſic pœna, vt medium ad legis obſeruationem ſub hac ratione, ſub qua eſt à bono legiſlatore intenta, eſt magnum bonum conferens ad rectum, & conuenientem ſtatum Reipublicę: imo quando lex eſt eccleſiaſtica, tendit vltimo ad ſalutem animarum, & tamen ſæpè eſt odioſa, quatenus pœnam imponit, vt ſunt leges prohibentes aliquando delictum ſub excommunicatione, ſuſpẽſione, &c. aut lex, qua ſuperior ſibi reſeruat abſolutionem ab aliquibus peccatis, & cenſuris, quæ, licet finaliter, & vltimo ordinetur ad bonum ſpirituale animarum, attamen communiter Authores cenſent, illam eſſe odioſam & ſtrictè explicandam: igitur non eſt attendendus finis remotus, vt determinetur, num fauor, aut odium in lege aliqua contineatur, ſed eſt attendenda intrinſeca, & immediata materia, circa quam lex ipſa verſatur; nam ſi ipſa materia fauorem continet, lex erit fauorabilis, ſi autem continet grauamen, lex erit odioſa; & de hoc non eſt difficultas apud Authores; quæ tamen non leuis eſt, quando in eadem lege vtrumque includitur, nempè fauor, & odium, quamuis ſub vario reſpectu; tunc enim dubium eſt, quodnam ex ipſis præualere debeat ad denominandã legem fauorabilem, aut odioſam, maxime quando vnum eſt ita alteri annexum, vt
102 ſeparari nequeat. Varia dicunt auctores, quorum dicta examinat *Suarez cap. cit. à num 7.* vſque ad finem capitis; quæ omnia iure omitto; cum non pertineant ad præſens inſtitutum, ſed ad tractatum de legibus: ſatis tamen erit mihi in caſu, de quo eſt ſermo, non rectè colligi, legem, quæ prohibet ſub pœna excommunicationis lectionem libri ab hæretico compoſiti, eſſe fauorabilẽ, ex eo quod ordinetur ad ſalutẽ animarum; nam finis iſte eſt remotus, per quẽ nõ debet lex mẽſurari quo ad fauorẽ aut odiũ; at ſpectanda erit materia intrinſeca ipſius legis, quæ eſt ablatio facultatis ad librũ peruoluendũ, & pœna, quę lectori imponitur: hęc autẽ, vt patet, ſunt onera, & grauamina; proinde lex circa illa verſans erit odioſa.

Dices ſecundo cum *Suarez* loco ſuperius citato de fide. In his ſcholijs copioſis idem eſt periculum, quod in libris integris; & ideo in eis ratio legis militat, & obligatio. 103

Reſpondeo primo, hoc argumentum etiam ab ipſomet Suarez eſſe ſoluendum, quia in paruis ſcholijs non ita copioſis aliquis poteſt error irrepere, & conſequenter eamdem legis rationem, ac obligationem militare; ideoque parua ſcholia ſub prohibitione contineri, quod tamen Suarez non admittit.

Reſpondeo ſecundo, ſi in re hac eſſet attẽdenda magnitudo, & paruitas, ſequeretur, librum, cuius author eſt hæreticus in parua quantitate, non contineri ſub lege; nulla enim apparet maior ratio, quare in illa magnitudine cõmiſta ſcripto Authoris catholici non ſit periculum; ſit tamen cum eadem magnitudo eſt ſeorſum a ſcriptis viri catholici.

Reſpondeo tertio, ſufficienter de hac re eſſe diſpoſitum; nam, ſi in illa parte, ſiue magna, ſiue parua, quę eſt ab hęretico edita, contineatur hęreſis, aut tractatio de Religione, eſt prohibita per bullam cœnæ; Si verò de tali materia non agatur, ſed caſu, aut induſtria aliquis error irrepſerit, vbi primum à legente animaduertitur, debet deferri ad Tribunal ſanctiſſimæ Inquiſitionis, vt ſcholia corrigantur. non debet igitur menſurari prohibitio ex mole eorum, quæ acceſſoriè ſunt libro catholici inſerta, ſed ex auctore, verba legis interpretando ſecundum eorum proprietatem, & maxime in lege pœnali, quę eſt odioſa, & reſtringenda: & ideò cum lex prohibeat lectionem libri, cuius auctor eſt hęreticus

de-

debemus illam explicare de libris, qui ſimpliciter hæreticorum libri denominantur.

103 Ex his omnibus patet, quo pacto ſit reſpondendum ad varios illos modos, quos ponit Suarez in ſua ſententia firmanda, veluti per quamdam regulam ad cognoſcendum, an liber ſit authoris catholici, an verò Authoris heretici, quam regulã, vt ſupra diximus amplexus eſt poſtea Cardinalis *Delugo*, patet, inquam, reſpõſio, & pariter modus, quo prædicta ſententia impugnari poſſit, deſumendo argumentum efficax ex qualitate huius legis, quę eſt pœnalis, vt oſtenſum eſt, & admittit ipſe Delugo, ac conſequenter odioſa: propterea eius verba ſtrictè, & non amplè ſunt interpretãda: & proinde cum prohibeatur per hanc legem liber, qui abſolutè nominatur liber heretici authoris, verba hæc non ſunt extendenda ad librum illum, qui non ita appellatur, quamuis in eodem contineantur ſcholia hereticorum ſiue magna, ſiue parua. Neque obſtat, quod in maioribus ſcholijs legendis poſſit lectori occurrere aliquis error ab heretico in prędictis ſcholijs inſertus, quia idem error poterit etiam inueniri in paruis ſcholijs, quæ vt fatetur, ipſemet Suarez, non operantur, vt liber talia parua ſcholia continens comprehẽdatur ſub prohibitione huius legis: quin addo, quod error inſertus ab heretico, non ſolum in paruis ſcholijs, ſed etiam reperiri poteſt in vna tantum linea: & differentia eſt dumtaxat iuxta maiorem & minorem extenſionem ſcripturę, quod certè non eſt ſufficiens ad ampliandã verba huius legis odioſę, quæ ſolum eſt reſtricta ad librum, cuius Author eſt hęreticus tractans, vel de ſua hæreſi, vel de religione, vt animaduertitur in litteris, quę leguntur, & publicantur in die cœnę Domini, & in indice librorum prohibitorum: liber autem, cuius author eſt catholicus, nequit vocari abſolutè, & ſimpliciter liber hęretici, quãuis in illo ſint ſcholia hęreticorum, vt rectè adnotauit P. Sanchez ſuperius relatus.

REGVLA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.

QVod in hac regula diſponitur tendit ad repellendam cordis inſtabilitatẽ: hinc contra inconſtantes pœnã ſtatuit dicens, non debere quempiam fructus conſequi ex re, quam impugnare conatus eſt; quos tamen fructus, niſi rẽ impugnaſſet, lucraturus ſanè fuiſſet: vt enim dici aſſolet à Iuriſtis, nemo approbare poteſt, quod ſemel impugnauit *L. diſpenſatorẽ. ff. de ſolut.* ſicuti è conuerſo quod ſemel quis approbauit, ampliùs reprobare nequit *L. Pomponius. ff. de negot. geſt.* & communiter Doctores: quod certè confirmari poterit ex regula 21. *Quod ſemel placuit.* de qua ſuperius actũ eſt. Quo tamen pacto diſpoſitio hæc ſit intelligenda, quaſue admittat limitationes, infra declarabitur.

CAPVT I.

Nonnulli examinantur caſus, in quibus viget huius regulæ diſpoſitio.

DIcendum eſt primò. Si quis temerè teſtamentum impugnat, falſum id eſſe, aut inofficioſum allegans, nequit conſequi legatum in eodem teſtamento ſibi à teſtatore relictum *L. Papinianus. §. Meminiſſe. ff. de inoff. teſtamento & L. ſi teſtamentum falſum. ff. de petit. hæredit.* ratio autem pro hac diſpoſitione fundatur in eo, quòd non videtur congruũ à prædicto ſic impugnante obtineri legatum, ſeu aliud lucrum ex eo inſtrumento, quod euertere intendit. 1

Dicendum ſecundò, eamdem eſſe rationem in contractibus; nam qui eos impugnat, aſſerens eſſe falſos, vel inualidos, nequit in eiſdem contractibus ſe fundare ad aliquod commodum, ſeu emolumentum habendum. 2

Dicendum tertiò, regulam extendi ad illum, qui fructus percepit virtute alicuius inſtrumenti, quod poſtea ab ipſo fuit impugnatum; tenetur enim fructus iam exactos reſtituere, ita *Streinius hic ampliat. 1.* & hoc probat, quia talis modus procedendi oritur ex improba intentione. 3

Di-

4 Dicendum quartò, eum, qui formā prædictā impugnat, non ſolum acquirere nō debere fructus illius rei, quam directè oppugnare conatur, ſed etiam rei connexæ *PecKius in explicatione huius regulæ ampliat. 2.* idque probat tali exemplo. Si v.g. Locator impediret conductorem, ne vteretur vna re ex pluribus, quę fuerunt conductæ, non poſſet in tali caſu in ſuum ipſius commodum vti contractu locationis: quod ipſemet *PecKius* confirmat *per text. in L. Cum quæritur. ff de administr. & pericul. tutor.* vbi ſtatuitur, quòd pupillus finita tutela nequeat nomina debitorum à tutore ſiuè ipſius tutoris, ſiue ipſius pupilli nomine conſtitutā ex parte admittere, & ex parte reprobare, ſed debet, vel omnia recipere, vel omnia reijcere: & hoc ne fructum aliquē conſequatur virtute eiuſdem contractus; nō enim videtur rationi conſonum, ratum haberi à pupillo pro vna parte, pro aliā verò irritum quod tutor geſſit, vt patet conſideranti. Præſentem doctrinam fusè probat *Tiraquel. de retractu. Ad finem tituli pag. mihi 685 num. 4. & ſeq.* multiſque iuribus, & plurium auctoritate confirmat per varios caſus diſcurrens: *& nu. 9.* addit, eam veram eſſe in omni materia, nempe id, de quo agitur debere vel totum approbari, vel totum reprobari; quia circa eumdem actum non admittitur diuiſio, vt probatur *ex L. neminem. ff. de leg. 2.*

5 *D*icendum quintò, regulam ampliari etiam ad iudicialia; ideòque, ſi quis ſententiam arbitri impugnat, nequit in ſuū commodum illam allegare *Pariſ. conſ. 75. num. 3. lib 4. PecKius hìc num. 1.* vbi

6 idem quoque docet de teſtibus, quorum depoſitionibus, ſi aliquid fortè afferunt in fauorem illius, qui ipſos impugnat, nō ita facilè ſtandum eſt. *Cap. præſentiū. de teſtibus, & atteſt.* quę autem in prædictis caſibus dicta ſunt iuxta iuris ciuilis diſpoſitionem, ſunt conformia diſpoſitioni iuris canonici, quæ in hac regula continetur, vt ex ſe manifeſtum eſt.

CAPVT II.

Aliqua huius regulæ limitationes declarantur.

HActenus loquuti ſumus de caſibus, in quibus impugnator non debet commodum aliquod recipere ex re illa, quam impugnare conatus eſt; cæterum diſpoſitio hæc, quāuis generalis, aliquas habet limitationes; nihil enim eſt in iure tàm ciuili, tum canonico, quod aliquas non patiatur exceptiones: exponendæ igitur ſunt eæ, quas in hac regula Doctores agnoſcunt.

Dicendum eſt primò, regulam limitari, quando eum, qui iniuſtè impugnat vel teſtamentum, vel contractum, vel quamcumque aliam diſpoſitionem, ante ſententiam pœniteat, ita vt ab impugnatione deſiſtat; tunc enim non amittit commodum, ſeu fructum ſibi debitum ex re impugnata *L. alia cauſſa. C. de ijs, quibus, vt indignis.* vbi *Gloſ. Bald. & alij*, quia lex benignè ſe gerit cum pœnitentibus, quibus facilè parcit. 7

Dicendum ſecundò, quando in eadē re inueniuntur diuerſi reſpectus non connexi, poſſe illam iuxtà reſpectuū diuerſitatem etiam diuerſos habere effectus, & conſequenter quoad vnum reſpectum reprobari, & quoad alium approbari. ita *Tiraquel. de nobilit. cap. 28. num. 25. & ſeq. Tuſcus tom. 3. lit. B. concl. 34. nu. 6.* quemadmodum vna, & eadem numero perſona in ordine ad qualitates diuerſas habetur pro pluribus perſonis. *Tuſc. ibidem.* itaque videmus, eamdem perſonam ſub vna ratione eſſe maiorem, & ſuperiorem, ſub alia verò minorem, ac inferiorē. V. g. Archidiaconus eſt maior Archipresbyteris quoad locum, & iuriſdictioné; ſed in ſancto *Miſſę* ſacrificio eſt ijſdem minor, vt idem *Tiraquellus* affirmat *loco cit. nu. 16. ex Archidiac. in cap. Quāquam 2. quæſt. 7.* 8

Dicendum tertiò, regulam non habere locum, quando Iudex ex proprio officio velit fundare iudicium ſuper illa probatione, quam quis impugnauit; poterit. n. ea vti etiam in fauorem, & commodum impugnantis; quia talis poteſtas iudicibus eſt permiſſa *PecKius in fine explicat. huius regulæ.* V. g. Si Caius contractum, aliudue inſtrumentum impugnet, in quo aliquod legatum ſibi relictum cōtinetur, 9

po-

Digitized by Google

poterit Iudex ad decidendum ſe fundare in instrumento impugnato, & legatum eidem Caio adiudicare; quod idem aſſero de quacumque alia re ad commodum impugnantis in instrumento impugnato contenta.

REGVLA XXXIX.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.

1 ALia in iure ciuili habetur regula vniuerſalis, quæ, vt hic aſſerit *Gloſ. in add. & Dynus* videtur noſtræ æquipollere, quãuis tenera ſint diuerſæ. Ciuilis itaque hæc eſt. Cum quid prohibetur, & omne id, per quod peruenitur ad illud, prohibitum cenſetur *L. oratio. ff. de ſponſal. L. cum legem ff. de fideiuſſor.* quæ ſane regula vetat ea, quæ antecedunt rem principaliter inhibitam: at verò per præſentem iuris canonici regulam prohibentur etiam ea, quæ ſubſequuntur rem primo, & per ſe vetitam, tanquam eius effectus, ſuntque illi acceſſoria. ambæ igitur regulæ diuerſitatem habent inter ſe in materia prohibita, licèt quoad vniuerſalitatem, & in ordine ad idem extremũ principale æquipolleant: ciuilis enim respicit rem primario prohibitam, vt effectum obtinendum per media: ſed canonica, quam hic enucleandam proponimus, reſpicit eamdem rem, vt cauſam, ex qua varij procedunt effectus, qui, vt potè eiuſdem cauſæ acceſſorij, eamdem participant prohibitionem.

Ex his ita breuiter declaratis plura colligunt commentatores, in quibus habetur prohibitio ob connexionem, quam inuoluunt cum re principaliter inhibita ſiue antecedant, ſiue ſubſequantur, vt patet ex *Gloſ. in explicatione ipſius regulæ*, quorum ego aliqua cenſeo in mediũ afferenda.

CAPVT I.

Prohibitio contractus quo pacto ad ſubſequentia, & antecedentia extendatur?

2 EXaminandam aggredior vtriuſque regulæ, canonicæ ſcilicet, & ciuilis diſpoſitionem in ordine ad contractus, in quibus nonnullæ difficultates inueniuntur. Pro ambarum tamen maiori confirmatione dico, omnia, quæ ſequuntur ex pacto, conuentione, contractu, &c à lege prohibitis, eſſe regulariter inutilia, & irrita, ac ſi minime facta fuiſſent *L. non dubium. C. de legibus*. ſimiliter, vetito contractu, aio, vetita quoque eſſe omnia, quæ ipſum antecedunt; ex quo fit, vt prohibito inter aliquas perſonas matrimonio, prohibita etiam cenſeantur inter eaſdem ſponſalia, per quæ ad illud peruenitur, iuxta prædictam regulam ciuilem.

Sed contra doctrinam ſuperius allatã poſſet quis tali pacto vrgere. Ex contractu prohibito valida interdum erit dominij translatio, vt habetur *in L. & eleganter ff. de dolo.* & tamen contractus eſt quid antecedens ad ipſam translationẽ; ergo falſa eſt vtraque regula tum ciuilis, tum canonica, quas paulo ante retuli. 3

Hanc instantiam proponit *Baldus in L. Non dubium opp.* 10. *C. de legibus*, eãque ſoluit dicens, dominij translationẽ non ſequi ex volũtate tradentis, qui potest, & vult rem tradere, quamuis ad illam tradendã ex falſa, & putatiua cauſa fortè moueatur *L. Dedi tibi. §. Subtilius. ff. de condit. cauſ. dat.* eamdem *Baldi* ſolutionem amplectitur *PecKius hic num.* 6. quæ tamen ſi admitteretur, tota certè corrueret obiectio contraria, quia cum regulæ prædictæ loquantur de iis, quæ per ſe, & immediatè ſequuntur, poſito principio illo, quod Baldus aſſumit ad instantiam diluendam, videlicet, translationem dominij non ex contractu, ſed ex voluntate immediatè ſequi, ceſſaret difficultas; non enim eſſemus in terminis ambarum regularum, quæ ſermonem habent de iis, quæ ex aliquo prohibito, tanquam ex cauſa immediata, proueniunt. 4

Cæterum hanc Baldi, & PecKij doctrinam, & reſponſionem nouiſſimè reijcit *Sterinius num.* 4. dicens obligationem, & dominij translationem eſſe effectum primarium, & inſeparabilem ipſius cõtractus; & ideò ad obiectionem ait, obligationem, & translationem dominij nõ pendere ab hominis arbitrio, cum ſit proprietas naturalis contractus, ideoque poſito contractu neceſſario ſequi, nec prohiberi poſſe, non magis, quàm ſi velles, ait ipſe, poſito adulterio, prohibere, ne inde iniuria ſequatur. 6

Sed, ni fallor, auctor iste intentum non

non aſſequitur, quia volens aduerſus Baldum probare translationem dominij immediatè, ſequi ex contractu, & non ex voluntate hominis, id potius ſupponere, quàm probare videtur; ideòque cenſeo, non eſſe recedendum à ſententia Baldi, quam veram exiſtimo, ſi rectè explicetur: ad quam tamen elucidandam nonnulla ſunt præmittenda, ac ſupponenda.

6 Et primò ſuppono, duplicem eſſe modum comparandi dominium, videlicet, aut mediante tantum apprehenſione, ſeu poſſeſſione, aut mediante, titulo, & traditione, iuxta duplex rerum genus, circa quod dominium ipſum verſatur: aliqua enim ſub nullius poteſtate reperiuntur, vt ſunt v. g. volucres, piſces, & omnia animalia, quæ in cęlo, mari, & in terris naſcuntur, quorum dominium ſola apprehenſione, ſeu poſſeſſione acquiritur, vt habetur § *feræ inſt. de rer. diuiſ. & L. ff. 1. de acquir. rer. dominio.* ideoque res iſtę primo occupanti conceduntur, vt locis jcit. dicitur; aliqua verò ſub alicuius poteſtate manent, & ad horũ dominium comparandum præter apprehenſionem neceſſariò requiritur titulus, traditio rei, eiuſdemque poſſeſſio. vt expreſsè ſtatuitur *in §. per traditionem inſt de rer. diuiſ. &* L. *traditionibus. C. de pactis.* vbi aſſeritur, dominium non transferri nudis pactis, id eſt ſolo conſenſu, & contractu, vt *ex Alex in ſummar. Legis prædictæ, & Gloſſa ibidem in explicatione caſus, & L. nunquam ff. de acquir. rer. dominio.* quibus locis habetur dominia non acquiri per ſolam obligationem, ſeu perſonalem conuentionẽ, ſed per traditionem, quę titulum pręſupponit: ex vi enim tituli ſolitariè, & pręcisè ſpectati dominium non acquiritur, niſi traditio interueniat, quamuis titulus ſit prima radix, & origo translationis dominij, prout ex citatis Iuribus docent communiter auctores de hac re loquentes, inter quos eſt *Molina tract. 2. de Iuſt. diſp 326. num 2. Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 19. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 3. dub. 3. num. 12 & 13. Delugo diſp. 26. ſect. 11. Caſtropalaus part. 7. tract. 31. diſp. unica punct 8. num. 3.* ratio autem, quare ad dominij translationem traditio requiratur, eſt iuris diſpoſitio, quæ fundatur in quadam valdè cognata, & naturali æquitate, quam Leſſius declarat arguens à pari; quia ſicuti, vt poſſim naturaliter alicuius rei vſum habere requiritur in me ius vtendi re illa, & debita rei applicatio; ita, ad hoc vt poſſim moraliter tanquam dominus re aliqua vti, requiritur ex parte mea ius aliquod ex titulo mihi competens; ex parte verò ipſius rei, debita applicatio, quæ habetur mediante traditione. Hinc fit, vt, ſi quis rem aliquam Titio vendat, & antequam ei rem ipſam tradat, alteri, nempe Caio, eamdem vendat, & tradat, tunc dominium illius Caio ſecundo emptori, cui res tradita fuit, & non Titio comparetur, vt affirmat *Delugo, Caſtropalaus*, & alij paſſim: tantummodo Titius actionem habebit aduerſus venditorem ad damna, & intereſse *L. quoties. C. de rei vendicat.* & ratio eſt, quia ſola venditio abſque traditione dominium transferre non valet.

Ex his modo in hac prima ſuppoſitione ſic præmiſſis manifeſtè patet, veram eſſe Baldi ſententiam, quatenus ait, dominij translationẽ non ſequi immediatè ex cõtractu, ſed immediatè ſequi ex traditione, ſeu ex tradentis voluntate: neque eſſe effectum inſeparabilem à cõtractu, ſicuti eſt obligatio, vt cenſet *Streinius* ſupra allegatus; vt enim ex prędictis legibus oſtendimus, poſito contractu, niſi adſit traditio, dominium non tranſit in alterum.

Cæterum, quamuis ex his aduerſus Streinium rectè defẽdatur Baldi opinio, 7
nihilominùs aliunde difficultate non caret; quia, licèt dominij translatio immediatè non ſequatur, negari tamen non poteſt, ſequi mediatè: & ſic videtur eſſe contra diſpoſitionem contentam in hac regula ſtatuente, quòd, prohibito aliquo, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo; ſermo autem eſt vniuerſalis, nec ad ea tantum reſtrictus, quæ immediatè ſequũtur: ideoque, vel eſt dicendum, falſam eſſe diſpoſitionem *L. & eleganter ff. de dolo.* vbi ſtatuitur ex contractu prohibito validam ſequi poſſe translationem, vel ſi vera eſt, falſam ſaltem eſſe regulam hãc, cum altera ciuili. Neque valebit aſſerere translationem dominij ſequi mediatè ex contractu prohibito; nã, ſi contractus eſt prohibitus, omnia, quę ex illo quouis modo ſequuntur, vi prædictarum regularum debent etiam eſſe prohibita. Quapropter ad hæc iura melius concordanda.

Suppono ſecundò, quòd lex bifariam 8
poſſit procedere in reprobatione contra-

ctus

ctus, vel ſimplicis diſpoſitionis. Primò per ſimplicem prohibitionem, rei ſubſtantiā non irritando. Secundo per prohibitionē & annullationem, nempè, cum ita vetat, vt ſimul etiam nullum, inualidumque reddat, quod prohibet. Si priori modo lex procedat, & prohibitione non obſtante fiat cōtractus, eiuſque vigore res tradatur, tunc valida erit traditio, & dominij translatio, quia, ſi foret irrita, valor traditionis, qui ſupponitur a lege, tenderet in nihilum, quod eſt abſurdum. Valida igitur tunc erit traditio, quamuis contractus, ex quo oritur, ſit tantum prohibitus. & in hoc ſenſu loquitur *dicta L. & eleganter*, vt textum conſideranti clarè liquebit. Hęc tamen præciſa, & ſimplex prohibitio, ſubſiſtētia cōtractus in ſuo robore permanente, ſolet vt plurimū euenire, quotieſcumque aliquis eſt modus contractui annexus, cuius ratione legiſlator ad prohibendum quidem, ſed non ad irritandum, & annullandum mouetur, & tunc translatio dominij validè fit, licet etiam quandoque ex falſa cauſa, & putatiua fiat, vt habetur *L. Dedi tibi ſuperius cit.* Si autem lex poſteriori modo prohibeat, nempè irritando etiam contractum prohibitum, tunc nulla ex tali contractu reſultabit obligatio, inualidaque per conſequens erit rei traditio: iuxta quem ſenſum intelligi debet *L. Non dubium & ibi Baldus num.* 15.

Ex his omnibus ita declaratis duo principaliter colliguntur; Primo, Baldum recte ſenſiſſe, cum dixit, traditionem dominij non ex contractu, ſed ex voluntate tradentis immediatè ſequi; ita enim loquens non aſſeruit aliquid legibus, vel his regulis contrarium. *S*ecundo colligitur, nullam inueniri inter prædictas leges contrarietatem, quamuis *in L. & eleganter* valida ſit translatio dominij, ſequēs ex contractu prohibito, & *in* L. *Non dubium* expreſſè habeantur inutilia, & irrita omnia, quæ ſequuntur ex contractu vetito; nam, vt patet ex ipſomet contextu diligenter conſiderato, in priori lege locutio eſt de contractu ſimpliciter prohibito, & non irrito; in poſteriori autem de contractu non ſolum prohibito, verum etiam per legem irrito.

Quod demum pertinet ad vtramq; regulā tum ciuilem, tum canonicā, in quarū explicatione verſamur, dico, tum antecedētia, per quæ peruenitur ad id, quod eſt primò, & per ſe prohibitum, tum ſequentia ex tali prohibito, ea dumtaxat prohibitione vetita cenſeri, ſecundùm quam eſt prohibitum principale, nempè vel ſimplici prohibitione; vel prohibitione irritante.

CAPVT II.

Prohibita alienatione, quinam actus prohibiti cenſeantur?

DE materia alienationis non ſolum in vtroque iure, ſed etiam apud ipſos Iuriſtas, & Canoniſtas longiſſimi Inſtituti reperiuntur tractatus, ſic materia ipſa exigente. In præſentiarum autem mihi intentio non eſt huiuſce materię ſecundum totam eius amplitudinem diſcutiendæ; hoc namque eſſet è rei noſtræ limitibus egredi: agam propterea ſolum de ea, quantum ad roborandam, meliuſque intelligendam hanc regulam conducet: quod equidem in ſequentibus breuitati conſulens præſtabo.

Dicendum eſt primò, alienationem ſumi poſſe ſtricto, & lato modo. Prima eſt translatio dominij directi, vt expreſſè definitur in *L. prima. C. de fundo dotali.* Secunda vero eſt translatio dominij vtilis, ſeu cuiuſcumque iuris quoquo modo accepti; de qua ſermo habetur *in Cap. nulli. De reb. Eccleſ. non alien. & in L. fin. C. de rebus alien. &c.* & hoc poſteriori modo accipi debet in hac tractatione, quia leges citatæ declarant alienationē per omnes actus translatiuos cuiuſlibet iuris. 9

Dicendum eſt ſecundo, ſi lex prohibeat translationem dominij, vetitam quoque eſſe obligationem antecedentem. ita *Menoch. conſ.* 116 *num.* 15. *& ſeq.* & ratio eſt manifeſta, quia obligatio eſt de ſe cauſatiua translationis dominij; ergo, hac prohibita, intelligetur etiam vetita obligatio præcedens, per quam, tanquā per cauſſam, ad ipſam trāslationem peruenitur. 10

Dicendum tertio, prohibita alienatione, intelligi etiam vetitam diuiſionem illius rei, quæ alienari prohibetur; transferretur enim dominium partis diuiſæ; cum in hac materiā eadem ſit ratio de toto, ac de partibus totum conſtantibus. Hanc concluſionem tuentur *Tuſcus tom. 1. lit. A. concl.* 257. *num.* 7. & plures alij, quos laudat, & ſequitur *Barboſ. in tract. var. de appell. nominum* 11

verbo, Alienatio, num. 6. qui tamen eã limitant in caſu, quo diuiſio eſſet neceſſaria: cuiuſmodi eſt ea, quæ fit inter cohæredes, ac fidei commiſſarios; quia tunc prohibitio alienandi non comprehendit talem diuiſionem, quę non ſe habet, vt actus conſequens ipſam alienationem inhibitam, ſed cenſetur contingens ipſi alienationi.

12 Dicendum quarto, ſpecialem hypothecam, cum ſit actus conſequens, vetitã quoque eſſe, prohibita alienatione, vt habetur *in d. Cap. nulli* his verbis [Neque ſpecialis hypothecæ titulo obligare.] & de hoc nemini dubium eſt inter Doctores. Difficultas tamẽ verſatur circa hypotecam generalem: aliqui enim aſſerunt, eam quoque comprehendi ſub hac prohibitione. ita *Nauarr. de alienat. nu. 1. Pilliuc. tract. 4. cap. 2. num. 24 Quaranta in ſumma Bullarij. verbo Alienatio, num. 37.* qui fundatur in *Extrauag. Ambitioſæ*, in qua, cum prohibeatur hytheca, & ſimpliciter de illa ſit ſermo, videtur prohibita omnis hypotheca, ſiue generalis, ſiue ſpecialis. Alij vero oppoſitum tuentur ſuſtinentes, ſub hac prohibitione ſpecialem tantum hypothecam contineri, non autem generalem. *Panor. in d. cap nulli, num. 3. Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 16. num 7. Redoanus de reb. Eccleſ non alien p. 2. cap. 6. num. 12. & ſeq. Molina de iuſt. tract. 2. diſp 466. n. 2. Lezana quæſt Reg. tom 2 cap. 18. nu. 55. Bordonus conſil. regul. tom. 1. reſol. 27. num. 58. Riccius deciſ. Cur. Archiep. Neap. p. 2. deciſ. 211. per totam. Caſtropalaus part. 2. tract. 11. diſp. vnica, punct. 15. num. 2. Pelizzarius quæſt. regul. tract 6. cap. 8. num. 25.* & alij per eos.

Hęc ſecunda ſententia probabilior mihi videtur, proindè magis admittenda. Probari autem poteſt *ex d. Cap. Nulli*; in quo declarantur actus comprehenſi ſub alienatione prohibita, & cum de hypotheca ſit ſermo, inhibetur tantum ſpecialis; ergo, ſi generalis eſſet prohibita, vtique textus expreſſiſſet. Nec immerito tacuit generalem hypothecam; quia, per talem generalitatem nõ multum res obligatæ manent, ſicuti per ſpecialitatẽ. Ad rationem autem, qua aduerſarij nituntur, reſpondetur, quod, quamuis in illa Extrauag. *Ambitioſæ* de hypotheca indiſtinctè ſit ſermo; nihilominus nõ pręſumitur, à Pôtifice abrogatã fuiſſe diſpoſitionẽ contentã *in d. Cap. Nulli.* vbi ſola ſpecialis hypotheca prohibetur: idcirco verba illa indefinita, quę habentur in prædicta Extrauag. *Ambitioſæ* ita ſunt explicanda, vt minimè alteri contitutioni contradicant, quin imo, vt illi ſint conformia, & conſequenter intelligenda de ſpeciali hipotheca. Et hæc eadem reſponſio adhibẽda eſt, ſi quis arguat aſſerendo decretum Sacræ Cõgregationis editum iuſſu Vrbani VIII. die 7. Septembris 1621. per quod reuocantur omnia indulta Regularibus ad alienandum cõceſſa, irritando omnes actus alienationis, inter quos ponitur, & recenſetur hypotheca abſolutè [ſine reſtrictione, prout in Extrauag. cit. eadem, inquam, reſponſio danda eſt, cum eadem omnino in vtroque textu vigeat ratio.

Dicendum quinto, permutationem rei, quæ prohibetur alienari, eſſe etiam 13
prohibitam *L. fin. C. de reb. alien. non alien.* & communiter Doctores. Dubium tamen eſt, an hæc prohibitio extendatur etiam, quando fit permutatio vnius Eccleſiæ cum alia Eccleſia; multi enim negant apud *Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg. 95. num 55. Caſtropal. diſp cit. §. 3. nu. 7. Pellizar in manual. Regul tract. 6. ca. 8. num. 22. & 23* aſſerentes, quod ſpectato iuris rigore permutatio hæc non ſit vetita, variiſque id probant rationibus; quibus tamen minimè obſtantibus concludendum eſt cum Barboſ. Pellizario, Caſtropalao, & Riccio locis citatis, vbi tandem ſuſtinent, permutationem hanc fieri non poſſe, idque ex longa praxi, & iam recepta conſuetudine.

Dicendum ſexto, prohibitum non 14
videri, quòd ſuper bonis monaſterij nouus cenſus in nouo contractu creetur, cauſſa redimendi, & extinguendi priorem cenſum, qui ipſum monaſterium ad maiores ſoluendas penſiones obligabat. Puta, ſi monaſterium v.g. ſoluit Titio cenſum annualem ad rationem octo pro centenario, poterit ad hoc vt talem cenſum extinguat, nouum contractum cum eiſdem hypothecis, & obligationibus celebrare, & in eo nouum cenſum conſtituere ad rationem de quinque pro centenario, & hoc ſine vlla Sedis Apoſtolicæ licentia. Opinio hæc conformis videtur doctrinæ, quam tradit *Thomas Sanchez decalogi lib. 7. cap. 27. nu. 39.* vbi poſtquam *num* 38. docuit, requiri in noſtra Societate Ieſu licentiam P. Generalis ad cenſum ſuper bonis collegij im-

Digitized by Google

imponendum, ſtatim nu. 39. aſſerit, poſſe quidem ritè id fieri abſque tali licentia, ſi cenſus ad alium redimendum imponatur ad hoc vt minores redditus ſoluat collegium; quia hoc pacto potius exonerantur, quam grauantur collegij bona; additq; ita reſponſum fuiſſe a noſtro Patre Generali Claudio Acquauiua ann. 1590. ad ea, de quibus conſultus fuerat à Prouincia Betica. Hac igitur poſita doctrina iuxtà mentem Sanchez, idem quoque dicendum videtur de licentia Sedis Apoſtolicæ, caſu prædicto cuilibet monaſterio occurrente. Et ducor ad hoc aſſerendum congrua ratione mox explicanda, & declaranda, non autem ex ſola, & præciſa vtilitate, quæ monaſterio obuenit ſoluendo vt talis reluitionis cenſum minoris quantitatis: poſſet enim aliquis inſtare, dicens, ſolam vtilitatem ſatis non eſſe ad omittendam Pontificis licentiam, prout in alijs alienationibus vtilitatis cauſſa factis manifeſtum eſt: ratio igitur, qua moueor, eſt, quia in caſu prædicto verè, & propriè loquendo non fit nouũ grauamen ſuper bona inalienabilia, ſed idem manet grauamen mutato ſolùm creditore, vt *Sanchez loc. cit.* animaduertit: imo auctor iſte ibidem, quod fortiùs eſt, id extendit ad caſum, in quo eſſet æqualitas ſine aliqua vtilitate; puta, ſi cenſus ſecundo creditori ſoluẽdus, æqualis eſſet in quantitate cenſui, qui priori creditori ſoluebatur; quam doctrinam confirmat à ſimili in eo, qui poſſidet

15 maioratum; talis enim poſſeſſor, quamuis nequeat onus maioratui imponere abſque Regia licentia; nihilominus poterit ſine vlla licentia creditorem mutare, recipiendo pecuniam ab alio, eamque priori creditori ſoluendo, vt eumdemmet cenſum illi ſoluat, qui pecuniam ad hunc effectum ex conuentione deprompſit. *Molina de primogenijs lib. 2. cap. 10. nu. 26. & 27.*

16 Hanc tamen opinionem impugnat *Pellizzarius in manuali. d. cap. 8. num. 46.* loquens de alienatione in ordine ad Regulares; docet enim non poſſe regulares abſque licentia Sacræ Congregationis imponere ſuper bonis monaſterij cẽſum, etiam ſi fiat cum obligatione extinguendi alium cenſum, qui obligabat ad multò maiores penſiones, idque probat communibus illis rationibus, quibus oſtẽderat inualidas bonorum eccleſiaſticorũ alienationes ſine legitima licentia factas, quas etiã in hoc caſu militare ſupponit.

Verumtamen longè probabiliorem cenſeo ſententiam Sanchez, quam ample ctor propter iam aſſignatam rationem: & ad fundamentum, quo nititur Pellizzarius, reſpondeo, diuerſam eſſe rationem de alijs alienationibus ab ea, quæ in præſenti caſu habetur; in illis enim nouũ grauamen imponitur ſuper bonis eccleſiaſticis; idirco, licet oneris impoſitio cũ iuſta cauſſa fiat, & cum monaſterij vtilitate; nihilominus requiritur neceſſariò conſenſus Apoſtolicus ſtãte Vrbani VIII. conſtitutione; vtilitas enim (idem dico de neceſſitate) non dat facultatem liberè alienandi, ſed præbet iuſtam cauſſam ad petendam, obtinendamque à Sede Apoſtolica licentiam. at in caſu noſtro non imponitur nouum onus, ſed idẽ permanens cum eadem anterioritate, hypothecis, & priuilegijs tranſit ſolùm in fauorem alterius creditoris; propterea cum initio ſuæ impoſitionis obtenta legitima licentia Sedis Apoſtolicæ, vt ſupponitur, proceſſerit, remanet omnino iuſtificatum, vt in hac creditoris mutatione nulla alia ſolemnitas ſit neceſſaria.

Plura his addi poſſent de actibus ad alienationem ſpectantibus; verùm quia, vt in huius capitis exordio dixi, mea nõ eſt intentio diſſerendi de alienatione primò, & per ſe, ſed ſolum in ordine ad vim huius regulæ declarandam, ideo hucuſque dicta ſufficiant: nonnullos tamen caſus, quos in ordine ad præſentem regulam ponit Gloſſa de alijs materijs, ex arte omitto, cum omni ferè careant difficultate, atque apud eam legi poſſint.

REGVLA XL.

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

REgula hęc eiſdem verbis habetur *in L. vbi numerus ff. de teſtibus*. De pluralitate autem, & ſingularitate tùm in commentarijs ſuper eamdem hanc regulam, tum etiam alibi multa auctores exagitant, plures decidendo caſus in diuerſis materijs, ex quibus ego præcipuos, quique magis ad praxim conducãt, opportunè ſeligam.

Digitized by Google

CAPVT I.

Caſus nonnulli aperiuntur, in quibus huius regula veritas oſtenditur.

1 ANtequam peculiares proponam caſus, eoſque reſoluam, animaduerto, inter hac excludi debere caſus illos, de quibus in iure aliquid determinatè ſtatutum reperitur: exempli gratia, pluralitas teſtium, quæ in ſolemni teſtamento requiritur, nequit in numero binario ſaluari, quia à lege diſpoſitum fuit, vt ſeptè in eo adhibeantur teſtes *L. Hac conſultiſſima C. qui teſtam. facere, &c. & L. hoc inter liberos. § per nuncupationem. C. de teſtam.* ſicuti in codicillis, & donatione cauſsa mortis ſancitus in iure fuit numerus teſtium quinarius *L. fin. C. de donat. cauſ. mort.* idemque procedit in alijs caſibus à Gloſſa in hac regula allatis *verſ Et quod hic dicit.*

2 Animaduerto vlterius, quòd, quamuis pluraris locutio iuxtà regulã hanc duorum ſit numero contenta; maiorem tamen numerum non excludit, vt rectè notauit *PecKius hic num.* 4. regula enim tantummodo definit, poſſe ſaluari in duobus. His ſic breuiter præmiſſis ad aliquos caſus deuenio, in quibus regula locum habet.

Dicendum igitur eſt primò, ſi quis in
3 teſtamento libertatem ſeruo legauerit, non abſolutè, ſed poſt aliquod tempus; & indeterminatè dixerit *poſt annos*, intelligi, ſeruum liberum eſſe poſt bienniũ *L. Libertas. § poſt annos. ff de manumiſſ. teſt. Gloſſ. hic verſ. item poteſt. Dynus & alij.* idemque dicendum eſt, ſi legatum libertatis inſtituatur obtinendum poſt dies; interpretari enim debet poſt duos dies. *L. inter illam in fin. ff. de verb ſignif.* vt notant hic ſcribentes, & *Gloſſ. ibi verſ. Biduò,* vbi aſſerit, eamdem eſſe rationem de diebus, & annis. Sicuti quãdo nec præſcribitur, nec determinatur numerus teſtium, duo ſatis erunt *L. vbi numerus ff de teſtibus*, vbi hoc vi pręſentis regulæ probatur.

Dicendum ſecundo, ſi quis à Summo
4 Pontifice diſpenſetur ad plura eccleſiaſtica beneficia obtinenda, vi huiuſce diſpenſationis duo tantum acquirere poſſe beneficia *Gloſſ. hic in explicat. caſus. Baldus conſ. 342. verſ. Factum tale eſt. lib. 5. Tuſcus tom. 6 lit. P. concl. 367. num. 6. & alij,* ratio autem à Gloſsa rectè aſſignata eſt, quia, cum diſpenſatio ſit odioſa, reſtringi debet, quoad verba verificari queant, prout in caſu propoſito, in quo verba de facto iam verificantur in duobus ſolùm beneficijs, in quę pluralis locutio reſoluitur.

Dicendum tertio. Si dictio, *pluriès*, 5
replicetur importabit duorum geminationem; propterea ſi dicatur, *pluriès, & pluriès ſit tibi hoc conceſſum*, intelligitur pro quatuor vicibus. *Imola conſ.* 181. *num.* 2. *Rom conſ.* 301. *nu* 12. *verſ. ſit tamen. Tuſcus concl. cit. num* 7 & 8, qui addunt, quod, ſi teſtes in depoſitione vtantur geminatione prędicta, intelligi debent de quaternario numero.

Dicendum quartò. Qui poteſtatem ha 6
buit prorogandi pluriès terminum, indeterminatè quoad vices, poterit illum bis dumtaxat prorogare *Bald. conſ.* 101. *num.* 5. *& conſ.* 102. *num.* 6. *& Tuſcus ibidem num.* 9. loquentes de facultate, quæ arbitro conceditur ad prorogandum compromiſſum.

Dicendum quintò, eum, qui poteſta- 7
tem habet obligandi alium non totiès, quotiès, ſed ſemel, ac pluriès, non poſſe illum vltra duas vices obligare *Bald. cõſ.* 104 *poſt med. verſ. ſi ego do poteſtatem. Tuſcus loc. cit. num.* 15. idem affirmans de poteſtate ſubſtituendi.

Dicendum ſextò, vouentem indeter- 8
minatè pluribus diebus ieiunare, vel aliquas orationes recitare, ſi duos tantum dies ieiunet, vel recitet, ſuæ vtique obligationi ſatisfacere, ita ex hac regula *Bartholomæus à S. Fauſto in Theſaur. religioſ. lib.* 1. *quæſt.* 181. *nu.* 3. *Sanchez in decalog. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 15. *in fin. Tancred. in quæſt moral tract.* 3. *quæſit.* 129. *verſ. ſimiliter.* quæ tamen concluſio intelligenda eſt cum limitatione, nēpè, ſi ex coniecturis aliud ex vouentis mente non colligatur, non ſolum conſiderando motiuum, quo vouens ad tale votum ductus eſt, ſed reliquas quoque circumſtantias diligenter perpendendo.

Dicendum ſeptimò, legatum pium re- 9
lictũ pauperibus indeterminatè diſtribui poſſe in duos tantum pauperes. Caſum hunc proponit, & affirmatiuè reſoluit peritiſſimus *P. Diana par.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 59. addens tamen, nullum ſe pro tali caſu auctorem habere, quamuis di-

li-

Digitized by Google

ſigeater exquiſierit. Ego verò ſuæ eiuſdē Religionis auctorem inueni, qui ſententiam hanc expreſsè docuit quadam adhibita limitatione mox explicanda: is eſt Zaccharias Paſqualigus in quæſt. moral. cent. 3. quæſt 230. num. 4. Qui ſanè auctores eam probant argumento ex hac regula deſumpto, & Diana præſertim alijs ſimilibus confirmat. Limitatio verò rectè à Paſqualigo allata locum habet, quando legati quantitas excedit congruam ſubleuationem pauperum indigentium; tunc enim præſumitur, quòd mens teſtatoris, qui legatum tantæ quantitatis inſtituit, voluerit tantum eſſe ſingulis pauperibus erogandum, quantum ad eos congruēter ſubleuandos ſufficeret, & non plus: quæ tamen quantitas reſpectiuè ad pauperum indigentiam arbitrio boni viri remittenda eſt.

10 Dicendum octauo, formam præſcriptam à Concil. Trident. ſeſſ. 25 de refor, cap. 9. circa principium, requirente inter alia ad probandum iuris patronatum, vt probatio procedat ex multiplicatis præſentationibus, adimpleri poſſe, & verificari, etiam ſi duæ tantum præſentationes adhibeantur, ita *Menoch. lib. 3. præſumpt. 90. num. 14.* licèt ibi dicat, duas, vel tres, *Marius Anton. Maceratenſis lib. 1 var. reſol. 109. num. 37 Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. par. 3. alleg. 72, num. 34.* ratio verò deſumitur ex diſpoſitione præſentis regulæ firmantis, pluralem locutionem duorum numero contentam eſſe. Item, quia dictio, *multùm*, verificatur etiam in duobus *Gloſ. in cap. ad noſtram. de reb. Eccleſ. non alien. ver. per multos. Bartol. in L. 1. § hoc reſcriptum. ff. ad ſyllan. Iaſon. in L. licet. num. 19. & ſeq. ff de leg. 1.* Benè verum eſt, quòd hoc, vt prædicti auctores aſſerunt, regulari, & intelligi debet ſecundum ſubiectam materiam ad Iudicis arbitriū; in caſu verò, de quo Concilium loquitur, prædicta dictio *Multiplicatis*, intelligenda eſt de duobus; & ratio eſt, quia ſic minus læditur ius commune, cum verba Concilij ſint iuris communis correctoria, ideoque, quantùm fieri poteſt, ſunt ſtrictè interpretanda. Diſpoſitionem verò Concilij eſſe correctoriam, patet, quia ibi Concilium in multis ponit reſtrictionem ad titulum iuris patronatus probandum; exactiores enim requirit probationes, & antiquiſſimum temporis curſum, quando ob diuturnitatem dubitatio habetur de vero, & legitimo titulo, & præſertim, ſi agatur de vniuerſitatibus, & dominis oppidorum, in quibus poteſt eſſe maior ſuſpicio vſurpationis: item inter alias correctiones tollit iura patronatus vi priuilegiorum obtenta, & acquiſita; quæ omnia cùm à Iure communi nō exigantur, rectè auctores aſſerunt, concilium in hac materia eſſe correctorium.

Dicendum nono, ſi in plurali locutione dicatur, *Iterum fiat*, per hanc dictionem binum actum ſignificari, *Tuſcus concl. cit. num. 14. & 15. in Baldi conſ. 109. vniuerſ. dilatio prorogata lib. 3.* 11

Dicendum decimò, idem importare ſi dicatur ſemel, & pluriès, ac ſi dicatur pluriès ſimpliciter. *Bald. conſ. cit. qui num. 2.* ex hoc infert, quòd facultatem habens appellandi ſemel, & pluries, bis poterit appellare *Tuſcus ibidem num. 17.* 12

Obijcies. Si teſtator ſuo hæredi iubeat, vt in aliqua Eccleſia pingat imaginē Ieſu Chriſti cum Apoſtolis, non determinando numerum Apoſtolorum, tenetur hæres duodecim imagines Apoſtolorum depingere, nec ſatisfacit duas tantùm pingendo, vt docet *Bartolus in L. Titia ff. de auro, & arg. leg. num. 3.* ergo pluralis locutio non ſaluatur in numero binario. 13

Reſpōdeo, quòd in caſu prædicto ex cōſueto loquendi modo colligitur, intentionē teſtatoris fuiſſe, vt omniū Apoſtolorū imagines depingerētur, nam quilibet loquēs de Apoſtolis, vt ſic, intelligit de omnibus; ideoque in ſimili ſi quis dicat indefinitè, Apoſtoli fuerunt à Chriſto Domino vocati, ſenſus verborum eſt de omnibus, & non tantum de duobus. Ex hoc autem nil aduerſus præſentis regulę diſpoſitionem inferri poteſt, quando dicimus, pluralem locutionem in numero binario ſaluari poſſe; hoc enim intelligendum eſt cum limitatione, nempè, ſi oppoſitum ex coniecturis, & circumſtantijs, vel ex communi loquendi modo non colligatur, vt euenit in caſu poſito.

CA

CAPVT II.

Declarantur caſus, in quibus plurale in ſingulare reſoluitur.

IN præcedenti capite explicuimus, pluralitatem in locutione contentam, ſaluari in aliquo numero pluralitatem quoque habente, qualis eſt numerus bi-
12 narius; ſed quia interdum in iure, & apud Auctores plurale in ſingulare reſoluitur, ideò operæ pretium eſt id exponere; quod ſanè in præſenti capite præſtabitur.
13 antequam verò ad particularia deſcẽdamus, præmitenda eſt generalis concluſio, quæ eſt ſcituri baſis, ſeu principium dicẽdorum.

14 Suppono igitur, numerum pluralem reſolui in ſingularem, quando eadem eſt ratio *L. falſa fin. ff. de condit. & demonſt. & Gloſ. in explicatione caſus. Rebuff in L. nam quem. ff. de verb ſignif. verſ. notã dũ eſt. Barboſa hic, & tr. de appellat. verborum, & t. verbo, numerus*, & quamplures alij, apud ipſum, idemque etiã aſſerẽdum eſt, quando neceſſitas vrget ad vitandum abſurdum, vt inquit *BecKius hic num. 6.* hoc autem principium eſt diligẽter attendendendum in ſingulis caſibus & ex illo reſoluuntur plura, quæ hic diſtinctè ponuntur.

15 Primo, ſi pluralitas dicatur de filijs, reſolui poteſt in vnicum filium: puta, ſi detur ſtatutum diſponens, quod ſuperſtitibus filijs maribus nõ ſuccedat ſoror, tunc, ſi vnicus tantum filius maſculus naſcatur, ſoror à ſucceſſione excluderetur *Alex. conſ. 109 vol. 7. Rebuff. loc. cit.* talis enim præſumitur fuiſse mens condentis ſtatutum; cum in hoc caſu eadem videatur ratio de vnico filio, ac de pluribus; quia id, quod mouet ad ſtatuendũ, eſt ſexus maſculinus, vt ſic; & ideò, niſi oppoſitum ex coniecturis colligatur, ratio ſexus etiam in vno tantum filio ſaluatur, & ſoror excluſa remanet à ſucceſſione. Cęterum, quando nec neceſſitas vrget, nèc eſt identitas rationis, tunc diſpoſitio loquens de pluribus nõ verificabitur in vno; ideoque pluralitas non reſoluetur in ſingularitatem. Exempli gratia, ſi lex ſtatuat, graui pœna puniendum eſſe eum, qui armatis hominibus alterum aggrediatur, ſi cum vno tantum homine fiat aggreſſio, tunc aggreſſor non erit tám graui pœna muictandus, ſed mitiori, quia non eſt eadem ratio; Maior enim iniuria irrogatur, ſi aggreſſio fiat pluribus armatis accedentibus, quam vnico tantum; quapropter in hoc caſu plurale in ſingulare non reſoluitur. *Bald. in L. Iubemus. §. ſin. autem. C. ad Trebel. Soccin. conſ. 43. verſ. prouiſione. volum. 1. & alij.*

Secundo. Detur legatum, quo quis 16
relinquat alicui, duos ſeruos ſub hac conditione, ſi mei erunt, cum moriar: teſtator verò ante mortem vnum ex illis alienet, tunc ſeruus, qui remanebit, ad legatarium pertinere debet. *L. falſa. §. ſi quis. verſ. quid ego ff. de cond. & demonſtr. Gloſ. ibi verſ. ſi quis*, vbi rationem aſſignat dicens, quod, licet teſtator in legato vſus fuerit plurali numero; nihilominus ſenſus locutionis debet ſic accipi, ac ſi teſtator ſeparatim dixiſſet. *Lego Titio Stichum, ſi meus erit cum moriar, eidemque Titio lego Pamphilum, ſi meus erit cum moriar*; ideoque plurale in ſingulare reſoluitur, quatenus eadem eſt ratio in vtroque: teſtatoris enim mens in tali legato non eſt inſeparabiliter relinquere duos illos ſeruos, ſed ſeparabiliter, verificata conditione ſeruitutis tempore mortis.

Tertiò. Verbum, *Negotia*, pluraliter 17
prolatum explicatur, ſiue vnum, ſiue plura ſint negotia *L. ait prætor. verb. negotia, ff. de negot. geſtis.* vbi *Gloſs. & Bartolus eodem verbo. Baldus num. 2. Fulgoſius*, & alij, qui hoc probant ex idẽ ſitate rationis, quæ militat in vno, ſicut in pluribus negotijs; in lege enim citata refertur edictum Prætoris, in quo Prætor ipſe loquens in primo eioſdem edicti capite de eo, qui gerit negotia alicuius abſentis, ait, ſe eo nomine daturum actionem negotiorum geſtorum indifferenter ſiue plura, ſiue vnicũ ſit negotium, quod aliquis gerendum, ſeu adminiſtrandum pro altero aſſumpſit.

Quartò. Non dicitur liberos non habe- 18
re, qui vnicum filium, ſiue vnicam filiam habet *L. Non eſt ſine. ff. de verb. ſignif. vbi Gloſs.* ideoque, ſi quis vxori vi alicuius legati relinquat vſum in fructũ bonorum & cum liberos habuerit, etiam proprietatem, verificatur conditio, etiam ſi vnus tantum filius naſcatur. *Barboſa de appellat. verbo appellat. 169. num. 2*, qui plures referr. Notari hic tamen debet doctrina, quæ in lege citata continetur; dicitur enim ibi, quod habere, aut non habere libe-

liberos ſemper plurali numero referri ſolet.

19 Quinto. *Si teſtator ex vxore filios nō habens relinquat eidem vxori vſumfructum fundi, cuius vero fundi proprietatē ei quoque relinquat appoſita cōditione, ſi liberos habuerit; habito vno tantum filio legatum proprietatis cenſetur vxori acquiſitum, etiam ſi iſte filius ſtatim moriatur. ita expreſsè ſtatuitur *in Leg. cum vxori Cod. quando dies legati*. vbi *Gloſ. Bald. Salicet. & alij*. ratio autem quoad pluralitatem liberorum eadē eſt, ideoque pluralitas in ſingularitatem reſoluitur. Neque obſtat, quod filius ſtatim deceſſerit: quia ſufficit conditionem in momento temporis fuiſſe adimpletam, vt *ex Baldo* notatur in ſummario prædictæ legis.

20 Sexto aduertendum erit, in his pronominibus *Nos, vos, noſter, veſter*, pluralē verificari quandoque de ſingulari; ideoque, quādo loquentes cum aliquo Cardinali dicimus, *Veſtra Eminentia*, & cum Summo Pontifice *Veſtra Sanctitas*, &c. item prædicti ſimiliter de ſemetipſis ſermonem habentes cum dicunt, *Nos mandauimus, ſtatuimus*, &c. voces illæ plurales in his locutionibus, quoad ſignificatum, terminantur reuerà ad ſingulare; quod quidem ex vſu originem traxit, vt hic notauit *Streinius*, & in hominum exiſtimatione importat dignitatem quamdam in perſona, in quam locutio dirigitur, & in loquente venerationem, ſeu reuerentiam.

21 Septimo placet hic diſcutere caſum, quem proponit *Gloſ. in cap. hoc quoque. de conſecrat. diſt*. 1. ad confirmandam hanc regulam, videlicet pluralem locutionem duorum numero contentam eſſe; ibi enim refertur decretum Soteris Summi Pontificis ſtatuentis, vt nullus Presbyter miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus ſaltem alijs præſentibus; quia, vt ipſemet inquit, cum pluraliter a ſacerdote celebrāte dicatur, *Dominus vobiſcum*, pluralis hæc locutio debet ſaltem in duobus verificari, & nequit in ſingulare reſolui; quando quidem non eſt in hoc caſu eadem ratio de vno, ac de pluribus: non ſolum, quia expreſsè requiruntur duo, qui ſint præſentes, dū Sacrum fit, & ipſe ſacerdos ſit tertius, verùm etiam, quia inconueniens videtur, quod pluralis illa locutio ad vnum tantum dirigatur, qui minor eſt in hoc ſacrificio; ergo, ne cogamur aſſerere, in celebratione Sacri aliqua inconuenienter agi, dicendum erit, pluralem locutionem reduci quandoque poſſe ad ſingulare, quamuis non militet eadem ratio de pluribus, quæ militat de vno, contra ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

Reſpondeo primò, omiſſis aliorum placitis, ac reſponſionibus diſpoſitionem prædicti canonis, legitima conſuetudine introducta, iam eſſe abrogatam.

Reſpondeo ſecundò cum *S. Thoma* 3. *p. quæſt*. 83. *art*. 5. *ad* 12. in eo canone ſermonem eſſe de Miſſa ſolemni, in qua certum eſt, plures præſentes, ac reſpondentes eſſe debere: quod ab ipſomet canone ſignificati videtur, cū ait, quòd nullus præsbyterorum audeat Miſſarum ſolemnia celebrare, niſi duobus, &c. In miſſis verò priuatis ſatis eſt vnus miniſter, qui, vt aſſerit *S. Thomas*, gerit vicem totius populi catholici, ex cuius perſona ſacerdoti pluraliter reſpondet.

Hæc mihi ſufficere videntur ad confirmādam huius regulæ vim, ex quibus multa alia ſimilia inferri poſſunt: præ oculis tamen habendæ ſunt fallentiæ, quæ contingunt, vel quia nequeat in aliquo caſu diſpoſitio nominans plures ſaluari in duobus, ſed neceſſario concurſum plurium requirat; vel quia diuerſa ſit ratiò in pluralitate, & ſingularitate, vt ſuperius annotauimus.

REGVLA XXXXI.

Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

HVmanitatis, & æquitatis plenam eſſe regulam hanc meritò obſeruat hic *PecKius*, quatenus à culpa eximit eum, per quem non ſtat, vt ſtat id, ad quod peragendū ſe attrinxerat, vel quod ex alio capite facere obligatus fuerat, vt enim in explicatione Reg. 23. animaduertimus, nemo abſque culpa puniendus eſt, aut aliquo ſuo Iure priuandus. Locum autem habet regula hæc in omnibus materijs, nempè in iudicijs, contractibus, teſtamentis, pœnis, actionibus, & in quibuslibet demum functionibus exercēdis, ad quas aliquis deuinctus quoquo modo reperitur.

Primò igitur ex hac regula colligimus, quòd, ſi appellandi tempus alicui currat, 1

ſed

Digitized by Google

ed aliquo legitimo impedimento detentus nequeat ad appellationem in iudicio procedere, tunc ei nõ currit terminus ad appellandum, *Cap. fin. de appellat.* debet tamen ita impeditus vti illis remedijs, quæ in eodem capite requiruntur, videlicèt, proteſtari debet coram legitimo iudice ſuum impedimentum, & ſi hoc nequeat, id faciat coram bonis viris, quibus cauſſas impedimenti exprimat, prout ex prædicto canone habetur. Quoad modũ tamen probandi impedimentum, ne currat terminus ad appellandum, ſeruanda eſt forma iuxtà vniuſcuiuſque regionis conſuetudinem.

2 Secundò hoc ipſum eſt aſſerendum in contractibus, in quibus exemplum ponit *Peckius ex Io. Andrea*, & alijs. V. g Titius cliens promittat ſuo Aduocato centum aureos ſoluere, obtenta victoria in lite, quam habet contra Sortẽ: poſtea verò ipſe Titius tranſigat cum Sorte, & ceſſet omnino lis cæpta, vel incipienda: hoc caſu dicunt prædicti Doctores, quòd, tali tranſactione non obſtante, tenebitur Titius ſoluere aduocato aureos promiſſos, quia per ipſum aduocatum non ſtetit, quò minus Titius cliẽs in cauſſa prædicta victoriam obtineret. Cæterum hæc ſententia, quamuis abſolutè ponatur, nihilominus, niſi aliqua illi aſſigatur limitatio, difficilis mihi redditur, quia, cum victoria ex parte Titij ſit dubia, & incerta, vt ſuppono, tale etiam erit adimplementum conditionis, ſub qua ſeruanda erat promiſſio ſoluendi aureos Aduocato: idcircò, cum res ſit dubia, ſpes acquirendi pecuniam promiſſam erit pariter dubia, minuſque æſtimabilis propter incertitudinem: euenięte itaque tali, vel ſimili caſu exiſtimo, rẽ arbitrio prudentum eſſe determinandã, qui penſatis omnibus, nempè qualitate cauſſæ, & ratione pro vtraque parte, iudicent, quanti æſtimabilis ſit ſpes illa præciſa lucrandi ex parte Aduocati; quia ſtante tranſactione inter litigantes, ſpes prædicta iam euanuit; ideò Titius erit condemnandus ad ſoluendum Aduocato non totam illam ſummam centum aureorum, quam promiſerat ei in caſu victoriæ, ſed ſolum tantam, quanta condigna erit æſtimationi ſpei peremptæ. Ita mihi limitanda videtur hæc opinio; eo enim modo, quo abſolutè illam docent auctores nullatenus placere poteſt, vt patet in ſimilibus caſibus, in quibus nunquam quis apponens abſque conuenienſte, & rationabili cauſſa impedimentum, ne alius lucrum ſperatum acquirat, ad totum lucrum reſtituendum obligatur, ſed ſolum ad partem, quanti videlicèt æſtimatur ſpes illa lucrandi: idque communiter Doctores aſſerunt, etiam ſi impedimentum iniuſtè, & cum peccato fuerit appoſitum; ergo à fortiori multo magis hoc dicendum eſt in præſenti caſu, in quo impedimentum acquirendi pecuniã promiſſam, hoc eſt tranſactio inter partes, fieri abſque iniuria potuit. & hoc modo intellecta, & declarata hæc opinio non eſt contraria, ſed conformis diſpoſitioni huius regulæ, quatenus non imputatur Aduocato, quòd lis deciſa non fuerit in fauorem Titij clientis; quia impedimentum ſe tenuit ex parte Titij, qui voluit cum aduerſario tranſigere, & conſequentèr ex vi talis tranſactionis emortua manens ſpes lucrandi in Aduocato erit compenſanda modo iam explicato.

Quæ de Aduocato dicta ſunt, conuẽtione facta cum ſuo cliente, extendit pro- 3
portionaliter *Streinius* ad operarios, & famulos, qui operam ſuam locant; nam ſi media ſtipulatione inſeruire alicui ſe obligauerint ob mercedem, ſeu ſtipendiũ, ſi per ipſos non ſtat, quin propriam operam præſtent, debebitur eis nihilominus ſtipendium promiſſum. Difficultas tamen hìc inſurgit in famulo ægrotante, qui ob infirmitatem impeditur famulatum exhibere: quod quidem dubium exagitat *Couar. lib. 3. var. reſol. cap. 13. num. 8. paulo poſt initium.* vbi duas refert ſentẽtias, quarum prima affirmat, famulo ægroto ſalarium eſſe præſtandum: quæ ſententia à pluribus apud eumdem defenditur. Altera verò ſententia id negat, quã denique, multis eam tuentibus, vt veriorem amplectitur ipſe Couar. & nonnullis iuribus probat, contrarijs aduerſariorum argumentis optimè reſpondens: illamque ego probabiliorem exiſtimo, ductus ad eam, quia in caſu poſito impedimentum ſeruiendi procedit ex ipſo ſeruo. Neque obſtat, quòd ab eo inculpabilitet proueniat; quoniam non videtur rectè rationi conſentaneum, vt herus priuetur ſeruitijs præſtandis à famulo, & eidem ſoluere cogatur ſalarium eodem prorſus modo, ac ſi ſeruitia exhibita eſſent. Et ſi quis in contrarium opponat hanc regulam diſponentem, quod non ſit imputandum, &c. Reſpondeo non eſſe illi imputãdum,

quan-

quando per eum non ſtat: in hoc autem caſu ſtat per ſeruum, quatenus infirmitas etiam inculpabilis ex ipſo oritur, & in ipſo reperitur: verba autem illa Regulæ, ſcilicet *Non ſtat*, debent ita exponi, vt verificentur, ſiue impedimentum liberè, ſiue neceſſariò, & inuoluntariè oriatur in illo, qui opus promiſſum præſtare tenebatur. Et moueor ad verba regulæ ſic interpretanda, vt vitetur inconueniens, quod admittere cogeremur, ſi verba ſtrictè ſumerentur, quando ſcilicet impedimentum ſit voluntarium, & liberè poſitum; interdum enim ſequeretur, quempiã aſtringi ad ſoluendam mercedem, quam promiſit ſub conditione, quòd ſibi ſeruitia præſtentur; ſentiendo onus ſoluendi mercedem ſeruitiorum abſque vtilitate, nulliſque ſibi præſtitis ſeruitijs, vt patet exemplo allato de famulo ægrotante, quod ſane irrationabile, & non ſecundùm dictamen iuſtitiæ cenſendum eſt. Hæc tamen omnia intelligenda erunt, quando aliud inter famulum, & dominũ non eſſet ſub conuentione initum, vel ex conſuetudine, & more regionis praxis non aduerſaretur.

4 Tertiò idem ſeruandum erit in teſtamentis, & vltimis voluntatibus; ideoque cũ legatum relinquitur ſub aliqua poteſtatiua conditione adimplenda à legatario, ſi per ipſum legatarium non ſtat, quin ponatur conditio, ſed id caſu aliquo proueniat, tunc legatarius legatũ non amittit *L. Quæ ſub cõditione §. quoties hæres in fi. ff. de cond. Inſtit.* vbi *Bart. & Dynus hic num.* 3. qui varios examinat modos, quibus euenire poteſt, quòd conditio nõ impleatur, & in quibuſdam docet, haberi pro impleta; ſecus verò in alijs: quam etiam ſententiam iuxta huius regulæ diſpoſitionem admittit hic *PecKius nu.* 1. *& Streinius in princ.*

5 Quartò. Beneficiarius, ſeu ille, qui ex officio tenetur choro aſſiſtere, ſi legitimè impeditus abſit à choro lucratur diſtributiones, colligitur *ex cap. vnico de Cler. non reſid. in 6.* vbi Summus Pontifex Bonifacius VIII. tria aſſignat impedimẽta, nẽpe Infirmitatẽ, nec non iuſtã, ac rationabilẽ corporis neceſſitatem, & demũ euidẽtem Eccleſiæ vtilitatem, ex quibus qualibet ſufficiens erit ad excuſandum à choro Beneficiariũ, ita vt abſens diſtributiones lucretur, ſicuti eas lucrantur ij, qui interſunt; & in hoc communiter conueniunt Canoniſtæ abſolutè loquendo de cauſſis prædictis. Difficultas verò eſt in declarando, quãnã infirmitas, aut corporalis neceſſitas ſit talis, quæ iuxtà mentem Pontificis rationabiliter excuſet? plura enim receſeri ſolent morborũ genera quæ percurrit *Barboſ. in collectan. cap. citato à num.* 9. ſed, vt omnia ſub vnico, firmoque principio comprehendam, dico, quòd, cum eſt dubium, an infirmitas ſit ita grauis, nec ne, vt excuſet ab aſſiſtentia in choro, id, ſi extra iudicialiter agatur, determinandum eſt arbitrio prudentis viri, & periti; ſi verò iudicialiter, Prælatus decidat ex arbitrio medicorum, vt rectè notat *Caſtropalaus p.* 2. *diſp.* 3. *p.* 9. *num.* 2. *cum Menoch. Moneta, & alij.*

Sed in contrarium poſſet quis arguere paritate deſumpta ex famulo ægroto, cui, vt diximus, ſecundùm probabilem opinionem ſalarium non debetur durante ægritudine; ergo neque clerico infirmo diſtributiones debentur; eadem enim videtur ratio: cui tamen argumento *ex Couar. loc. cit.* reſpondet *Caſtropalaus num.* 3. negando conſequentiam, quia Eccleſia mitius ſe gerere voluit cum ſuis miniſtris nolens eos, vt famulos cõductos, ſed vt filios tractare, & mercedẽ eis præbere non tam propter laborem, quam etiam propter æquitatem quamdã ad hoc obligantem, quando per ipſos nõ ſtat, quo minus laborent in vinea domini choro aſſiſtentes.

6 Quæres hic, an Beneficiatus acquirat diſtributiones, ſi culpabiliter in ægritudinem incidat, ob quam choro non aſſiſtat? Reſpondeo lucrari diſtributiones, ita quamplures apud *Barboſ. tract. de Canonicis cap.* 24. *num.* 15. *& apud Bartholomæum à S. Fauſto de horis canonicis lib.* 1. *quæſt.* 28. ratio eſt, quia ægritudo in hoc caſu verè impedit, vt clericus choro interſit, & in d. *cap. vnic. de clericis nõ reſidentib.* excipitur infirmitas impediens aſſiſtentiam, & non reſtringitur ad infirmitatem inculpabiliter contractã. Limitant verò prædicti auctores hãc ſententiam, quando beneficiatus tempore, quo erat ſanus, conſueuerat choro intereſſe; ſecus, ſi non conſueuerat.

7 Quod verò attinet ad corporalem neceſſitatem, ſolent Doctores aliquos caſus aſſignare, nempè periculũ vitæ, aut damni grauis contra ipſam perſonã, quæ aſſiſtere debet, vel contra eius honorem, &c. ideo ſi in loco, in quo debet aſſiſtere ſit peſtis nõ tenebitur choro adeſſe; & ſic de

a' ijs ſimilibus, quos hic *num* 8. declarat *ParKius* vndecim enumerans caſus.

8 Sed nonnullæ ſunt cauſſæ, de quibus eſt dubitatio apud auctores, an ſint ſufficientes ad excuſandum à choro? & primo quæritur an carceribus detentus, vel in exilium miſſus diſtributiones habere debeat? cui quæſito reſpondeo, quod, ſi his pœnis beneficiatus cauſſam non dedit, etiam ſi in foro iudiciali ſecundum allegata, ſeu falſos teſtes iudex legitimè proceſſerit ad condemnationem, acquirit diſtributiones, ita communiter docent *Couar. num.* 8. *verſ.* 11. *Nauar. de cler. non reſid. conſ.* 5. *Gonzales in reg.* 8. *cancell. Gloſ.* 5. §. 9. *num.* 15. *Monet. de diſtrib. p.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 80. *Azor. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *quæſt.* 2. *Barbaſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi, alleg.* 53. *nu.* 178. *& in collect. cap. cit. de cler. non reſid nu.* 19. *Caſtropalaus vt ſupra num.* 3. & plures alij, quos laudant præfati auctores. At ſi ipſe verè deliquit, & conſequenter fuit cauſſa ſuæ cõdemnationis, tunc nõ lucratur diſtributiones, quia impedimẽtum appoſitum, cenſetur ob propriã malitiam.

9 Dices; Infirmitas etiam culpabiliter contracta excuſat, vt modo diximus, ergo etiam excuſabit incarceratio, vel exilium, quamuis ex culpa proceſſerint; par enim videtur ratio, quia ſicuti in caſu infirmitatis non eſt culpa, quæ formaliter impedit aſſiſtentiam, ſed ipſa infirmitas proueniens ex culpa, ita in alio caſu id, quod formaliter impedit, non eſt crimen, ſed pœna à Iudice inflicta, nempè incarceratio, vel exilium, &c. in vtroque etenim caſu delictum ſe habet cauſſaliter ad impediendum, non autem formaliter; ergo currit paritas.

10 Huic argumento reſpondet *Caſtropalaus cit. num.* 3. negando conſequentiã, & hanc aſsignat diſparitatẽ, nempè infirmitatẽ nõ eſſe effectum pœnæ, ſed culpæ; ſecus verò incarcerationem, & exilium. Sic reſpondet auctor iſte, cuius diſparitas mihi aliquantulum obſcura videtur, nec plenè ſatisfaciens argumento; nam comparãs hæc duo extrema, videlicèt ægritudinem, & incarcerationem, ſiue exilium in ordine ad culpam, & pœnam, ait, infirmitatem eſſe effectum culpæ, non pœnæ, addẽdo poſtea hæc verba [*ſecus verò incarceratio*] itaque videtur appoſitum de hoc ſecundo extremo docere, quia dictio illa, *Secus*, eſt aduerſatiua, & contrariam importat diſpoſitionem, vt communiter aſſerunt Iuriſtæ; ideoque debet conſequenter aſſerere, incarcerationem eſſe effectum pœnæ, quia aduerſatiua in verbis prædictis nequit cadere, niſi ſupra pœnam, non autem ſupra culpam, in quã non ſunt contraria, imo conueniunt incarceratio, & infirmitas, quatenus vtraque ſupponitur ex culpa procedere. His igitur præhabitis aio, non rectè dici, incarcerationem eſſe effectum pœnæ, cum non effectus, ſed formaliter ipſa ſit pœna. Rurſus fuiſſet ab hoc auctore aſsignanda ratio diſcriminis, cur incarceratio, etiam ſi concederemus, eam eſſe effectum pœnæ, non excuſat, ſicut excuſat infirmitas? nam eſſe, & non eſſe effectum pœnæ non videtur aliquid pertinens ad tale diſcrimen cauſſandum. Hæc ſunt, quæ mihi obſcuram reddunt ſolutionem à Caſtropalao allatam; quapropter ea omiſſa, expeditiùs, ni fallor, poſſumus reſpondere, deducendo videlicèt diſparitatem inter vnum, & alium caſum *ex cap. cit. de Clericis nõ reſidentibus in* 6. vbi Bonifacius VIII. Pontifex ſtatuens, diſtributiones quotidianas tantùm præſentibus, quique diuinis interſunt officijs, dandas, declarat poſtea cauſſas, quibus abſentes excuſantur, & inter eas non ponit incarcerationem, ſed infirmitatem. Et ſi dicas, ex vtraque cauſſa idem cauſſari impedimentum, quatenus tum grauiter infirmus, tum carceribus detentus ſunt impotentes ad aſſiſtẽdum choro, ſi, inquam, hoc dicas, reſpondeo, quòd, licèt, phyſicè loquendo, vterque ſit impotens, attamen moraliter vna impotentia eſt diuerſa ab altera, ſpectando cauſſas, à quibus procedunt; illa enim, quæ parit infirmitatem non eſt alieni iuris læſiua, neque contra bonum publicum, vel priuatum, cum ſoleat ipſi tantum infirmo eſſe nociua, nec eſt pœna à Iudice inflicta; oritur namque ex cauſis ſolum naturalibus; at ea, quæ prouenit ex incarceratione, originem habet ex delicto, vel ex capite, quod tendit contra ius alterius, vel contra bonum commune: idcirco non videbatur conueniens eam mitigare diſtributionum emolumento, ne maior delinquendi anſa præberetur; quæ quidem ratio in infirmitate non militat; proinde rectè Pontifici fuit viſum, inter cauſſas abſentiam à choro excuſantes ponere generaliter infirmitatem non reſtrictam ad inculpabilem, omittendo incarcerationem, quæ, ſi ex crimine procedat,

ta-

talem Indulgentiam non meretur.

11 Et ſi vlterius inſtabis, probando, incarcerationem nequaquam omiſſam fuiſſe à Pontifice, ſed comprehenſam ſub alia cauſſa excuſante ſecundo loco aſſignata, nempè ſub corporali neceſſitate, quæ inuenitur in eo, qui eſt vinculis conſtrictus, dico, neque inſtantiam hanc probare aliquid aduerſus ea, quæ hactenus dicta ſunt; Pontifex enim loquitur de ea neceſſitate, quæ eſt rationabilis; ſic namque ſecundam excuſationis cauſſam declarans inquit [Seu iuſta, & rationabilis corporalis neceſſitas excuſaret] ſub tali autem neceſſitate contineri non debet illa, quæ in pœnam criminis reo infligitur, idque merito ſeruandum eſt, ne fauor iniquitati præſtetur: comprehendi tamen volumus, & rectè incarcerationem illam, quam quis innocens pateretur modo ſuperius explicato. Et hæc ſufficiant ad afferendum, quo pacto differat ægritudo ab incarceratione in ordine ad excuſandum. Hucuſque tamen dicta de impedimento incarcerationis, & ex illis aptari poterunt alijs ſimilibus, & præſertim excommunicationi, ſuſpenſioni, &c. de quibus videndum eſt, an talis pœna inflicta fuerit ob culpam ipſius

12 excommunicati, ſeu ſuſpenſi, nec ne? & de illis reſoluendum, quod de carceratione ob culpam reſolutum fuit.

13 Duo autè hic notare placet *ex Caſtropalao n.* 10. videlicèt, ſi iuſtè excommunicatus, ſuſpenſus, &c. aſſiſtat diuinis officijs, licèt grauiter peccet, nihilominus lucrabitur, non obſtante excommunicatione, ſuſpenſione, aut interdicto quotidianas diſtributiones (vt hic auctor cenſet) quia verè aſſiſtit, quamuis cum peccato. Item quando Eccleſia, in qua ſunt diuina officia celebranda, eſt ſpecialiter interdicta, clericus, qui deberet aſſiſtere, ſi non dederit cauſſam interdicto, lucrabitur diſtributiones, quia per ipſum non ſtat, quin aſſiſtat, quod idem dicendum erit de Eccleſia polluta.

Quoad tertiam verò excuſationis
cauſſam, quæ eſt euidens Ec-
cleſiæ vtilitas, nihil hic
pertinens ad rem
notandum vi-
deo.

REGVLA XXXXII.

Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

REgula iſta vniuerſalis, quam examinandam aggredior, deſumitur ex alia ſimili in iure ciuili *ex L. 129 ff. de regulis iuris*. vbi dicitur: Cum principalis cauſſa non conſtat, plerumque nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent. Vt autem ordinatè procedamus, explicandum eſt primò, quid vniuerſaliter in præſenti materia, intelligatur per acceſſorium; ſecundò quotuplex ſit; tertiò, an ſemper oporteat; vt naturam principalis ſequatur? His præhabitis ad caſus ſingulares poſtea deueniendum erit.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex ſit acceſſorium, & an ſemper naturam principalis ſequatur?

QVamuis acceſſorium, ſicuti, & principale, multipliciter, & ſecundùm varia ſignificata ſumi ſoleat, pro vt tamen facit ad ſubiectam materiam, dicitur illud, quod alteri, & intuitu illius accedit; & non per ſe, & in ſua propria virtute ſubſiſtit, ad differentiam ſui principalis, quod non pendet ab altero, ſed eſt per ſe ſtans, vt diuerſis exemplis fiet manifeſtum. Aduertunt autem Doctores, rationem horum, nempè principalis, & acceſſorij, non eſſe colligendã ex nobilitate rei, quaſi id quod eſt nobilius, & pretioſius, ſe habeat, vt principale; minus verò nobile, vt acceſſoriũ; oppoſitum enim ſæpè contingit, vt docent communiter Authores *Roman conſ.* 330 *num* 13. *in fine*, & alij infra citãdi: ita v. g. ſi aurum apponatur ad ornamentum gemmæ, tunc aurum, licet pretioſius, cedit gemmæ, & ſe habet ad illam, tanquam acceſſorium; contra verò, ſi gemma ponatur ad ornamentum auri, cedit auro, & gemma ipſa erit acceſſoriũ, vt expreſſè deciditur *in L. & ſi non ſunt. § Perueniamus. ff. de auro, & argent. leg* Similiter ſi quis alienam purpuram proprio veſtimento intexat, hac intentione, vt ſuum veſtimentum exornet, purpura, licèt pretioſior, euadet acceſſoria, ceditque veſtimento, vt habetur *in ſtit.*

Digitized by Google

de rer. diuiſ. §. ſi tamen alienum. Ruſſus, ſi Eccleſia parochialis acceſſoriè vniatur alicui ſimplici beneficio, ſtatim aſſumit omnimodam naturam beneficij ſimplicis, quamuis Parochialis ipſa ſit nobilior, ita *Nauar. de maiorat. & obedie. conſil. 10. num. 3. Azor. par. 2. inſt. moral. lib. 6. cap. 18. queſt. 20. Garzia de benef. part. 12. cap. 5. n. 195. Barboſa in var. tract. axiom. 4 num. 7. & 8.* & alij, & ſic in cæteris ſimilibus. Quomodo autem cognoſci debeat, quodnam ex duobus vnitis ſit acceſſorium, & quodnam principale, tradunt *Anchar conſ. 114. in fine. Felinus cap. tranſmiſſa. num. 7. de conſtit. & cap. In noſtra. de Reſcript. corol. 33. Menochius lib. 6. præſumpt. 30. in fine Rebuff. de union. num. 19. & 20.* quando verò eſt dubium, quodnam ex illis duobus ſit principale, recurrendum eſt ad coniecturas, videlicèt ad denominationem, inſtrumenta antiqua, &c. ita ut ſi omnibus perpenſis remaneat dubium, præſumendum eſt dignius eſſe principale, & minus dignum, acceſſorium, vt notat ex alijs Felinus locis citatis.

2 Acceſſorium autem, etiam ſiſtendo in hac materia, quatuor modis ſumi poteſt, vt vult *Barboſa* explicando regulam hanc *nu. 12.* primò, quando ita prodeſt rei, vt ipſo ablato, res inutilis reddatur: ſecundò quando ita alteri adhæret, vt ſit illius pars: tertiò, quando vel ex natura rei, vel ex legis diſpoſitione, vel denique ex partium conuentione illud, quod eſt principale, concomitatur; quartò denique quando immediatè pendet ab alio, tanquam effectus à ſua cauſſa.

3 Animaduertendum hìc eſt cū *Barboſa* in eadē regula *n. 13* aliquando euenire vt aliquod alteri accedat, & videatur acceſſorium, cum tamen ſit principale, atque in ſua virtute per ſe ſtans; exemplum habemus *in cap. Debitores de iure iurand.* vbi dicitur, quòd iuramentum ſoluendi vſuras, licèt videatur promiſſionis acceſſorium; nihilominus ſtat per ſe, & obligat iurantem ad ſolutionem vſurarum, quamuis ſolutis vſuris, & ſeruato iam iuramento poſſit illas repetere.

4 Aduertendum etiam eſt, illud, quod reuera ſe habet, vt acceſſorium, non ſemper ſequi naturam ſui principalis, vt notant Doctores, & præſertim *Alexander conſil. circa primum num. 5. volum. 2. Taſcus litt. A. conſ. 176. nu 36. & concl. 79. per totam. Barboſam ſuis tract. var. axiom. 4. num. 10. 11.* & alij apud ipſum; ceſſat enim hæc regula in multis caſibus, & ſpecialiter, quando eſt diuerſa ratio in vtroque, ſcilicet in principali, & in ipſo acceſſorio, ſiuè hoc oriatur ex natura ipſius rei, ſiuè ex diſpoſitione alicuius legis. Rurſus fallit, quando in eo, quod ſe habet principaliter, ceſſat ratio, quare minus principale trahatur ad participandam naturam principalis, vel rem aliquā quæ ſoli principali congruit, vel ſi ex tali participatione aliquod inconueniens reſultaret. Aliqui etiam volunt in fauorabilibus, non autem in odioſis regulam hanc verificari, ita *Hieronymus de Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ. part. 3. quæſt. 39. num. 22. ex Conrado in l. vnica, C. ſi de moment. poſſeſſ. limit. 4. num. 1.* ſed hoc puto non eſſe vniuerſaliter verum. Hæc omnia clarius eluceſcent, expenſis caſibus peculiaribus.

CAPVT I.

An obligatio ad ſeruandam totalem caſtitatem firma maneat, ſi quis graui metu ductus ſacros ordines ſuſcepiſſet?

5 CONtrouerſia eſt apud Doctores, num obligatio illa, qua promoti ad maiores ordines aſtringuntur ad omnimodā caſtitatem cuſtodiendam, immediatè proueniat ex quodam voto implicito, quod virtualiter cenſendi ſunt emittere, qui accedunt ad ordines recipiendos, vel potiùs oriatur ex præcepto Eccleſiæ volētis obligare hos, qui his ordinibus inſigniuntur? & ſi ex præcepto, an ipſum præceptum naſcatur ex quadam lege, per quam Eccleſia præſcribat, vt qui ordines hos aſſumunt, emittant votum ſaltem implicitum de ſeruanda caſtitate; an verò ex vtroque, vt quibuſdam placet, nempè tum ex voto, tum ex lege ſpeciali Eccleſiæ? de qua re videndus eſt *Coninch. de Sacram. ordinis. diſp. 20. dub. 13. nu. 130.* quem ſequitur *Caſtropalaus part. 4. tract. 27. de hoc eodem ſacram diſp. vnica. puncto 17. num. 5.* & nouiſſimè *Auguſtinus Bernal. de eodem ſacram. diſp 50. ſect. 2. num. 14.* Variæ ſunt Authorum opiniones, quas latè examinat *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 27.* & poſtremò *Ioannes de Dicaſtillo tract. 6. de ſacram. ord. diſp. 1. dub. 26.* placet tamen in præſentia omnes has ſententias admittere, &

& iuxta illas decidere quæſtionem; omiſſo tamen eam ſententiam, ſecundùm quam nonnulli volunt, continẽtiam iure diuino, & non eccleſiaſtico eſſe ſacro ordini annexam, eam.n. ſententiam communiter non approbant Authores, & oppoſitam ex varijs iuribus probat *Sanch. diſp cit num* 5. & tantum deuenio ad quæſtionem propoſitam, pro cuius deciſione ſupponere omninò debemus, quòd ordines ſuſcipiens non paſſus ſit violentiam, ita vt retinens, & poſitiue nolens promoueatur; quia in tali caſu locum minimè habere poteſt præſens quæſtio; certum enim eſt, irritum fore ordinem, nec imprimi characterem, & conſequẽter ordine non ſuſcepto, non poſſe reſultare peculiarem obligationem ſeruandi caſtitatem; & ideo ſupponimus, in eo, qui promouendus eſt, inueniri voluntatem recipiendi ordinem, quamuis ad ordinem ſuſcipiendum ducatur ob metum iniuſte illatum, & cadentem in virum conſtantem, vel ſaltem grauem, qui quidem metus à Doctoribus appellari conſueuit conditionatus, quatenus ita mouet voluntatem ad ordinem ſuſcipiendũ, vt, ſi ipſe metus non adeſſet, ille, qui talẽ paſſus eſt metum, nollet ordinem ſuſcipere; cum tali enim metu ſtat ſimpliciter voluntarium ſufficiens ad characterem ordinis imprimendum, licèt ſit inuoluntarium ſecundum quid, vt expreſsè determinatur in *Cap. Maiores S. Item quæritur. de Baptiſm.* His omnibus præmiſſis quæritur, num obligatio ad talem caſtitatem, quæ ſe habet acceſſoriè ad
6 ordinem, reſultet in tali promoto?

Prima ſentẽtia affirmat, videlicèt; metu illo graui non obſtante, eũ, qui promouetur, remanere ad caſtitatem totalem ſeruandam aſtrictum. ita quamplures Canoniſtæ, & Theologi apud *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 29. num. 4. in fine*. inter quos citatur ab ipſo Sanchez *S. Antoninus part. 3. tit. 14 cap. 16. in fine.* Sed reuera S. Antoninus refert vtramque ſententiam contrariam, & disiunctiuè vtramque approbat; expreſsè tamen hanc opinionem affirmatiuam docet *Paludanus in 4. diſt. 38. quæſt. 3. art. 4. concl. 6. Sotus lib. 6. de Iuſt. quæſt. 2. art. 5. in ſolutione ad vltimum argumentum*, quibus ex recentioribus addo *Comitolum in reſponſ moral. lib 1. de matrim. qu. 12. num. 9.* vbi, quamuis dicat, hunc taliõ ita promotum non teneri ad continentiã vi voti, quia, cum defuerit debita libertas ad vouendum, nequit vi voti obligari, ait tñ, teneri ad continentiam ex vi præcepti Eccleſiaſtici At *Caſtropalaus punct. cit. n. 13.* diſtinguens, aſſerit, quod, ſi ordines ob talem metum ſuſcipiens expreſsè non contradixerit obligationi ſeruandæ caſtitatis, teneatur ad illam ſeruandam ex vtroque capite, nempè ex voto, & ex lege Eccleſiæ, quamuis dicat, ſe credere, coactione probata facilè fore remittendam ab Eccleſia talem obligationem. Hanc opinionem, quatenus aſſerit ita promotum, non obſtante metu aſtringi ad caſtitatem totalem, ex quocumque capite obligatio oriatur, valdè probabilem appellat *Sanchez loc. cit.* cuius potiſſimum fundamentum deſumitur ex hac regula, in quantum obligatio ad continentiam comparatur ad ordinem ſuſceptum, veluti acceſſorium; proinde recepto ordine, & firmo manente, firmum etiam manere debet eius acceſſorium, quod eſt obligatio ad caſtitatem. Secundò probatur à pari; nam ſi quis eodem metu ſuſcipiat Sacramentum Baptiſmi, eiuſque characterem, remanebit procul dubio aſtrictus ad ſeruandas leges Eccleſiæ, quæ ita habent, tanquam quid acceſſorium ad Baptiſmum: ergo à pari, ſumendo ordinem, cui acceſſoriè ſe habet obligatio ad caſtitatem, non obſtante metu, remanebit obligatus ſeruare caſtitatem.

Secunda ſententia oppoſitum docet, 7 ſcilicet non reſultare obligationem ad caſtitatem totalem, ſi quis ob talem metum ordinibus ſacris initietur. ita quamplures Canoniſtæ, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in collectan. ſuper cap. illo Maiores nu* 18 & ex Theologis *Petrus de Ledeſma in ſumma de ſacramẽt. ord. cap. 6. diffic. 3. concl. 2.* & quamplures alij antiquiores Theologi apud *Sanchez diſp. cit. num. 5.* quos ipſe ſequitur, & docet etiam in *decal. lib. 4. cap. 3 num. 19* eamdemque opinionem tuetur *Sotus in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. ver. Hinc autem.* poſt medium: licet ipſe contrarium lib. 7. de Iuſtitia ſuperius citato docuerit *Henriquez lib. 10. de Sacram. ord. cap. 14. num. 3. Azor part. 1. inſtit. moralium lib. 13. cap. 14. quæſt. 8. Rodriquez in ſumma tom. 1. cap. 223. num. 5. Emanuel Sà in Aphoriſmis verb. ord. num. 24. Conimb. diſput. cit. dub. 14. n. 145. Diceaſtillo dub. 26. cit. num. 482.* & alij, quos adducunt prædicti Authores.

Digitized by Google

res. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia votum procedens ex graui metu eſt irritum: quod ab Authoribus, qui eamdem ſententiam tuentur, colligitur ex *cap. Prælatum, & cap. Dilectus. de his, quæ vi.* a contrario ſenſu; nam dicitur ibi validum fuiſſe votum emiſſum non obſtāte violentia, quæ aſſerebatur illata, cum neque metum mortis, neque corporis cruciatum continuerit, ex quo ſignificatur, futurum fuiſſe inualidum, ſi ex tali metu graui emiſſum fuiſſet. Hæ ſunt Doctorū ſententiæ: remanet, vt quod probabilius mihi videatur, aperiam.

8 Dicendum eſt primò. Si obligatio annexa ſacris ordinibus oritur ex voto implicito caſtitatis, probabiliorem cenſeo hanc ſecundam ſententiam, & conſequēter, non impediri ita promotum vi voti ad vxorem ducendam. Concluſio ſuaderi poterit argumento, quod ſupra retuli, referendo hanc ſententiam, nempè ex inualiditate voti deſumptum, ſiuè votum ob metum ita grauem ſit irritum iure naturæ, vt plures ſuſtinent, ſiue iure tantùm Eccleſiaſtico, vt alij autumant: quod ex multis fusè probat, & amplectitur *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 3. n. 9. & n. 11. 12.* oſtendens, eſſe ipſo iure irritum, & negans, fuiſſe ab initio validum, & poſtea irritandum, vt nonnulli putant.

9 Dicendum eſt ſecundo, neque ita promotum obligari ad continentiam ex lege & præcepto *Eccleſiæ.* ita *Sanchez diſp. illa 19 num. 5 ante medium. Coninch. dubitatione illa 14 num. 150.* Probatur; quia lex Eccleſiaſtica; quamuis obliget ad emittendum votum caſtitatis eum, qui ſacro ordine inſignitur, intendit tamen obligare, quando ſpontè, & non coactè ordinem ſuſcipit: quod oſtenditur; quia Eccleſia irritum reddens votum illius, qui coactè promotus fuit, non videtur velle eundem aſtringere ad caſtitatem ſeruandam; ſi enim ſua lege hoc intenderet, non irritaret votum de eadem materia, quam præcipit: cum autem irritet, manifeſtè colligitur, nolle ad id obligare, & etiam nolle, eundem ſic promotum obligare ad emittendum tale votum. Limitanda tamen eſt hæc concluſio, ſicut limitatur à *Sanch. loc. cit.* & ab alijs, quando ceſſante poſtea metu ipſe promotus ſpontè, & liberè exerceret actū ordinis, vel vteretur priuilegijs ordini annexis; tunc enim tacitè videretur approbare ordinem receptum; & ideò cenſebitur implicitè & virtualiter emittere votum continentiæ, eo ferè modo, quo illud exiſtimaretur emiſiſſe, ſi ab initio abſque vllo metu ſpontè ordinem ſuſcepiſſet; vel iuxta ſententiam multorum, qui obligationem hanc fundant non in voto, ſed in lege eccleſiaſtica, obligaretur virtute talis legis; vel vi vtriuſque ſecundū mentē aliorum, qui in vtroque capite obligationem hanc fundant. Supereſt, vt argumenta adducta pro prima ſententia diluamus.

Ad primum, quod fundatur in hac regula de acceſſorio; Reſpondent aliqui agnoſcentes duplicem modum, quo acceſſorium connecti poſſet cum ſuo principio, nempè, vel eſſentialiter, & ſecundū neceſſariam conſequentiam, vel ſolo iure humano; hac poſita diſtinctione, aiūt, quando priori modo fit connexio, tunc acceſſorium ſequi naturam principalis; ſecus ſi poſteriori modo. ita reſpondet *Sanchez diſp. 27 cit. num. 11.* 10

Sed, vt verum fatear, nequit talis reſponſio mihi placere; quia aut nunquam, aut ferè nunquam regula hęc locum haberet; nam quòd aliquid acceſſoriè alteri connectatur, habetur ex iuris diſpoſitione, vt in ſequentibus quæſtionibus fiet manifeſtum; proindè ſolidior erit reſpōſio, ſi dicamus, fallere regulam, quando in eo, quod vocatur acceſſorium, eſt aliqua ratio ſpecialis, quæ non reperitur in eo, quod eſt principale; tunc enim participatur ab acceſſorio, non quatenus acceſſorio, ſed independenter à connexione cum alio; & ideò dicimus, in hoc caſu limitari regulam, vt rectè animaduerterunt Authores huius noſtræ ſententiæ; primò; quia non inuenitur eadem ratio in acceſſorio, quæ eſt in principali; nam ad huius acceſſorij firmitatem requiritur perfecta libertas, qua ipſe promotus eligat huic obligationi ſe ſubijcere, nempè ſeruare perpetuam, & omnimodam caſtitatem; ſed ad recipiendum characterem ordinis quæcumque voluntas erit ſufficiens, immò in infantibus ſatis erit voluntas Eccleſiæ, quamuis ſi quis infantem vellet ordinare, grauiter delinqueret, ſed validum efficeret Sacramentum, vt communiter docent Authores. Secundò reſpondetur, eſſe ſpecialem rationem, quæ impedire poteſt obligationem ad caſtitatem, non autem impedire impreſſionem characteris; nam ad irritandum votum, vel ad non obligandum virtute legis humanæ, ſatis eſt

dif-

diſpoſitio Eccleſiæ, ſeu legiſlatoris, & ſic de facto, vt ſupra diximus, ab Eccleſia votum metu emiſſum irritatur; quia ex lege Eccleſiæ annectitur votum caſtitatis ordini ſacro; validitas autem ordinis ſacri non dependet à diſpoſitione humana, ſed ab inſtitutione Chriſti; proinde poſitis ijs, quæ vi talis inſtitutionis requiruntur, valor Sacramenti nequit impediri.

Ad ſecundum aio, diſparem eſſe rationem; quia obligatio ad ſeruandas leges eccleſiaſticas oritur ex profeſſione Religionis imbibita in ipſamet Baptiſmi receptione; talis enim profeſſio non eſt baptiſmo annexa iure Eccleſiaſtico, ſed iure diuino; at obligatio ad continentiã, ſiue ex voto, ſiue ex lege poſitiua, prouenit ex iure humano eccleſiaſtico; ideò Eccleſia nequit irritare profeſſionem religionis recepto baptiſmo; at poteſt irritare votum, aut ſuam propriam legem, quando ordo recipitur ob grauem metũ: & ita non eſt eadem ratio de vno, ac de altero acceſſorio; illud enim eſt iure humano ſeparabile a ſuſceptione ordinis, iſtud verò nequaquam à receptione baptiſmi.

11 *Sed dices*, Ex hac opinione ſequeretur; quòd, ſi quis ob aliquem defectum tangentem ſubſtantiam ordinis, inualidè ordinem ipſum reciperet, & hoc ignorãs, vellet explicitè exercere id, quod Eccleſia implicitè præcipit, nempè votum cõtinẽtiæ, & illud emitteret, obligatus nequaquam foret ad ſeruandam caſtitatẽ vi voti; quia iuxtà regulam hanc corruente principali, corruere debet acceſſoriũ, quandò in ipſo acceſſorio, aut in principali non reperitur ſpecialis ratio ob quã, ceſſare debet; quæ ratio non apparet in caſu iſto: at abſurdum videtur eximere ita vouentem ab obligatione ſeruandi continentiam; ergo obligatio illa, etiãſi oriatur ex voto implicito, non debet deficere, cum eadem ſit ratio taciti, & expreſſi, & eumdem pariant effectum, quãdo diuerſitatis ratio non apparet, vt ex Panormit. colligitur *in cap. Cum Eccleſia num. 29. de cauſ. poſſeſſion. & propriet.*

Reſpondeo, concedendo maiorem, & negando minorem, in qua dicitur, hoc eſſe abſurdum; in eo enim caſu promotus, vt ſuppono, emittere vult votum continentiæ intuitu ordinis, & vt ait *Bernal. ſect. cit. num. 19.* ob decentiam ſtatus, quem vouens ex ignorantia cenſet firmũ; ſecus autẽ, ſi ſciens nullitatem Sacramẽti hoc non obſtante vellet continentiam promittere; tunc enim votum non ſe haberet acceſſoriè, ſed principaliter, & obligaret ad ſui adimpletionem.

Quæres, an ita ordinatus per metum aſtringatur ad recitandas horas canonicas? 12

Reſpondetur non teneri. ita *Nauarrus in Enchirid. cap. 22. num. 51. Emanuel Sà loco cit. Sanchez diſp. illa nu. 7.* & ratio eſt, quia cum ſponte non ſuſceperit ordinem, Eccleſia noluit tali oneri illũ ſubijcere: ſed ſi ſcienter vtatur priuilegijs clericorum in ſacris, aut exerceat proprium actum talis ordinis; tunc cenſetur illum approbare, & conſequenter obligabitur ad horas canonicas, vt ſupra dixi de obligatione ad caſtitatem perpetuam.

CAPVT III.

An firma maneat bonorum renuntiatio intuitu Religioſæ profeſſionis facta, ſi profeſſio irrita declaretur, poſtea verò rata habeatur?

DE caſu ferè ſimili præteritis diebus conſultus fui à quodam Religioſo viro, & quid de illo ſenſerim, eidem aperui; placet nunc de eadem re parum mutata quæſtionem inſtituere, eam fundando in hac regula de acceſſorio, & principali: & claritatis gratia ſic ſuppono caſum. Titius ingrediens religionem ſecundùm formam in Concilio Tridentino præſcriptam *ſeſſ. 25. de reform. cap. 16.* omnia ſua bona renuntiauit, & poſtea illa religioſa vota emiſit: ſed aliquo tempore tranſacto compertum fuit, irritam fuiſſe profeſſionem: volens autem ſic nulliter profeſſus ratam habere profeſſionem iterum in manibus prælati debitis ſolemnitatibus præmiſſis vota emiſit. Quæritur, an illa bonorum renuntiatio firma maneat, an verò debeat iterum fieri? Antequam deueniam ad reſoluendum quæſitum, aduerto, renuntiationẽ illam, cui ſucceſſit inualida profeſſio, fuiſſe irritam; quia, cum inita fuerit intuitu profeſſionis, vt nunc ſuppono, quæ nulliter ob defectum ſubſtantialem emiſſa fuit, conſiſtere non poterat; nam acceſſoriè ſe habebat; ſecus verò eſſet dicen-

cen-

icendum, ſi renuntiatio æque principaliter, & non acceſſoriè facta eſſet; tunc enim eius valor fuiſſet independens à profeſſione, & ideò ſemper valida permanſiſſet, vt fusè probat *Sanchez in ſumma lib. 7. cap. 1. per totum*. vbi etiam declarat, quid in dubio ſit præſumendum, & quæ coniecturæ concurrere debeant ad iudicandum, an donatio, ſeu renuntiatio facta fuerit inter viuos, proinde irreuocabilis, an verò fuerit ſimilis donationi cauſſa mortis, & conſequenter reuocabilis? in præſentia autẽ ſuppono, vt dixi, ſermonem eſſe de renunciatione facta intuitu profeſſionis, & conſequenter acceſſoriè, & ideo euanuiſſe declarata nullitate profeſſionis.

14 His ſuppoſitis inſurgit difficultas tacta, an quando profeſſio validatur, oporteat iterum renunciationem confirmare; an verò emiſſa ſecũda profeſſione firmetur etiam ipſa renuntiatio abſque nouo ipſius renuntiantis conſenſu? Videtur eſſe neceſſarium, vt iterum confirmetur, & hoc ex prædicta regula; cum enim ipſa renuntiatio ſit, & ſe habeat acceſſoriè, vt nunc ſupponimus, debet ſequi naturã ſui principalis; & ideò, ſicuti profeſſio, quæ principalis eſt, nulla declarata debet iterum rata haberi, ita etiam renuntiatio, quæ eſt acceſſoria.

His autem minimè obſtantibus, ratificatam cenſendam eſſe renuntiationem illam, abſolutè aſſerit *Riccius in deciſ. Cur. Archiep. Neap. par. 4. deciſ. 146. num.* 4 idque probat ex regula acceſſorij in ordine ad principale. Aliqui verò limitant hanc ſententiam, & diſtinguentes aiunt; ſi profeſſio irrita fuit ob defectum legitimæ ætatis, & Profeſſus non reclamauit intrà quinquennium, tunc ſicuti tranſacto quinquennio nequit amplius reclamare, & allegare nullitatem talis profeſſionis, ita neque inualiditatem renuntiationis: at ſi intra quinquẽnium reclamauit, renuntiatio valida eſſe non poterit; ſicuti enim reuocatur eius principale, nempè profeſſio, ita etiã acceſſorium, ſcilicet, renuntiatio. ſic diſcurrunt *Spinol. in ſpecul. Teſt. gloſ. 1. 12. principali. num. ult.* *Rodriq; in quæſt. reg. tom. 2 quæſt. 48 art. 11. & in ſumma tom. 1. cap. 90. nu. 5. & tom. 2. cap. 7 nu 6.* vbi addit, validam reddi renũtiationem, quãdo profeſſio illa fuit irrita ob defectum ætatis, nempè, quando nouitius illam emiſit ante decimum ſextum annum completum, ſi poſteà eam ratificauerit, aut perſeuerauerint in religione per ſpatium quinque annorum, quibus elapſis non poteſt amplius allegare inualiditatem, vt determinat Tridentinum. Cæterum *Sanchez lib. 7. in decal. num.* 16. limitationem hanc nequaquam approbans, eam impugnat, & inquit; ſi profeſſio irrita declarata fuerit ob defectum legitimæ ætatis ad profitendum requiſitæ, tunc irrita erit renuntiatio, quia cũ ex decreto Trid. fieri debeat à Nouitio bimeſtri proximo ante profeſſionem, deficiente legitima ętate ad profitendũ, neceſſariò deficiet legitima ætas ad renunciandum.

Hæc doctrina, quam hìc tradit *Sanch.* prædictam impugnando limitationem, contradicere videtur alteri doctrinæ, quam ipſemet Author dat infra *nu.* 82. quia in hoc loco docet, renunciationem faciendam eſſe bimeſtri immediatè proximo profeſſioni; & ideò vult, renuntiationem illius Nouitij, qui irritam emiſit profeſſionem ob defectum legitimæ ætatis, inualidam fuiſſe, etiamſi poſtea idem nouitius tempore habili profeſſionem prius irritam iterum emittat, & hoc videtur aſſerere ex eo, quòd vult, renunciationem iuxta formam Trid. factã debere fieri intra illud vltimum, & immediatum bimeſtre, quod profeſſionem antecedit; at quando profeſſio rata habetur poſt multum tempus, nempè intra quinquennium, renuntiatio prius facta non dicitur fuiſſe in bimeſtri immediatè proximo profeſſioni; proindè non conualidatur, iterum emiſſa profeſſione. Sed *num. illo* 82. contrarium videtur aſſerere, in quantum concedit, facta renuntiatione intra bimeſtre ante profeſſionem faciendam, ſi tranſacto bimeſtri differatur ad aliquod tempus profeſſio, & poſtea emittatur, firmam manere renunciationem, & tamen non fuit facta bimeſtri proximo profeſſioni, ſed multo anteà; quod certè videtur contradictorium illius, quod prius aſſertum fuit.

Quidam doctus recentior, cui ego dubitationem hanc, quæ prima facie per vnam, aut alteram horam moleſtiam mihi attulit, priuatim communicaui, volens prædictas doctrinas conciliare, eas explicauit, ſupponendo, nouitium ingreſſum fuiſſe anno decimo quinto ſuæ ætatis, & decimo menſe nouitiatus elapſo renuntiaſſe omnia ſua bona iuxta formã

Tri-

Digitized by Google

Tridentini, & profeſsionem emiſiſſe, antequam totum bimeſtre laberetur, in cuius fine complendus erat decimus ſextus annus ætatis ſ. e, & ideò nulliter profitendo, irritam fuiſſe renunciationem prius factam, & indigere noua confirmatione; proinde inquit, caſum hunc conſideratum fuiſſe a Sanchez in priori loco, in poſteriori autem alium caſum ſpectatum fuiſſe, nempè quando profeſsio ex aliqua cauſſa differretur poſt illud bimeſtre, & tunc, cum validè emittatur, valida remanebit renunciatio prius facta: & ſic patet, has doctrinas non eſſe inuicè contrarias, quia diuerſi ſint caſus. ita diſcurrebat recentior iſte, ſed rem diligenter attendendo alia procul dubio fuit Authoris mens.

Dico igitur, nullam inueniri contradictionem inter ea, quæ còtinentur in primo loco, & ea, quæ in ſecundo, & hoc facilè deprehendetur, diligenter ſpectato diſcurſu ipſius Sanchez; ſupponit enim Sanchez in vtroque numero renunciationem factam fuiſſe eodem tempore, videlicèt bimeſtri ante completum annum nouitiatus, cum hoc tamen diſcrimine, vt in priori caſu nouitius non fuerit in legitima ætate ad renunciandum, & conſequenter non habilis, & hoc, quia in fine eiuſdem bimeſtris non fuerit completa ætas ad profeſsionem iuxta decretum Tridentini, nempè decimus ſextus annus; & quoniam, vt ipſemet Sanchez ait in vtroque loco, tempus habile ad renunciandum eſt illud bimeſtre, quod immediatè coniungitur cum tempore ſequenti habili ad legitimè profitèdum, & etiam quia tempus ſequens ob defectū ætatis non eſt tale, idcircò inhabilitas transfunditur in bimeſtre immediatè præcedens, quo inualidè fit renunciatio. Contra verò quando tempus illud immediatè ſequens eſt habile pro emittenda profeſsione, reddit etiam habile bimeſtre præcedens pro facienda renunciatione, & parum refert ad hunc effectum emitti profeſsionem elapſo bimeſtri, aut differri; dilatio enim illa non tollit habilitatè temporis, tum pro renunciatione, tum pro ipſa profeſsione. Hæc ex Sãchez omninò ſunt ſupponenda cum apertiſsimè habeantur in vtroque loco, ſi diligenter conſiderètur. Ex quibus patet, nullam in eius doctrina eſſe contradictionem, quia in priori loco bimeſtre non eſt tempus habile ad renunciandum, tum in eius fine nouitius non inueniatur in legitima ætate; & ideò renunciatio non ſolum ſuſpenſa, verum etiam irrita erit; in ſecūdo autem loco bimeſtre eſt tempus habile ad renunciandum ob oppoſitam rationem; quoniam in eius fine Nouitius reperitur in legitima ætate, & conſequēter renunciatio validè fit, licet maneat ſuſpenſa vſque dum fiat actualis, & legitima profeſsio, qua emiſſa firmatur ipſa renunciatio.

Diſcrimen autem in explicanda Sanchez mente inter me, & prædictum recentiorem conſiſtit in eo, quòd ipſe ad vitandam contradictionem putat, in priori loco locutionē eſſe de nullitate profeſsionis emiſſæ ante lapſum illud bimeſtre, intra quod facta fuit renunciatio: & quia illud requirebatur ad complendum annum nouitiatus, idcircò irrita fuit profeſsio, & conſequenter renunciatio; in ſecundo autē loco ſermonem eſſe, quādo omnia erant ritè cōpleta, videlicèt, ætas nouitiatus, &c. & tamen dilata fuit poſt aliquod tempus profeſsio, quo non obſtante, ſi valida profeſsio ſequatur, firma manebit renunciatio: igitur, cum in vtroque loco diuerſus ſit caſus, nulla eſt contradictio.

Cæterum ego explicando mentem Sanchez, vt illum liberem à contradictione, dico, ab illo non poni nullitatem profeſsionis in defectu anni nouitiatus, ſed in defectu ætatis, & ſolum conſideratam fuiſſe ab ipſo habilitatem temporis ad valorē renunciationis in ordine ad tempus immediatè ſequens, an ſc. fuerit nec ne legitimum, vt in illo emittatur profeſsio. & hęc ſatis ſint pro declaratione doctrinæ, quam in vtroque loco tradit Sanchez: ſuperèſt, vt quid de re hac ſentiam, ipſe declarem.

Opinionem, quam docet Sanchez quoad aliquid admitto; quoad aliud tamen reijcio: explico vtramque partem; placet enim mihi quòd renunciatio, quæ non fit intra illud bimeſtre, in cuius fine immediatè ſequitur legitimum tempus ad validè profitendum, ſit irrita, ſiuè ſequatur poſtea valida profeſsio, ſiuè non. 15

Dico ad hoc aſſerendum ex decreto Trid. quod rectè quantum ad hoc punctū adducit ipſe Sanchez; cum enim Concilium diſponat, has renunciationes eſſe faciendas intra duos menſes ante profeſsionem, neceſſariò ſequitur, quòd, ſi tempus ſubſequens, elapſo bimeſtri, non

ſit legitimum, vel ob defectum ætatis, vel integri nouitiatus, ipſum bimeſtre non eſset legitimum tempus pro facienda renuntiatione, quia non erat illud, quod proximè antecedebat tempus ad validam profeſsionem emittendam, & conſequenter ſequitur, irritam eſse renũtiationem, vtpote factam contra formã præſcriptam in Tridentino: hinc rectè docet *Sanchez num. illo* 56. quod, etiam ſi poſtea ſequatur valida profeſsio, non poterit renunciatio illa valorem habere, cũ ab initio fuerit irrita: & hoc ipſum pariter docet *Pellizarius in manuali Regul. tract. 2. cap. 9 num.* 49.

Verum quoad aliud non poſsum admittere doctrinam *Sanchez*, quatenùs *eodem num* 56. reijcit, limitationem poſitam à Rodriquez, qui ait, firmari renũtiationem, ſi nouitius complens legitimam ætatem ratificauerit renuntiationem illam, quod certè impugnat Sanchez docens, locum habere non poſse, quando profeſsio eſt irrita, ob defectum legitimæ ætatis ad profitendum, quia tũc etiam defuit legitima ętas ad renuntiandũ; ſed ſolum procedere quando profeſsio eſt nulla ob defectum integri nouitiatus, vel ob metum, vel ob quamcumque aliam cauſsam. Moueor verò contra id, quod, impugnando hanc limitationem, aſserit Sanchez; quia, ni fallor, ipſe cenſet quòd, quando profeſsio eſt inualida ob defectum ętatis, ſemper per neceſsariam illationem ſequitur, renuntiationẽ non fuiſse factam tempore legitimo, ſcilicet in eo bimeſtri, quod proximè antecedit tempus habile ad profitendum; hoc autem eſse fundamentum, quo ipſe nititur ad aſserendum, in tali caſu renuntiationem ſemper eſse irritam, colligitur expreſsè in vtroque loco, quem ſupra põderaui: ſed certè tale fundamentum non eſt firmum; quia dari poteſt caſus, vt mox demonſtrabo, in quo renuntiatio facta ſit bimeſtri proximo ad profitendũ, & hoc non obſtante ſequi certum ſit, profeſsionem inualidam ob defectum legitimæ ætatis ad illam emittendam, quod ſequenti exemplo declaro.

16 Ponamus, quòd Sortes ingrediatur religionem initio anni decimi quinti ſuæ ætatis, & elapſo decimo menſe nouitiatus iuxta formam Trid. renuntiet omnia bona; ſanè tempus illud erit legitimum, quia eſt bimeſtre immediatè antecedens tempus ad legitimè profitendum; nam in fine illius bimeſtris Sortes complebit annum decimum ſextum ætatis, quod eſt tẽpus habile pro emittenda profeſsione, & etiam complebit integrum annum nouitiatus; proinde nil deeſset ad hoc, vt illud bimeſtre ſit tempus habile pro renuntiatione facienda, etiam iuxta doctrinam *Sanchez*, à qua non diſsentio, quãtum ad hæc: attendamus nunc, ſi his non obſtantibus ſequi poſſit profeſſio irrita ob defectum ætatis: & dico ſequi poſse ſi ponamus v. g. quod ex errore Sortes putauerit compleuiſse ętatem ante lapſum totum illud bimeſtre, & ſit error in decem, aut paucioribus diebus; tunc enim profeſſio, vt potè emiſsa ante legitimam ætatem fuit inualida, cuius inualiditas non poterit irritam reddere renũtiationem, quę ab initio fuit valida, vtpotè facta cum omni ſolemnitate requiſita à Trident. ex quo ſequitur, quòd ſi errore comperto *S*ortes completa ætate, iterum profeſſionem validè emittat, firma erit renuntiatio: & ſic habemus duo illa non eſse incompoſſibilia, videlicèt validam eſse poſse renuntiationem, quam ſequatur profeſſio nulla ob defectum legitimæ ætatis, quod erat mihi demonſtrandum.

Neque dicas, quod profeſſione inualidè emiſsa ob defectum ætatis inualidaretur, & interrumperetur nouitiatus, & ideò repetẽdus annus probationis; quòd ſi ita erit, neceſsario inferretur inualiditas renuntiationis antea factæ, quia deberet fieri bimeſtri ante profeſſionem legitimam, quæ iterato anno nouitiatus eſset emittenda, completo hoc ſecundo anno; Ne dicas, inquam, hoc, quia nulla eſt neceſſitas, neque ius præſcribens, in tali caſu eſse iterum repetendum nouitiatum, cum ſatis ſit ſuppleri dies illos, qui deficerant ad complendam legitimã ętatem, cum ſcientia tamen, & conſenſu Superiorum: & hoc docet ipſemet *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 37. num.* 49. *& in decal lib. cit cap.* 4. *num.* 14. maneat igitur ex dictis, dari poſse profeſſionem irritam defectu legitimæ ætatis, & validitatem renuntiationis factę à nouitio tempore habili.

Sed inſtabis probando nullitatem talis renuntiationis ex decreto ipſo Trid. 17
poſtulante, vt bimeſtre, intra quod nouitius validè renuntiare poſsit ſua bona, coniungatur cum legitima profeſsione in fine ipſius bimeſtris emittenda; at in

caſu

Digitized by Google

caſu poſito, in quo differtur profeſsio, ob ſupplementum illorum dierum, qui deſunt ad complendam legitimam ætatē, bimeſtrè non continuatur cum profeſſione; igitur nulla cenſenda erit renunciatio, vt potè facta, non iuxtà formam Trident. & conſequenter manebit firmū id, quod ſuſtinet *Sanchez*, videlicèt per nullitatem profeſſionis ob defectum ætatis inualidam ſemper eſſe renuntiationē antea factam in ipſo nouitiatu.

Reſpondeo, negando, renunciationem illam eſſe nullam, & eſſe contra formā præſcriptam à Trident: & ad hoc oſtendendum affero doctrinam ipſius *Sanchez in cap. cit num* 82. vbi ad hanc inſtantiam optimè reſpondet dicens, nihil referre, quòd, ſemel facta renunciatione in bimeſtri ante profeſſionem legitimè faciendam, differatur actualis profeſſio, cum ſufficiat eſſe tempus, in quo, ſi emitteretur profeſſio, eſſet legitima: & quāuis Trid. cap. illo 16. ſtatuat nullā renunciationem validam fore, niſi fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem nec effectum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione, nihilominus id intelligendum de profeſſione, quæ legitimè fieri poſſet, non de actuali, vt in declarationibus ipſius Concilij explicat *Barboſa nu.* 4. *& de poteſt. Epiſc. allegat.* 95. *num.* 11. *Caſtropal. par.* 3. *tract.* 16 *diſp.* 2. *punct.* 17. *nu.* 9. *Lezana part.* 4. *v. Nouitij. num* 29. *& alij apud ipſum Peyrinus to.* 2. *de Prel. religion. quæſt.* 3. *cap.* 1. *§.* 8. *num.* 214. vbi addit, conſultiùs eſſe, vt, ſi profeſſio differatur propter ætatem, differatur etiā renunciatio, quā validam eſſe in tali caſu docet *tom.* 2. *ſuper conſtit.* 2. *Sixti IV. num.* 80. afferens declarationem Sacræ Congregationis die 17. Ottobris 1594. quin addit Sanchez, concilium per hæc verba ſpectaſſe ea, quę communiter contingunt, ſicut leges ſeruare ſolent, vt dicitur *in L. Nam ad ea. ff de legibus*, & quia communiter profeſſio fieri ſolet cōpleto nouitiatu, & ætate debita, ideò Cōcilium conſiderauit ea, quę regulariter accidunt; non tñ prohibuit poſſe ex aliqua rationabili cauſſa differri profeſſionē ſic reſpondet *Sanchez*. His omnibus præhabitis directè reſpondeo ad quæſitum.

18 Dicendum igitur eſt primò, renuntiationem factam à nouitio tempore habili, ſi profeſſio ſequens ob aliquem defectum ſit irrita, & poſtea rata habeatur, firmam eſſe cenſendam. ita communiter Doctores *Sanchez Pellizzarius loc. cit. & Riccius in deciſ Cur. Archiep. Neap. part.* 4 *deciſ.* 146 *num* 4 *Lezana. vt ſupra num.* 32 *Bordonus in ſuis moral. reſol.* 60. *num* 14. *&* 17. Dixi renuntiationem factam tempore habili, nempe intra illud bimeſtre, quod antecedit tēpus, in quo validè emitti poteſt profeſſio. Hoc poſito concluſio probatur ex regula de acceſſorio; nam, vt ipſa regula præſcribit, ſequi debet principalis naturam; & ideò cum in hac materia profeſſio ſe habeat tanquam quid principale, & renūtiatio facta eius intuitu ſe habeat acceſſoriè, idcircò, quando profeſſio prius irrita poſtea confirmatur, illa renuntiatio, quæ erat ſuſpenſa, expectabatque valorē profeſſionis, ſtabilitur.

Dices. Sicuti profeſſio prius inualida debet iterum confirmari, ita ſimiliter renuntiatio, quæ eſt eius acceſſorium indigebit noua confirmatione, aliàs non diceretur ſequi naturam ſui principalis. Reſpondeo; id, quod renunciatio reſpicit, tanquam ſuum principale eſt profeſſio valida non autem profeſſio irrita, quæ verè profeſſio dici non debet, quia hæc duo videlicèt, Nullum eſſe, vel eſſe ſine effectu, æquiparantur, vt dicit axioma Iuris, & communiter Iuriſtæ; *Surdus deciſ.* 51. *num.* 13. 14. *conſil.* 3. *nu.* 9. *& ſequent. Barboſa in varijs tractatibus. axiom.* 164. *num.* 2. & alij apud ipſum; ergo cum in caſu noſtro profeſſio illa prior nulla fuerit, proindè omninò eſt, ac ſi emiſſa non fuiſſet. Addo, quòd, quando iterum emittitur, in rigore iuris eſt nouus actus, & non eſt cōfirmatio prioris profeſſionis quæ irrita fuit, quia, quod nullum eſt ab initio confirmari nequit, vt ex multis docet idem *Barboſa axiom. citato. num* 7. quamuis ſoleamus dicere ratificari id, quod prius nullum fuit: & ſic patet, qua ratione firma maneat regula de Acceſſorio in caſu præſenti. 19

Dicendum eſt ſecundo, quæ dicta ſunt de tempore, & forma, faciendę renuntiationis bonorum iuxta decretum Tridētini, non comprehendere nouitios Societatis Ieſu. Colligitur ex verbis ipſius decreti, in quo duo præſcripta fuere; primū, vt renuntiatio fiat ante bimeſtre profeſſionis proximum; ſecundum, vt peracto tēpore nouitiatus nouitius, aut admittatur ad profeſſionē, aut eijciatur è monaſterio: poſt hæc autē duo ſtatim idē Concilium ſubdit dicens [Per hæc tamen Sā- 20

Digitized by Google

ĉta Synodus non intendit innouare, aut prohibere de inſtituto Societ. Ieſu] Dictio enim illa pluralis, nempè, *per hæc*, refertur ad illa duo præcedentia, videlicèt ad renuntiationem tali tempore faciendam, & ad profeſſionem finito nouitiatu emittẽdam, & non eſt maior ratio, cur potius ad vnum, quàm ad aliud referatur, vt notat Sanchez *cap. 5. cit. nu. 9.* & hoc ipſum declarauit viuæ vocis oraculo *P*ius V. vt dicitur in compendio priuilegiorum ipſius Societ. *verb. Concilium*. §. 2. & quotidiana praxis id confirmat: vtque ait *Rodriquez tom. 2. qu. Regul. quæſt.* 48. *art. vltimo.* fertur ita declaratum fuiſſe a Sacra Congregatione: de hoc igitur nulla eſt hodie dubitatio.

21 Dicendum eſt tertiò. Si antequam labatur tempus neceſſarium ad complẽdum nouitiatum egrediatur nouitius deſerens religionem, renuntiatio totaliter euaneſcet. ita Sanchez *cap illo 5 in fine. Pellizzarius in manuali Reg tract 2. cap. 9. num* 51. & ratio eſt, quia per egreſſum illum materialem, & formalẽ interruptus fuit nouitiatus, itaut ſi nouitius pœnitentia ductus vellet iterum redire ad religionem, oporteret iterum nouitiatum inchoare, vt prædicti Authores animaduertunt: idcirco renuntiatio illa, euaneſcente principali, euaneſcit, & denuo fieri debet tempore habili, nempè bimeſtri vltimo alterius nouitiatus. Eſſe iterum inchoandum nouitiatum late probat *Sanchez in Decalogum lib. 5. cap. 5. num. 31.* oſtendens, annum, quo ipſe nouitiatus durat, debere eſſe continuũ; & hanc ſententiam, quam veram cenſeo, in præſentia ſuppono.

22 Quæres, quid dicendum, ſi nouitius fecerit tempore habili renuntiationem, & legitimè peregerit totum nouitiatum, ſed antequam emittat profeſſionem egrediatur è Religione, & poſtea iterum ingrediatur; num in tali caſu renuntiatio illa conualeſcat?

Reſpondetur, non conualeſcere, quia, cum per egreſſum corruerit, fuit omninò extincta, ideoque deberet de nouo fieri: at nihilominus non erit expectandũ vltimum bimeſtre ante profeſſionẽ; quia ſicuti non eſt neceſſarius nouus annus probationis, ſed ſtatim legitima profeſſio emitti poterit, ita poterit etiam ſtatim fieri renuntiatio, quãuis profeſſio differatur. ita Doctores prædictis locis cit. iſte autem caſus eſt diuerſus à præcedenti, in quo diximus, eſſe expectandũ vltimum bimeſtre ſecundi nouitiatus; at in hoc poſteriori caſu dicimus, renũtiationem fieri poſſe, ſtatim poſt ingreſſum: ratio autem diſcriminis eſt, quia in priori caſu nouitiatus fuit interruptus per egreſſum nouitij, & interruptus nequit continuari cum alio; in hoc autem poſteriori caſu ſupponitur nouitiatus integrè completus, proinde non eſt eadem ratio.

CAPVT IV.

An à Religione eiecti teneantur eiuſdem Religionis leges ſeruare?

SVpponimus vt certum, & abſque cõtrouerſia, huiuſmodi eiectos eſſe veros Religioſos, & tribus votis ſubſtantialibus eſſe aſtrictos: quoad caſtitatem eodem prorſus modo, quo intra religionem obligabantur nam; materia huius voti, quæ eſt abſtinentia à quocumque actu venereo non dependet ab hoc, vel illo ſtatu: quoad paupertatem verò remanent eiecti incapaces cuiuſcumque dominij; quamuis ex tacita licentia *Su*periorum habeant vſum, & adminiſtrationem bonorum, quæ acquirunt, ad ſe alendos. An autem donare alijs poſſint, variant Doctores; nam aliqui concedũt, donationes aliquas in vſus licitos fieri poſſe; ſed neque licitè, neque validè in vſus turpes; ita *Caſtropalaus par. 3. tr. 16. diſp 3. pu. 19. n. 9.* & citat *Suarez to. 4. de relig. lib. 3. cap 6. nu* 21. Alij verò, vt *Molina to. 2. de iuſt. diſp. 276. ver.* [*Quoad cæteros*] *Leſſius lib 2. de iuſt. cap 41. dub.* 15. *Sanchez lib 6. in decal. cap. 9. num.* 47. licèt validè probabilem cenſeant ſententiam relatam; nihilominus aiunt, eiectum, quamuis expendens in vſus turpes peccet, poſſe validè donare, & donatarios non teneri rem receptam reſtituere, & hæc breuiter tacta ſufficiant; quia quæſtio præſens non agit, niſi de legibus ſeruandis, nec ne, ab eiectis. Denique quoad obedientiam eximuntur a iuriſdictione ſuorum Prælatorum, ſi expulſio eſt perpetua, & per iuſtã ſententiam facta; tenentur tamen Epiſcopo obedire, quamuis ſit controuerſũ, an obedientiam hanc præſtare debeant vi voti, an potius, ſicut cæteri clerici? Sed 23

ego

Digitized by Google

ego omninò exiſtimo, nulla ſpeciali obligatione, detineri vi voti ad obediendum Epiſcopo; quia emittentes vota ſe obligarunt obedire prælatis religionis, & nõ alteri; ideòque ſolum aſtringuntur Epiſcopo obedire ratione generali, ſicut cæteri clerici, vt rectè probant *Molina*, *Leſſius*, *Caſtropalaus* locis infra citandis. His omnibus breuiter tactis, & ſuppoſitis, id quod præcipuè quærimus, eſt, vtrū teneantur ſeruare leges propriæ religionis, nempè ieiunia, orationes, pœnitentias, & reliquas auſteritates a ſuo inſtituto præſcriptas. Variæ ſunt *Authorum* ſententiæ.

24 Prima aſſerit, huiuſmodi eiectos manẽtes in ſeculo extra monaſterium obligari ad obſeruantias regulares eo modo, quo poſſunt: citari ſolet pro hac opinione *S. Antoninus part. 3. tit. 16. cap. 5 §. 1.* ſed non ita clarè loquitur, nam in fine illius paragraphi hæc tantum habet verba [Tales eiecti, qui non inueniunt religionem, in qua recipiantur, debent nihilominus viuere regulariter, & honeſtè] per illud autem verbum *regulariter* non declarãtur comprehenſæ, præter tria vota, aliæ obſeruantiæ religionis: eodem modo loquuntur quidam alij, qui citantur, vt *Angelus verb. Religioſus nu. 43.* licèt *verb. Monachus num. 7* velit, quòd monachus promotus, vt alicui Eccleſiæ præſit, teneatur abſtinere ab eſu carnium, ſi antea in religione ad id tenebatur, niſi cum illo diſpenſetur: addit tamen, non teneri ad ieiunia, ſilentium, vigilias, &c. ſuæ religionis: ſed nihilominus poſtea cõcludit, obligari ad ſeruãdas regulas illas, quę nõ impediunt exercitia illius officij, ad quod eſt promotus.

Hanc primam ſententiam ſequi vidẽtur *Armilla verb. Religio. num 15. &* *Syluester eodem verb. 6. quæſito 12.* dicentes, teneri regulariter viuere; clariùs tamen videtur colligi ex Syluestro quæſito 10 antecedenti, vbi loquens de religioſo promoto ad Epiſcopatum, ait, obligari ad obſeruãtias regulares; proinde cum inquit, eiectos aſtringi ad regulariter viuendum, debet id intelligere de regularibus obſeruãtijs, quia, ſi ad id ipſe obligat promotos ad epiſcopatũ, maiori ratione debet eiectos ad eaſdem regulas ſeruãdas obligare: poſtea vero eodẽ *nu.* 10. limitat ſententiã eo modo, quo Angelus, videlicèt docẽs, nõ teneri ad ea, quæ impediunt officium pontificale, vt eſt ſolitudo, ſilentium, aliquę abſtinentiæ, & vigiliæ graues, a quibus impediretur ad exequendum officium epiſcopale. Abſolutè tamen docet hanc ſententiam *Corduba in reg Sancti Franciſci cap. 2. pu. 3. Miranda in manuali tom. 1. quæſt. 52. art 5 concil. 1.* & nouiſſimè eam defendit *Hyacinthus Donatus in praxi quadripartita quæſt. 52.* Fundamentum, quo hi auctores nituntur, eſt, quia tales religioſi eiecti ob delictum non debent commodum ex tali eiectione reportare; quia fraus, & dolus non debet eis patrocinari, vt habetur *Cap. Sedes Apoſtolica. de Reſcript. & cap. Tua fraternit. de cleric. nõ reſident* & ſi dicas, obſeruantias has eſſe affixas vitæ monaſticæ, à qua per expulſionem eiecti receſſerunt, Reſpondetur, perſeuerantiam in vita monaſtica defeciſſe ex culpa ipſorum eiectorum.

Secunda ſententia eſt præcedenti omninò oppoſita negans, vniuerſaliter hos eiectos aſtringi ad obſeruãtias regulares, etiam ſi ex proprio inſtituto aliquæ ex illis obligarent ſub graui culpa: & hanc opinionem tuentur graues Authores *Sotus lib. 7. de Iuſt. quæſt. 2. art. 1. in fine ſolutionis ad tertium argumentum. Nauar. comment. 3. de Regul. num 46. Sayrus in claui regul lib. 6. cap. 9. num. 28. ver. ſextò eiectus. Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap 41. dubitat. 13. in fine, Emanuel Sà in aphoriſmis verb. Religio, nu. 40 ver. Tria vota. Suarez tom. 4. de relig. tract. 8. lib 3. cap. 7 num 11 & 12. Sanchez lib. 6 in decal. cap. 9 num. 82. & ſequ. Peyrinus tom 1. de ſubdit. quæſt. 1. cap. 25. §. 1. concl. 6. Lezana in quæſt. regul. tom 1. cap 23. num. 17. Barboſa in cap. fin de Regul. quæſt. 6. num. 12. Caſtropalaus part. 3. tract. 16 diſp. 4 punct. 23. num. 10. Diana par. 3. tract. 2. de dubijs reg. reſol. 160 & 116 verſus finem. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 13. quæſt. 2.* & alij apud eoſdem. probant hanc ſententiam ea ducti ratione, quia hæ leges comitantur ſtatum religioſum; proinde, eo ceſſante, ceſſabunt etiam ipſæ leges, quæ ſunt acceſſoriæ ad ſtatum. 25

Tertia ſententia eſt veluti media, & partim conuenit cum prima obligando eiectos ad aliquam regulam præſcriptam in religione; partim verò conuenit cum ſecunda, liberando illos ab alijs oneribus, & ſic *Rodriquez in quæſt. regul. tom. 1. qu. 30. art. 20. cum Nauarro de beris canonicis cap. 7. num. 20.* ſuſtinet, 26

hos

hos eiectos teneri ad recitandas horas canonicas, quamuis ordine ſacro non ſint inſigniti, & etiam in fine illius quæſtionis addit, obligari ad iejunia, quæ ſub peccato mortali in religione ſeruare tenebãtur, & ita explicat Sotum aſſerentem, illos eſſe immunes à ieiunijs religionis; loquitur enim, vt ipſe Rodriquez ait, de ieiunijs, quæ ſolum vi regulæ, & non ſub graui culpa obligant. Ex hoc colligi videtur mens Rodriquez, qui vult, eiectos eſſe eximẽdos ſolũ ab illis oneribus, quæ in Religione obligant præciſè vi regulæ abſque peccato. Hãc eamdẽ opinionẽ hoc modo explicatã tenet *Portellius in dub. regul. verb. eijcere. num.* 5. Peyrinus verò *§ cit. concl.* 5 *cum Nauarro de horis canonicis cap. 7. num* 20. obligat illos ad horas canonicas recitandas: & idem docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis canonicis cap.* 17. *num* 9. *in fine*. quamuis videatur contrarium docere ſupra loc. cit. idem etiam vult *Ledeſma in ſumma par. 2. tract. 9. cap. 4. concl.* 13. *dub* 2. Ratio pro hac ſententia ita modificata, quatenus obligat eiectos ad recitandas horas, eſt, quia Authores prædicti putant, obligationem hanc ſequi immediatè ex ipſo ſtatu regulari; & ideò cum eiecti verè ſint regulares, tenentur ad horas perſoluendas. Ad alia verò onera, quæ dicũtur obligare ſub graui culpa, etiam tenentur, ſi talis obligatio oritur ex voto emiſſo; ratio erit, quia votum per expulſionem non ceſſat; proinde ſemper remanet obligatio: de ijs verò, quæ grauiter obligant religioſos, ſed non ex voto emiſſo, quamuis nullam inueniã rationem adductam ab eiſdem Authoribus; nihilominus poſſet idem probari; quia, licèt regulares non voueãt aliquas regulas ſeruare, adeſt tamen grauis obligatio, quæ oritur vel à conſtitutionibus Religionis, vel à capitulo determinante, vt tales regulę ſub graui culpa ſeruentur. Hę ſunt ſententię, quas inuenire potui de re hac: ſupereſt, vt quid probabilius mihi videatur, in medium afferam, quod ſequentibus concluſionibus præſtabo.

27 Dico primo, probabilius mihi videri, eiectos in perpetuum eſſe immunes ab oneribus regulæ, ſi loquamur de legibus ſeu regulis, quæ non obligant ſub peccato. De obligationibus ſub peccato dicemus concluſ. ſequenti. Probatur concluſio ex regula de acceſſorio; nam obſeruantię iſtę ſunt omninò affixę ſtatui regulari; & ideò ſtatu ceſſante, ceſſari etiam ipſę debent: neque verum eſt ſequi, quomodocumque ex profeſſione religioſa, & ex tribus votis ſubſtantialibus, ſed, quatenus ea ſeruari debẽt in ſtatu religioſo, vt animaduertit *Layman loc. cit.* à tali autem ſtatu cum Religioſus ſit perpetuò expulſus, his oneribus eximi debet. Neq; omninò gratis hoc aſſeritur, quia congruentię non deſunt; primò, quia, cum obligatio hęc ſit odioſa, preſsè eſt explicanda; proindè, cũ vtroque modo exponi poſſit, conſentaneum eſt, vt declaretur afficere religioſos, quantum minus poteſt; & ideo pręſumitur, quod ipſe Religioſus voluerit his regulis ſe ſubijcere pro eo tantum tẽpore, quo religio ipſum non deſereret, ſeu quamdiù maneret in communitate cum alijs. Addo etiam aliã congruentiam, quam notat *Caſtropalaus punct. cit. num.* 10. videlicèt, obſeruationem harum regularum in ſęculo reddi difficiliorem; proindè religioſum noluiſſe, pro tempore, quo in ſæculo maneret, ad illas ſe aſtringere.

Dico ſecundo, eamdem ſententiam eſſe admittendam de omnibus alijs oneribus, quamuis obligent ſub graui culpa. & hanc opinionem defendo cum *Sanchez*, & alijs ſectatoribus ſecundę ſentẽtiæ (excipio nunc votum vitæ quadrageſimalis emiſſum à religioſis minimis; de quo videtur, eſſe poſse peculiaris dubitatio, & difficultas inferiùs determinanda; ſicuti etiã aio de alio ſimilr voto à perſonis alterius religionis emiſso.) Concluſio autem ſuadetur eadem ratione, qua præcedentes; nam hę obligationes ſunt acceſsoriæ ad ſtatum religioſum, & illum omninò ſequuntur; proindè illo deſinente, ceſsant reliquę obligationes acceſsorię; nulla n. apparet maior ratio, cur ab Authoribus eiecti liberentur à legibus non aſtringentibus ſub graui culpa & non debeant pariter liberari à regulis obligantibus ſub eadem culpa, nam omnes hę ſunt acceſsoriæ; & ideo, ſi eſse acceſsorium facit ceſsare vnum, faciet etiam & alterum. 28

Dico tertiò, idem eſse cenſendum de perſoluẽdis horis canonicis reſpectu eorum, qui non ſunt in ſacris, neque beneficium habent eccleſiaſticum: & ratio, qua ducor ad id contra Nauarrum, & & quoſdam alios, eſt, quia non video aliquod ſpeciale, quod inducat maiorem obligationem in recitatione horarum, 29

quam

quã in alijs regulis: & negandum eſt, id, quo nititur Nauarrus ad ſuam ſentẽtiam tuendam, ſcilicèt, obligationem hanc fũdari in profeſſione religioſa, vt ſic; fundatur enim, vt ſupra dixi de alijs oneribus, in profeſſione religioſa, prout exercetur in ſtatu communitatis.

30 Dico quartò, quæ dicta ſunt de exemptione, quã concedimus eiectis in ſtatu eiectionis, rectè limitari à *Sanch. cap. cit. n.* 54. vbi vult, intelligi de eiectione perpetua, ita vt nulla remaneat ſpes, vt eiectus, ſi emendetur, iterum admittatur; ſecùs, ſi eiectio ſit ad tempus; tunc enim eſt veluti quoddam temporale exilium, in quo tenetur eiectus quantum moraliter poteſt, ſeruare regulas ſuæ religionis; & ideò ſubiectionem retinet ad *Prælatũ* ſuum regularem, eique parere tenetur eo modo, quo tenebatur, dum manebat in religione; proindè ſi quis contra probaret, eſſe liberum ab oneribus pro eo tempore, quo eſt eiectus, hoc pacto ſic argumentaretur, videlicèt, ſicuti perpetuò eiectus eſt perpetuo liber ab oneribus, ita temporaliter eiectus erit temporaliter liber, quia ſic videtur ſe habere eiectio perpetua ad perpetuam exemptionem, quemadmodum eiectio temporalis ad exemptionem temporalem; ſi quis, inquam, ita argueret, eſſet illi neganda proportio, quæ tunc haberetur, quando eædem conditiones, ſeù circumſtantiæ locum haberent in vtroque caſu, quod tamen non euenit; quia expulſio perpetua, & per ſententiam auſert ab eiecto ſubiectionem, quam habebat ad ſuum ſuperiorem; ablata autem ſubiectione non cenſetur eiectus vnitus tanquam membrum cum ſuo capite, & cum cæteris mẽbris eiuſdem religionis; at verò quando expulſio eſt ad tẽpus remanet ſubiectio, quæ eſt quædam colligatio omnium mẽbrorum cum ſuo capite, ideircò non eſt eadem ratio in vtroque caſu.

Dico quinto, quod attinet ad quædã vota ſpecialia, & ſolemnia, quæ in qui-
31 buſdam Ordinibus ex proprio inſtituto emitti ſolent præter illa tria ſubſtantialia, eſſe peculiarem dubitationem; tale autẽ eſt votum de abſtinentia a carnibus, & lacticinijs, quod emittunt Religioſi S. Franciſci de Paula, & illud, quod emittũt Religioſi Beatæ Mariæ de Mercede, vacandi captiuorum redemptioni, & illud, quod faciunt profeſsi noſtræ Societatis de obedientia ſpeciali præſtãda Summo Põtifici circa miſſiones; hæc enim, & ſimilia vota in alijs ordinibus non videntur acceſſoria ad ſtatum regularem intra Religionem, ſed ad Profeſſionem religioſã, vt ſic, quæ in eiectis manet immutabilis; & ideò in eiſdem manere debet obligatio proueniens ex his. Hanc opinionem à fortiori defendere debent Authores, qui volunt, eiectos ad obſeruationes regulares eſſe aſtrictos, ſicuti eam quoq; tuentur nonnulli, qui eximunt eiectos à prædictis obſeruantijs, obligant tamen illos ad hęc vota. ita *Ledeſma* loquens de voto, quod habent Minimi de vita quadrageſimali vult, quòd, ſi aliquis ex illis eijciatur à religione, teneatur ad obſeruandam abſtinentiã quadrageſimalem: idque docet *cap. 3. de ſtatu Epiſcop. concl.* 25. *diff.* 1. *cum Peyrino* §. 1. *cit. concl.* 4. Suarez tamen loquens de religioſo, qui aliquo voto ex prædictis eſt aſtrictus, & eſt promotus ad epiſcopatum aſſerit, manere obligatum, niſi alia cauſſa impediatur ad exercenda munera pontificalia; & quamuis eodem tom. *tract.* 10. *lib.* 11. *num* 5. 6. loquens de profeſsis eiectis è Societate, & examinans, an hi teneantur adimplere quædam vota ſpecialia ab eiſdem emiſſa, concludat partem negatiuam; nihilominus hoc aſſerit; aut quia, vt ipſe inquit, materia horum votorum requirit actualem vitam, & coniunctionem cum ipſa Societate, à qua eiecti ſunt diſiuncti, aut quia adimpletio voti permittitur ſecundùm regulas, & conſtitutiones religionis, vt eſt votum de obedientia Pontifici præſtanda circa miſsiones; promittitur enim ta is obedientia præſtanda ſecundum regulas, & conſtitutiones Societatis; cum autem eiectus non teneatur vitam agere iuxta regulam Societatis, neque tenebitur ad tale votum durãte ſtatu eiectionis: hoc autem patet, prouenire ex defectu materiæ, quæ ceſſauit per eiectionem.

Verum alij abſolutè oppoſitum ſentiunt, ſcilicet, hos religioſos eiectos non 32
eſſe aſtrictos ad ſeruanda talia vota, & ſic religioſum ex Minimis eiectum nõteneri ſe abſtinere a carnibus, quod etiã docent de alijs religioſis in ordine ad alia vota præter ſubſtantialia: & hanc opinionem tuetur *Vega in ſumma to.* 2. *cap.* 86. *caſu* 16 *Sanchez in decal lib.* 6. *cap.* 9 *num.* 56. & abſque dubio eidem ſententiæ tãquã probabili adhæret *Caſtropalaus par.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 4. *pu.* 24. quamuis di-

cat,

cat, oppoſitam eſse ſecuriorem: in eo autem puncto faciens exemptum ab his religioſum promotum ad Epiſcopatum, aſſignat rationes, quæ locum habent etiam in eiectis, nempè, eſse ſeparatum à ſtatu communitatis; horum votorum obſeruationem extra religionem eſse lõgè difficiliorem, quàm intra; non eſse præſumendum, quod Religioſus, quãdo vota hæc emiſit, voluerit ad illa ſe obligare; neque Religionem voluiſse tales obligare pro tẽpore, quo manent in ſtatu ſæculari: quas certè, & alias rationes, quas adducit *Caſtropalaus* ibidẽ, & præſertim nu. 6 7 æquè probant de Epiſcopo, ac de eiect; proinde ſine dubio exiſtimo, hunc authorem in eadem eſſe ſententia. Supereſt, vt declarẽ ſenſum meum.

33 *Dico* igitur opinionem, quam tuetur *Sanchez* non diſplicere; puto enim, hæc omnia vota emitti ex intentione virtuali manendi, vt membrum vnitum communitati; & ideò facta ſeparatione ſuſpendi prędictorum votorum obligationẽ, pro eo tempore, quo durat ſeparatio: & conſequenter cenſeo, vota hæc eſſe accesſoria non ad profesſionem religioſam, vt ſic, ſed ad illam quatenus annexã habet coniunctionem religioſi cum alijs membris ſub communi capite, nempe ſub Prælato regulari: idcirco negandum eſt, vota hæc eſſe accesſoria ad profeſſionẽ religioſam, vt ſic, quia gratis, & abſque ſolido fundamẽto id ſupponitur, cum pro noſtra ſententia habeamus efficaciorem præſumptionem, quia non videtur veriſimile, in emittendis his votis voluiſſe ſe obligare ad ea ſeruanda etiam in ſtatu ſæculari, in quo non ſentit commodum priuilegiorum, & prærogatiuarum ſuæ religionis.

34 Sed tali pacto obijci poterit. *Si* ratio prædicta, quæ in præſumptione intentionis vouentis fundatur, probaret, ſequeretur, quod idem probaret de tribus votis ſubſtantialibus, videlicet, vouentem tacitè ſe voluiſſe obligare ſolum pro eo tempore, quo manet communitati vnitus. hoc autem à nemine aſſeritur, quia omnes conueniunt, eiectos in ſæculo eſſe veros Religioſos, proinde tribus votis aſtrictos, quæ formaliter religioſum conſtituunt; ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam; eſt enim diſpar ratio; quia illa tria vota debent abſolutè, & abſque vlla conditione ſiuè expreſſa, ſiue tacita emitti; aliter nõ conſtituerent religioſum; nam religio exigit immobilitatem ſtatus, ita vt Religioſus, quantum eſt ex parte ipſius, maneat perpetuò ligatus; ideoque forma conſtitutiua in eſſe religioſo, debet pariter eſſe perpetua, & immobilis; talis autem forma conſiſtit in emiſſione trium votorum coram ſuperiore legitimo acceptante. Reliqua verò vota, licet ſolemnia, accidunt ſtatui religioſo, illumque conſtitutum iam ſupponunt; idcirco non ita poſtulant talem immobilitatẽ, vt nequeant aliquam ſaltem tacitam conditionem admittere, & ſic patet diſparitas.

Vrgere quis tamẽ vlterius poſſet, probando, quòd alia vota conſtituunt aliquo modo religioſum in tali peculiari religione, & ſicut tria vota conſtituunt genericè religioſum, ita per additionem alterius voti, idem religioſus conſtituitur ſpecificè religioſus huius, aut alterius religionis: & quemadmodum illa tria vota, ex eo, quod conſtituant religioſum veluti in genere, habere debent immobilitatem, & perpetuitatem; ita eadem vota coniuncta cum alijs votis conſtituunt immobiliter religioſum veluti in ſpecie in tali determinata religione: & conſequenter ſunt immobilia, aliter non haberetur ſpecifica forma conſtituens religioſum, vt diſtinctum ab alijs alterius religionis, ſed haberetur tantum ratio generica communis omnibus religioſis.

Reſpondetur, religioſum veluti ſpecificè conſtitui per illa tria vota, vt emiſſa in tali religione, & coram tali Prælato acceptante, & vt exigitiua talium, vel talium legum, vel aliorum votorum; non tamen exigitur obſeruatio legum, & aliorum votorum pro quocunque ſtatu, ſed pro eo tantum, quo religioſus manet incorporatus religioni; quando verò eſt eiectus, non exigunt tria illa vota ſubſtantialia, vt actu leges illæ à tali eiecto ſeruentur; ſed obligatio manet ſuſpenſa, & veluti in actu primo, reditura tamen, ſi religioſus redeat ad religionem: & ſic falſum eſt, non haberi ſpecificam formã conſtitutiuam religioſi in ſpecie; dicimus enim eſſe eadem tria vota, vt exigitiua obſeruationis harum, vel illarum legum pro ſtatu religionis in actu ſecundo; quando verò manet eiectus, eſt exigitiua earumdem legum, veluti in actu primo.

35 Ad rationem autẽ, qua *Suarez*, nititur *cap.* 17. *num.* 8. Reſpondeo, concedẽdo obligationem voti eſſe perſonalem, ideoque ſequi ipſam perſonam, in quocumque ſtatu reperiatur; hæc autem ratio non conuincit; nam ad illam rectè reſpondet *Caſtropalaus num 9. eiuſdem puncti* concedendo, hanc obligationem eſſe perſonalem, & afficere vouentem in quocumque ſtatu, & tempore, non autẽ pro quocumque, ſed pro ſtatu, & tempore, quo ipſe vouens voluit ſe obligare; & cum præſumatur tale onus voluiſſe ſibi imponere pro tempore, quo vitam regularem agit, & profitetur, ideò facta ſeparatione ſuſpẽditur obligatio, quamuis non extinguatur, quia, ſi eiectus poſtea rediret ad religionem, abſque noua voti emiſſione obligatio prius veluti ſòpita reuiuiſceret.

36 Ex hac autem ſententia, ſeu doctrina excipio votum, cuius obſeruatio ſignanter eſt pro ſtatu extra religionem, vt eſt votum, quod emittunt profeſſi noſtræ Societatis de audiendo conſilio Patris Generalis, quando promouentur ad ſtatum prælaturæ, vel aliud votum huic ſimile. Excipio etiam votum, quod tum in noſtra Societate, tum in quibuſdam alijs religionibus emittitur de non petenda, aut acceptanda extra religionem dignitate aliqua, etiam pro quacumque trãſlatione ipſorum regularium, vel ob quãcumque dimiſſionem, vel priuationem habitus, & hoc iuxta conſtitutionem editam ab Vrbano VIII. f. m. anno Domini 1635. 21. Maij, & incipit. *Cum ſicut accepimus* & reperitur in Appendice Conſtitutionum eiuſdem Pontificis vol. 4. Bullarij Per hanc autem conſtitutionẽ Pontifex decreuit, quòd ſi quilibet regularis cuiuſcumque fuerit inſtituti etiam Societatis Ieſu, transferatur de vna in aliam religionem, ſiue è religione expellatur, vel alio quocumque modo extra religionẽ commoretur, votum illud in Religione emiſſum de non petenda, aut acceptanda dignitate extra religionem firmum maneat, & ab eiuſdem obſeruatione Regularis minimè liberetur.

Denique pro completa deciſione huius quæſtionis remanet, vt ſatisfiat argumentis allatis in referenda prima, aut tertia ſententia.

37 Ad illud igitur, quo in fauorem prioris ſententiæ probatur, regulares in perpetuum eiectos eſſe aſtrictos ad ſeruandas regulas ſuę religionis, ne videantur de ſuo delicto commodum reportare, reſpõdetur, nullum eſſe inconueniens, vt eiecti tale commodum per accidens ſentiãt; quia, cum per ſententiam fuerit iuridicè expulſio, & non remaneat in illis ſubiectio, non debent obligari ad leges religionis ſeruandas, vt benè probat *Sanchez cap. 9. cit. num.* 52. & quamplures apud ipſum. Ad textus autem illos ex iure canonico allatos, in quibus dicitur fraus, aut dolus patrocinari non debere ei, qui dolum, ſeù fraudem committit, reſpondeo, non facere cõtra me; quia caſus, quorum mentio fit in illis iuribus, ſunt longè diuerſi à præſenti; nam *in cap. Sedes Apoſtolica*, ad euitandam fraudẽ ſtatuit Pontifex contra eos, qui querelam habentes contra alios ſuper certa negotia, vt facilius in litteris obtinerent intentũ, nominabãt perſonas viliores, & negotia maioris momenti, & poſtea apponebãt clauſulam generalem, vt comprehenderent omnes alias perſonas etiam maiores, & negotia minoris momenti, ad tollendam, inquam, hanc fraudem ſtatuit Pontifex, vt ſub clauſula illa generali nõ intelligerentur incluſę perſonę maiores, ſed tantum, vel minores, vel ęquales: & quia mentio ſolum de negotijs minoris momenti facta fuit, determinauit Pontifex, quod ſuper maioribus non audiretur. Rurſus in *Cap. tuæ fraternitati*, ad tollendam fraudem eorum, qui habentes priuilegium de percipiendis fructibus præbendę, non obſtante abſentia cauſa ſtudiorum, ſeſe transferebant ad villas, & alia loca, in quibus vel nullum, vel minus competens exercitium ſtudiorum erat, decernitur, eos frui non poſſe priuilegio illo. In caſu autem noſtro res non ita ſe habet; quia nulla eſt fraus, & verè deeſt aliquod principale, cui acceſſoriè ſe habet regularum obſeruatio, nempe ſtatus, & perſeuerantia in religione: & ſic non eſt eadem ratio.

Ad argumentum pro tertia ſententia 38
facilis erit ſolutio; & quod ſpectat ad recitationem horarum canonicarum, dico, obligationem recitandi, ſi eiectus non eſt in ſacris, & non habet beneficium eccleſiaſticum, fundari ſolum in regula proprij inſtituti; & ideò ceſſante obligatione regulę, ceſſabit obligatio aliarum rerum, quæ in eadem regula continen-

tur. Rurſus dico, parum facere ad hoc, vt obligatio ceſſet, vel non ceſſet, onus eſſe ſub graui, vel leui culpa, aut ſub nulla; quomodocumque enim onera obligent, ſemper verum erit dicere, fundari in regula, ad quam eiecti manentes in ſæculo non aſtringuntur; nam ſi obligatio grauis oritur ex voto, quod iuxtà inſtitutum Religioſi emittunt, erit acceſſoria ad ſtatum religioſum, vt ſupra oſtendi; ſi verò oritur ex ordinatione ſuperioris, eiectus, cum ſit exemptus, & non ſubijciatur Prælato regulari, non poterit obligari ad ea, quæ ab eodē Prælato preſcribuntur.

CAPVT V.

An legitimè impeditus, ne præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis impleat, teneatur elicere actum contritionis?

39 PRo huius quæſiti intelligentia ſunt aliqua ſupponenda; & primò, ſermonem eſſe de eo, qui conſcientiam peccati mortalis habet; ſi enim ſolum venialibus culpis ſit devinctus, iſte talis ſecundum probabiliorem ſententiam nō tenebitur ad ſacramentalem confeſſionē peragendam; alijs enim medijs venialia poſſunt deleri. Secundo ſuppono, me non agere de contritione elicienda vi alterius præcepti ſcilicèt, naturalis, & diuini, quod, vt multis placet, inter quos eſt *Suarez in 3. part. to. 4. diſp. 15. ſect. 6.* obligat etiam in vita ante mortem, & non ſolum per accidens in multis caſibus ab eodem Authore adnotatis, verum etiam per ſe ratione charitatis erga Deū offenſum ad eius iuſtitiam reſarciendā, & amicitiam deperditam recuperādam; ſolum igitur eſt ſermo de actu contritionis, quatenus aſſumitur ad ſupplendum defectum confeſſionis, quæ ſtante legitimo impedimento fieri nequit. His pro declaratione quæſtionis præmiſſis, deuenio ad deciſionem, referendo prius varias opiniones.

40 Prima ſententia vult, quòd legitimo impedimento detentus, ita vt tempore ab Eccleſia præſcripto nequeat implere præceptum de annua confeſſione, teneatur ad eliciendum actum contritionis, ita Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 6. conſequenter docens vi præcepti eccleſiaſtici determinatum etiam eſſe tempus cōtritionis eliciendæ. Fundamentum, quo Sotus mouetur ad id aſſerendum, eſt, quia præceptum contritionis, quod prius ante decretum Eccleſiæ erat quoad tēpus indeterminatum, fuit ab Eccleſia determinatum præcipiendo annualem confeſſionem.

Secunda ſententia negat, in caſu poſito obligationem eſſe vi præcepti eccleſiaſtici elicere actum contritionis. ita *Suarez diſp cit. num. 13. Coninch. de Sacram. pœnit. diſp. 3. dub. 3. nu. 22. Naldus in ſumma verb. Confeſſio. num. 6. Filliucius tom. 1. tract 6. cap. 8. n. 209.* probant hanc opinionem, quia ex vi præcepti Eccleſiæ fideles ſolum tenentur ponere actus illos, qui ſunt ſimpliciter neceſſarij ad conficiendum verum Sacramentum pœnitentiæ; contritio autem perfecta non eſt ſimpliciter neceſſaria ad hoc Sacramentum; ſufficit enim attritio; ergo ex vi talis præcepti non colligitur obligatio eliciēdi actum contritionis, quando eſt impedimentum legitimū ad ſacramentalem confeſſionem faciendam. ſic ferè probant hanc ſententiam Authores citati. 41

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſentētia, videlicèt, adueniente tempore, quo vrget præceptum Eccleſiæ de annua confeſſione ſacramentali, ſi quis reperiatur legitimè impeditus, & nequeat copiam habere confeſſarij, non teneri vi huius præcepti ad eliciendum actum contritionis, etiam ſi habeat peccata mortalia. Dixi vi huius præcepti non teneri; nam poterit ad actū contritionis eliciendum in diuerſis caſibus per accidens obligari, & maximè ſi debeat communicare, & careat copia confeſſarij, vel immineat ſcandalum, niſi communicet; vel ſecundum probabilem ſententiam, ſi vrgeat præceptū communicandi in Paſchate; poterit, n. vt multi exiſtimant, licèt alij negent, præmittendo actum contritionis ſumere euchariſtiam. 42

Probatur autē concluſio ratione ſuperius tacta, quæ eſt fuſius declaranda; nam in caſu poſito contritio, vel dicitur præcepta, quatenus eſt quidam dolor, vt pars huius Sacramenti, vel quatenus talis dolor, nempè perfectus; ſi priori modo eam conſideramus, nequit obligare vi præcepti annuæ confeſſionis, quia non præcipitur ex ſe ſolitariè accepta, ſed vt imbibita in Sacramento, tanquam eius pars, & indi-

indiuiſibiliter cum illo; proindè, ſi quis excuſatur ad confeſſionem faciendam, excuſabitur conſequenter à parte Sacramenti: & ideo hic valet regula de acceſſorio, nam partes ſunt propter totum; id verò, quod præcipuè cadit ſub hoc præceptum eccleſiaſticum, eſt confeſſio ſacramentalis, ad quam acceſſoriè ſe habet actus internus doloris: & ideò ſi hic & nunc quis non aſtringitur ad confeſſionem faciendam, neque aſtringetur ad dolorem habendũ de peccatis vi eiuſdem præcepti. Si autem autem cõtritio ſecundo modo ſpectetur, nempe, quatenus talis, ſeu perfectus dolor, non præcipitur per hanc legem eccleſiaſticam etiam in ordine ad ſacramẽtum, quia dolor ille acceſſoriè ſe habet, & præcipitur, qui eſt neceſſarius ad conficiendum Sacramentum; talis verò dolor non eſt contritio, ſeu dolor perfectus, cũ iuxta communem ſententiam, & quaſi certam ſola attritio, quę eſt imperfectus dolor, ſufficiat ad huius Sacramenti validitatem, & ad obtinendam remiſſionẽ peccatorum.

43 Sed poſſet quis obſtare argumentans ex fine, quem habet Eccleſia ad præcipiendam annuam confeſſionem, videlicet ex reconciliatione inter hominẽ, & Deũ, & recuperatione gratię, & amicitię: hinc, quamuis homo impediatur quoad hunc finem obtinendum mediante ſacramentali confeſſione, cum tñ detur aliud mediũ, per quod idẽ finis acquiri valeat, nempè perfecta contritio, videtur obligandus ad illum. Sed contra eſt, quia licèt finis vltimo intentus ab Eccleſia in ſtatuenda lege de annuali confeſſione fuerit reconciliatio hominis cum Deo, & recuperatio gratię, nihilominus finis iſte non cadit ſub præceptum, ſed tantum cadit medium, ſcilicèt confeſſio ſacramẽtalis; etiam ſi ea poſita non obtineatur finis prædictus, vt eueniret, ſi confeſſio eſſet valida, ſed informis: quę dari poteſt iuxta valdè probabilem opinionem, quã ſuſtinui, cum publicè in ſcholis de hoc Sacramento pertractaui; per Sacramentum autem informe ſatisfit Eccleſię præcepto, & tamen non obtinetur ille finis; quia non remittuntur peccata.

Inſtaret quis poſſet probando, non ſatis fieri præcepto eccleſiaſtico per Sacramentum informe; nam licet finis, qui eſt reconciliatio hominis cum Deo, non cadat ſub præceptum, ſed cadat duntaxat medium, nihilominus medium, quod præcipitur, debet eſſe illud, quod eſt ſufficiens ad finem prædictum obtinendũ; tale autem mediũ non eſt confeſſio informis, ſed illa, quæ habet omnes conditiones neceſſarias ad gratiam acquirendam, & remiſſionem peccatorum.

Reſpondetur *cum Suarez eodem tom. 4 diſp. 36. ſect. 7. nu. 6. & Cardinali De Lugo diſp. 15. ſect. 6. num. 137.* præceptũ Eccleſiæ non eſſe, niſi de receptione veri & validi Sacramenti, licèt careat fructu, qui pertinet ad finẽ: ſicuti eſt in alijs Sacramentis; nam eadem Eccleſia præcipit tempore Paſchæ receptionem ſacræ Euchariſtiæ, vt cibo cæleſti fideles augeantur & nutriantur in gratia; at ſi quis ſacrilegè euchariſtiam accipiat, procul dubio ſatisfaciet præcepto eccleſiaſtico, quia verè, & ſubſtantialiter ſumit Euchariſtiã; quamuis grauiter peccet: ita qui facit cõfeſſionem, ſeu Sacramentum pœnitentię informe, ponit totam ſubſtantiam huius Sacramenti, licèt ſine fructu; ſed ob bonã fidem, & ignorantiam inuincibilem excuſabitur, ne peccet: Eccleſia autẽ ſicut præcipit ſumptionem Euchariſtiæ præſcindendo à fructu, quem vt finem reſpicit, ita præcipit ſubſtantiam veri Sacramenti pœnitentiæ abſtrahendo à receptione gratię, remiſſione peccatorum, &c. quã tamen ipſa intendit, vt finem præcipuum.

CAPVT VI.

Verum priuilegium aſſiſtendi diuinis officijs tempore interdicti comprehendat, tanquam quid acceſſorium, eccleſiaſticam ſepulturam, & è conuerſo.

44 VT clarius procedamus, tali pacto eſt caſus figurandus. In aliqua ciuitate fit interdictum locale generale, cuius effectus inter alios eſt prohibitio aſſiſtẽdi diuinis officijs, & priuatio eccleſiaſticę ſepulturæ, vt patet per textum *in Cap. Quod in te, de pœnit. & remiſſ. & cap. Si Ciuitas cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6.* durante autem tali interdicto Titius obtinet à Pontifice priuilegiũ aſſiſtendi diuinis officijs; quæritur, an vi huius priuilegij intelligatur conceſſa eidem Titio, tanquam quid acceſſorium, ſepultura eccleſiaſtica, ſi ipſum Titium

mori contigerit, interdicto adhùc perſiſtente? poterit etiã caſus formari alio modo, nempè, ſi priuilegium ſit de ſepultura eccleſiaſtica, an cenſeatur in eo comprehenſa facultas aſſiſtendi diuinis officijs? diuerſitas autem habetur in vtroque caſu, nam in primo ſepultura eccleſiaſtica proponitur conſideranda, vt quid acceſſorium, & aſſiſtentia, vt quid principale; in ſecundo è contrario ſepultura, vt principalis, aſſiſtentia, vt acceſſoria. Debemus igitur quæſtionem expendere, & decidere ſecundùm vtrumque modum. Exordior autem à primo, videlicet, an ſub cõceſſione aſſiſtendi comprehendatur ſepultura?

Prima ſententia negat comprehendi.
45 ita docet *Gloſ. in clem. vnica de ſepul. ver. à Iure*, vbi admittens, poſſe in quatuor illis feſtiuitatibus *in cap Alma Mater* exceptis diuina ſolemniter celebrari, negat tamen, poſſe mortuis eccleſiaſticam dari ſepulturam: ſimiliter in caſu noſtro expreſsè id negant plures, *Vgolinus de cenſuris tab. 5. cap. 9. §. 3. nu. 2. & 3. Suarez tom. 5. in 3. part. diſp. 35. ſect. 1. num. 14. Aegidius Coninch. de cenſuris diſp. 17 dub. 8. num. 55. Gaſpar Hurtadus eodem tract. diffic. 9. Caſtropalaus par. 6. tract. 29. diſp. 5 pu. 4. num. 7. Filliucius tract. 18. cap. 5 quæſito 3. n. 96. Barboſa in collect. cap Quod in te de pœnit. num. 11.* & alij Canoniſtæ apud ipſum.

46 Secunda ſententia oppoſitum docet, videlicet, in priuilegio aſſiſtendi diuinis officijs cõprehendi eccleſiaſticam ſepulturam; & ideo priuilegiatum morientem ſepeliri poſſe in loco ſacro. ſic *Federicus Senenſis quæſt. 186. Oldradus de Ponte conſil. 225. num. 14. in fine S. Antoninus 3. p. tit. 27. de interdictis cap. 4. circa medium. Henriquez lib. 3. de interd. cap. 44. §. 5. Syluester verb. interdictũ. quæſt. 8. Angelus verb. interdict. 6. §. 35. Armilla num. 49. Nauar. in ſumma cap 27. num. 181. in fine. Auila de cenſuris par. 5. diſp. 4. ſect. 3 dub. 4. verſ. ſed maior difficultas. Sayrus de cenſ. lib. 5. cap. 8. nu 16. Bonacin. eodem tract. diſp. 5. punct 4. quæſito 1. num. 6. Merolla pars. 3 diſp. 6. cap. 3. dub. 10. nu. 142.*

47 Dicendum eſt, vtramque ſententiam authoritate, & rationibus, eſſe probabilẽ; ſed iuri conformiorem cenſeo primã, quæ ſic probatur primo; quia cum ex vna parte prohibitio celebrandi, aut aſſiſtendi diuinis officijs, & priuatio ſepulturæ enumerentur tanquam diſtincti effectus interdicti, vt patet ex iuribus citatis, & ex alia parte nulla appareat efficax ratio, ob quam vnum ſub alio comprehendi debeat, aut mutuam, & inſeparabilem connexionem habeant, ſequitur in priuilegio aſſiſtendi diuinis officijs nõ comprehendi eccleſiaſticam ſepulturam: conſequentia hæc euidens eſt. ſi verum eſt antecedens, quod ſecundùm vtramq; partem oſtenditur; & quoad primam ſic; nam, ſi attendamus verborum proprietatem, ſignificatum vnius eſt omninò diuerſum a ſignificato alterius; quia aſſiſtẽtia, dum diuina officia celebrantur, non trahit hanc aliam actionem, quæ eſt ſepelire mortuum in loco ſacro, vt de ſe eſt manifeſtum; ergo effectus prædicti verè numerantur tanquam diſtincti. Probatur etiam idem antecedens quoad ſecundam partem, in qua videtur conſiſtere difficultas, dixi.n. nullam apparere efficacem rationem, ob quam vnus effectus ſub alio comprehendatur. Vt autem hoc clarius demonſtretur, percurrere, & expendere debemus præcipuas rationes, quibus Authores ſecundæ ſententiæ nituntur.

Dicunt enim, ſepulturam eccleſiaſti- 48
cam eſſe vnum ex diuinis officijs, & ideò comprehendi ſub conceſſione diuinorum officiorum. Sed hęc ratio falſum aſſumit, dum ſupponit, ſepulturam eccleſiaſticam eſſe vnum ex officijs diuinis; aliud enim eſt concomitanter habere diuinum officium, aliud eſſe ipſum diuinum officiũ; fateor enim, ex ritu Eccleſiæ actioni ſepeliendi fidelem mortuum in loco ſacro eſſe annexũ diuinum officiũ, ſed aio actionem ipſam eſſe ſecundum ſe diuerſam; nam ſepultura eſt ſolum participatio loci ſacri mortuo conceſſa, diuinum verò officium conſiſtit in oratione, aut ſacrificio, &c. & ſic falſum eſt, vnum eſſe aliud, licet ſit cum alio: imò in iure inueniuntur ſeparata, vt patet per textum *in cap. cũ & plantare. §. quod ſi. de priuileg.* ubi pontifex concedit Templarijs, & Hoſpitalarijs, ſemel in anno admitti poſſe, vt in Eccleſia interdicta interueniant eccleſiaſtico officio, & eiſdem negat, ibi ſepeliri poſſe.

Ruſus dicũt, ſepulturam Eccleſiaſticã
in iure prohiberi tempore interdicti ra- 49
tione diuini officij; igitur conceſſo diuino, officio conceſſa intelligitur ſepultu-

ra

Digitized by Google

raj at neque tario hæc probat intentum, quia falſum eſt ſepulturā prohiberi intuitu diuini officij; hoc enim aſſeritur, & non probatur; imo oppoſitum erit dicendum, cum diuinum officium, & ſepultura tanquam diſtincta prohibeantur. Vlterius id probant per regulam illam Iuris ſcilicet (cui communicamus viuo, etiam poſſumus communicare defuncto) & à cōtrario ſenſu in *Cap. ſacris de ſepult.* ergo, ſi cū habēte priuilegiū aſſiſtēdi cōmunicamus, dum ipſe viuit, eū ad diuina officia admittendo, cū eodem iam defuncto communicare poſſumus, eum ſepelientes in loco ſacro cum diuino officio. Sed regula prædicta nō rectè applicatur; fit enim variatio de vna actione ad aliam; nā ex eo, quod poſſimus cum priuilegiato viuente communicare in diuinis officijs, iuxta regulam illam fuiſſet inferendum, ergo cum eodem mortuo poſſumus communicare in officio diuino; quod aliquo modo contingeret, ſi eius cadauere præſente recitaremus officium; at ſi concederetur eidem priuilegiato ſepultura in loco ſacro, communicaremus cum illo defuncto in alia actione diuerſa ab ea, in qua eidem viuenti communicabamus. Rurſus ex doctrina *Suarez ſect. illa 1. num.* 17. axioma illud intelligi debet poſita capacitate in omnibus, qui inuicē communicant; at reſpectu alicuius actionis nequit dari capacitas ex parte vtriuſque, nempè hominis viui, & hominis mortui; & ſic in auditione officiorum diuinorum non poteſt dari communicatio, quia deeſt capacitas in defuncto; & è cōuerſo in ſepultura eſt capax defunctus, non eſt tamen capax homo viuens, niſi quoad ius, ſeu facultatem conceſſam tempore vitæ, vt in tali loco ſepeliatur morte ſecuta. Ex his itaque patet, axioma illud neque rectè applicari ab Authoribus prioris ſententiæ, neque illis fauere.

50 Secundo probari poteſt concluſio à pari, nā ſi quis prohiberetur interuenire diuinis officijs, & nihil aliud adderetur, certè vi talis prohibitionis non eſſet illi deneganda poſt mortē eccleſiaſtica ſepultura, & in vita non eſſet ei interdictus ingreſſus in Eccleſiam eo tempore, quo non celebrantur diuina officia; hæc enim ſunt diuerſa; proindè non eſt facienda extenſio ex vno ad aliud, & maximè in pœnalibus; igitur è contrario ſi concedatur vnum, non intelligitur aliud eſſe cōceſſum, cum inter ſe connexionem neceſſariam non habeant.

Dices, conceſſo principali intelligitur conceſſum id, quod eſt acceſſorium, quādo in hoc diuerſa ratio non reperitur; officium autem in caſu noſtro eſt velut principale, cuius acceſſorium eſt ſepultura; ergo per priuilegium, per quod alicui conceditur, vt tempore interdicti diuinis officijs aſſiſtere valeat, intelligitur eidem concedi eccleſiaſtica ſepultura. ita argumentantur aliqui ex Authoribus ſecundæ ſententiæ ducentes argumentum ex hac regula de acceſſorio. Reſpondeo tū negando minorem, in qua dicitur ſepulturam eſſe acceſſoriam diuinis officijs; nā vt oſtenſum eſt, iſta duo non ſunt connexa, ſed ſeparabilia, & diuerſa; proinde ex diuino officio non infertur ſepultura.

Sed inſtabis cum *Merolla* tali pacto: Officium diuinum, quod fit circa defūctū, ex vſu Eccleſiæ ordinatur ad ſepulturam. ergo ſi quis habet priuilegium, vt poſſit ſiue viuus, ſiue mortuus intereſſe diuinis officijs, cenſetur ipſi conceſſum poſſe ſepeliri in loco ſacro; nam ſepultura eſt cōplementum illius officij; ideoque connexa, tanquam acceſſoria. Contra eſt, quia, ſi ſermo ſit de omni officio diuino, euidens eſt, id eſſe falſum; plurā enim sūt officia, quæ ad ſepulturam non ordinantur; ſi verò loquatur de peculiari quodā officio, quod conſiſtit in quibuſdam determinatis precibus, & cæremonijs, & ab Eccleſia fit circa defunctum, concedo, id ordinari ad ſepulturā eccleſiaſticam: ſed tale officium, dicām, non intelligi formaliter conceſſum, niſi conceſſa ſepultura, ad quam ordinatur: dixi formaliter, quia ſi preces illæ ſpectentur ſecundum ſe, & non recitentur in ordine ad ſepulturam, perinde ſe habent, ac aliæ non ordinatæ ab Eccleſia ad ſepeliendum; quin addo, non eſſe publicè recitandas; quia hoc eſſet contra rubricas, & ritum Eccleſiæ, præſertim cum dicantur, quando exercentur determinatæ cæremoniæ pro cadauere ſepellendo.

Et hæc de primo membro, quod continetur in titulo quæſtionis. Supereſt, vt aliqua dicam de ſecundo membro, videlicet de priuilegio, quod conceditur expreſsè pro ſepultura Eccleſiaſtica; an ſcilicet tale priuilegium comprehendat officium diuinum? 51

Dicendum eſt primo, officium illud, quod ex inſtitutione Eccleſiæ præſcribitur

tur tempore, quo corpus eſt ſepeliendũ, intelligi comprehenſum in priuilegio cõceſſo pro ſepultura Eccleſiaſtica. Hanc opinionem docet *Barboſa* in ſuis varijs tractat. axiom. 4. nu. 5. vbi vniuerſaliter aſſerens, conceſſa ſepultura cenſeri conceſſam celebrationem pro defunctis, neceſſariò debet ad minus id intelligere de officio ab Eccleſia ordinato ad ſepulturã, quod habetur per extẽſum in rituali *Sacramentorum*, & in Sacerdotali: tale autem officium proculdubio ſe habet, vt acceſſorium ad ſepulturam, quatenus totum eſt ad illam ordinatum, & omitti non poteſt; & ideò, cum per priuilegium conceditur ſepultura Eccleſiaſtica, debet intelligi conceſſa cum annexis ab Eccleſia præſcriptis: & in hac ſententia eſſe omnes debent, qui ſecundam ſententiam ſuperius relatam tuentur; ipſi enim putantes facultatem ſepeliendi comprehendi ſub facultate celebrandi diuina officia, ſeù illis aſſiſtendi, videntur ſumere hæc duo veluti cõnexa; & ideo conceſſo vno videtur conceſsũ, & aliud.

52 Obijcies textum *in cap. Quod in te.* ſuperius cit. *de pœnit. & remiſs.* vbi Põtifex decreuit, clericos, non obſtante interdicto generali, ſi illud ſeruauerint, eſſe admittendos ad eccleſiaſticam ſepulturam, ſi eo tempore mori contigerit, ſine tamen pulſatione campanæ, & ſine ſolemnitatibus cum ſilentio eſſe ſepeliẽdos: ergo officium non eſt acceſſorium, & neceſſario connexum cum ſepultura eccleſiaſtica; quia, ſi eſſet connexum, vtique Põtifex illud conceſſiſſet. Reſp. in eo caſu voluiſſe *Pontificẽ* ita diſponere, cum hæc omnia ſint de poſitiuo iure Eccleſiaſtico: ex quo tñ nequit per vniuerſalẽ regulam colligi, ſemper eſſe ita faciendum, quia niſi expreſſe prohibeatur officiũ, & conceda tur tantum priuilegium ſpeciale de ſepeliendo cadauere in loco ſacro, debet ſeruari ritus ab Eccleſia præſcriptus, nẽpe cum officio, ſine vlla tamen ſolẽnitate.

53 Dicendum eſt ſecundo, ſi in priuilegijs conceſſa ſepultura concedatur etiam tanquam acceſſorium officium, quod celebrari ſolet circa defunctum iuxta ritũ Eccleſiæ, probabiliùs cenſeo, non intelligi cõceſſum ipſi priuilegiato viuẽti poſſe intereſſe alijs officijs diuinis. Ducor ad hoc, quia alia officia non ſunt acceſſoria, neque vt de ſe patet, coniuncta cum ſepultura; proinde conceſſio ſepulturæ non trahit facultatem aſſiſtendi alijs officijs, & ita mihi videtur dicendum, quamuis de hoc apud Authores nihil inuenire potuerim, paratus ſum tamen oppoſitum tueri, ſi ratio in contrarium, aut aliorum authoritas me cogat.

CAPVT VI.

Vtrum Eccleſia Monaſterij polluta, cenſeantur etiam, tanquam acceſſoriæ, pollutæ cappellæ in eodem monaſterio extantes?

RAtio dubitandi pro affirmatiua parte eſt, quia Eccleſia efficit vnum corpus eccleſiaſticum cum capellis; nomine enim monaſterij intelligimus quid conflatum ex ædibus, & Eccleſia, vt fusè oſtẽdi in quodam ſpeciali tractatu declarãs, quis ſit locus prius, religioſus, & regulares, & in quo differant; & ibidẽ etiã oſtẽdi, ab Eccleſia, quæ eſt præcipua, & nobilior Monaſterij pars, ipſum Monaſteriũ eſſe, & denominari eccleſiaſticum: ratione igitur connexionis, ſi Eccleſia violatur, etiam capellæ, vt compartes debent violari: & quamuis cellæ, in quibus commorantur Regulares, non polluantur, ideò hoc eſt, quia non ſunt talis effectus capaces; ſecus autem capellæ. Et cõfirmatur, nam propter eamdem rationẽ, polluta Eccleſia, pollutum erit cœmeterium eidem Eccleſię contiguum, vt habetur, *Cap. unico de Conſ. Eccleſ. vel Alt. in 6.* eſt enim acceſſorium; cum autem capellæ ſint etiã acceſſoriæ ad Eccleſiã, ipſa Eccleſia polluta, pollutæ etiam erunt ipſæ; ideò rectè *Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 15. num. 31.* docet, capellas eſſe partes Eccleſię, vnumque corpus cũ illa efficere, in quantum ſunt ad idem munus deſtinatę, videlicet ad diuina officia peragenda: ex quo deducit, ſacriſtiam, & cameras Eccleſię adhęrentes nõ comprehendi ſub vno corpore Eccleſię, quia ad idem munus non ſunt deſtinatę: & hoc etiam affirmat de alijs ſimilibus. 54

Ad ſolutionem pręſentis quęſiti opus eſt diſtinctione, nam capellę monaſterij eſſe poſſunt in duplici differentia quoad ſitum, vbi ſunt conſtructę; nam aliquę extant intra ipſos parietes principales Eccleſię, per quam patet aditus ad ipſas capellas, aliquę verò non extant intra ambitum Eccleſię, ſeu intra eius parietes, ſed diuiſę manent per intermedios parietes.

rietes. His poſitis.

55 Dicendum eſt primò, ſi loquamur de capellis priori modo ſpectatis, polluta Eccleſia, cenſeri & ipſas etiam pollutas, quia ſunt acceſſorię ad Eccleſiam; proinde quoad hunc effectũ naturam ſui principalis ſequi debent. & hæc ſententia eſt cõmunis, eamq; docet *Vgolinus de poteſt. Epiſc. cap.* 29. §. 6. *num.* 1. *ver.* His *igitur modis. Vega in ſumma lib.* 2 *cap.* 49. *caſu* 15. *Sanchez diſp. cit. num.* 25. *Fagundez de primo præcepto Eccleſiæ. lib* 3. *cap.* 14. *num.* 37. *Alterius de Interdicto. diſp.* 3. *cap.* 2. *litt.* C. & alij communiter.

56 Dicendum eſt ſecundò, capellas in poſteriori acceptione nõ cẽſeri violatas, quamuis Eccleſia eiuſdem monaſterij polluatur. Concluſionem in his terminis, vt iacet, apud neminem inuenire potui; nihilominus certã illã puto ex ſimilibus; nam Authores quęrendo, an cœmeteriũ violetur, ſi Eccleſia ſit polluta, diſtinguũt, & aiunt, ſi cœmeterium eſt contiguum, violari; ſecùs, ſi non eſt contiguum. Ita *Suarez tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 81. *ſect.* 4. *ver. Quinto violatur Eccleſia. Barboſa de Iure Eccleſiaſtico lib.* 2 *cap.* 9 *num.* 9 *Alterius cap.* 2. *cit. in* 2. *quæſito. Vgolinus* §. *cit. n.* 1. & alij communiter; & habetur in *Cap. vnico de Conſecr. Eccl. vel Alt. in* 6. vbi requiritur à Pontifice contiguitas ad hoc vt cœmeteriũ violetur, violata Eccleſia. Preterea in eodem cap. ſtatuitur, quod ſi plura ſint cœmeteria cohærentia, pariete tamen diuiſa, & de vno ad aliud fideles per intermediam portam ingrediantur, violato vno, non cenſetur aliud violatum; quia vnum non eſt pars alterius, ſed ſunt plura per ſe extantia: igitur à pari, quoties capellæ conſtructę intra ſepta monaſterij, vno, aut pluribus parietibus intermedijs diſiunguntur ab Eccleſia, non faciũt vnum corpus cum illa, neque acceſſoriè ad illam ſe habẽt; proinde violatio Eccleſię nequit tranſire ad has capellas.

57 Ex his colligo ſolutionem ad contrarium argumentum poſitum in ratione dubitandi, & aio, quod quamuis in ordine ad illum effectum, nempè ad conſtituendum, & denominandum monaſterium Eccleſia efficiat vnum corpus cum ædibus, capellis, & omnibus alijs locis intra eiuſdem monaſterij ſepta extantibus, & ideò ſub hac ratione totum illud ædificium immunitatem habeat; nihilominus in ordine ad alium effectum Eccleſia non cenſetur efficere vnum corpus cum ędibus, & alijs locis monaſterij, nempe in ordine ad violationem, vt communiter Authores citati, & alij docent: & ſic effuſio ſanguinis, ſeminis humani, &c. in cellis regularium, in refectorio, & dormitorio, quamuis benedicto non polluit Eccleſiã: quapropter capellæ, quæ extant ſeparatæ ab Eccleſia per intermedios parietes, non violantur, violata Eccleſia: eſſe autem deſtinatas ad idem munus, videlicèt ad ſacrificium peragendum, non ſufficit; nam præter hoc requiritur talis cohærentia, vt moraliter cenſeantur efficere vnum corpus, ſeù vnam Eccleſiam, quę tamen vnitas non habetur, quia parietes intermedij talem vnitatem tollunt.

*D*ices, ſi ſupra Eccleſiæ tectum eſſet 58
capella, cuius ingreſſus eſſet per ipſam Eccleſiã, procul dubio talis capella, quãuis haberet parietem diſtinctum à parietibus principalibus Eccleſiæ, faceret vnũ corpus cũ ipſa Eccleſia, ſeu conſtitueret vnam numero Eccleſiam: ergo capellæ extantes intra monaſterium, licèt videãtur ſeiungi ab Eccleſia principali per intermedios parietes; nihilominus cẽſentur vnã numero Eccleſiam conſtituere; & conſequenter violata Eccleſia principali, etiã & ipſæ, quæ ſunt acceſſoriæ, violãtur. Reſpondeo, in rebus moralibus æſtimationem hominum eſſe præcipuè attendendam, eamque in hac materia ſpectandam ad iudicandũ, an capella cenſeatur pars Eccleſiæ, & vnum cum illa efficere corpus, vel non: vt autem aliquid determinatè dicamus ad hoc iudicium ferendum, nonnulla ſunt conſideranda. V. g. ſi capella ſit intra ambitum Eccleſiæ in choro cõſtructa, procul dubio erit pars Eccleſiæ, ſiue chorus ſit in eius pauimẽto, & tantũ ſcabellis diſtinctus, ſiue ſit in parte aliqua eminentiori ipſius Eccleſiæ, vt ſolet eſſe in monaſterijs; quia tunc eſt intra ambitum Eccleſiæ, eiuſdẽque parietibus intercluſus: & idem puto dicendum, ſi capella conſtructa foret extra parietem, ſed illi adhærens, ingreſſus verò ad ipſam capellam haberetur per ipſam Eccleſiam; cenſenda n. erit pars Eccleſiæ, ſicut cœmeterium; ſecùs autem ſi non pateret ingreſſus per Eccleſiam, vel eſſet locus non deſtinatus ad diuina officia peragenda, qualis eſt ſacriſtia, quæ eſt deſtinata non ad diuina peragẽda, neque ad fidelium ſepulturã, ſed ad

ve-

veſtes ſacras cuſtodiendas; vt recte notauit *Sanchez diſp. cit. num.* 5 t.

Hæc & ſimilia ſunt attẽdenda, ad hoc vt iudicium feratur, num capella idem, vel diſtinctum corpus efficiat cum ipſa Eccleſia, & acceſſoriè ad illam ſe habeat.

59 Quæres, vtrum ſi Eccleſiæ conſecratio deperdatur, eam etiam deperdat altare in eadem Eccleſia conſtitutum? videtur enim deperdi, quia altare, vt dictum eſt, acceſſoriè ſe habet ad Eccleſiam. Reſpõdeo negatiuè, quia, vt animaduertit *Barboſa in collect. cap. Ad hoc. num 4. de conſecr. eccl.* altare in ordine ad cõſecrationem non eſt quid acceſſorium reſpectu Eccleſiæ, ſed eſt quid principale per ſe exiſtens: nam, vt benè notat *Sotus in 4. diſt. 13. qu. 2. art. 3. poſt primum argumentum S. Thomæ. verſ. Quod ſi Templum*, ſi templum conſecratur, multo magis debet conſecrari altare, in quo ponitur corpus, & ſanguis Chriſti Domini, imo in ordine ad hoc tum Eccleſiã, rum ornamenta ad ipſum altare diriguntur, in quo ſanctum ſacrificium celebratur. Secundo, quia deperditio conſecrationis non ſe habet ſicuti violatio; nam illa cum fiat per deſtructionem Eccleſiæ, aut altaris, non reſpicit niſi ſubiectum, quod deſtruitur; proindè quamuis Eccleſia deſtruatur, itaut conſecrationem amittat, propter hoc non ſequitur, quod etiam altare, ſi eſt conſecratum, amittat conſecrationem, quæ ſemper manet, dum manet ſubiectum: & è conuerſo ſi frangatur altare, Eccleſia retinebit conſecrationem, quam prius habebat; & in hoc neutrum ex his ſe habet acceſſoriè, quia poteſt vnum, & non alterum conſecrari, & conſecratio vnius eſt indepẽdens à conſecratione alterius: cæterum violatio indiuiſibiliter reſpicit totũ corpus Eccleſiæ; idcirco quando polluitur Eccleſia, omnes eius partes remanent pollutæ.

CAPVT VIII.

Vtrum exterior murorum Eccleſiæ ſuperficies acceſſoriè ſe habeat ad Eccleſiam, ita vt, ſi quis illam tangat, immunitate fruatur?

60 CAſum ſic formo. Sortes ſiue ob cauſſam ciuilẽ, ſiue criminalem, ſed non ex exceptis in Bulla Greg. XIIII. dum à ſatellitibus iuſtitiæ inſequẽtibus ſugiebat, amplexus eſt externũ parietem Eccleſiæ, & illum ſic tetigit: quæritur, an paries iſte ſecundum illam ſui exteriorem partem ſit quid acceſſorium reſpectu Eccleſiæ, & conſequenter ſequatur naturam illius in ordine ad immunitatem, itaut nequeat Sortes à ſatellitibus capi.

Hunc caſum proponit *Riccius in ſua prax. variar. reſol. tom. 3.* de quo, vt ipſe inquit, fuit conſultus: pro parte negatiua citat *Archidiac. cap. vnico de Reliq. & venerat. ſanc. in 6.* ſed miror, qua ratione potuerit illum citare, cum in eo *cap.* quod eſt valde breue, nihil de re hac tractetur. in eumdem errorem lapſi ſunt quidam alij citantes Archidiaconum. Ratio pro ſententia, quæ negat, frui immunitate eum, qui partem exteriorem parietis tangit, eſt; quia iſte talis fugiens à ſatellitibus reuera non eſt intra Eccleſiã, aut alium locum ſacrum, ſed extra, & in publica via; proinde non videtur illi concedenda immunitas.

His tamen minimè obſtantibus, dicẽdum eſt, tangentem externum parietem Eccleſiæ gaudere immunitate. ita ſentiunt quam plures, & graues Authores; *Nouarinus in ſumma bullar. de immun. n. 26. Riccius loc. cit. Trullench. in decal. lib. 1. cap. 11. dub. 1. n. 4. Caſtropalaus par. 2. trac. 11 de Reuerent. debita locis ſacris. diſp. 1. pu. 6. nu. 18. Diana part. 3. trac. 1. reſol. 73. Bonacina de legib. diſp. 3. qu. 7. ſ. 2. n. 4. Thomas del Bene de immunit. & Iuriſd. Eccleſ. tom. 2. cap. 16. dub. 9. n. 13. & ſeq.* & pro hac opinione laudari poſſunt omnes illi, qui cenſent, eãdem immunitatem obtinere non ſolum tectum, & fores, ſeu ianua Eccleſiæ, ſi ad minus manibus tangatur, ſed etiam atrium, ſeu porticus. vt quam plurimi aſſerunt, quos citat, & ſequitur *Auguſtinus Barboſa de Iure Eccleſiaſtico lib. 2. de Immunit. Eccleſ. cap. 3. n. 64. 65.* fundamentum huius ſententiæ eſt, quia cum materia hæc ſit fauorabilis, quatenus cõcernit reuerentiã debitã locis ſacris, amplè eſt explicanda; proinde ſub nomine Eccleſiæ non ſolũm comprehenditur ipſum corpus Eccleſiæ, verum etiam comprehendũtur omnia, quæ illi adhærent, & acceſſoriè ad illam ſe habent, & tales inter alia ſunt parietes ſecundum partem externam: maiori etiam ratione hanc eãdem ſententiam defendere coguntur, qui extendunt hanc immunitatem ad

qua-

quadragintá, vel triginta paſſus; hi autẽ debent proculdubio immunitatis priuilegium concedere parietibus Eccleſiæ, qui intra paſſus illos extant.

62 Sed objicies; ſi in prædictis locis ſemẽ, aut ſanguis effundatur, Eccleſia non polluitur; ergo prædicta loca non veniunt ſub nomine Eccleſiæ in ordine ad priuilegium immunitatis: antecedens ſupponitur tanquam certum apud Authores, & illud docet *Gloſ in cap. vnico de conſecr. Eccleſ. vel Alt. verb. ſanguinis*, & Doctores capite præcedenti á me citati, & alij communiter agentes de modis, quibus Eccleſia violatur. Conſequentia verò poteſt ſuaderi á pari, & hac ratione: nam loca illa, de quibus eſt ſermo, vel cõprehenduntur ſub nomine Eccleſiæ, vel non comprehenduntur; ſi primum eligatur, erit conſequenter dicendum, in prædictis locis non eſſe priuilegium immunitatis; quod competit Eccleſiæ, & illis locis, quæ ſub nomine Eccleſiæ continentur: ſi ſecundum, ergo in vtroque caſu eadem erit ratio, videlicèt, quòd ſicuti per effuſionem ſanguinis, aut ſeminis in his locis non violatur Eccleſia, ita neque in ijſdem locis erit priuilegium immunitatis.

Reſpondeo negando conſequentiam; quia diſcrimen eſt inter vnum, & alterum caſum, vt Doctores animaduertunt; nã lex, per quam ſtatuitur violatio Eccleſiæ eſt odioſa, cum ſit pœnalis: ideò Eccleſia ſtrictè explicari debet in ordine ad violationem, nempè quatenus dicit ipſum dumtaxat ambitum Eccleſiæ: in ordine autem ad priuilegium immunitatis, quod eſt fauorabile, Eccleſia latè explicatur, & ideò extenditur eius nomen ad omnia prædicta loca, quæ eidem Eccleſiæ adhærent; nam ſicuti quæ religioſis adhærent, religioſa cenſenda ſunt, vt habetur in *L. Quæ religioſis ff de rei vendic.* ita, quę adhærent rei ſacræ, ſacra ſunt iudicanda; ſequuntur enim tanquam acceſſoria rem illam ſacram, & eiuſdem naturam ſortiuntur.

CAPVT IX.

Vtrum facultas diſpenſandi in interſtitijs ſit acceſſoria ad facultatem, quam vi Tridentini habent Epiſcopi, ordinandi ſuum familiarem triennalem?

SVpponit quęſitum decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 23 de reform. cap. 9.* vbi Epiſcopis conceditur facultas promouendi ad ordines ſuum familiarem, quãuis ſibi non ſubditum, ſi per trium annorum ſpatium commoratus fuerit cum ipſis, eiſque inſeruierit, & ſtatim poſt promotionem beneficium illi cõferatur. Hoc autem præſuppoſito, inſurgit dubitatio, num facultas hæc per Tridentinum Epiſcopis conceſſa trahat, tanquam ſibi acceſſorium, poſſe ab eiſdem Epiſcopis cum ſuis familiaribus diſpenſari ſuper interſtitijs?

Prima ſententia affirmat, eamque tuetur *Ioannes la Cruz in decret. conſcien. par. 2. de Sacram. ordinis dub, 4.* & ait, ita fuiſſe á ſacra Congregatione deciſum. *Diana par. 3. trac. 4 reſol. 190. Raphael Auerſa de Sacram. ord. quæſt. 3. ſec 9. ver.* [Relinquit tamen Concilium] eãdemque nõ improbabilem exiſtimat *Petrus de Ledeſma de ordine cap. 8. poſt quintam concluſ principalem in ſecunda aſſert. pro 6. diffic.* Vnica, & fundamẽtalis ratio, qua hæc ſentẽtia ſuaderi poterit, eſt regula de acceſſorio; nã eo ipſo, quod Concilium facultatem concedit Epiſcopo promouendi ſuum familiarem, ſi prædictas habeat conditiones, videtur etiã eidem Epiſcopo concedere facultatem diſpẽſandi cum eodem familiari in interſtitijs; hoc enim videtur acceſſoriè ad illud ſe habere. 63

Secunda ſentẽtia negat, poſſe ab Epiſcopo ratione familiaritatis modo explicato diſpẽſari in interſtitijs. ita *Ledeſma loc. cit. Nauarr. de tempor. ord. conſil. 13. Sayrus in deciſ. caſuum. lib. 1. de Temp. ord. deciſ. 28 29. Vgolinus de poteſt. Epiſ. cap. 16. §. 4. Zerola in praxi Epiſc. verb. ordo. ad ſeptimum. Rodriq: in ſum par. 1. 14. num. 10. Riccius in collect part. 2. collect. num 56. ver. limitat tertio. & in praxi fori Eccleſ. par. 3. in impreſſione facta* 64

Venetijs 1623. reſol.237. num. 6. Sanchez *in conſil.lib. 7. cap. 1. dub. 27. num. 3. Garzia de beneficijs. cap. 5. partis ſecunde num. 87. Barboſa in allegat. illa 5. nu. 24. Stephanus Quaranta in ſumma Bulle verb. Ordo. 2. ver. limitat. circa finem. Praſecius in antiqua praxi Epiſ. tit. de ſubditis ordinandis, ſeu de conferendis ordinibus num. 15. Villalobos in ſumma tom 1 tract. 19. diff. 9. num. 10. Marchinus de Sacram. ordinis. tract 1. part. 7. cap. 4 num. 4. Pace Iordanus in ſuis lucrabat. lib. 3 tit. 6 num. 176. vol. 1. & alij.* Rationes pro hac ſententia mox afferentur.

65 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ iuri eſt conformis: & probatur primò, quia priuilegium, quod Epiſcopis conceditur, ordinandi ſuum familiarem triennalem, aliàs non ſubditũ, eſt a iure exorbitans: ergo extendi non debet ad diſpenſandum in interſtitijs. tũ antecedens, tum conſequens eſt oſtendendum: antecedens tali pacto. In iure communi diſponitur, vt vnuſquiſque à ſuo proprio Epiſcopo ordinandus ſit, vt præſcribitur *cap. 1. diſt. 67. & cap. Cũ nullus de temp. ord. in 6. & demum in Trident ſeſſ. 23. de reformat cap.* 8. ad hunc autem effectum proprius Epiſcopus dicitur ille, qui eſt Epiſcopus, vel originis, vel domicilij, vt declaratur *cap. cum nullus. cit.* ergo priuilegium concedens oppoſitum, nempè, vt Epiſcopus ordinet ſuum non ſubditum ratione familiaritatis, derogat iuri communi, quod continetur in iuribus prædictis. Conſequentia verò principalis probatur; quia ea, quæ a Iure communi exorbitant, non ſunt extendenda, vt habetur *ſupra in Reg.* 28. *Quæ à Iure.* & ideò non debemus arguere de ſimilibus ad ſimilia, vt notat ibidem *Gloſs. verſ. In talibus*; facultas autem ordinandi, & facultas diſpenſandi non ſolum non ſunt ſimiles, ſed valdè diuerſę; igitur priuilegium conceſſum Epiſcopis promouendi ſuũ familiarem alterius Epiſcopi ſubditum, non debet extendi ad diſpenſandum in interſtitijs.

66 Neque dicas, has facultates, quamuis ſint diuerſæ, nihilominus ſe mutuo inferre, nam diſpenſatio in interſtitijs eſt neceſſaria ad effectum huius priuilegij, nempè ad hoc, vt Epiſcopus de facto ordinet ſuum familiarem, ne dicas inquam hoc, quia, vt ſic [illegible], ſe mutuo etiam inferre facultatem hanc ordinandi, & facultatem diſpenſandi in alijs impedimentis, quę reddunt inhabilem ipſum familiarem ad ordines recipiendos. v. g. in defectu natalium; nam diſpenſatio in tali impedimento eſt neceſſaria ad hoc, vt ipſe familiaris promoueatur ad ordines. Sed poſſent ad hoc argumentum aduerſarij reſpondere, aſſignando diſparitatem inter facultatẽ diſpenſandi in defectu natalium, vel in alia ſimili inhabilitate; diſparitas autem conſiſtit in hoc, quod diſpenſare in interſtitijs eſt quid pertinens ad poteſtatem ipſam ordinandi; legitimare autem, &c. eſt quid pręrequiſitum, quemadmodum, eſt baptiſmus, confirmatio, & ſimilia. ita reſpondet *Ledeſma loco citato*. nam licèt ipſe nobiſcum ſentiat; reijcit tamen rationem hanc, eamque modo explicato ſoluit.

Sed nõ videtur ita facile dilui poſſe, ſi diligẽter cõſideretur; cum. n. dicitur, diſpẽſare, ſeu diſpẽſatio eſſe quid pertinens ad poteſtatem ipſam ordinandi, & legitimare, ſeù legitimatio eſſe quid pręrequiſitum, non rectè explicatur differentia inter vnum, & alterum; vtrumque enim extremum comparationis debet antecedere ordinationem, vt de ſe patet, & vtrũque etiam ſuo modo pertinet ad poteſtatem ordinandi, cum hoc tantum diſcrimine, quòd diſpenſatio in interſtitijs ſpectet ad habilitatem temporis, legitimatio verò ad habilitatem ſubiecti, nempe ipſius familiaris promouẽdi: hæc autẽ differentia reſpectu poteſtatis ordinandi materialiter ſe habet; nam formaliter, vt ita dicam, vtrumque impedit executionem, & ideò vtrumque eſt neceſſarium, & ſuo modo pertinet ad talem poteſtatem. Et ſi dicas, poteſtatem diſpenſandi in illegitimitate inueniri in Epiſcopo quo ad proprios ſubditos, non autem quo ad extraneos (quod intellige de diſpenſatione ad ordines tantum minores, & ad beneficium ſimplex, & nõ ad ordines maiores, & beneficium curatum) familiaris autem etiam triennalis ſupponitur ſubditus alterius Epiſcopi; proinde non eſt eadem ratio de facultate tollendi irregularitatem ex defectu natalium, etiam ſi ſit ad ordines tantum minores. Si, inquam, hoc dicas, contra eſt, quia etiam in hoc ſunt pares; nam poteſtas diſpenſandi in interſtitijs de iure communi pertinet ad Epiſcopum 67

ipſius

ipſius ordinandi, non autem ad *Epiſcopum* ordinantem, vt animaduertunt cõmuniter Authores. *Sorbus in comp. Priuil. mendic. verb. ordo. in reſponſ. ad ſecũdum punctum. ver. vur dicitur inſuper. Miranda in man. pral par.* 1 *quaſt* 38 *ar.* 7 *concl.* 2. *alleg.* 18 *n.* 9 *Marchinus de ſacram. ord. tract.* 1. *par.* 7 *num.* 5. & alij, qui id colligunt ex verbis Concilij Tridentini *ſeſſ.* 23. *de reform.* & præſertim *cap.* 16. vbi Concilium ſtatuit, nullum eſſe ordinandum, niſi iudicio ſui *Epiſcopi* iudicetur ſuæ Eccleſiæ vtilis, & neceſſarius; ly autem, *ſui*, ſignificat *Epiſcopum* proprium, cui eſt ſubditus ipſe ordinandus, & maximè, quia talis *Epiſcopus*, & nõ alius, poteſt ſuæ *Eccleſiæ* neceſſitatẽ, & vtilitatem agnoſcere: idque etiam probari poteſt ex cap. 11, & 13. eiuſdẽ ſeſſionis, vbi Cõcilium arbitrio *Epiſcopi* remittẽs an diſpenſandum ſit in interſtitijs, loqui debet de *Epiſcopo* proprio ipſius ordinandi, quia cum Concilium, ſiue aliud ius relinquit caſum aliquem, decidendum ab *Epiſcopo*, ſemper ſolet intelligere de *Epiſcopo* proprio illius, de quo agitur: & confirmatur, nã cum in cap. 15. nullus presbyter, etiã regularis, dicatur poſſe ſecularium confeſſiones audire, nec ad id idoneus exiſtamari, niſi, aut Parochiale beneficium habeat ab *Epiſcopis*, aut per examen, ſi neceſſarium illis videbitur, idoneus cenſeatur, intelligi id debet de proprio *Epiſcopo*; quamuis explicitè id non declaretur; & ſic in multis alijs ſimilibus: cum igitur poteſtas diſpẽſandi in interſtitijs de iure communi pertineat ad illum *Epiſcopum*, cui ſubditur ordinandus, ſicuti etiam poteſtas diſpẽſandi in defectu natalium ad minores ordines, vt ſuperius declaratum eſt, eadem erit ratio de vtraque facultate; proindè ex his omnibus colligitur, argumentum hoc deſumptum à pari efficax eſſe.

68 Probatur ſecundo principalis concluſio euertendo præcipuam, & vnicam rationem, in qua fundãtur Authores primæ ſententiæ, nempè, facultatem diſpenſandi in interſtitijs eſſe acceſſoriam ad facultatem promouendi familiarem ad ordines; falſum enim id eſt, & quamuis concederetur, dico tñ, regulam de acceſſorio eſſe ſeruandam, quando id, quod eſt principale, nequit conſiſtere ſine alio, quod eſt acceſſorium, vt initio explicando regulam hanc, adnotaui; ſed facultas ordinandi familiarem poteſt bene conſiſtere, ſine facultate diſpenſandi in interſtitijs, quatenus poteſt *Epiſcopus* expectare tempus in iure præſcriptum pro ordinatione; ergo, &c.

Sed dices habitatio illa triẽnalis apud Epiſcopum eſt ſufficiens ad hoc vt familiaris acquirat ſaltem quaſi domicilium in ea diœceſi, in qua commoratur: ergo eſt ſufficiens, vt idem Epiſcopus diſpenſet in interſtitijs cum illo, & ita tenet *Sanch. lib.* 8. *de matrim diſp.* 1. *num.* 25. *in fine*, vbi ait, ſatis eſſe ad hunc effectum, vt habitatio ſit pro maiore anni parte cum animo ibi pro eo tempore permanendi, vt fusè idem *Sanchez probat lib.* 3. *diſp.* 23. *à num.* 13. loquendo de ſcholaſticis, & alijs, qui maiore anni parte in aliqua diœceſi habitant: durum enim, ait, ſibi videri, nõ poſſe hos matrimonio ibi coniũgi, vel ſepeliri, dum ſepulturam non eligunt, vel in ea parochia, in qua decedunt, non eſſe adſtrictos ad canonicam portionem, vel pariter non poſſe votorum, aliorumque caſuum diſpenſationem obtinere: & rationem huius rei aſſignat, dicẽs, aliquem, quando maiore anni parte, & cum tali animo in aliqua diœceſi inhabitat, effici Parochianum, & ſubditum illius diœceſis: Ergo poſita hac ſententia poterit Epiſcopus diſpenſare, vt ſuus familiaris, qui per triennium apud ipſum commoratus eſt, ad ordines promoueatur. 69

Reſpondetur, hanc ſententiam non eſſe admittendam; quia licet in ordine ad confitenda, & recipienda Sacramenta neceſſaria, vt eſt Sacramentum baptiſmi, pœnitentiæ, communionis Paſchalis, & extremæ vnctionis, habitatio illa ſit ſufficiens, ad hoc, vt aliquis efficiatur ſubditus; nihilominus in ordine ad ſacramẽta voluntaria, vt rectè adnotauit *Marchinus cap.* 4. *cit. in fine ſeptimi numeri*, videlicet ad contrahendum matrimonium, & recipiendos ordines, habitatio illa non erit ſufficiens; & ideò hanc ſententiam præter innumeros Authores, quos citat *Sanchez diſp illa* 23. *num.* 11. docet *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 34. *dub.* 19. *num.* 94. exemplificans in ijs, qui ratione ſtudij manent in vniuerſitatibus. *Bonacina de Sacram. diſp.* 8. *qu. vnica. pu.* 4. *num.* 8. *Garzia de beneficijs part.* 2. *cap.* 5. *num.* 87. vbi refert deciſionem ſacræ Congregationis Concilij circa *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. *Ignatius de Villar. in ſylua reſponſ. lib.* 1. *reſp.* 7. *par.* 5. *nu.* 21.

Barboſa de poteſt. Epiſ. alleg. 4 *n.*28 29. *& alij apud ipſos.* & confirmatur valdè efficaciter ex diſpoſitione eiuſdem Tridentini loc. cit. ſupponentis habitationem triennalem familiaris in obſequiũ Epiſcopi, & pariter cum hoc ſupponentis, eũ non eſſe ſubditum; ſic enim cap. illo. 9. inquit [Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, &c.] vide qua ratione concilium copulet hæc duo, nempe habitationem triennalem, & negationem ſubiectionis. Ad argumẽtũ igitur negandũ eſt antecedens, in quo habetur, habitationem cum animo manẽdi in aliqua diœceſi maiore anni parte eſſe ſufficientem ad acquirendum domicilium, ad hoc vt quis poſſit ordinari àb Epiſcopo illius diœceſis; & quod magis miror eſt, àb ipſomet *Sanchez* hoc ipſum affirmari; & ideo non cohærenter, ni fallor, locutus fuiſſe videtur, nam & ſi lib. 8. de matr. diſp. illa dicat, habitationem maioris partis anni ſufficere ad diſpenſandum in interſtitijs; nihilominus *lib.* 3. *diſp.* 23. *cit. n.* 13. cõcedens, aliquem effici Parochianum, & ſubditum alicuius diœceſis, ſi in ea maiore anni parte inhabiter, limitat hoc reſpectu Sacramenti ordinis; & ideò iſte talis, cum non efficiatur Parochianus diœceſis v. g. Panormitanæ non poterit promoueri ab Archiepiſcopo Panormitano ſine dimiſſorijs illius Epiſcopi, in cuius diœceſi ipſe retinet domicilium Ergo neque ab Archiepiſcopo panormitano poterit diſpenſationem in interſtitijs obtinere; quia facultas ad hoc diſpenſandum ſpectat ad illum, qui iure ſuo ordines conferre poteſt, vt notat *Marchinus cap.* 4. *cit. nu.* 6. *reſpondens ad ſecundum argumentũ.* & ratio eſt manifeſta, quia diſpenſare ſuper interſtitijs in *Trident. ſeſſ. illa* 23. *c.* 13. *&* 14 remittitur iudicio Epiſcopi, ſi id expedierit vtilitati, & neceſſitati Eccleſiæ; tale autem iudicium nequit ita congruenter de lege ordinaria fieri, niſi à proprio Epiſcopo ipſius ordinandi. Quare id, quod Sanchez in prædictis locis docet, mihi non, videtur cohærenter dictum.

Ad completam autem huius quæſtionis deciſionem, & intelligentiam quædã alia eidem quæſtioni connexa ſunt expendenda.

70 Quæres primò, vtrum ſatis ſit, Epiſcopum, cui à Concilio conceditur priuilegium ordinandi familiarem triennalem, eſſe ſolum titularem. Reſpondetur negatiuè. Eſt communis ſententia; quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de reform. cap.* 2. expreſsè prohibet, ne Epiſcopi merè titulares prætextu cuiuſcumque priuilegij, ſeu familiaritatis ordinent aliquẽ; & idẽ confirmant Doctores, quos eo loco laudat, & ſequitur *Barboſa, & alleg.* 5 *cit. nu.* 6.

Quæres ſecundo. An familiaris in hac materia cenſeatur etiam ille, qui ſumptibus, & ſeruitijs Epiſcopi alibi, & non apud Epiſcopum commoratur? Reſpondetur, intelligi ſolum eum, qui apud Epiſcopum in eius obſequio manet, ita Authores citati; & ratio eſt, quia familiaris commorans apud ipſum Epiſcopum poterit ab eodem Epiſcopo cognoſci: quod ſaltem ordinariè, & per ſe non euenit, quando familiaris reſidet in loco diſtanti. 71

Quæres tertiò, An triennium requiſitum à Concilio debeat eſſe continuum? Reſpondetur affirmatiuè. ita *Barboſa allegat cit num.* 9. & apud ipſum *Campanili in diuerſ. Iuris canon rubr.* 9 *cap.* 9. *num.* 12. & ratio eſſe poteſt, quia, cum ius præſcribit tempus aliquod determinatum, intelligi debet tempus continuum, vt fusè probat *Gomez tom* 3. *var. reſol. num.* 3. *Sanchez lib.* 5. *in ſumma cap.* 4. *num.* 31. & in caſu noſtro aſſignari poterit optima congruentia, ſi attendamus finem, ob quem Concilium ſtatuit, vt familiaris per triennium aſſiſtat ipſi Epiſcopo; finis autem fuit, vt per continuatã familiaritatem melius ab Epiſcopo cognoſcatur ipſe familiaris quoad mores; nã per interpolatam non ita benè notitia iſta haberetur. 72

Quæres quartò, an triennium illud poſſit inchoare, antequã Dominus promoueatur ad Epiſcopatum, an verò debeat incipere, & continuare eo tempore, quo Epiſcopatum habuit? Reſpondetur non eſſe neceſſarium, & ideò poterit incipere ante promotionem ad Epiſcopatum, ſic *Riccius in collect.* 1. 3. *collect.* 596. & citat deciſionem ſacræ Congregationis *Garzia de benef. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 83. *Barboſa alleg. cit. nu.* 8. *& alij* argumentum deſumi poteſt ex identitate rationis, nempè ex æquali notitia, quæ haberi poterit à domino, siuè ſit tempore Epiſcopatus, siuè antea. 73

Quæres quintò; an Epiſcopus poſſit differre collationem beneficij, vſque 74

dum

Digitized by Google

dum vacauerit. Reſpondetur, partem affirmatiuam ſuſtineri à *Vaſquez in 3 p. S. Tho. tom. 3. diſp. 243. n. 49.* docẽte, poſſe familiarẽ promoueri ad ordinem, quamuis nullum habeat patrimonium, aut beneficium, neque Eccleſiæ neceſſitas id poſtulet; dummodo Epiſcopus ſine fraude, quamprimum beneficium aliquod vacauerit, ei conferat, ne mendicare cogatur: quam opinionem non improbabilem exiſtimat *Caſtropalaus, par. 4 tract. 27. diſp. unica. p. 13. n. 6* Sed eamdem reprobat, vt falſam *Barboſa allegat. cit. n. 12. Garzia cap. cit. n. 85. Pariſius lib. 4 de reſign. benef. quæſt. 2. n. 95.* & habetur deciſio ſacræ Congregationis relata ab iiſdem Authoribus: idem etiam docet *Vgolinus de poteſt. Epiſc. cap. 26. §. 4. & alij.* & ratio deſumitur ex verbis Concilij eodem cap. 9. vbi loquens de beneficio, quod familiari conferendum eſt ab Epiſcopo, apponit verbum *ſtatim*, quod ſignificat incontinenter, & abſque interuallo; & ideò non ſatisfaceret Epiſcopus decreto concilij, ſi poſt aliquos mẽſes beneficium cõferret, vt notat *Riccius collect. prædicta. in quinta limitatione*; & hoc declarauit ſacra congregatio ſuperius relata ſuper caput. 9. Tridentini.

75 Quæres ſexto, nùm Epiſcopus ſatisfaciat huic obligationi, ſi loco beneficij aſſignet ſuo familiari ordinato patrimoniũ aliquod ſufficiens? Reſpondetur ſatisfacere, pro hac ſententia *Garzia cap. cit. n. 81. 82. 83.* refert quaſdam ſacræ congregationis declarationes, in quibus ſtatuitur, vt familiaris ita ordinatus debeat aſcribi alicui Eccleſiæ: idem etiam docet *Barboſa n. 12. cit.* & alij apud ipſum.

CAPVT X.

An Iudex Eccleſiaſticus qui ſententiam fert de inualiditate matrimonij poſſit acceſſoriè cognoſcere cauſam de dotium reſtitutione?

76 IN quadam Curia Epiſcopali exagitabatur, an matrimonium inter Titiũ, & Bertam initum fuerit, nec ne validum? & hinc inde rationibus perpenſis ſententia tandem pronunciata fuit à Iudice Eccleſiaſtico, per quam declarabatur irritum fuiſſe matrimonium illud; ea verò promulgata, inſtabat Berta mulier, vt dotes ſibi reſtituerentur, ex tali autem poſitione in dubio poſitum fuit, num cauſa de his dotibus reſtituendis ſpectaret ad eccleſiaſticum, an potius ad iudicem ſecularem.

Ex vna enim parte ad eccleſiaſticũ, qui ſententiã de cauſſa principali tulit ſpectare videtur, quia cauſſa de dotibus eſt matrimonio annexa, ideoque ab vno, eodemque Iudice eſt decidenda.

Ex alia verò parte, cum quæſtio hæc de dotibus ſit merè temporalis, à Iudice temporali videtur decidenda: & id probari poteſt ex ſimili per tex. quæ habẽtur *in cap. cauſam quæ 2. Qui filij ſunt legitimi*, ibi enim enarratur, quamdam cauſam à Pontifice fuiſſe delegatam cuidam Epiſcopo ad dignoſcendum, an mulier fuerit ex legitimo, an illegitimo matrimonio nata; & quia mulier hæc poſſidebat bona omnia, quorum poſſeſſionem à ſuo Auo receperat, fuit per violentiam tali poſſeſſione, tum ipſa, tum eius vir ſpoliatus à quodam conſanguineo, qui intendebat, mulierem non fuiſſe ex legitimo matrimonio, & ideo in bonis illis ſuccedere minime potuiſſe. Vir autem prædictæ mulieris confugit ad Pontificẽ petens, vt, antequam cauſſa principalis de legitimatione diſcuteretur, in pristinam poſſeſſionem reponeretur. Pontifex autem ſcribens ad Epiſcopum delegatum ait, ad Regem pertinere, non ad Eccleſiam de his poſſeſſionibus iudiciũ ferre, ne iuri ipſius Regis detraheretur; quapropter mandauit, vt iudicium de poſſeſſione Regi relinqueretur; de cauſſa autem principali, nempe, an mulier illa fuerit, nec ne nata ex legitimo matrimonio, iudicaret, & determinaret ipſemet Iudex, videlicet Epiſcopus delegatus. Ex his videtur paritas haberi in vtroque caſu; proinde ſicuti in facto illo, de quo fit mentio *in cap. cauſam cit.* non obſtante connexione, quæ reperiebatur inter vnam, & alteram cauſſam, ſcilicet inter iudicium ferendum de legitimitate tanquam de quæſtione principali, & acceſſoriè de reſtitutione hæreditatis, eiuſque poſſeſſione, nihilominus Pontifex decreuit, primam quæſtionem principalẽ pertinere ad Iudicem eccleſiaſticum, ſecundam verò ad ſecularem; ita pariter videtur dicendum in caſu noſtro, nempe, cauſſã de nullitate, aut validitate matrimonij pertinere ad Iudicem eccleſiaſticum; cauſſam verò de reſtituendis, aut non reſtituendis dotibus ſpectare ad iudicem

dicem

dicē laicum; & hoc ob rationem aſſignatam, quia eſt merè cauſſa temporalis.

77 Sed his minimè refragantibus, conſeo; vtramque cauſſam ſpectare ad Iudicem eccleſiaſticum, & non ad ſecularem, ita docet *Molina de primogen. lib. 2. cap. 15. nu. 76. Molina noſtræ Societatis tr. 2. de iuſtitia diſp. 443. n. 5. Gomez in L. quinquageſima Tauri nu. 53. Guttierez in pract. quæſt. lib. 1. quæſt. 44. num. 6. cum ſequent. Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 8. num. 15. circa medium; Petrus Barboſa in L. 1 par. 2. num. 48. ff. ſoluto matrimonio: Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 84. num. 30. & in collect. cap. de Prudentia de donation. inter virum, & vxorem. nu. 1. & 2. Gloſſ. ver. incidens acceſſoriè.* & communiter alij Canoniſtæ, quos laudat Gomez, & Auguſtinus Barboſa loc. cit. & nouiſſimè *Ferdinandus Arias de Meſa in ſuis variis reſolut. lib. 2. cap. 20. num. 11.*

Probatur primò ex canone allato *de prudētia*, vbi Pontifex determinat, quod delegatus ad cauſſam matrimonij decidendam, ſi de eiuſdē matrimonij valore ſententiā ferat, debet pariter pronuntiare, dotē eſſe reſtituendam. Verba autē Pontificis hęc ſūt directa ad delegatos [Quia igitur vos, qui de matrimonio principaliter cognouiſtis, & de dote, quæ eſt cauſa incidens, acceſſoriè cognoſcere valuiſtis, & ſententialiter definire, &c.] Secundò probari poteſt ex ipſamet regula de acceſſorio, nam dos neceſſario, & inſeparabiliter ſequitur matrimonium, tanquam quid principale, ita vt non ſubſiſtente matrimonio, neque dos ſubſiſtere poſſit.

Ex his, quæ dicuntur à Pontifice colligi poteris, ſolidam non eſſe rationē, quam aliqui aſſignant ad probandum, à delegato poſſe pronunciari ſententiam ſuper dotium reſtitutione, quia eſt mixti fori: ita ſentiunt nonnulli Canoniſtæ apud *Barboſam in d. cap. de prudētia n. 8.* ſolidam aio, non eſſe hanc rationem, quia ibi Pontifex fundat poteſtatem pronuntiandi de reſtitutione dotium, quatenus eſt acceſſoriè incidens, ſeu eſt connexa cum matrimonio, vt ſine illo ſubſiſtere nequeat: & ita animaduertit ibidem cū aliis pluribus Barboſa.

78 Ad rationem fundamentalē deſumptam ex *cap. Cauſſam*, reſpondeo, latum eſſe diſcrimen inter, dotem, & aliorum [illegible] in *cap. Cauſſam*, ſermo eſt de hæreditate, & reſtitutione quarumdam terrarum, quæ non habent neceſſariam connexionem cum matrimonio; conſtare enim poſſunt ſine illo; at dos nequaquam: proinde in repetitione dotis poſita nullitate matrimonij, locum habet regula de acceſſorio, & ſic patet diſparitas inter vtrumque caſum.

Dices, in conſuetudinibus Vrbis Panormitanæ cap. 76. vbi agitur de officio Archidiaconi eiuſdem Vrbis inter alia, expreſsè ſtatuitur, non pertinere ad ipſum Archidiaconum cognitionem de dotium petitione, aut reſtitutione; ſed ſpectare ad Prætorem Regium tantum. Verba autem illius ſtatuti hæc ſunt; poſtquam enim dictum fuerat, non pertinere ad ipſum Archidiaconum cognoſcere de legatis piis relictis conſanguineis, vel amicis, ſic ſubditur, ſic. [Nec de dote petenda, vel repetenda, vel rebus dotalibus ſoluto, vel non ſoluto matrimonio; cum ipſorum cognitio ad Prætorem Regium tantum ſpectet, vt eſt dictum.] cum autem per ſententiam datam de nullitate ſoluitur matrimonium, repetitio dotium non ad Iudicem eccleſiaſticum, ſed ad laicum, nempè ad Prætorem, ſpectare videtur in Vrbe Panormitana iuxta ſuas conſuetudines confirmatas ab Alexandro Tertio Pontifice maximo. ita obiecit mihi quidam pius, & eruditus vir noſtræ Societatis, qui exiſtimabat iuri communi eſſe derogandum in hac re per conſuetudines huius Vrbis Panormitanæ.

Sed reſpondeo, diuerſum eſſe ſenſum illorum verborum, quæ habentur in ſtatuto cit. a ſenſu, quem intendit ipſe arguens; ſenſus enim intentus per ſtatutū eſt, quod, quando ſoluitur matrimonium per mortem vxoris, & ab eius hæredibus petitur reſtitutio dotium, vel quando mortuo viro petitur reſtitutio ab ipſamet vxore, vel conſtante matrimonio mulier agit ad reſtitutionē ſuarū dotium ob inopiā, in quam vergit eius vir, vel alio ſimili titulo; ita vt principaliter, & non acceſſoriè agatur de ipſa dotium reſtitutione, tunc rectè cauſſa nōn pertineat ad Archidiaconum, immò neque ad alium Iudicem eccleſiaſticum; ſed ſolum ad Prætorem, ſeu Iudicem laicum. Neque dicas, in textu ſermonem eſſe abſolutum, & non reſtrictum; ideoque eſſe explicandum, quocumque modo ſoluatur matrimoniū ſiue per mortem, ſiue per ſententiā, per quam declaratur inualidum; ne, inquam,

hoc

hoc dicas; nam contra eſt primò, quia ibi nulla fit mentio de quæſtione circa diuortium, de quo aliquid fuiſſet ſignificandum, ſi legislator condens ſtatutū prædicta intendiſſet agere de ipſo diuortio.

Contra ſecundo; quia, cum ſenſus reſtrictus nil deroget iuri communi, & è contrario ſenſus intentus ab arguente maximè derogaret iuri canonico, & eſſet contra communem Canoniſtarum ſententiam, idcircò debemus verba illius ſtatuti interpretari ita reſtrictè, vt ex vna parte aliquem habeant effectum; ex alia verò nil faciant contra ius, neque illud corrigant; correctio enim Iuris per ſe loquendo eſt odioſa; & ideò verba non ſunt extendenda, ſed potius reſtringenda, vt expreſsè admonet Innocentius IV. Pontifex *in Cap. Cum expediat. de de electione in 6.* & quamuis hoc interdum nonnullas admittat limitationes, quas per extenſum ex varijs iuribus, & Authoribus declarat *Merolla tom. 2. ſua Theolog. moral. diſp. 4. cap. 9. num 87. & ſeq.* nihilominus in re hac, de qua eſt ſermo, nulla apparet ratio limitandi textum canonicum allatum.

80 Dices primò. Iudex eccleſiaſticus eſt incompetens ad iudicandum de rebus temporalibus, vt habetur *Cap. cum ad verum. diſt. 96.* ſicuti iura Pontificis non ſunt vſurpanda ab Imperatore, nec iura Imperatoris à Pontifice; at cauſſa dotiū, quamuis matrimonio adnexa, eſt temporalis: ergo Iudex eccleſiaſticus erit incompetens ad iudicandum de illa. Reſpondetur, quod, quamuis Iudex eccleſiaſticus ſit incompetens ad decidendas cauſſas temporales, non eſt tamen incapax; & ideò, quando incidenter cauſa temporalis nequit decidi, niſi decidatur cauſſa principalis ſpiritualis, tunc ratione annexionis illa trahitur ab iſta, vt euenit in cauſſa dotium reſtituēdarum, quādo reſtitutio dependet ab inualiditate matrimonij, de qua iudicare nullus Iudex ſecularis poteſt, niſi ſolus eccleſiaſticus, cum inter fideles matrimonium ſit ſacramentū, cuius valor eſt ab Eccleſia declarandus: ſecus autem eſſet, ſi principaliter deberet cognoſcere de cauſa dotis, & ſuper eam ferre ſententiam; tunc enim Iudex competens non eſſet eccleſiaſticus, ſed laicus; quia ceſſante connexione cum cauſa ſpirituali remaneret cauſa purè temporalis, quæ ad ſecularem Iudicem ſpectat, vt Pontifex expreſſe declarauit *in cap illo. cauſā quæ.*

CAPVT XI.

Vtrum legatum rei principalis comprehendat acceſſoria?

SAepè euenit, vt quis legatum inſtituat de re aliqua, cui multa annectuntur, quæ eidem rei videntur acceſſoria; proinde non parum iuuat agnoſcere, an connexa comprehendantur, nec ne ſub legato illo? dubitatio autem ex duplici capite oriri poterit; primo ex forma, ſub qua legatum inſtituitur; ſecundo ex ipſiſmet rebus connexis; vtroque modo quæſtio eſt declaranda, & decidenda. Exordior à primo.

Solent Iuriſtę quamdam regulam tradere attendentes ad dictiones appoſitas in ipſa met diſpoſitione, nempe ad dictionem, *Cum*, & dictionem, *Et*, quæ licet interdum confundantur, quatenus per vtramque fit copulatio, & coniunctio earumdem rerum, inter quas dictiones hæ apponuntur; nihilominus ordinariè loquendo, vna dictio differt ab alia, & diuerſam habet vim. Sumendo autem illas, pro vt habent proprium, & diſtinctum ſignificatum. 81

Dicēdum eſt primo. Si legatum fiat de vna re, & per dictionem, *Cum*, legetur res alia, tunc iuxta communē ſententiā vna res ſe habebit principaliter, altera verò acceſſoriè: contra verò eſt, ſi legetur per dictionem, *Et*: Quod ſanè intelligi debet, quādo vna res poteſt alteri accedere, ſeu eſſe alteri acceſſoria; aliàs, etiā ſi legetur apponēdo dictionem, *Cum*, perinde erit, ac ſi apponeretur dictio, *Et*, vt animaduertit *Vinnius in lib. Inſtit. lib. 2. de legatis tit. 2. §. ſi quis Ancillas n. 10.* & ideo, ſi quis legans equum, & bouem dicat; lego equum cum boue, bos non veniet acceſſoriè, & perinde eſt, ac ſi dictum fuiſſet, lego equū, & bouem; quia vterque principaliter ſe habet, & neuter poteſt accedere. Non ita procedit exemplum, quod exſtat in *L. 1. ff. de peculio legato.* nempe, ſi quis leget alicui Titiū ſeruū, & addat verba hæc, videlicet, *cum peculio*, in hac diſpoſitione dictio illa, *Cum* acceſſoriè coniungit peculium cum Titio ſeruo legato; ſecus ſi legando dicat, ſeruum, & peculium, ita Canoniſtæ, quos laudat, & ſequitur *Sanchez lib. 7. in decal. cap. 1. n. 22. 23. Bartholus in Authent.*

tbent Ingreſſi. C. de ſac. ſanc. Eccl. Menochius de præſump. lib. 4 præſump. 70. n 10.32 & colligitur expreſſe ex *L. ſi cui fundum ff de fundo inſtructo*, & declarat *Gloſ. ibidem*, & alij apud *Sãchez*.

Verũtamen *Decius in Auth. cit.* reijcit differentiã hanc, vultq; diuerſitatem non ex ipſis dictionibus, ſed ex ſubiecta materia eſſe deſumendã, ſiue apponatur dictio, *Cum*, ſiue, *Et*: idq; probat primò ex *L. Titiæ Textores. §. nihil diſtat. ff. de leg.* 1. vbi dicitur nihil diſtare, ſeu differre, ſi legetur Titio, & Mæuio, ſeu Titio cũ Mæuio. Secũdò ex *L. ſi quis inquilinos ver. Si ita legatum ff eo.* vbi dicitur idem eſſe legatũ quandò legatur domus, & fundus, ac domus cum fundo. Tertiò denique ex Auth. *Ingreſſi cit* vbi habetur, quòd ingrediẽtes monaſterium ſe, & ſua dedicant, & tamẽ non obſtante dictione illa, *Et*, bona dedicata certum eſt venire acceſſoriè: ergo, ait ipſe, dictiones illæ, *Cum, Et*, non variãt modũ legati; ac proindè non ex illis, ſed ex ſubiecta materia colligi debet, an aliqua res legata veniat principaliter, an verò acceſſoriè.

Ità probat Decius ſuam ſententiam, quam tamen non admitto, niſi in caſu, quo voluntas teſtatoris legantis aliundè colligeretur diſcrepare à forma legati facta cum alterutra ex illis dictionibus: tũc enim licet res aliqua legetur ſimul cum alia, & apponatur dictio *Cum*, ſi tamẽ ex coniecturis habebimus, voluntatẽ teſtatoris fuiſſe legare principaliter vtramque rem, tunc procul dubio non erit attendenda forma, ſed mens teſtatoris aliundè manifeſta; & è conuerſo, ſi ex coniecturis comprehendatur, voluntatem teſtatoris fuiſſe legare vnam rem principaliter, aliã verò acceſſoriè, nihil erit curandum de forma legati habentis dictionem *Et*; ſed forma ipſa erit accommodanda ad intẽtionem, & mentem teſtantis: per ſe autẽ loquendò, cum non concurrunt contrariæ præſumptiones, & coniecturæ, firma erit regula aſſignata: rationes vero à *Decio* allatæ facilẽ admittunt ſolutionẽ, & leges adductæ accommodam explicationẽ.

82 Ad Legẽ igitur *Titia Textores* reſpondetur; ibi materiam legati eſſe hominẽ; legati. n. fuerunt ſerui Textores, & Vetnę; homo autem ob ſuam dignitatem in Iure non ſumitur acceſſoriè ad alium hominẽ; nam homines ſecundum naturam ſpectati ſunt paris conditionis; & ideo dictio, *Cum*, non erit ſufficiens ad faciendum, vt homo homini ſit acceſſorius, vt habetur *in L. Iuſtiſſimè initio. ff. de ædilitio. ædic.* & docent communiter Authores, inter quos *Baldus conſ 409 vol 1. Soccin conſil 40. num 1. Barboſa in varijs tractatibus de dict. vſu frequent. dict 75. num. 10. Sanchez loco cit. & alij*. quod tamen intelligi debet naturaliter de homine, vt homo eſt; nam legaliter nil prohibet, quin poſſit acceſſoriè ſe habere ad aliquod legatum, quatenus eſt tali ratione legali affectus. V. g Si quis relinquat vineam cum decem Agricolis ſeruis, vt in ea laborent; in hoc caſu agricolæ videntur venire acceſſoriè ad legatũ vineę, ita vt legatarius nequeat eos habere, niſi vineam obtineat.

Ad aliam verò legem reſpondetur cũ Gloſs. *in L. cit. Si cui fundum. verb Nihil intereſt, ff. de fundo inſtructo.* ibi enim declarat, quo ſenſu à Iuris conſulto dicatur, nihil intereſſe inter vtramque formã legandi per dictionem, *Cum*, & dictionem, *Et*, dicens, non eſſe diſcrimẽ quo ad rem, vt relictam; nam vtraque res legatur; ſed ſolum differentiam eſſe quoad extinctionem; quia res, quæ venit acceſſoriè, ceſſat ceſſante principali; cõtra verò ceſſante acceſſorio non ceſſat, ſed remanet principale.

Ad vltimum deſumptum *ex Authent. Ingreſſi.* reſpondeo *cum Iaſone ibidem num.* 39. verba illa, *Ingreſſi in monaſterium ſe, & ſua dedicant*, eſſe malè trãſlata ab Irnerio; nam verba prædicta deſumpta ſunt *ex Authent. illud. de Monachis*, vbi habetur, bona ſequi monachũ, non autem dicuntur ingreſſi, ſe, ſuaque dedicare. Ex his plura colligi poſſunt.

Et primò colligitur, quod, ſi quis lega- 83
uerit prædium aliquod cum peculio, ſi legatum ob aliquem defectum erit nullum reſpectu prædij, erit conſequenter nullũ reſpectu peculij, quod eſt acceſſorium. ita *Honded conſ 91. num 13. volum. 1. Barboſa dict cit. num. 16.* vbi in confirmationem affert quamdam deciſionem *Rotæ deciſ. 709. n 6 par. 1.*

Colligitur ſecundò, legatum vaccæ præ- 84
gnantis, ſi vacca moriatur, effici nullum; vitulum autem nõ deberi legatario, quia ſe habet acceſſoriè ad vaccam, quæ eſt principalis; ſecus autem, ſi legata fuiſſet vacca & vitulus; tunc enim ambo principaliter venirent.

Colligitur tertio, quod in legato, ſiue 85
in locatione domus comprehenduntur

apo-

Digitized by Google

apothecæ, quæ adhærent eidem domui: & hoc, quia ad illam acceſſoriè ſe habet. Hanc autem ſententiam quamplures docent, quos laudat, & ſequitur *Mantica de coniecturis vlt. volunt. lib. 9. tit. 2 nu. 37. & 38.* reſpondens pariter ad inſtantias contrarias: ideque docet *Gratianus in diſcept. foren. vol. 4. diſcept. 77. per totam.*

86 Colligitur quartò. Si quis relinquat vxori, vel alteri lectum, debet id intelligi de lecto inſtructo, & apparato, illis tamen ornamentis, quæ congruunt legatario. ita *Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 11. num. 17. Gratian. diſcept. 510. vol 4. num. 12. & 13.* & quamplures apud ipſum; & hoc, quia talia ornamenta, ſeu ſtramenta ſunt acceſſoria ad lectum ipſum: quænam autem ſint ornamenta hæc, declarat ibidem ipſe Gratianus.

CAPVT XII.

Si legetur res pluribus conſiſtens corporibus, & vnum ex illis deſinat, an legatum quoad reliqua tanquam acceſſoria extinguatur?

87 PRo huius quæſiti intelligentia formo caſum, eodem vtens exemplo, quod in iure ciuili habetur, & tale eſt. Titius relinquat Sorti in vim legati quadrigam, & Titio ipſo viuente pereat vnus equus ex quatuor ducentibus quadrigam, ita vt alius loco prioris equi mortui minimè ſubrogetur. Quæritur vtrum nulla alia à Titio diſpoſitione facta Sortes tanquam legatarius, ſuccedat in reliquis, quæ remanent, nempè in alijs equis, curru; &c. an verò hæc ſe habeant tanquam acceſſoria, & conſequenter, ceſſante principali, videlicet pereunte equo, qui conſtituebat quadrigam, legatum cenſeatur extinctum? quæ dico de quadriga, etiam intelligo de alijs ſimilibus.

Hunc caſum exagitant ſcribētes *in L. peculium § Quadriga ff. de legat. 2.* & vario modo loquūtur; nā *Bartholus* ibidē, ad hoc vt tale ceſſet legat, oportere aſſerir, vt pereat non quicumque ex quatuor illis equis, ſed principalis, nempe ille, qui demonſtrabat, vt ipſe loquitur, & dirigebat quadrigam. At *Gloſſ.* in expoſitione caſus, & in *L. Quid tamen ver. quadriga, ff. quibus mod. vſus fruct. amitt.* videtur velle, quòd quocumque equo mortuo ceſſet legatum: quā Gloſſam ipſemet *Bartholus in L. cit.* refert pro hac opinione, in qua etiam videtur eſſe *Baldus* ibidem in fine eiuſdem §. *Quadriga.*

Dicendum eſt. Si legatum fuerit de ipſa quadriga, & poſtea, viuente teſtatore, moriatur vnus equus, & alius non ſubrogetur, ceſſabit legatum; ſi verò legatum fuerit de vſu equorum ducentium ipſam quadrigam, non ceſſabit. 88
Concluſio iſta quoad vtramque partem expreſsè habetur *in d. L. Quid tamen. §. fin.* & notat Gloſs. ibidem. Ratio pro vtraque parte eſt manifeſta: prima autem pars ſuadetur, quia pereunte vno ex quatuor equis, alio non ſubrogato perit forma quadrigæ, eiuſque definitio; proinde, cum reliqua ſe habeant tamquam acceſſoria, legatum nequit perſiſtere. Secunda vero pars eſt manifeſta, quia cum legatus fuerit vſus fructus equorum, quamuis vnus pereat, poterit vſus fructus haberi in reliquis remanentibus. Et confirmatur à pari; nam ſi legetur peculium, & poſtea minuatur, debebitur legatario, quod ſupereſt *L. Peculium ff. de leg. 2.* quia quælibet pars remanens erit peculium. ſic *Barth. Baldus*, & alij loc. cit. Similiter ſi legetur grex ouium quoad proprietatē, etiam ſi aliquæ ex ouibus pereant, imò omnes, vna excepta, legatum non extinguetur quoad hanc vnam ouem, quæ ſuperuixerit; & ideò debebitur legatario, vt ſtatuitur in *L. ſi grege ff de leg. 1.* & notant ibidem ſcribentes. dixi, ſi grex legatus fuerit quoad proprietatem; nam ſi fuerit quoad vſum fructum, & numerus ouiū diminueretur, ita vt qui remanent, non poſſent gregem conſtituere, tunc extingueretur legatum, cum decem oues ad minus ſint neceſſariæ ad gregem ouium conſtituendū, vt notat *Gloſſ. in inſt. § ſi grex. de legatis*, & alij communiter: ratio autem diſparitatis eſt, quia quando legatum eſt quoad proprietatē, transfertur dominium in legatarium eo modo, quo erat in teſtatore, & ſic omnia erunt ſub dominio ipſius legatarij: in ſecundo autem caſu, vſus fructus, qui legatur, nō eſt quicunque, ſed talis, qui procedat à grege: nomine autem gregis in Iure ad minus venit numerus denarius ouium; vnde, quamuis pereunte vna ex eis, ex nouem remanentibus poſſit percipi fruc-

tus, nihilominus in legato non fuit relictus vſus fructus, vt ſic, ſed vt procedens à grege; propterea, extincta forma gregis, extinguitur vſusfructus à tali forma procedens: verba autem teſtatoris legantis vſum fructum non ouium, vt ſic, ſed ouiū vt conſtituentium gregem, interpretanda ſunt iuxta ius commune, quod non aliter gregem intelligit, niſi ſaltem adſit numerus denarius ouium, vt dixi. Quod autem remaneat legatum, quamuis ad vnam ouem grex reducatur, habetur in L. *ſi grege. ff. de legat.* 1. quod autem extinguatur diminuto numero animaliū neceſſario ad conſtituendum gregem, ſiue armentum, ſi legatus fuit vſus fructus, ſtatuitur in L. *Cum gregis. fin. ff. quibus modis vſu fruct.* vbi ſcribentes, & alij. Maneat igitur, veram eſſe concluſionem principalē, quo ad vtramque partem.

89 Sed contra priorem partem obijcies ſumendo argumentum à pari. Quando legatur grex quo ad proprietatem, & vna ſupereſt ouis, mortuis alijs, debetur hęc vna legatario, vt dictum eſt, & tamen forma gregis non remanet: ergo, quando legatum eſt de quadriga, licet vnus equus pereat, poterit legatum remanere quoad reliquos. & confirmatur; nā ſi legatur domus, & poſtea corruat, debetur legatario area, in qua extabat domus illa, vt docent Authores ex L. *cit. ſi grege. Bartholus, Baldus, ibidem, & alij.* Ergo idem erit dicendum in caſu noſtro de quadriga.

Reſpondeo primo, quòd, ſi ſequamur ſententiam Bartholi, & aliorum, qui docent, tunc legatum quadrigæ exſtingui, quando perit equus ille, qui eſt principalis, nempè ille, qui dirigit, & demoſtrat quadrigam, facilis erit ſolutio, videlicet, in grege non haberi ouem aliquam, quæ ſit principalior reliquis, & quæ conſtituat gregem, illumque dirigat; & ideo mortuis omnibus, vna, quæ remanet æquè ſe habens cum alijs, debebitur legatario. *S*imiliter, quamuis domus legata corruat, remanet tamen area, quæ potiſſima pars eſt, vt notat ipſe Bartholus in ea lege, & dicitur in L. *ſolum* 52. *ff. de rei vendicat Gloſſ. ibi ver. Aedium*, & ideo locum nō habet regula de acceſſorio, cum id, quod principalius erat in domo remanſerit. Maior autem difficultas eſt, ſi aliam ſequamur ſententiam cum Gloſſa docente, quicumque equus pereat, extingui legatum, quia ob mortem cuiuslibet equi ex quatuor, tollitur forma quadrigæ; maior, inquam, difficultas eſt ad ſoluēdam obiectionem vi talis ſententię: Sed nihilominus poſſet quis reſpōdere cum *Oinotomo* §. *cit. ſi Grex legatus. n.* 5. legatum gregis eſſe legatū cuiuſdam rei vniuerſalis, quod, dum legatur, non ſolum intelligitur legari ipſum totū, vt ſic, ſed dicuntur legatæ ſingulæ eius partes; & ideo ſiuè grex ipſe augeatur, ſiue diminuatur, ſemper aſſignari debet legatario eo modo, quo reperitur poſt mortem teſtatoris: & quamuis ab initio grex non intelligatur conſtitutus, niſi ad minus ſint decem oues; ſemel tamen conſtitutus, ſemper retinet nomē gregis, etiam ſi ad vnam ouem reducatur.

Ex hac doctrina, quā tradit Author iſte, cōgruam aſſignare poſſumus diſparitatē inter legatum gregis, & legatum quadrigæ in ordine ad prædictum effectum; ideoque dicimus, legatum gregis eſſe quoddam legatum vniuerſale, ſi fuit relictum quoad proprietatem, non quo ad vſum fructum dumtaxat: proinde legatum cum ſit quo ad proprietatem, itá afficit totū, vt etiam ſingulas eius partes afficiat; at legatum quadrigæ non eſt vniuerſale, cum in tali legato potius intendatur currus ſub tali forma, ſeu figura, conſtās ex quatuor equis: quæ quidem forma non ſaluatur in equis ſeparatim acceptis, ſed in omnibus quatuor indiuiſibiliter ſūptis; idcircò manifeſtum diſcrimen eſt inter vnum, & alterum legatum. 90

Sed in contrarium quis vrgere poſſet probando paritatem tali ratione. In legato gregis ſi remaneat vna, aut altera ouis, non ſaluatur forma gregis; & tamen hoc non obſtante dictum eſt, binas illas oues eſſe legatario tradendas: ita à pari, quamuis in legato quadrigæ pereat forma, pereunte tamen vno, aut altero equo debētur legatario equi ſuperſtites; ergo eadem videtur paritas inter vtrumque legatum. 91

Reſpōdeo, negando adhuc paritatem; quia legatum gregis, vt ſupponitur, factū fuit ſecundum proprietatem ouium; & ideò ſi tempore, quo legatum fuit inſtitutum, vigebat forma gregis, etiam ſi poſtea morientibus ouibus forma deperdatur, nihilominus remanebit legatario ius proprietatis initio acquiſitum in ordine ad oues ſuperſtites, quamuis tunc ob paucitatem nequeant formam gregis conſtituere: ſed legatum quadrigæ non fuit tali pacto inſtitutum, nempe

quoad

quoad proprietatem, ſed quoad formam tantùm, quæ non ſaluatur in ſingulis; & ideò cum manifeſta ſit diſparitas, neganda eſt ad argumẽtum conſequentia. Curreret tamen paritas, ſi legatum quadrigæ inſtitutum fuiſſet quoad proprietatem; tunc enim deberentur legatario equi remanentes, mortuis alijs: At ſi diceretur legatum gregis quoad formam tantum inſtitutum fuiſſe, & non quoad proprietatem, in tali caſu deſtructa forma gregis oues ſuperſtites non deberentur legatario; & hoc modo haberetur paritas inter vtrumque legatum: ſed in præſentia ſupponitur diuerſitas in modo, ſub quo teſtator legatum inſtituit, vt ſupra declaratum eſt.

Confirmari etiam poteſt principalis ſẽtentia, quam ſequimur, hac paritate. Nam vniuerſitas, ſeu collegium nequit primo conſtitui ex vno tantum homine, ſed requiruntur tres, aut ſaltem duo; conſtituto tamen collegio, ſi vnus tantum ex omnibus remaneat, dicitur remanere collegium, quia, licet non maneãt res, nẽpè homines, qui initio illud conſtituerunt, neque alij loco priorum; nihilominus quia ſuperſunt bona, & iura eiuſdem collegij, dicitur remanere Collegium, quamuis in vno tantum homine, vt notat *Gloſ. L. ſicut municipium. ff. quod cuiuſque, &c. ver. nomen vniuerſitatis*; dicitur enim manſiſſe ſchola *S. Ambroſij*, vno ſolo ſuperſtite. Ita à pari grex, quando vna tãtum ouis remanet, dicitur remanere, non quidẽ quoad iura, quoniã vniuerſitas hæc animalium non habet, neque bona, neque iura; ſed quoad nomen tantum: & ideò rectè dicit *Gloſ. L. Si grege. ver. deſiſſet eſſe ff. delegat.* 1. non durare, quod rem; quia non habentur bona, aut iura, ratione quorum grex quo ad rem dicatur durare, ſicuti dicuntur durare vniuerſitates hominum: benè tamen dicitur durare quoad nomen: quod diſcrimen notat *Bartholus in dict. L. ſi Grex*.

CAPVT XIII.

Num Prælatus mittens ſubditum ab alieno Epiſcopo ſacris initiandum, cenſeatur acceſſoriè eidẽ Epiſcopo ordinanti concedere, vt cum tali ſubdito diſpenſet in irregularitate, aut alijs impedimentis, in quibus ipſe, vti proprius Prælatus, diſpenſare poſſet.

CAſus ita figuratur. Archiepiſcopus v.g. Panormitanus concedit Titio volenti ſacris ordinibus inſigniri, vt promoueatur ab Archiepiſcopo Montis Regalis, & in hunc finem litteras dimiſſorias more ſolito eidem Titio tradit: ſed euenit, vt Titius affectus inueniatur quadam irregularitate, in qua poſſet Epiſcopus diſpenſare: quæritur num Archiepiſcopus Panormitanus, qui propriũ ſubditum alteri Prælato ſubijcit, vt ab illo ordinetur, implicitè, & virtualiter cẽſeatur vices ſuas eidem Prælato concedere, vt diſpenſet cum Titio in omni eo, quod ſuſceptionem ipſam ſacrorum ordinum impedit?

92 Prima opinio affirmat, ita *Angelus v. Irregularitas. num.* 34. *Syluester ibidem quæſt.* 9. *in fine, Armilla num.* 81. *Henriquez in ſumma lib.* 14. *cap.* 17. *nu.* 4. *Maiolus de irregul. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 14. *Auila de cenſ. par.* 7 *diſput.* 10. *dub.* 6. *in* 3. *notando* (licet duplici adhibita limitatione id concedat. Primo ſcilicet ſi Prælatus mittens ſubditum habeat talem intentionem, nempè, vt Epiſcopus ordinans cum ipſo ſubdito diſpenſet. Secũdo, vt diſpenſatio hæc proſit in foro tantum conſcientiæ, non autem in foro externo) Hanc tamẽ eãdẽ ſententiã abſolutè amplectitur *P. Diana par.* 10. *tract.* 3. Probatur quidẽ argumẽto ex vtroq; iure: videlicet, quòd; cum delegato committitur cauſa aliqua, datur conſequenter acceſſoriè poteſtas in alijs, ſine quibus cauſa expediri nequit, vt patet in *Ca. præterea in fine. de offic. Iud. deleg.* & ibi ſcribentes: & hoc ipſum expreſsè habetur *in L.* 2. *ff. de Iuriſdict. omniũ Iudic.* ſed in caſu noſtro Titius neq; promoueri ab Archiepiſcopo Montis Regalis, cui delegata fuit promotio ad ſacros ordines, niſi tollatur impedimentũ irregularitatis, in qua diſpenſare poterat Archiepiſcopus Panormitanus; ergo poterit Archiepiſcopus Montis regalis diſpenſare: quia eo ipſo, quod illi fuit promotio delegata, intelligitur conceſſa facultas tollendi contraria illa, quæ promotionis executionem impediunt.

Secunda opinio eſt directè contraria, negans, poſſe in caſu poſito ab Epiſcopo delegato diſpenſari cum Titio in impedimento irregularitatis, aut in alio ſimili. ita *Nauarr. lib.* 1. *conſil. de tempor. ordin. conſil.* 12. & 13. *in ſecunda editione. Rodriquez in ſumma par.* 2. *cap.* 14. *concl.* 10. *in fine, Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *nu.* 25. *Petrus de Ledeſma de Sacram.* 93

tus, nihilominus in legato non fuit relictus vſus fructus, vt ſic, ſed vt procedens à grege; propterea, extincta forma gregis, extinguitur vſusfructus à tali forma procedens: verba autem teſtatoris legantis vſum fructum non ouium, vt ſic, ſed ouiũ vt conſtituentium gregem, interpretanda ſunt iuxta ius commune, quod non aliter gregem intelligit, niſi ſaltem adſit numerus denarius ouium, vt dixi. Quod autem remaneat legatum, quamuis ad vnam ouem grex reducatur, habetur in L. *ſi grege. ff. de legat.* 1. quod autem extinguatur diminuto numero animaliũ neceſſario ad conſtituendum gregem, ſiue armentum, ſi legatus fuit vſus fructus, ſtatuitur in L. *Cum gregis. fin. ff. quibus modis vſu fruct.* vbi ſcribentes, & alij. Maneat igitur, veram eſſe concluſionem principalẽ, quo ad vtramque partem.

89 Sed contra priorem partem obijcies ſumendo argumentum à pari. Quando legatur grex quo ad proprietatem, & vna ſupereſt ouis, mortuis alijs, debetur hęc vna legatario, vt dictum eſt, & tamen forma gregis non remanet: ergo, quando legatum eſt de quadriga, licet vnus equus pereat, poterit legatum remanere quoad reliquos. & confirmatur; nã ſi legatur domus, & poſtea corruat, debetur legatario area, in qua extabat domus illa, vt docent Authores ex L. *cit. ſi grege. Bartholus, Baldus, ibidem, & alij.* Ergo idem erit dicendum in caſu noſtro de quadriga.

Reſpondeo primo, quòd, ſi ſequamur ſententiam Bartholi, & aliorum, qui docent, tunc legatum quadrigæ extingui, quando perit equus ille, qui eſt principalis, nempè ille, qui dirigit, & demonſtrat quadrigam, facilis erit ſolutio, videlicet, in grege non haberi ouem aliquam, quæ ſit principalior reliquis, & quæ conſtituat gregem, illumque dirigat; & ideo mortuis omnibus, vna, quæ remanet æquè ſe habens cum alijs, debebitur legatario. Similter, quamuis domus legata corruat, remanet tamen area, quæ potiſſima pars eſt, vt notat ipſe Bartholus in ea lege, & dicitur in L. *ſolum* 52. *ff. de rei vendicat Gloſs. ibi ver. Aedium.* & ideo locum nõ habet regula de acceſſorio, cum id, quod principalius erat in domo remanſerit. Maior autem difficultas eſt, ſi aliam ſequamur ſententiam cum Gloſſa docente, quicumque equus pereat, extingui legatum, quia ob mortem cuiuslibet equi ex quatuor, tollitur forma quadrigæ; maior, inquam, difficultas eſt ad ſoluẽdam obiectionem vi talis ſententię: Sed nihilominus poſſet quis reſpõdere cum *Oinotomo §. cit. ſi Grex legatus. n.* 5. legatum gregis eſſe legatũ cuiuſdam rei vniuerſalis, quod, dum legatur, non ſolum intelligitur legari ipſum totũ, vt ſic, ſed dicuntur legatæ ſingulæ eius partes; & ideo ſiue grex ipſe augeatur, ſiue diminuatur, ſemper aſſignari debet legatario eo modo, quo reperitur poſt mortem teſtatoris: & quamuis ab initio grex non intelligatur conſtitutus, niſi ad minus ſint decem oues; ſemel tamen conſtitutus, ſemper retinet nomẽ gregis, etiam ſi ad vnam ouem reducatur.

Ex hac doctrina, quã tradit Author iſte, cõgruam aſſignare poſſumus diſparitatẽ inter legatum gregis, & legatum quadrigæ in ordine ad prædictum effectum; ideoque dicimus, legatum gregis eſſe quoddam legatum vniuerſale, ſi fuit relictum quoad proprietatem, non quo ad vſum fructum dumtaxat: proinde legatum cum ſit quo ad proprietatem, ita afficit totũ, vt etiam ſingulas eius partes afficiat; at legatum quadrigæ non eſt vniuerſale, cum in tali legato potius intendatur curſus ſub tali forma, ſeu figura, conſtãs ex quatuor equis: quæ quidem forma non ſaluatur in equis ſeparatim acceptis, ſed in omnibus quatuor indiuiſibiliter ſũptis; idcircò manifeſtum diſcrimen eſt inter vnum, & alterum legatum. 90

Sed in contrarium quis vrgere poſſet probando paritatem tali ratione. In legato gregis ſi remaneat vna, aut altera ouis, non ſaluatur forma gregis; & tamen hoc non obſtante dictum eſt, binas illas oues eſſe legatario tradendas: ita à pari, quamuis in legato quadrigæ pereat forma, pereunte tamen vno, aut altero equo debẽtur legatario equi ſuperſtites; ergo eadem videtur paritas inter vtrumque legatum. 91

Reſpõdeo, negando adhuc paritatem; quia legatum gregis, vt ſupponitur, factũ fuit ſecundum proprietatem ouium; & ideò ſi tempore, quo legatum fuit inſtitutum, vigebat forma gregis, etiam ſi poſtea morientibus ouibus forma deperdatur, nihilominus remanebit legatario ius proprietatis initio acquiſitum in ordine ad oues ſuperſtites, quamuis tunc ob paucitatem nequeant formam gregis conſtituere: ſed legatum quadrigæ non fuit tali pacto inſtitutum, nempe

quoad

quoad proprietatem, ſed quoad formam tantùm, quæ non ſaluatur in ſingulis; & ideò cum manifeſta ſit diſparitas, neganda eſt ad argumẽtum conſequentia. Curreret tamen paritas, ſi legatum quadrigæ inſtitutum fuiſſet quoad proprietatem; tunc enim deberentur legatario equi remanentes, mortuis alijs: At ſi diceretur legatum gregis quoad formam tantum inſtitutum fuiſſe, & non quoad proprietatem, in tali caſu deſtructa forma gregis oues ſuperſtites non deberentur legatario; & hoc modo haberetur paritas inter vtrumque legatum: ſed in præſentia ſupponitur diuerſitas in modo, ſub quo teſtator legatum inſtituit, vt ſupra declaratum eſt.

Confirmari etiam poteſt principalis ſẽtentia, quam ſequimur, hac paritate. Nam vniuerſitas, ſeu collegium nequit primo conſtitui ex vno tantum homine, ſed requiruntur tres, aut ſaltem duo; conſtituto tamen collegio, ſi vnus tantum ex omnibus remaneat, dicitur remanere collegium, quia, licet non maneãt res, nẽpè homines, qui initio illud coſtituerunt, neque alij loco priorum; nihilominus quia ſuperſunt bona, & iura eiuſdem collegij, dicitur remanere Collegium, quamuis in vno tantum homine, vt notat *Gloſ. L. ſicut municipium. ff. quod cuiuſque, &c. ver. nomen vniuerſitatis*; dicitur enim manſiſſe ſchola S. Ambroſij, vno ſolo ſuperſtite. Ita à pari grex, quando vna tãtum ouis remanet, dicitur remanere, non quidẽ quoad iura, quoniã vniuerſitas hæc nimalium non habet, neque bona, neque iura; ſed quoad nomen tantum: & ideò rectè dicit *Gloſ. L. Si grege. ver. deſiiſſet eſſe ff. delegat.* 1. non durare, quod rem; quia non habentur bona, aut iura, ratione quorum grex quo ad rem dicatur durare, ſicuti dicuntur durare vniuerſitates hominum; benè tamen dicitur durare quoad nomen: quod diſcrimen notat *Bartholus in dict. L. ſi Grege.*

CAPVT XIII.

Num Prælatus mittens ſubditum ab alieno Epiſcopo ſacris initiandum, cenſeatur acceſſoriè eidẽ Epiſcopo ordinanti concedere, vt cum tali ſubdito diſpenſet in irregularitate, aut alijs impedimentis, in quibus ipſe, vti proprius Prælatus, diſpenſare poſſet.

CAſus ita figuratur. Archiepiſcopus v. g. Panormitanus concedit Titio volenti ſacris ordinibus inſigniri, vt promoueatur ab Archiepiſcopo Montis Regalis, & in hunc finem litteras dimiſſorias more ſolito eidem Titio tradit: ſed euenit, vt Titius affectus inueniatur quadam irregularitate, in qua poſſet Epiſcopus diſpenſare: quæritur num Archiepiſcopus Panormitanus, qui propriũ ſubditum alteri Prælato ſubijcit, vt ab illo ordinetur, implicitè, & virtualiter cẽſeatur vices ſuas eidem Prælato concedere, vt diſpenſet cum Titio in omni eo, quod ſuſceptionem ipſam ſacrorum ordinum impedit?

Prima opinio affirmat, ita *Angelus v. Irregularitas. num.* 34. *Syluester ibidem quæſt.* 9. *in fine, Armilla num.* 81. *Henriquez in ſumma lib.* 14. *cap.* 17. *nu.* 4. *Maiolus de irregul. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 14. *Auila de cenſ. par.* 7 *diſput.* 10. *dub.* 6. *in* 3. *notando* (licet duplici adhibita limitatione id concedat. Primo ſcilicet ſi Prælatus mittens ſubditum habeat talem intentionem, nempè, vt Epiſcopus ordinans cum ipſo ſubdito diſpenſet. Secũdo, vt diſpenſatio hæc proſit in foro tantum conſcientiæ, non autem in foro externo) Hanc tamẽ eãdẽ ſententiã abſolutè amplectitur *P. Diana par.* 10. *tract.* 3. Probatur quidẽ argumẽto ex vtroq; iure videlicet, quòd; cum delegato committitur cauſsa aliqua, datur conſequenter acceſſoriè poteſtas in alijs, ſine quibus cauſſa expediri nequit, vt patet in *Ca. præterea in fine. de offic. Iud. deleg.* & ibi ſcribentes: & hoc ipſum expreſsè habetur *in L.* 2. *ff. de Iuriſdict. omniũ Iudic.* ſed in caſu noſtro Titius neq; promoueri ab Archiepiſcopo Montis Regalis, cui delegata fuit promotio ad ſacros ordines, niſi tollatur impedimentũ irregularitatis, in quo diſpenſare poterat Archiepiſcopus Panormitanus; ergo poterit Archiepiſcopus Montis regalis diſpenſare: quia eo ipſo, quod illi fuit promotio delegata, intelligitur conceſſa facultas tollendi contraria illa, quæ promotionis executionem impediunt. 92

Secunda opinio eſt directè contraria, negans, poſſe in caſu poſito ab Epiſcopo delegato diſpenſari cum Titio in impedimento irregularitatis, aut in alio ſimili. ita *Nauarr. lib.* 1. *conſil. de tempor. ordin. conſil.* 12. *&* 13. *in ſecunda editione. Rodriquez in ſumma par.* 2. *cap.* 14. *concl.* 10. *in fine, Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *nu.* 25. *Petrus de Ledeſma de Sacram.* 93

ctus, nihilominus in legato non fuit relictus vſus fructus, vt ſic, ſed vt procedens à grege; propterea, extincta forma gregis, extinguitur vſusfructus à tali forma procedens: verba autem teſtatoris legantis vſum fructum non ouium, vt ſic, ſed ouiũ vt conſtituentium gregem, interpretanda ſunt iuxta ius commune, quod non aliter gregem intelligit, niſi ſaltem adſit numerus denarius ouium, vt dixi. Quod autem remaneat legatum, quamuis ad vnam ouem grex reducatur, habetur in L. *ſi grege. ff. de legat.* 1. quod autem extinguatur diminuto numero animaliũ neceſſario ad conſtituendum gregem, ſiue armentum, ſi legatus fuit vſus fructus, ſtatuitur in L. *Cum gregis. fin. ff. quibus modis vſu fruct.* vbi ſcribentes, & alij. Maneat igitur, verum eſſe concluſionem principalẽ, quo ad vtramque partem.

89 Sed contra priorem partem obijcies ſumendo argumentum à pari. Quando legatur grex quo ad proprietatem, & vna ſupereſt ouis, mortuis alijs, debetur hęc vna legatario, vt dictum eſt, & tamen forma gregis non remanet: ergo, quando legatum eſt de quadriga, licet vnus equus pereat, poterit legatum remanere quoad reliquos. & confirmatur; nã ſi legatur domus, & poſtea corruat, debetur legatario area, in qua extabat domus illa, vt docent Anthores ex L. *cit. ſi grege. Bartholus, Baldus, ibidem, & alij.* Ergo idem erit dicendum in caſu noſtro de quadriga.

Reſpondeo primo, quòd, ſi ſequamur ſententiam Bartholi, & aliorum, qui docent, tunc legatum quadrigæ extingui, quando perit equus ille, qui eſt principalis, nempè ille, qui dirigit, & demoſtrat quadrigam, facilis erit ſolutio, videlicet, in grege non haberi ouem aliquam, quæ ſit principalior reliquis, & quæ conſtituat gregem, illumque dirigat; & ideo mortuis omnibus, vna, quæ remanet æquè ſe habens cum alijs, debebitur legatario. Similter, quamuis domus legata corruat, remanet tamen area, quæ potiſſima pars eſt, vt notat ipſe Bartholus in ea lege, & dicitur in L. *ſolum* 52. *ff. de rei vendicat Gloſs. ibi ver. Aedium.* & ideo locum nõ habet regula de acceſſorio, cum id, quod principalius erat in domo remanſerit. Maior autem difficultas eſt, ſi aliam ſequamur ſententiam cum Gloſſa docente, quicumque equus pereat, extingui legatum, quia ob mortem cuiuslibet equi ex quatuor, tollitur forma quadrigæ; maior, inquam, difficultas eſt ad ſoluẽdam obiectionem vi talis ſententię: Sed nihilominus poſſet quis reſpõdere cum *Oinotomo* §. *cit. ſi Grex legatus. n.* 5. legatum gregis eſſe legatũ cuiuſdam rei vniuerſalis, quod, dum legatur, non ſolum intelligitur legari ipſum totũ, vt ſic, ſed dicuntur legatæ ſingulæ eius partes; & ideo ſiuè grex ipſe augeatur, ſiue diminuatur, ſemper aſſignari debet legatario eo modo, quo reperitur poſt mortem teſtatoris: & quamuis ab initio grex non intelligatur conſtitutus, niſi ad minus ſint decem oues; ſemel tamen conſtitutus, ſemper retinet nomẽ gregis, etiam ſi ad vnam ouem reducatur.

90 Ex hac doctrina, quã tradit Author iſte, cõgruam aſſignare poſſumus diſparitatẽ inter legatum gregis, & legatum quadrigæ in ordine ad prædictum effectum; ideoque dicimus, legatum gregis eſſe quoddam legatum vniuerſale, ſi fuit relictum quoad proprietatem, non quo ad vſum fructum dumtaxat: proinde legatum cum ſit quo ad proprietatem, ita afficit totũ, vt etiam ſingulas eius partes afficiat; at legatum quadrigæ non eſt vniuerſale, cum in tali legato potius intendatur currus ſub tali forma, ſeu figura, conſtãs ex quatuor equis: quæ quidem forma non ſaluatur in equis ſeparatim acceptis, ſed in omnibus quatuor indiuiſibiliter sũptis; idcircò maniſeſtum diſcrimen eſt inter vnum, & alterum legatum.

91 Sed in contrarium quis vrgere poſſet probando paritatem tali ratione. In legato gregis ſi remaneat vna, aut altera ouis, non ſaluatur forma gregis; & tamen hoc non obſtante dictum eſt, binas illas oues eſſe legatario tradendas: ita à pari, quamuis in legato quadrigæ pereat forma, pereunte tamen vno, aut altero equo debẽtur legatario equi ſuperſtites; ergo eadem videtur paritas inter vtrumque legatum.

Reſpõdeo, negando adhuc paritatem; quia legatum gregis, vt ſupponitur, factũ fuit ſecundum proprietatem ouium; & ideò ſi tempore, quo legatum fuit inſtitutum, vigebat forma gregis, etiam ſi poſtea morientibus ouibus forma deperdatur, nihilominus remanebit legatario ius proprietatis initio acquiſitum in ordine ad oues ſuperſtites, quamuis tunc ob paucitatem nequeant formam gregis conſtituere: ſed legatum quadrigæ non fuit tali pacto inſtitutum, nempe

quoad

quoad proprietatem, ſed quoad formam tantùm, quæ non ſaluatur in ſingulis; & ideò cum manifeſta ſit diſparitas, neganda eſt ad argumẽtum conſequentia. Curreret tamen paritas, ſi legatum quadrigæ inſtitutum fuiſſet quoad proprietatem; tunc enim deberentur legatario equi remanentes, mortuis alijs: At ſi diceretur legatum gregis quoad formam tantum inſtitutum fuiſſe, & non quoad proprietatem, in tali caſu deſtructa forma gregis oues ſuperſtites non deberentur legatario; & hoc modo haberetur paritas inter vtrumque legatum: ſed in præſentia ſupponitur diuerſitas in modo, ſub quo teſtator legatum inſtituit, vt ſupra declaratum eſt.

Confirmari etiam poteſt principalis ſẽtentia, quam ſequimur, hac paritate. Nam vniuerſitas, ſeu collegium nequit primo conſtitui ex vno tantum homine, ſed requiruntur tres, aut ſaltem duo; conſtituto tamen collegio, ſi vnus tantum ex omnibus remaneat, dicitur remanere collegium, quia, licet non maneãt res, nẽpè homines, qui initio illud conſtituerunt, neque alij loco priorum; nihilominus quia ſuperſunt bona, & iura eiuſdem collegij, dicitur remanere Collegium, quamuis in vno tantum homine, vt notat *Gloſ. L. ſicut municipium. ff. quod cuiuſque, &c. ver. nomen vniuerſitatis*; dicitur enim manſiſſe ſchola S. Ambroſij, vno ſolo ſuperſtite. Ita à pari grex, quando vna tãtum ouis remanet, dicitur remanere, non quidẽ quoad iura, quoniã vniuerſitas hæc animalium non habet, neque bona, neque iura; ſed quoad nomen tantum: & ideò rectè dicit *Gloſ. L. Si grege. ver. deſiſſet eſſe ff. delegat.* 1. non durare, quod rem; quia non habentur bona, aut iura, ratione quorum grex quoad rem dicatur durare, ſicuti dicuntur durare vniuerſitates hominum: benè tamen dicitur durare quoad nomen: quod diſcrimen notat *Bartholus in dict. L. ſi Grege.*

CAPVT XIII.

Num Prælatus mittens ſubditum ab alieno Epiſcopo ſacris initiandum, cenſeatur acceſſoriè eidẽ Epiſcopo ordinanti concedere, vt cum tali ſubdito diſpenſet in irregularitate, aut alijs impedimentis, in quibus ipſe, vti proprius Prælatus, diſpenſare poſſet.

Caſus ita figuratur. Archiepiſcopus v.g. Panormitanus concedit Titio volenti ſacris ordinibus inſigniri, vt promoueatur ab Archiepiſcopo Montis Regalis, & in hunc finem litteras dimiſſorias more ſolito eidem Titio tradit: ſed euenit, vt Titius affectus inueniatur quadam irregularitate, in qua poſſet Epiſcopus diſpenſare: quæritur num Archiepiſcopus Panormitanus, qui propriũ ſubditum alteri Prælato ſubijcit, vt ab illo ordinetur, implicitè, & virtualiter cẽſeatur vices ſuas eidem Prælato concedere, vt diſpenſet cum Titio in omni eo, quod ſuſceptionem ipſam ſacrorum ordinum impedit?

Prima opinio affirmat. ita *Angelus v. Irregularitas. num.* 34. *Syluester ibidem quæſt.* 9. *in fine, Armilla num.* 81. *Henriquez in ſumma lib.* 14. *cap.* 17. *nu.* 4. *Maiolus de irregul. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 14. *Auila de cenſ. par.* 7 *diſput.* 10. *dub.* 6. *in* 3. *notando* (licet duplici adhibita limitatione id concedat. Primo ſcilicet ſi Prælatus mittens ſubditum habeat talem intentionem, nempè, vt Epiſcopus ordinans cum ipſo ſubdito diſpenſet. Secũdo, vt diſpenſatio hæc proſit in foro tantum conſcientiæ, non autem in foro externo) Hanc tamẽ eãdẽ ſententiã abſolutè amplectitur *P. Diana par.* 10. *tract.* 3. Probatur quidẽ argumẽto ex vtroq; iure videlicet, quòd; cum delegato committitur cauſa aliqua, datur conſequenter acceſſoriè poteſtas in alijs, ſine quibus cauſa expediri nequit, vt patet in *Ca. prætera in fine. de offic. Iud. deleg.* & ibi ſcribentes: & hoc ipſum expreſsè habetur *in L.* 2. *ff. de Iuriſdict. omniũ Iudic.* ſed in caſu noſtro Titius neq; promoueri ab Archiepiſcopo Montis Regalis, cui delegata fuit promotio ad ſacros ordines, niſi tollatur impedimentũ irregularitatis, in qua diſpenſare poterat Archiepiſcopus Panormitanus; ergo poterit Archiepiſcopus Montis regalis diſpenſare: quia eo ipſo, quod illi fuit promotio delegata, intelligitur conceſſa facultas tollendi contraria illa, quæ promotionis executionem impediunt. 92

Secunda opinio eſt directè contraria, negans, poſſe in caſu poſito ab Epiſcopo delegato diſpenſari cum Titio in impedimento irregularitatis, aut in alio ſimili. ita *Nauarr. lib.* 1. *conſil. de tempor. ordin. conſil.* 12. & 13. *in ſecunda editione. Rodriquez in ſumma par.* 2. *cap.* 14. *concl.* 10. *in fine, Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *nu.* 25. *Petrus de Ledeſma de Sacram.* 93

tus, nihilominus in legato non fuit relictus vſus fructus, vt ſic, ſed vt procedens à grege; propterea, extincta forma gregis, extinguitur vſusfructus à tali forma procedens: verba autem teſtatoris legantis vſum fructum non ouium, vt ſic, ſed ouiũ vt conſtituentium gregem, interpretanda ſunt iuxta ius commune, quod non aliter gregem intelligit, niſi ſaltem adſit numerus denarius ouium, vt dixi. Quod autem remaneat legatum, quamuis ad vnam ouem grex reducatur, habetur in L. *ſi grege. ff. de legat.* 1. quod autem extinguatur diminuto numero animaliũ neceſſario ad conſtituendum gregem, ſiue armentum, ſi legatus fuit vſus fructus, ſtatuitur in L. *Cum gregis. fin. ff. quibus modis vſu fruct.* vbi ſcribentes, & alij. Maneat igitur, veram eſſe concluſionem principalẽ, quo ad vtramque partem.

89 Sed contra priorem partem obijcies ſumendo argumentum à pari. Quando legatur grex quo ad proprietatem, & vna ſupereſt ouis, mortuis alijs, debetur hęc vna legatario, vt dictum eſt, & tamen forma gregis non remanet: ergo, quando legatum eſt de quadriga, licet vnus equus pereat, poterit legatum remanere quoad reliquos. & confirmatur; nã ſi legatur domus, & poſtea corruat, debetur legatario area, in qua extabat domus illa, vt docent Authores ex L. *cit. ſi grege. Bartholus, Baldus, ibidem, & alij.* Ergo idem erit dicendum in caſu noſtro de quadriga.

Reſpondeo primo, quòd, ſi ſequamur ſententiam Bartholi, & aliorum, qui docent, tunc legatum quadrigæ extingui, quando perit equus ille, qui eſt principalis, nempè ille, qui dirigit, & demonſtrat quadrigam, facilis erit ſolutio, videlicet, in grege non haberi ouem aliquam, quæ ſit principalior reliquis, & quæ conſtituat gregem, illumque dirigat; & ideo mortuis omnibus, vna, quæ remanet æquè ſe habens cum alijs, debebitur legatario. Similter, quamuis domus legata corruat, remanet tamen area, quæ potiſſima pars eſt, vt notat ipſe Bartholus in ea lege, & dicitur in L. *ſolum* 52. *ff. de rei vendicat Gloſs. ibi ver. Aedium.* & ideo locum nõ habet regula de acceſſorio, cum id, quod principalius erat in domo remanſerit. Maior autem difficultas eſt, ſi aliam ſequamur ſententiam cum Gloſſa docente, quicumque equus pereat, extingui legatum, quia ob mortem cuiuslibet equi ex quatuor, tollitur forma quadrigæ; maior, inquam, difficultas eſt ad ſoluẽdam obiectionem vi talis ſententię: Sed nihilominus poſſet quis reſpõdere cum *Oinotomo* §. *cit. ſi Grex legatus. n.* 5. legatum gregis eſſe legatũ cuiuſdam rei vniuerſalis, quod, dum legatur, non ſolum intelligitur legari ipſum totũ, vt ſic, ſed dicuntur legatæ ſingulæ eius partes; & ideo ſiuè grex ipſe augeatur, ſiue diminuatur; ſemper aſſignari debet legatario eo modo, quo reperitur poſt mortem teſtatoris: & quamuis ab initio grex non intelligatur conſtitutus, niſi ad minus ſint decem oues; ſemel tamen conſtitutus, ſemper retinet nomẽ gregis, etiam ſi ad vnam ouem reducatur.

Ex hac doctrina, quã tradit Author iſte, cõgruam aſſignare poſſumus diſparitatẽ inter legatum gregis, & legatum quadrigæ in ordine ad prædictum effectum; ideoque dicimus, legatum gregis eſſe quoddam legatum vniuerſale, ſi fuit relictum quoad proprietatem, non quo ad vſum fructum dumtaxat: proinde legatum cum ſit quo ad proprietatem, ità afficit totũ, vt etiam ſingulas eius partes afficiat; at legatum quadrigæ non eſt vniuerſale, cum in tali legato potius intendatur currus ſub tali forma, ſeu figura, conſtãs ex quatuor equis: quæ quidem forma non ſaluatur in equis ſeparatim acceptis, ſed in omnibus quatuor indiuiſibiliter ſũptis; idcircò manifeſtum diſcrimen eſt inter vnum, & alterum legatum. 90

Sed in contrarium quis vrgere poſſet probando paritatem tali ratione. In legato gregis ſi remaneat vna, aut altera ouis, non ſaluatur forma gregis; & tamen hoc non obſtante dictum eſt, binas illas oues eſſe legatario tradendas: ita à pari, quamuis in legato quadrigæ pereat forma, pereunte tamen vno, aut altero equo debẽtur legatario equi ſuperſtites; ergo eadem videtur paritas inter vtrumque legatum. 91

Reſpõdeo, negando adhuc paritatem; quia legatum gregis, vt ſupponitur, factũ fuit ſecundum proprietatem ouium; & ideò ſi tempore, quo legatum fuit inſtitutum, vigebat forma gregis, etiam ſi poſtea morientibus ouibus forma deperdatur, nihilominus remanebit legatario ius proprietatis initio acquiſitum in ordine ad oues ſuperſtites, quamuis tunc ob paucitatem nequeant formam gregis conſtituere: ſed legatum quadrigæ non fuit tali pacto inſtitutum, nempe

quoad

quoad proprietatem, ſed quoad formam tantùm, quæ non ſaluatur in ſingulis; & ideò cum manifeſta ſit diſparitas, neganda eſt ad argumẽtum conſequentia. Curreret tamen paritas, ſi legatum quadrigæ inſtitutum fuiſſet quoad proprietatem; tunc enim deberentur legatario equi remanentes, mortuis alijs: At ſi diceretur legatum gregis quoad formam tantum inſtitutum fuiſſe, & non quoad proprietatem, in tali caſu deſtructa forma gregis oues ſuperſtites non deberentur legatario; & hoc modo haberetur paritas inter vtrumque legatum: ſed in præſentia ſupponitur diuerſitas in modo, ſub quo teſtator legatum inſtituit, vt ſupra declaratum eſt.

Confirmari etiam poteſt principalis ſẽtentia, quam ſequimur, hac paritate. Nam vniuerſitas, ſeu collegium nequit primo conſtitui ex vno tantum homine, ſed requiruntur tres, aut ſaltem duo; conſtituto tamen collegio, ſi vnus tantum ex omnibus remaneat, dicitur remanere collegium, quia, licet non maneãt res, nẽpè homines, qui initio illud conſtituerunt, neque alij loco priorum; nihilominus quia ſuperſunt bona, & iura eiuſdem collegij, dicitur remanere Collegium, quamuis in vno tantum homine, vt notat *Gloſ. L. ſicut municipium. ff. quod cuiuſque, &c. ver. nomen vniuerſitatis*; dicitur enim manſiſſe ſchola S. Ambroſij, vno ſolo ſuperſtite. Ita à pari grex, quando vna tãtum ouis remanet, dicitur remanere, non quidẽ quoad iura, quoniã vniuerſitas hæc nimalium non habet, neque bona, neque iura; ſed quoad nomen tantum: & ideò rectè dicit *Gloſ. L. Si grege. ver. deſiſſet eſſe ff. de legat.* 1. non durare, quod rem; quia non habentur bona, aut iura, ratione quorum grex quo ad rem dicatur durare, ſicuti dicuntur durare vniuerſitates hominum: benè tamen dicitur durare quoad nomen: quod diſcrimen notat *Bartholus in dict. L. ſi Grex*.

CAPVT XIII.

Num Prælatus mittens ſubditum ab alieno Epiſcopo ſacris initiandum, cenſeatur acceſſoriè eidẽ Epiſcopo ordinanti concedere, vt cum tali ſubdito diſpenſet in irregularitate, aut alijs impedimentis, in quibus ipſe, vti proprius Prælatus, diſpenſare poſſet.

CAſus ita figuratur. Archiepiſcopus v.g. Panormitanus concedit Titio volenti ſacris ordinibus inſigniri, vt promoueatur ab Archiepiſcopo Montis Regalis, & in hunc finem litteras dimiſſorias more ſolito eidem Titio tradit: ſed euenit, vt Titius affectus inueniatur quadam irregularitate, in qua poſſet Epiſcopus diſpenſare: quæritur num Archiepiſcopus Panormitanus, qui propriũ ſubditum alteri Prælato ſubijcit, vt ab illo ordinetur, implicitè, & virtualiter cẽſeatur vices ſuas eidem Prælato concedere, vt diſpenſet cum Titio in omni eo, quod ſuſceptionem ipſam ſacrorum ordinum impedit?

Prima opinio affirmat, ita *Angelus v. Irregularitas. num.* 34. *Syluester ibidem quaſt.9. in fine, Armilla num.* 81. *Henriquez in ſumma lib.* 14. *cap.* 17. *nu.* 4. *Maiolus de irregul. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 14. *Auila de cenſ. par.* 7 *diſput.* 10. *dub.* 6. *in* 3. *notando* (licet duplici adhibita limitatione id concedat. Primo ſcilicet ſi Prælatus mittens ſubditum habeat talem intentionem, nempè, vt Epiſcopus ordinans cum ipſo ſubdito diſpenſet. Secũdo, vt diſpenſatio hæc proſit in foro tantum conſcientiæ, non autem in foro externo) Hanc tamẽ eãdẽ ſententiã abſolutè amplectitur *P. Diana par.* 10. *tract.* 3. Probatur quidẽ argumẽto ex vtroq; iure videlicet, quòd; cum delegato committitur cauſa aliqua, datur conſequenter acceſſoriè poteſtas in alijs, ſine quibus cauſa expediri nequit, vt patet in *Cap. præterea in fine. de offic. Iud. deleg.* & ibi ſcribentes: & hoc ipſum expreſsè habetur *in L.* 2. *ff. de Iuriſdict. omniũ Iudic.* ſed in caſu noſtro Titius neqt promoueri ab Archiepiſcopo Montis Regalis, cui delegata fuit promotio ad ſacros ordines, niſi tollatur impedimentũ irregularitatis, in qua diſpenſare poterat Archiepiſcopus Panormitanus; ergo poterit Archiepiſcopus Montis regalis diſpenſare: quia eo ipſo, quod illi fuit promotio delegata, intelligitur conceſſa facultas tollendi contraria illa, quæ promotionis executionem impediunt. 92

Secunda opinio eſt directè contraria, negans, poſſe in caſu poſito ab Epiſcopo delegato diſpenſari cum Titio in impedimento irregularitatis, aut in alio ſimili. ita *Nauarr. lib.* 1. *conſil. de tempor. ordin. conſil.* 12. & 13. *in ſecunda editione. Rodriquez in ſumma par.* 2. *cap.* 14. *concl.* 10. *in fine, Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *nu.* 25. *Petrus de Ledeſma de Sacram.* 93

tbent Ingreſſi. C. de ſac. ſanc. Eccl. Menochius de præſump. lib. 4 præſump. 70. n 10.32 & colligitur expreſſe ex *L. ſi cui fundum ff de fundo inſtructo*, & declarat *Gloſ. ibidem*, & alij apud *Sãchez*.

Verũtamen *Decius in Auth. cit.* reijcit differentiã hanc, vultq; diuerſitatem non ex ipſis dictionibus, ſed ex ſubiecta materia eſſe deſumendã, ſiue apponatur dictio, *Cum*, ſiue, *Et*: idq; probat primò ex *L. Titiæ Textores. §. nihil diſtat. ff. de leg.* 1. vbi dicitur nihil diſtare, ſeu differre, ſi legetur Titio, & Mæuio, ſeu Titio cũ Mæuio. Secũdò ex *L. ſi quis inquilinos ver. Si ita legatum ff eo.* vbi dicitur idem eſſe legatũ quandò legatur domus, & fundus, ac domus cum fundo. Tertiò denique ex Anth. *Ingreſſi cit* vbi habetur, quòd ingrediẽtes monaſterium ſe, & ſua dedicant, & tamẽ non obſtante dictione illa, *Et*, bona dedicata certum eſt venire accessoriè: ergo, ait ipſe, dictiones illæ, *Cum*, *Et*, non variãt modũ legari; ac proindè non ex illis, ſed ex ſubiecta materia colligi debet, an aliqua res legata veniat principaliter, an verò acceſſoriè.

Ita probat Decius ſuam ſententiam, quam tamen non admitto, niſi in caſu, quo voluntas teſtatoris legantis aliundè colligeretur diſcrepare à forma legari facta cum alterutra ex illis dictionibus: tũc enim licet res aliqua legetur ſimul cum alia, & apponatur dictio *Cum*, ſi tamẽ ex coniecturis habebimus, voluntatẽ teſtatoris fuiſſe legare principaliter vtramque rem, tunc procul dubio non erit attendenda forma, ſed mens teſtatoris aliundè manifeſta; & è conuerſo, ſi ex coniecturis comprehendatur, voluntatem teſtatoris fuiſſe legare vnam rem principaliter, aliã verò acceſſoriè, nihil erit curandum de forma legati habentis dictionem Et; ſed forma ipſa erit accommodanda ad intẽtionem, & mentem teſtantis: per ſe autẽ loquendò, cum non concurrũt contrariæ præſumptiones, & coniecturæ, firma erit regula aſſignata: rationes vero à *Decio* allatę facilẽ admittunt ſolutionẽ, & leges adductæ accommodam explicationẽ.

82 Ad Legẽ igitur *Titia Textores* reſpondetur, ibi materiam legati eſſe hominẽ; legati. n. fuerunt ſerui Textores, & Vernę; homo autem ob ſuam dignitatem in Iure non ſumitur acceſſoriè ad alium hominẽ; tam homines ſecundum naturam ſpectati ſunt paris conditionis; & ideo dictio, *Cum*, non erit ſufficiens ad faciendum, vt homo homini ſit acceſſorius, vt habetur *in L. Iuſtiſſimè initio. ff. de ædilitio. adic.* & docent communiter Authores, inter quos *Baldus conſ 409 vol* 1. *Soccin conſil* 40. *num* 1. *Barboſa in varijs tractatibus de dict. vſu frequent. dict* 75. *num.* 10. *Sanchez loco cit. & alij*. quod tamen intelligi debet naturaliter de homine, vt homo eſt; nam legaliter nil prohibet, quin poſſit acceſſoriè ſe habere ad aliquod legatum, quatenus eſt tali ratione legali affectus. V. g Si quis relinquat vineam cum decem Agricolis ſeruis, vt in ea laborent; in hoc caſu agricolæ videntur venire acceſſoriè ad legatũ vineę, ita vt legatarius nequeat eos habere, niſi vineam obtineat.

Ad aliam verò legem reſpondetur cũ Gloſs. *in L. cit. Si cui fundum. verb Nihil intereſt, ff. de fundo inſtructo.* ibi enim declarat, quo ſenſu à Iuris conſulto dicatur, nihil intereſſe inter vtramque formã legandi per dictionem, *Cum*, & dictionem, *Et*, dicens, non eſſe diſcrimẽ quo ad rem, vt relictam; nam vtraque res legatur; ſed ſolum differentiam eſſe quoad extinctionem; quia res, quæ venit acceſſoriè, ceſſat ceſſante principali; cõtra verò ceſſante acceſſorio non ceſſat, ſed remanet principale.

Ad vltimum deſumptum *ex Authent. Ingreſſi.* reſpondeo *cum Iaſone ibidem num.* 39. verba illa, *Ingreſſi in monaſterium ſe, & ſua dedicant*, eſſe malè trãſlata ab Irnerio; nam verba prædicta deſumpta ſunt *ex Authent. illud. de Monachis*, vbi habetur, bona ſequi monachũ, non autem dicuntur ingreſſi, ſe, ſuaque dedicare. Ex his plura colligi poſſunt.

Et primò colligitur, quod, ſi quis legauerit prædium aliquod cum peculio, ſi legatum ob aliquem defectum erit nullum reſpectu prædij, erit conſequenter nullũ reſpectu peculij, quod eſt acceſſorium. ita *Honded. conſ 91. num* 13. *volum.* 1. *Barboſa dict. cit. num.* 16. vbi in confirmationem affert quamdam deciſionem *Rotæ deciſ. 709. n 6 par.* 1. 83

Colligitur ſecundò, legatum vaccæ prægnantis, ſi vacca moriatur, effici nullum; vitulum autem nõ deberi legatario, quia ſe habet acceſſoriè ad vaccam, quæ eſt principalis; ſecùs autem, ſi legata fuiſſet vacca & vitulus; tunc enim ambo principaliter venirent. 84

Colligitur tertio, quod in legato, ſiue in locatione domus comprehenduntur 85

apo-

apothecæ, quæ adhærent eidem domui: & hoc, quia ad illam acceſſoriè ſe habēt. Hanc autem ſententiam quamplures docent, quos laudat, & ſequitur *Mantica de coniecturis vlt. volunt. lib. 9. tit. 2 nu. 37. & 38.* reſpondens pariter ad inſtantias contrarias: idēque docet Gratianus *in diſcept. foren. vol. 4. diſcept. 77. per totam*.

86 Colligitur quartò. Si quis relinquat vxori, vel alteri lectum, debet id intelligi de lecto inſtructo, & apparato, illis tamen ornamentis, quæ congruunt legatario. ita *Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 12. num. 17. Gratian. diſcept. 510. vol 4. num. 12. & 13.* & quamplures apud ipſum; & hoc, quia talia ornamenta, ſeu ſtramenta ſunt acceſſoria ad lectum ipſum: quænam autem ſint ornamenta hæc, declarat ibidem ipſe Gratianus.

CAPVT XII.

Si legetur res pluribus conſiſtens corporibus, & vnum ex illis deſinat, an legatum quoad reliqua tanquam acceſſoria extinguatur?

87 PRo huius quæſiti intelligentia ſormo caſum, eodem vtens exemplo, quod in iure ciuili habetur, & tale eſt. Titius relinquat Sorti in vim legati quadrigam, & Titio ipſo viuente pereat vnus equus ex quatuor ducentibus quadrigam, ita vt alius loco prioris equi mortui minimè ſubrogetur. Quæritur vtrum nulla alia à Titio diſpoſitione facta Sortes tanquam legatarius, ſuccedat in reliquis, quæ remanent, nempè in alijs equis, curru; &c. an verò hæc ſe habeant tanquam acceſſoria, & conſequenter, ceſſante principali, videlicet pereunte equo, qui conſtituebat quadrigam, legatum cenſeatur extinctum? quæ dico de quadriga, etiam intelligo de alijs ſimilibus.

Hunc caſum exagitant ſcribēres *in L. peculium § Quadriga ff. de legat. 2.* & vario modo loquūtur; nā *Bartholus* ibidē, ad hoc vt tale ceſſet legat, oportere aſſerit, vt pereat non quicumque ex quatuor illis equis, ſed principalis, nempe ille, qui demonſtrabat, vt ipſe loquitur, & dirigebat quadrigam. At *Gloſ.* in expoſitione caſus, & in *L. Quid tamen. ver. quadriga, ff. quibus mod. vſus fruct. amitt.* videtur velle, quòd quocumque equo mortuo ceſſet legatum: quā Gloſsam ipſemet *Bartholus in L. cit.* refert pro hac opinione, in qua etiam videtur eſſe *Baldus* ibidem in fine eiuſdem §. *Quadriga*.

Dicendum eſt. Si legatum fuerit de ipſa quadriga, & poſtea, viuente teſtatore, moriatur vnus equus, & alius non ſubrogetur, ceſſabit legatum; ſi verò legatum fuerit de vſu equorum ducentium ipſam quadrigam, non ceſſabit. Concluſio iſta quoad vtramque partem expreſsè habetur *in d. L. Quid tamen. §. fin.* & notat Gloſ. ibidem. Ratio pro vtraque parte eſt manifeſta: prima autem pars ſuadetur, quia pereunte vno ex quatuor equis, alio non ſubrogato perit forma quadrigæ, eiuſque definitio; proinde, cum reliqua ſe habeant tamquam acceſſoria, legatum nequit perſiſtere. Secunda vero pars eſt manifeſta, quia cum legatus fuerit vſus fructus equorum, quamuis vnus pereat, poterit vſus fructus haberi in reliquis remanentibus. Et confirmatur à pari; nam ſi legetur peculium, & poſtea minuatur, debebitur legatario, quod ſupereſt *L. Peculium ff. de leg. 2.* quia quælibet pars remanens erit peculium. ſic *Barth. Baldus*, & alij loc. cit. Similiter ſi legetur grex ouium quoad proprietatē, etiam ſi aliquæ ex ouibus pereant, imò omnes, vna excepta, legatum non extinguetur quoad hanc vnam ouem, quæ ſuperuixerit; & ideò debebitur legatario, vt ſtatuitur in *L. ſi grege ff de leg. 1.* & notant ibidem ſcribentes. dixi, ſi grex legatus fuerit quoad proprietatem; nam ſi fuerit quoad vſum fructum, & numerus ouiū diminueretur, ita vt qui remanent, non poſsent gregem conſtituere, tunc extingueretur legatum, cum decem oues ad minus ſint neceſsariæ ad gregem ouium conſtituendū, vt notat *Gloſ. in inſt. § ſi grex. de legatis*, & alij communiter: ratio autem diſparitatis eſt, quia quando legatum eſt quoad proprietatē, transfertur dominium in legatarium eo modo, quo erat in teſtatore, & ſic omnia erunt ſub dominio ipſius legatarij: in ſecundo autem caſu, vſus fructus, qui legatur, nō eſt quicunque, ſed talis, qui procedat à grege: nomine autem gregis in Iure ad minus venit numerus denarius ouium; vnde, quamuis pereunte vna ex eis, ex nouem remanentibus poſſit percipi fruc-

rus, nihilominus in legato non fuit relictus vſus fructus, vt ſic, ſed vt procedens à grege; propterea, extincta forma gregis, extinguitur vſusfructus à tali forma procedens: verba autem teſtatoris legantis vſum fructum non ouium, vt ſic, ſed oniũ vt conſtituentium gregem, interpreranda ſunt iuxta ius commune, quod non aliter gregem intelligit, niſi ſaltem adſit numerus denarius ouium, vt dixi. Quod autem remaneat legatum, quamuis ad vnam ouem grex reducatur, habetur in L. *ſi grege. ff. de legat.* 1. quod autem extinguatur diminuto numero animaliũ neceſſario ad conſtituendum gregem, ſiue armentum, ſi legatus fuit vſus fructus, ſtatuitur in L. *Cum gregis. fin. ff. quibus modis vſu fruct.* vbi ſcribentes, & alij. Maneat igitur, veram eſſe concluſionem principalẽ, quo ad vtramque partem.

89 Sed contra priorem partem obijcies ſumendo argumentum à pari. Quando legatur grex quo ad proprietatem, & vna ſupereſt ouis, mortuis alijs, debetur hęc vna legatario, vt dictum eſt, & tamen forma gregis non remanet: ergo, quando legatum eſt de quadriga, licet vnus equus pereat, poterit legatum remanere quoad reliquos. & confirmatur; nã ſi legatur domus, & poſtea corruat, debetur legatario area, in qua extabat domus illa, vt docent Authores ex L. *cit. ſi grege. Bartholus, Baldus, ibidem, & alij.* Ergo idem erit dicendum in caſu noſtro de quadriga.

Reſpondeo primo, quòd, ſi ſequamur ſententiam Bartholi, & aliorum, qui docent, tunc legatum quadrigæ extingui, quando perit equus ille, qui eſt principalis, nempè ille, qui dirigit, & demonſtrat quadrigam, facilis erit ſolutio, videlicet, in grege non haberi ouem aliquam, quæ ſit principalior reliquis, & quæ conſtituat gregem, illumque dirigat; & ideo mortuis omnibus, vna, quæ remanet æquè ſe habens cum alijs, debebitur legatario. Similter, quamuis domus legata corruat, remanet tamen area, quæ potiſſima pars eſt, vt notat ipſe Bartholus in ea lege, & dicitur in L. *ſolum* 52. *ff. de rei vendicat Gloſ. ibi ver. Aedium.* & ideo locum nõ habet regula de acceſſorio, cum id, quod principalius erat in domo remanſerit. Maior autem difficultas eſt, ſi aliam ſequamur ſententiam cum Gloſſa docente, quicumque equus pereat, extingui legatum, quia ob mortem cuiuslibet equi ex quatuor, tollitur forma quadrigæ; maior, inquam, difficultas eſt ad ſoluẽdam obiectionem vi talis ſententię: Sed nihilominus poſſet quis reſpõdere cum *Oinotomo* §. *cit. ſi Grex legatus. n.* 5. legatum gregis eſſe legatũ cuiuſdam rei vniuerſalis, quod, dum legatur, non ſolum intelligitur legari ipſum totũ, vt ſic, ſed dicuntur legatæ ſingulæ eius partes; & ideo ſiue grex ipſe augeatur, ſiue diminuatur, ſemper aſſignari debet legatario eo modo, quo reperitur poſt mortem teſtatoris: & quamuis ab initio grex non intelligatur conſtitutus, niſi ad minus ſint decem oues; ſemel tamen conſtitutus, ſemper retinet nomẽ gregis, etiam ſi ad vnam ouem reducatur.

Ex hac doctrina, quã tradit Author iſte, cõgruam aſſignare poſſumus diſparitatẽ inter legatum gregis, & legatum quadrigæ in ordine ad prædictum effectum; ideoque dicimus, legatum gregis eſſe quoddam legatum vniuerſale, ſi fuit relictum quoad proprietatem, non quo ad vſum fructum dumtaxat: proinde legatum cum ſit quo ad proprietatem, ità afficit totũ, vt etiam ſingulas eius partes afficiat; at legatum quadrigæ non eſt vniuerſale, cum in tali legato potius intendatur currus ſub tali forma, ſeu figura, conſtãs ex quatuor equis: quæ quidem forma non ſaluatur in equis ſeparatim acceptis, ſed in omnibus quatuor indiuiſibiliter ſũptis; idcircò manifeſtum diſcrimen eſt inter vnum, & alterum legatum. 90

Sed in contrarium quis vrgere poſſet probando paritatem tali ratione. In legato gregis ſi remaneat vna, aut altera ouis, non ſaluatur forma gregis; & tamen hoc non obſtante dictum eſt, binas illas oues eſſe legatario tradendas: ità à pari, quamuis in legato quadrigæ pereat forma, pereunte tamen vno, aut altero equo debẽtur legatario equi ſuperſtites; ergo eadem videtur paritas inter vtrumque legatum. 91

Reſpõdeo, negando adhuc paritatem; quia legatum gregis, vt ſupponitur, factũ fuit ſecundum proprietatem ouium; & ideò ſi tempore, quo legatum fuit inſtitutum, vigebat forma gregis, etiam ſi poſtea morientibus ouibus forma deperdatur, nihilominus remanebit legatario ius proprietatis initio acquiſitum in ordine ad oues ſuperſtites, quamuis tunc ob paucitatem nequeant formam gregis conſtituere: ſed legatum quadrigæ non fuit tali pacto inſtitutum, nempe

quoad

Digitized by Google

quoad proprietatem, ſed quoad formam tantùm, quæ non ſaluatur in ſingulis; & ideò cum manifeſta ſit diſparitas, neganda eſt ad argumĕtum conſequentia. Curreret tamen paritas, ſi legatum quadrigæ inſtitutum fuiſſet quoad proprietatem; tunc enim deberentur legatario equi remanentes, mortuis alijs: At ſi diceretur legatum gregis quoad formam tantum inſtitutum fuiſſe, & non quoad proprietatem, in tali caſu deſtructa forma gregis oues ſuperſtites non deberentur legatario; & hoc modo haberetur paritas inter vtrumque legatum: ſed in præſentia ſupponitur diuerſitas in modo, ſub quo teſtator legatum inſtituit, vt ſupra declaratum eſt.

Confirmari etiam poteſt principalis sĕtentia, quam ſequimur, hac paritate. Nam vniuerſitas, ſeu collegium nequit primo conſtitui ex vno tantum homine, ſed requiruntur tres, aut ſaltem duo; conſtituto tamen collegio, ſi vnus tantum ex omnibus remaneat, dicitur remanere collegium, quia, licet non maneăt res, nĕpè homines, qui initio illud conſtituerunt, neque alij loco priorum; nihilominus quia superſunt bona, & iura eiuſdem collegij, dicitur remanere Collegium, quamuis in vno tantum homine, vt notat *Gloſ. L. ſicut municipium. ff. quod cuiuſque, &c. ver. nomen vniuerſitatis*; dicitur enim manſiſſe ſchola S. Ambroſij, vno ſolo ſuperſtite. Ita à pari grex, quando vna tătum ouis remanet, dicitur remanere, non quidĕ quoad iura, quoniă vniuerſitas hæc nimalium non habet, neque bona, neque iura; ſed quoad nomen tantum: & ideò rectè dicit *Gloſ. L. Si grege. ver. deſiſſet eſſe ff. delegat.* 1. non durare, quod rem; quia non habentur bona, aut iura, ratione quorum grex quo ad rem dicatur durare, ſicuti dicuntur durare vniuerſitates hominum: benè tamen dicitur durare quoad nomen: quod diſcrimen notat *Bartholus in dict. L. ſi Grex*.

CAPVT XIII.

Num Prælatus mittens ſubditum ab alieno Epiſcopo ſacris initiandum, cenſeatur acceſſoriè eidĕ Epiſcopo ordinanti concedere, vt cum tali ſubdito diſpenſet in irregularitate, aut alijs impedimentis, in quibus ipſe, vti proprius Prælatus, diſpenſare poſſet.

CAſus ita figuratur. Archiepiſcopus v.g. *Panormitanus* concedit Titio volenti ſacris ordinibus inſigniri, vt promoueatur ab Archiepiſcopo Montis Regalis, & in hunc finem litteras dimiſſorias more ſolito eidem Titio tradit: ſed euenit, vt Titius affectus inueniatur quadam irregularitate, in qua poſſet Epiſcopus diſpenſare: quæritur num Archiepiſcopus Panormitanus, qui propriŭ ſubditum alteri Prælato ſubijcit, vt ab illo ordinetur, implicitè, & virtualiter cĕſeatur vices ſuas eidem Prælato concedere, vt diſpenſet cum Titio in omni eo, quod ſuſceptionem ipſam ſacrorum ordinum impedit?

92 Prima opinio affirmat, ita *Angelus v. Irregularitas. num.* 34. *Syluester ibidem quæſt.*9. *in fine, Armilla num.* 81. *Henriquez in ſumma lib.* 14. *cap.* 17. *nu.* 4. *Maiolus de irregul. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 14. *Auila de cenſ. par.* 7 *diſput.* 10. *dub.* 6. *in* 3. *notando* (licet duplici adhibita limitatione id concedat. Primo ſcilicet ſi Prælatus mittens ſubditum habeat talem intentionem, nempè, vt Epiſcopus ordinans cum ipſo ſubdito diſpenſet. Secŭdo, vt diſpenſatio hæc proſit in foro tantum conſcientiæ, non autem in foro externo) Hanc tamĕ eădĕ ſententiă abſolutè amplectitur *P. Diana par.* 10. *tract.* 3. Probatur quidĕ argumĕto ex vtroq; iure: videlicet, quòd; cum delegato committitur cauſa aliqua, datur conſequenter acceſſoriè poteſtas in alijs, ſine quibus cauſa expediri nequit, vt patet in *Ca. præterea in fine. de offic. Iud. deleg.* & ibi ſcribentes: & hoc ipſum expreſsè habetur *in L.* 2. *ff. de Iuriſdict. omniŭ Iudic.* ſed in caſu noſtro Titius neq; promoueri ab Archiepiſcopo Montis Regalis, cui delegata fuit promotio ad ſacros ordines, niſi tollatur impedimentŭ irregularitatis, in qua diſpenſare poterat Archiepiſcopus Panormitanus; ergo poterit Archiepiſcopus Montis regalis diſpenſare: quia eo ipſo, quod illi fuit promotio delegata, intelligitur conceſſa facultas tollendi contraria illa, quæ promotionis executionem impediunt.

Secunda opinio eſt directè contraria, 93 negans, poſſe in caſu poſito ab Epiſcopo delegato diſpenſari cum Titio in impedimento irregularitatis, aut in alio ſimili. ita *Nauarr. lib.* 1. *conſil. de tempor. ordin. conſil.* 12. *&* 13. *in ſecunda editione. Rodriquez in ſumma par.* 2. *cap.* 14. *concl.* 10. *in fine, Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *num.* 25. *Petrus de Ledeſma de Sacram.*

Digitized by Google

ordin cap. 8 poſt. 5. concluſ. Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 11. diff. 9. n. 10. Riccius in praxi tom. 4. reſol. 217. Merolla tõ. 2. diſp. 4. cap. 6. conc. 4. n. 36. & alij. Ratio pro hac ſententia eſt primo, quia cũ diſpẽſatio ſit odioſa, ſi per ipſam tollatur vnũ impedimentum, non debet ad aliud extendi: Titius autem reſpectu Epiſcopi ordinantis duplex habet impedimentum; primum eſt defectus ſubiectionis; non enim eſt ſubditus illius ordinarij, ad quem mittitur; ſecundum eſt irregularitas, & ideò ſi per delegationem, ſeu commiſſionem factam à proprio Ordinario auferatur primum impedimentum, non ſequitur tolli ſecundum. Secundo, quia à ſeparatis non eſt recta illatio, vt habetur *cap. Ad audientiam. de decim. & L. Papianus ff. de min.*

94 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quę non ſolum rationibus allatis, ſed & alijs confirmari poterit; & primo *ex Tridentino ſeſſ. 23. de reformat. cap. 9;* vbi concedens textus ordinari poſſe ab Epiſcopo ſuum familiarem triennalem, addit, non poſſe ipſum Epiſcopum diſpenſare cum illo in interſtitijs, nec in defectu natalium; & tamen abſque tali diſpenſatione non poterit familiaris promoueri ad ordines: ergo non valet illatio prædicta, quod ſcilicet Epiſcopus proprius committens alieno Epiſcopo promotionem ſui ſubditi, intelligatur etiam illi concedere facultatem diſpenſandi in alijs impedimentis: quapropter, ſi id reſpectu familiaris triennalis negatur proprio Epiſcopo, multo magis negari debet Epiſcopo alieno.

95 Secũdo probatur, quia ſi principiũ illud eſſet vniuerſaliter verũ, ſequerentur varia abſurda, V. g. ſi Prælatus concedat Titio ſubdito, vt ſacramentaliter cõfiteatur alicui ſacerdoti, cẽſeretur ex vi talis facultatis præcise concedi etiam poteſtas abſoluẽdi ſubditum illum à reſeruatis, quod eſt falſum; quia ex vi talis conceſſionis vt ſic, non intelligitur delegari poteſtas quo ad reſeruata, quę requirunt ſpecialẽ facultatem: vnde, ſi ſubditus haberet peccata reſeruata, nõ poſſet ſacramentaliter abſolui ab alijs non reſeruatis virtute illius generalis facultatis ob reſeruatorum impedimentum.

96 Rurſus, ſi Epiſcopus deleget facultatem alicui ſacerdoti copulandi aliquos in matrimonio, non ſequitur eidem ſacerdoti concedere facultatem diſpenſandi cum eiſdem in aliquo impedimento, in quo poſſet ipſe Epiſcopus. V. g. in voto ſeruandi caſtitatem nuptialem; & ſic in multis alijs: ergo principium illud, nempè quòd conceſſo vno intelligatur conceſſum etiã aliud, ſine quo illud executioni mandari nequit, vniuerſaliter intellectum non habet veritatem; ſed debet intelligi de his, quæ ſunt ita connexa cauſſę, quæ delegatur, vt ab illa ſeparari nequeant, & quæ præſumuntur non ignorari ab eo, qui cauſſam delegat.

Ex his patet ſolutio ad argumentum in contrarium deſumptum ex vtroque iure; nam axioma illud non habet locum, quando eſt diuerſa ratio, vel quando accidentaliter coniunguntur, vt euenit in caſu noſtro; quoniam irregularitas, ſiue aliud ſimile impedimentum, valdè caſualiter inueniuntur in eo, qui eſt ordinandus. 97

Cæterum non diſpliceret omnino prior opinio affirmatiua caſu, quo Epiſcopus mittens ſubditum, vt promoueatur ab alio Epiſcopo, ſciret impedimentum, & hoc non obſtante, illum mitteret; tunc enim videretur velle, vt Epiſcopus, cui delegatur promotio ad ordines, diſpẽſet impedimento, alias vana eſſet delegatio, quia ſciret, ſubditum illum promoueri non poſſe abſque diſpenſatione. 98

CAPVT XIIII.

Num Clericus in ſacris conſtitutus, ſi à Summo Pontifice diſpenſetur, vt uxorem ducat, teneatur horas canonicas recitare?

EXaminari poteſt quæſitum tum de clericis, vt proponitur in titulo, tum de religioſis profeſſis ſacro ordine nõ inſignitis, ſi obtineant diſpenſationem deſerendi ſtatum regularẽ, & ducendi vxorem; proinde de his erit nobis agendum, & prius de clerico non religioſo. 99

Prima opinio eſt affirmatiua, videlicet, clericum diſpenſatum ad nuptias eximi ab obligatione recitandi diuinum officiũ ita *Sayrus in theſ. tit. de celebr. miſſ. dec. 23. Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 8. num. 11. poſt medium. Squillante de obligat. cleric. p. 1. dub. 17. num. 31. Riccius in collect. deciſ. 918 limit. 2. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 6. dub. 1. coroll. 3. Diana par. 8. tract. 3. reſol. 24.* citari etiam ſolet *Nauarrus lib. 3.*

con-

conſil.tit. de celebr.miſſ.conſil 11. ſed ibi ſolum refert vtramque opinionem affirmatiuam, & negatiuam; & pariter vtriuſque rationes, nullam verò determinatè amplectitur. Ratio autem fundamentalis pro hac ſententia deducitur ab eius ſectatoribus ex regula iuris de Acceſſorio, quod ſequi debet ſuum principale; proinde, cum obligatio recitandi horas, veniat acceſſoriè ad ſtatum clericalem, ipſo relicto per diſpenſationem habitam à Pontifice contrahendi nuptias, ceſſare debet ipſa obligatio.

100 In hac autem ſentẽtia eſt aliqualis diuerſitas inter eius Authores; nam, & ſi conueniant in eximendo clericũ ita diſpenſatum ab obligatione recitandi; nihilominus *Sanchez loc. cit.* vult, Sacerdotem, cum quo Pontifex diſpenſauit, vt matrimonium contrahere poſſit, teneri ad recitandum, antequam matrimonium ineat, & habitum clericalem adhuc retineat, at verò ſtatim ac talẽ habitum exuit, & ſæcularem induit, vt diſpenſatione vtatur, tunc vult, tali obligatione eſſe exemptum. Sed hanc ampliationem vltimo loco poſitam non admittit *Squillante in loc cit tum etiam tract. de priuileg.cleric.cap.7.nu.39.* neque *Merolla*, quamuis minus bene citet *Squillantem*, quaſi oppoſitũ docuiſſet auctor iſte prio ri loco *de obligat. cleric.* & ſe retractaſſet in poſteriori; cum tamen eandem ſententiam, & doctrinã doceat in vtroque loco: rurſus non eſſe admittendam hanc ampliationem, docet etiam *Diana* in fine citatæ reſolutionis.

101 Secunda opinio, eſt directè contraria dicens, in diſpenſatione prædicta non includi diſpenſationem quo ad penſum recitandi horas. ita *Azor. par. 1. inſtit. moral.lib 10.cap.5.quæſt. 5. Bonacina de hor canon. diſp.1.quæſt.2. puncto 3. num. 4. Barthol. à San. Fauſto eodem tract.lib. 2.quæſt.59. Trullench. in decal. lib 1.cap. 7.dub.12.§ 2.num.4. Ioannes Eſcobar de horis canon.quæſt.3.§.3.num. 3.*

102 Ratio pro hac ſententia duplex eſt; prima ex principijs vniuerſalibus; nam diſpenſatio cum ſit odioſa, ſtrictè eſt interpretanda, & præſertim diſpenſatio prædicta de vxore ducenda; proinde nõ debet extendi ad alia, quæ, licet videantur acceſſoria, vt eſt obligatio ad horas, nihilominus, cum ſint ſeparabilia ab onere ſeruandi caſtitatem, & eorum adimpletio non impediat executionem diſpenſationis quo ad ductionem vxoris; non debet diſpenſatio iſta extẽdi ad exẽptionẽ oneris recitandi, vel ſimilium. *S*ecundo probatur ex proprijs; nam exercitium recitandi diuinum officium, nõ videtur omnino alienum à ſtatu matrimonialis; etenim *Sacerdotes Græci* vxorem habentes aſtringuntur ad horas perſoluendas. Addit tamen *Azorius*, iuſtam eſſe cauſam, vt Pontifex liberet ita diſpenſatum ab onere recitandi; quia graue onus erit clerico, qui debet vacare rei familiari, eſſe aſtrictum onere perſoluendi quotidie diuinum officium.

103 Hæ ſunt opiniones de hac materia, & omnes ſunt probabiles, tùm authoritate, tùm ratione, quamuis, ni fallor, ſecunda videatur iuri conformior, & verior. Verumtamen Authores negabunt, onus recitandi officium eſſe annexum ſtatui vt ſic, ſed characteriſtat verò, etiam ſi daremus eſſe annexum ſtatui, eique acceſſorium, cum tamen ſit diuerſa vtriuſque oneris ratio, & vnum ſeparari poſſit ab alio, non apparet ſolidum fundamentum, quare tale acceſſorium debeat naturam ſui principalis neceſſariò ſequi, & comprehendi ſub illa regula iuris, quæ exceptionem admittit in multis, vt colligi poteſt ex principijs poſitis initio explicationis huius regulæ.

104 *S*upereſſet aliqua diſcutere de Religioſo profeſſo prædictam obtinente diſpẽſationem (nolo autem hic examinare quæſtionem illam, num Pontifex diſpẽſare poſſit in voto ſolemni caſtitatis de qua re Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *n.* 11. & ego infra ſub *Regula* 51. *cap.*2.) ſed ex hypotheſi opinionis affirmatiuæ dico, quòd, ſi Religioſus ita diſpenſatus non eſt in ſacris, neque habet *Eccleſiaſti*cum beneficium, non teneatur ad horas canonicas recitãdas, vt aſſerunt Authores prioris ſententiæ ſuperius relati, & etiam aliqui ex Authoribus poſterioris ſentẽtiæ, vt *S. Fauſto lib. 1. quæſt.* 58. vbi, quamuis neget hanc exemptionem clericis in ſacris, cum quibus Pontifex diſpenſauit, poſſe vxorem ducere; nihilominus loquens *quæſt.* 57. de Religioſis qui ex licentia Pontificis priuilegium habent viuendi perpetuò extra monaſterium, aſſerit, non teneri eos ad horas recitandas; quod tamen intelligi debet niſi ex alio titulo obligẽtur: & *quæſt.* 58. hoc ipſum docet de Religioſis habentibus diſpenſationem tranſeundi ad nup-

tias

tias. Et confirmati poterit hæc ſententia argumentis, quibus cap. 4. in expoſitione huius regulæ probauimus, Religioſum perpetuò è religione eiectum non teneri eiuſdem religionis leges ſeruare; inter has autem eſt, onus recitandi quotidie, horas canonicas, ad quas aio, non aſtringi talem religioſum, niſi ſit in ſacris, vel beneficium habeat.

CAPVT XV.

An capella exiſtens in Cathedrali conſecrari poſſit, ſi ipſa maior Eccleſia ſit conſecrata?

105 ANnis præteritis interrogatus fui, num capella Sanctæ Roſaliæ, quæ eſt in Cathedrali huius Ciuitatis Panormitanæ, poſſit ab Archiepiſcopo noſtro conſecrari, nō obſtante quod ipſa maior Eccleſia ſit iam conſecrata? Dicendum eſt, non poſſe. ratio eſt, quia capella illa S. Roſaliæ acceſſoriè ſe habet ad corpus; eſt enim pars totius Eccleſiæ, & efficit vnum corpus cum illa; proinde eadem forma totius Eccleſiæ perficitur, vt rectè animaduertit *Sanchez lib. 9. de matrimonio diſp. 15. num.* 38. Si igitur maior Eccleſia retinet formam conſecrationis, ſequitur, quòd per eamdem formam perficiatur, & tota Eccleſia, & omnes eius partes. Cōfirmatur *ex Gloſſ. cap. 1. ver. Altare, de conſecr. Eccleſ.* vbi aſſerit, quòd ſi aliquid addatur altari conſecrato; altare non execratur; ſed manens ſacrum trahit ad ſe partem illam additam non ſacram: idque ſtatuitur *eod. tit. cap. Quod in dubijs.* quando oleum non conſecratum, oleo conſecrato admiſcetur. Optimum ergo argumentum à paritate deduci poterit; ſi enim altari conſecrato pars aliqua non conſecrata addatur, totum remanet conſecratum, quia pars maior, & dignior, qualis eſt conſecrata, ad ſe trahit minorem; ita capella S. Roſaliæ, cum ſe habeat veluti exigua pars reſpectu totius maioris Eccleſiæ, cum qua vnum efficit corpus, trahitur ad participandam eamdem formam conſecrationis, quæ in toto Eccleſiæ corpore reperitur.

Quod autem capella illa ſit pars totius Eccleſiæ, eſt certum; nam eſt ad idem munus deſtinata; quod affirmatur à Sāchez loquente vniuerſaliter de capellis corpori Eccleſiæ annexis *diſp. cit. nu.* 31. Eadem concluſio colligitur *ex Syluestr. V. conſecr. 2. quæſt. 4 Layman. in ſumm lib. 5. tract. 5. cap. 5. num.* 15. inquiunt enim quòd, ſi Eccleſiæ aliqua minor pars addatur, non eſt iterum conſecranda; quia pars illa addita acceſſione ipſa conſecrationem à toto corpore acquirere cenſetur; & ſubdit *Layman*, eamdem eſſe rationem, ſi Eccleſia ſecundum longitudinem, aut latitudinem amplietur, & animaduertit hanc eſſe Epiſcoporum praxim, vt ſi noua murorum acceſſio, quæ fit Eccleſiæ, excedat in magnitudine reliquum corpus præexiſtens; tūc opus ſit noua conſecratione: ſecus ſi non excedat. Vide etiam *Barboſam de poteſt. Epiſ. par. 2. alleg. 27. à num. 12.* multa circa hanc materiam examinantem.

Dices; etiamſi demus nouam partem, quæ additur, trahi ad participationem totius Eccleſiæ, quid impedit eam iterum conſecrare? 106

Reſpondeo, id prohiberi in ſacris canonibus *cap. Eccleſiæ. diſt. 68. & cap. Eccleſ. de conſecr. diſt.* 1. præter quam quod Doctores expreſsè fatentur, id eſſe illicitum; nam in ſacris canonibus citatis, vt aduertit *Barboſa*, id prohibetur, ſumpta paritate ex infante, qui baptizatus à quocumque Sacerdote, nequit iterum baptizari: ſic & locus Deo dicatus, & conſecratus, non eſt iterum conſecrandus. ita conſultus reſpondi ad R. Vicarium Generalem, qui à me poſtulauit, quid de re hac ſentirem.

REGVLA XXXXIII.

Qui tacet conſentire videtur.

REGVLA XXXXIV.

Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec vtique negare videtur.

HAe duæ regulæ, quarum vna immediatè alteram ſequitur, quamdā habent connexionem, & affinitatem; & ideo vtraque examinanda proponitur, includendo aliam, quæ continetur in iure ciuili, quæ eadem eſt, verbis parum immutatis, cum hac ſecunda, & in ordine extat 185. 1

Ex his autem regulis Authores varias deducunt quæſtiones: principaliores, & quæ ad praxim magis faciunt, ſeligendæ, & diſcutiendæ ſunt à me. Primùm tamen breuem præmitto huius regulæ declarationem

cla-

Digitized by Google

clarationem, & aio, taciturnitatem, de qua in his regulis fit mentio, eſſe quid medium inter duo extremè oppoſita, nẽpe inter expreſſum conſenſum, & expreſſum diſſenſum, vt bene notat *Dynus in explicatione ſecunda regula*. *Sanchez lib. 1. de matrim diſp. 6. num. 11. Gloſ. in expoſitione regula ciuilis, & alij.* Cæterum, quamuis tacere ſecundum ſe ſpectatum ſit medium inter prædicta extrema, nihilominus ſæpè euenit, vt ſortiatur naturam nunc vnius, nunc alterius extremi: videlicet iuxtà diuerſitatem materiæ, circa quam verſatur, interdum trahitur ad conſenſum, interdum ad diſſenſum. His præhabitis aggredior nonnullas quæſtiones, in quibus decidendum erit, num taciturnitas indicet conſenſum, an potius diſſenſum?

CAPVT I.

An promiſſio, quæ fit promiſſario præſenti, & audienti, ſed tacenti intelligatur acceptata.

2 ANtequam deueniam ad examen, & deciſionem huius quæſiti, ſuppono, non eſſe à me inſtituendam controuerſiã cum illis, qui putant, vi ſolius promiſſionis internæ, nullo poſito actu externo, reſultare obligationem in eo, qui ita promittit, ad talem promiſſionem adimplendam attẽto iure naturæ; quia iuxta hanc ſententiam certum eſt in caſu, qui proponitur in quæſito, promittentem obligari: & hoc à fortiori; nam ſi promiſſio manens ſolum interius poneretur obligare in foro conſcientiæ, multo magis obligaret, quando exit in actum externum, etiã ſi nulla ponatur acceptatio. Quæſitum igitur locum habet ex ſuppoſitione communis ſententiæ, quæ, ad hoc vt promiſſio obliget, requirit, vt exterius prodeat, & à promiſſario acceptetur: hoc autem præſuppoſito, inquiritur, num taciturnitas ex parte promiſſarij præſentis, & audientis oblationem cenſeatur virtualis, ſeu implicita acceptatio ſufficiẽs ad obligandum ipſum promittentem?

3 Prima ſententia aſſerit, promiſſionem factam V.g. Titio præſenti, ſed tacenti, non intelligi acceptatam; & ideo promittentem in foro conſcientiæ non eſſe obligatum ad illam adimplendam. *ita Tiraquellus in L. nunquam Verbo libertis n. 68. C. de reuocand. donat. Rodriquez in ſumma. cap. 29. concl. 1. Angles in floribus par. 2 quæſt. de voto art. 2. diff. 3. concluſ. 2. Luiſius Turrianus in 2. 2. S. Thomæ tom. 2. diſp. 62. dub. 4. num.* 4. probant hanc ſententiam his rationibus.

Primo ex regula ſecundo loco propoſita, quæ eſt eadem cum illa, quæ habetur in iure ciuili, nempè. *Qui* tacet neque fateri, neque negare, videtur. ergo taciturnitas, neque eſt acceptatio, neque repudiatio ſed ab vtraque præſcindit.

Secundo probant; quia promiſſio cum ſit quidam contractus, qui exercetur inter homines, debet aliquo ſigno ſenſibili compleri, tum ex parte promittentis, tum ex parte promiſſarij oſtendentis promiſſionem acceptare.

Tertio. *Si* promiſſarius tacendo illam acceptaret, id manifeſtaret, referendo gratias promittẽti. Neque dicas, ad has gratias exhibendas cohiberi à pudore; quia non videtur, ex quo capite talis pudor ſuboriri poſſit, impediens officium gratitudinis præſtandum à promiſſario: imo ait Rodriquez, quod promiſſarius abſtinens ab hoc faciendo oſtendit contemnere promiſſionem; moraliter enim loquendo nil aliud agere deberet, quã breuiter dicere; gratias tibi refero: niſi dicatur eſſe amẽs, aut ſtolidus. ita Rodriquez, & alij, qui prædictis rationibus conãtur hanc ſententiam probare.

Secunda ſententia oppoſitũ docet, atq; in fauorabilibus, nẽpè in ijs, quæ tendunt in vtilitatem, & commodum ipſius promiſſarij, taciturnitatem eſſe implicitam, ſeu præſumptam acceptationem, niſi intercedat aliqua coniectura indicans contrarium, & conſequenter manere obligatũ in foro conſcientiæ promittentem. ita quamplures antiqui, & recentiores, quorũ aliqui expreſſè ponunt conditionem prædictam, videlicèt, vt promiſſio ſit de re vtili, & grata ipſi promiſſario. & ſic aſſerunt *Couarruuias Rubr. de teſtam par. 3. nu. 13. poſt medium, ver. eſt enim.* Gomez *tom 2. var. reſol. cap. 9. n. 2 Menochius de præſump. lib. 3 præſump 42. n. 4. Molina noſter tract. 2. de iuſt diſp. 264 n. 6. & diſ 270. n. 9. Azor. par. 3. lib. 11. cap. 2. quæſito 2. Rebellius de oblig. iuſt. lib. 18. quæſt 2. n. 2.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 6. n 11. ver. Nihilominus.* Fagundez *de iuſt. lib 3. cap. 4. num. 11. Bonacina de contract diſp 3 quæſt. 11. n. 11. pun. 2. n 9. Ioannes de Dicaſtillo de iuſt. lib. 2. tr. 4. diſp. 5. dub. 8. n. 110. & alij*, qui licet ex- 4

pli-

Digitized by Google

plicitè conditionem illam minimè apponant; materia tamen, de qua loquuntur, id oſtendit; nam agunt de donationibus, vel pollicitationibus in fauorem donatarij, vel illius, cui fit pollicitatio: & ſic docet *Sylueſter in ſumma verbo Pollicitatio nu. vnico. Iulius Clarus lib. 4. recep. §. Donatio. quaeſt. 14. ver. ſed pone. Molina de primogenijs hiſp. lib. 4. cap. 2. n. 76. Emanuel Sà in aphoriſmis, ver. donatio. nu. 16. & alij apud eoſdem.*

Præcipua huius ſententię ratio deſumitur ex hac regula, in qua determinatur, quòd tacens conſentire videtur; & confirmatur ex iure etiam ciuili, ſcilicet ex L. *Qui patitur. ff. mandati.* vbi ſtatuitur, quod ſi Titius, te præſente, & tacente, mandauit alteri e. g. *S*orti, vt tibi decem ſolueret, intelligeris tu veluti mandaſſe Titio, vt ipſe Sorti mandaret. Rurſus ex *L. Donationes* 32. §. *ſpecies. ff. de donationibus.* vbi deciditur quòd ſi mater extra dotem, nomine ſuę filiæ pręſentis, & tacētis, donet res aliquas viro eiuſdem filiæ, donatio præſumitur facta ab ipſa filia: in his enim caſibus, & alijs ſimilibus taciturnitas eſt acceptatio implicita.

5 Tertia ſentētia veluti media ea eſt, quā ponit *Cardinalis Delugo tract. de iuſt. diſp. 23 ſect. 5. num.* 82. ibi enim diſtinguens ait, rem oblatam interdum eſſe talem, vt quamuis nullum afferat poſitiuum præiudicium illi, cui offertur, nempè promiſſario, nihilominus ipſe promiſſarius nihil de re illa curet: & ponit exemplum; puta, ſi quis virgini, quæ eſt à nuptijs aliena, offerat opulentum, & honorificum matrimonium, quod licèt incommodum afferret, ſcilicet impedimentum ſtatui virginali, eius tamen promiſſio, & acceptatio nullum incommodum apportaret, quia remaneret in arbitrio, & voluntate ipſius virginis fidem adhibitam, & promiſſionem acceptatam remittere, & innuptam ſe conſeruare. Similiter, ſi perfecto religioſo mūdani honoris contemptori offerantur dignitates, certè parum de illis curaret. in his autem, & ſimilibus ait *Delugo*, ſilentium non eſſe ſignum acceptationis, cum taciturnitas cauſari poſſit ex eo quod promiſſarius non curet de re promiſſa; proinde ſilentium neque conſenſum, neque diſſenſum indicabit, & poterit promiſſarius tacere, ne offerentem, ſeu promittentem contriſtet, vel ne videatur illum contemnere. Contra verò ſi res oblata ſit promiſſario grata, nullumque ei afferat incommodū, tunc taciturnitas indicat conſenſum, & acceptationem, & ipſū ſilētium videtur cauſſari ex modeſtia, vel erubeſcentia: vt ſi Dominus promittat famulo tacēti pecuniam, vel dotē pro filia, vel veſtes, quas ipſe famulus apud ſe conſeruat, tunc ſilentium indicat acceptationē. ſic diſcurrit *Cardinalis Delugo.*

6 Quarta ſententia defenditur à *Barboſa* in collectaneis explicando regulam hanc 43. *Qui tacet.* vbi *num.* 10. & ſequenti inquit, vulgarem illam opinionem ſecundo loco relatam, quæ aſſerit, regulam verificari in fauorabilibus, non in præiudicialibus, quamuis magis communiter receptam, improbabiliorem tamē eſſe, eamque confutari poſſe per ea, quæ dicuntur *in cap. Nonne. de præſump.* vbi Gregorius Summus Pontifex regulam affirmatiuam conſtituit, ſcilicet tacentē conſentire, & non facit diſtinctionem inter fauorabile, & præiudiciale: imò ſtatuēs regulam exemplum poſuit in rebus præiudicialibus adducens verba, quæ Phariſæi Chriſto domino dixerunt. [*N*onne benè diximus, nos, quia *S*amaritanus es tu, & demonium habes. Ioan 8.] reſpondens autem Chriſtus vnum negauit, alterū tacēdo conceſſit, negauit nempè, ſe dęmonium habere, & tacuit de alio illato, ſcilicet ſe eſſe Samaritanum, & ſic videtur illud cōceſſiſſe, vt notat S. Gregorius. Vlterius probat *Barboſa* ſuū intentū, ex eo quod Bonifacius VIII. Pontifex, ſi hanc regulā putaſſet verificari in ſolis vtilibus, hoc facilè exprimere potuiſſet: imo cū frequentius eueniant præiudicialia, quam vtilia, debuiſſet cōcipere regulam potius negatiuam, quàm affirmatiuam; quia lex potius conſtituitur de ijs, quæ frequenter, & facile accidunt, quam de rarò contingentibus, vt habetur *in L. Iura, & L. Nā ad ea ff. de legibus.* Proſequitur idem Author confirmare hanc ſententiam afferens diuerſa iura, in quibus ſermo eſt de materia præiudiciali, & tamen in eiſdem iuribus tacens præſumitur conſentire. Præterea a num. 13. probat, in dubio æquali tacentem præſumi conſentire, niſi detur in contrarium coniectura aliqua: & ratione hoc demōſtrat; quia in dubio nullū habetur inditium impediens facultatē contradicendi; & ideò facillimum foret contradicere in rebus præiudicialibus, & contrarijs noſtræ voluntati: proinde in dubio tacentes præſumimur conſentire

ob

ob connaturalem propenſionem, quam habemus ad contradicendum, & oſtendendum noſtrum diſſenſum in ijs, quæ nobis diſplicent. Denique proponens aliquas limitationes explicat quędam iura, quæ contraria videntur.

Hæ ſunt ſententiæ, quas apud Authores inuenio: ſupereſt, vt quid ipſe de re hac ſentiam, varijs concluſionibus explanetur.

7 Dicendum igitur eſt primo, certum eſſe in fauorabilibus per taciturnitatem præſumi conſenſum, ſeu acceptationem rei promiſſæ, & oblatæ, niſi detur aliqua coniectura, quæ contrariam oſtendat voluntatem. Concluſio hæc eſt conformis ſecundæ ſententiæ ſuperius relatæ, & ideo eiuſdem rationibus eſt probanda: contrariatur tamen primæ cuius argumenta inferius ſunt ſoluenda.

8 Dicendum eſt ſecundo, opinionem tertio loco relatam, quam tuetur De Lugo, non eſſe ſimpliciter contrariam prædictæ concluſioni, quia, ſi illa bene explicetur, illud ipſum admittit, nempè taciturnitatem in rebus vtilibus promiſſario, ſeu donatario, indicare conſenſum, & indicare diſſenſum concurrentibus coniecturis ad id oſtendendum ſufficientibus: quod in præcedente concluſione à me non negatur. Solum eſſe poterit aliqua diuerſitas in qualitate coniecturæ, videlicet, an ſit talis, vt diſſenſum ſignificet? & de hoc nequit dari regula vniuerſalis, cum dependeat a varijs circumſtantijs hic, & nunc occurrentibus, & à viro prudenti examinandis.

9 Dicendum eſt tertio, ſententiam, quæ eſt quarta, & defenditur à Barboſa, quatenus non reſtringit hanc priorem regulam ad ea tantũ, quæ ſunt grata, & vtilia promiſſario, & includit etiam eidem promiſſario præiudicialia, mihi valde placere, ſi rectè explicetur: eamque pariter alij tuentur, inter quos eſt *Petrus PecKius in expoſitione huius regulæ*, vbi *n.* 5. & 6. plures refert caſus, in quibus taciturnitas indicat conſenſum, etiam in præiudicialibus, & præſertim fauore pupilli, Reipublicæ, & piæ cauſæ. Videatur *Maſcardus de probat tom. 3. concl. 1153 à n. 36. vſque ad finem concluſionis. & concluſ. 1218 per totam.* multa de re hac pertractans Vlterius in Iudicialibus tacens præſumitur conſentire etiam in ijs quæ ſunt ſibi præiudicialia ita *Tiraquel. de Iure mariti. Gloſ. 7. n. 37. Romanus. conſil. 311. à n. 2. Surdus deciſ. 47. n. 9.* & ideo ſiquis taceat, & non cõtradicat negatiuæ poſitæ in iudicio, quod ſc. non adimpleuerit id, ad quod tenebatur, cenſetur negatiuã fateri. *ita Tuſcus in pract. concluſ. lit. T. concl. 3. n. 17. & alij* apud ipſum. Probatur autem concluſio illis iuribus, quæ ab ipſomet Barboſa allata ſunt pro corroboranda hac ſententia; in illis enim ſermo eſt de præiudicialibus ipſi tacenti, & tamen taciturnitas in iure accipitur pro conſenſu: & confirmatur; quia, ſi regula hæc ita exponatur, vt comprehendat fauorabilia, & præiudicialia nonnullis caſibus exceptis, in quibus diſſenſus, & nõ conſenſus præſumitur, completa habebitur ſignificatio ipſius regulæ, quæ tamen non habetur, ſi reſtringatur ad fauorabilia tantum; deberet enim includere aliam partem negãtem, & non ſolã affirmantem, ita nempè dicendo, tacens conſentire videtur in fauorabilibus, non autem in præiudicialibus; cum igitur debeamus ſuſtinere, ſenſum huius regulæ intentum à Pontifice eſſe completum, aſſerendum conſequenter eſt in hac regula comprehendi vtilia, & præiudicialia. *Dixi*, ſi rectè explicetur; nam aliquando nõ præſumitur conſenſus, putà ſi tacẽs ignorat, aut non ſufficienter percipit id, de quo agitur, ſeu proprium præiudicium, vel ſi concurrat metus, vel timor reuerentialis, aut deceptio, aut fraus, vel quid ſimile; tunc enim ſilentium non oſtendit conſenſum.

Sed vrgebis contra prædicta adducendo aliam regulam ſecundo loco poſitam, 10
quæ aduerſari videtur ijs, quæ hactenus diximus pro explicatione prioris regulę; dictum enim fuit quod præſens, & tacens præſumatur conſentire regulariter loquẽdo: oppoſitum verò determinatur per ſecundam regulam, quatenus dicitur, quod tacens neque videtur fateri, neque negare, & ſic alterutrum ex his duobus eſt aſſerendum, nimirum, vel has duas regulas ſibi inuicem aduerſari, vel falſa eſſe, quæ pro explicatione prioris regulę tradita à me ſunt.

Hoc argumentum proponit, & rectè ſoluit *Barboſa* in expoſitione huius ſecundę regulę num. 3, multa enim dicit, quæ breuiter conſiſtunt in attendenda differentia inter conſenſum, & diſſenſum ex vna parte, & ex alia parte inter confeſſionem, & negationem confeſſionis; diſcrimen autem eſt, quia conſenſus eſt ac-

tus voluntatis, quę libera eſt ad ipſum conſenſum, vel oppoſitum diſſenſum pro ſuo placito eligendum, & ad illud quòd eſt ſibi magis gratum: atq; ab hoc dependet vterque actus: cęterum fateri, aut negare quoad veritatem, & falſitatem non dependent ab eo, quod ſit gratum, vel non gratum voluntati, ſed ab obiecto, prout eſt, vel non eſt in ſe; & ideò taciturnitas quoad oſtẽdendum conſenſũ, vel diſſenſum dependet à placito ipſius voluntatis; confeſſio autem, vel negatio ad oſtendendum obiectum ita, vel non ita ſe habere, dependet ab ipſomet obiecto; & ideo pręcisè ſpectata eſt indifferẽs ad oſtendẽdum magis vnum, quàm aliud. Remanet autem, vt contrária argumenta diluantur.

Ad primum dico, quòd prioris ſententię reſponſio deducitur ex dictis; nam regula ſecundo loco poſita, & regula iuris ciuilis non eſt confundenda cum regula priori; quia diuerſum reſpiciunt obiectum, vt oſtenſum eſt.

Ad ſecundum, eſto, ſimplicem promiſſionem eſſe contractum, quod multi negant; dico tamen haberi in caſu noſtro ſignum ſenſibile, per quod ſufficienter manifeſtetur acceptatio; tale autem ſignum eſt ſilentium, quod in his, & ſimilibus circumſtantijs eſſe ſignum èxternũ, docet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 40. n. 13. Henriquez lib.* 11. *de matrim. cap. 2. num. 6. in comment lit. P.* dicens, priuationem verbi debiti eſſe actum externum, qui ſatis explicat conſenſum, & id multorum veterum authoritate confirmat: neque obſtat, eſſe quid negatiuum; nam ſæpe per negationem, ſeu abſentiam alicuius deuenimus in cognitionẽ alterius rei, vt patet in multis. V. g. Romæ datur ſtatutum, vt omnes Hebræi mares ibi commorantes geſtent in capite pileum, ſeu ſignum crocei coloris, & mulieres calanticam eiuſdem coloris: negatio autem pilei, &c. eſt quid negatiuum, & eſt ſignũ perſonę non ſectantis legem Iudaicam, & ſic in alijs.

Ad tertiam aio, quod negatio referendi gratias promittenti, ſeu donanti ex varijs capitibus oriri poteſt, vt ſupra declaratum eſt; & ideò non ſignificat ſemper negationem conſenſus.

Ad argumenta autem ſecundę ſententię, quatenus probant, in fauorabilibus taciturnitatem eſſe ſignum conſenſus, dico, eſſe iuxta primam concluſionem à me poſitam; quatenus verò reſtringunt ſententiam ad ſola fauorabilia reſpondeo, non eſſe abſolutè admittenda ob rationes ſuperius allatas pro quarta ſententia.

Quod verò ſpectat ad opinionem Cardinalis Delugo, cum ſolum procedat oſtendendo, in quibus caſibus taciturnitas ſit ſignum cõſenſus, & in quibus non ſit, dico nihil in contrarium aduerſus illã me habere; quia meę ſententię relatę in ſecundo loco minimè contradicit.

CAPVT II.

Sint ne valida ſponſalia, quæ parentes contrahunt pro filijs præſentibus, & tacentibus?

LOcutio eſt de ſponſalibus, quę con- 11
trahuntur pro filijs iam adultis, ſeu habentibus perfectum rationis vſum, in quibus eſſe poteſt expreſſus, & legitimus conſenſus, aut diſſenſus ſiue ad valorem, ſiue ad Inualiditatem ſponſalium: & conſequenter in eiſdem taciturnitas poterit eſſe conſenſus, aut diſſenſus tacitus: de quo procedit quęſitum, & locum habet pręſens Regula *Qui tacet*; nam quæ dici poſſunt de ſpõſalibus impuberum, ſeu infantium iure omittimus, quia ſi ſunt doli capaces eadem eſt ratio de illis, quantum ad hoc, ac de adultis: ſi verò non ſunt capaces, quid ſit dicendum, iam eſt diſpoſitum in iure canonico; *cap. vnico. § Porrò. de deſponſat. impuberum in 6.* ibi enim determinatur, quòd, licet ſponſalia ob ętatis defectum firma non ſint; nihilominus omninò debent ipſi infantes cum perueniunt ad pubertatem, ſponſalia per patẽtes inita rata habere: cum autem in infantibus expreſſus, & legitimus conſenſus, vel diſſenſus reperiri nequeat, euidenter ſequitur, taciturnitatem, quę in eiſdem habetur tempore contractionis ſponſalium, non eſſe legitimum, neque eſſe poſſe tacitum conſenſum; in eo enim, in quo inueniri nõ poteſt modus expreſſus, neque dari poteſt tacitus, qui eſſe debet ſignum, & manifeſtatio interni conſenſus.

Multa ſolẽt exagitari ab Authoribus de obligatione, quã in textu citato præſcribit Põtifex impuberibus peruentis iã ad pubertatem in ordine ad rata habenda ſpõſalia à parentibus pro ipſis contracta; quæri .n. ſolet, an talis obligatio ſit grauis

&

Digitized by Google

& ſub præcepto, an verò quoad hone-ſtatem tantum, & decentiam, & quęnã differentia ſit inter ſponſalia pro filijs adultis, & ſponſalia pro infantibus contracta? hæc autem ego,& ſimilia prætermitto, quia non pertinent ad pręſens inſtitutũ. ſolum itaque his omnibus ſic pręmiſſis, quęſiti examen aggredior, videlicet, an ſint valida prædicta ſponſalia, ſeu quod in idem recidit, an ſi Pater nomine filij contrahat illa, & ipſe filius id agnoſcat, & pręſens taceat non contradicendo, cenſeatur conſentire,& rata ea habere? duę ſunt ſententię.

12 Prima eſt negatiua, eamque tuentur nonnulli antiqui, & recentiores apud *Henriquez in ſumma lib. 11. cap. 2. nu. 6. in comment litt. P.* probatur autem primo, quia cum agatur de re magni momenti, ſola, & ſimplex taciturnitas non videtur ſufficiens, niſi addatur aliquid aliud ſenſibile ſignum expreſſiuum interni conſenſus. Secundò, quia in cap. cit videtur conceſſa Patri facultas contrahendi pro infantibus, pro quibus Pater cõtrahere poteſt, non autem pro illis, qui doli ſunt capaces.

13 Secunda ſententia oppoſitum docet, nempè taciturnitatem filij eſſe implicitũ, & tacitum conſenſum, ac proinde ſufficientem ad firmanda ſponſalia, quę à patre pro ipſo filio fuerunt contracta. ita *Guttierez de matrim. cap. 13. Henriquez loco ſuperius citato. Sanchez lib. 1. de matrim diſp. 23. num. 3. Baſilius Pontius lib. 8. cap. 14. num. 2. Nauarrus in ſumma cap. 22. num. 58. Azor. in inſtit. moral. par. 1. lib. 1. cap. 4. ver. filij puberes. Aegidius Coninch. diſp. 22. num. 63. Layman tract. 10. par. cap. 1. nu. 23. Bonacina quaeſt. 1. pu. 1. num. 15. Leander in quaeſt moral. par. 2. diſp. 1. quaeſt. 49. Gaſpar Hurtado diſp. 1. diff. 13. num. 49 Barboſa in collect. cap. vnico §. Porrò de deſponſat. in 6. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 270. & alij.*

14 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſentẽtia, pro qua habetur textus citatus *in cap. vnico de deſponſat. impuberum*, vbi apertè id ſtatuit Pontifex dicens, ex ſponſalibus, quæ parentes pro filijs contrahũt, oriri ius publicę honeſtatis, & filios obligari, ſi præſentes fuerint, & non contradixerint: cum autem modus contrahendi validè ſponſalia dependeat ex iure poſitiuo canonico, non eſt inquirenda alia ratio pręter legiſlatoris voluntatẽ, nempè Summi Põtificis, fundatam in quadam congruentia,& præſumptione iuris, quia ſcilicet parẽtes magno affectu filios proſequuntur: imò, vt colligitur ex *L. Iſti quidem. ff. de eo. quodmet. cauſſa.* plus diligunt filios, quàm ſe ipſos; idcircò pręſumuntur rectè, & diligenter bonum filiorum curare, pręſertim cùm in matrimonium eos collocant.

Ad primum autem argumentum pro oppoſita ſententia reſpondeo, negando, taciturnitatẽ in hoc caſu nõ eſſe ſufficiẽs ſignum interni cõſenſus, q̃do nulla extat cõiectura, per quã de contraria volũtate ſuſpicari poſſimus; nã ex vna parte præſumimus Patrem velle, & curare id, quod melius eſt pro filijs; ex alia parte, cum filij tempore contractionis ſponſalium ſint præſentes, & poſſint contradicere, & tamen taceant, nullo ſe offerente inditio, quod ipſi timore reuerẽtiali, aut alia cauſa ſileant, iure optimo præſumimus, placere ſponſalia illa, quæ a Patre pro ipſis contrahuntur: & hoc aſſero loquendo pro foro externo; nam in foro conſcientiæ difficultas hæc nequit locum habere; quia, vt bene notauit *Sanchez loco cit.* internus conſenſus vel habetur, vel non; ſi primum, nihil deerit ad validitatem ſponſalium; ſi ſecundum, irrita erunt ſolum in hoc foro conſcientiæ. Quando autem taciturnitas fuit ex aliquo metu reuerentiali, eſſet examinandum, an metus fuerit ſufficiens ad tollendum voluntarium, quod requiritur ad valorem ſponſalium, ſiue ea contracta fuerint conſenſu tacito, ſiue expreſſo. 15

Ad ſecundum reſpondeo cum Sanchez, & dico, diſcrimen inter impuberes, & puberes non eſſe quo ad iuris effectum, ſcilicet quo ad valorem, aut nullitatem ſponſalium, & ad vim ſignificandi internum conſenſum; ſed ſolum quo ad decentiam, & honeſtatem; & ideo in *dicto cap. vnico* Pontifex reſpondens Euſebio Epiſcopo petenti, ait, non poſſe contrahi ſponſalia à Patre pro filio adulto, niſi ipſe filius conſentiat; non enim videtur decens, vt pro filijs, qui legitimum habere poſſunt conſenſum, pater cõtrahat: poſſe tamen patrẽ cõtrahere pro filio non adulto, qui ob ætatem minorem nequit habere expeditam voluntatem; debere tamen poſtea filium iam adultum adimplere ſponſalia inita a patre.

Quæres primo, an quæ dicta ſunt de taciturnitate in ordine ad ſponſalia veri-

ficentur etiam quoad matrimonium, ſi coram *Parocho*, & teſtibus pro filio præſente, & tacente, Pater conſenſum exprimat?

Reſpondetur, duas eſſe ſententias, quarum prima affirmat, & eſt valde communis, eamque tuetur *S. Thomas in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 3.* docens enim ibi, conſenſum contrahentium eſſe cauſam efficientem, per quam fit matrimonium, & requiri ad valorem matrimonij, & eſſe verbis exprimendum, obijcit contra in tertio loco, dicens, in aliquo caſu dari matrimonium abſque verborum expreſſione, vt euenit quando puella tacet præ verecundia, parentibus eam viro tradentibus; ex quo infertur, verborum expreſſionem non eſſe de neceſſitate matrimonij.

Ad hoc quidem argumentum reſpondens *S.* Doctor inter alia ſic inquit [Verba parentum computantur in caſu illo, ac ſi eſſent puellæ; ſunt enim ſufficiens ſignũ quòd ſunt eius, ex quo non contradicit] Hanc etiam ſententiam à fortiori ſequũtur illi, qui non ſolùm parentibus, verum etiam alijs concedunt, nomine aliorum præſentium, & tacentium matrimonium contrahere poſſe, de qua te infra. ita ſentit *Sotus in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. ver. Præſens autem. Victoria in ſumma num 250.* & loquentes de parentibus, eam tenent *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 31. num. 5. Gaſpar Hurtado de matrim diſp. 13. nu. 49 Aegidius Coninch eodem tractatu diſput. 21. dub. 3. num. 34.* & in eam inclinat *Diana tract. cit. reſol.* 272. fundatur autẽ opinio hæc in *cap. vnico cit. de deſponſat. impuber. in 6.* vbi Pontifex declarat, taciturnitatem illam filiorum, quando parentes pro illis contrahunt, eſſe ſignum ſufficiens interni conſenſus.

17 Secunda ſententia negat, eamdem in hoc eſſe rationem de ſponſalibus, ac de matrimonio, ita *Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 27. quæſt. 1. ar. 2. concluſ. 4. Angelus in ſumma Verb. Matrimonium 2. num. 5. Henriquez in ſumma lib. 11. cap. 2. num. 6.* adiuncto *commen. littera P.* & quidã alij apud *Petrum Ledeſma in ſumma tractatu de matrim cap 5. diff 2.* quibus adhæret *Baſilius Pontius lib. 2. de matrim. cap. 14. num. 3.* quatenus ait, quòd niſi tot Doctorum authoritas ipſum detineret, cum his paucis ſentiret, videlicet conſtitutionem Bonifacij in cap. illo vnico locum non habere in matrimonio, ſed ſolum in ſponſalibus: quod poſtea probare nititur varijs argumentis.

Ex his ſentẽtijs placet priorem admittere. Ducor authoritate S. Thomæ, & aliorum: quamuis probabilem cenſeam hãc poſteriorem, & præſertim ob ponderationes, quas ſuper textum Pontificis facit *Pontius* probans, in eo canone nulla eſſe verba, quæ ſignificent taciturnitatem filiorum in prædicto caſu eſſe ſufficiẽtem ad matrimonium, ſed tantum ad ſponſalia; & ideò ad hæc concilianda, & ad melius firmandam ſentẽtiam priorem, puto, dicendum eſſe, quod, quamuis in eo textu expreſsè ſermo non ſit de matrimonio, ſed de ſponſalibus; nihilominus ex declaratione illa Bonifacij eadem ratio, quæ ſatis eſt pro ſponſalibus, videtur ſatis etiã eſſe pro matrimonio contrahendo; nam eo ipſo, quòd taciturnitas eſt ſignum conſenſus interni, æquè ſe habere poteſt ad ſponſalia, & ad matrimonium, ad quod firmandum, vt ex communi ſenſu Authorum ſuppono, non requiruntur neceſſario verba externa; quia in tantum requiri poſſent, in quantum ſunt ſignum conſenſus; ergo, cũ conſenſus per aliquid aliud poſſit exprimi, & exteriùs manifeſtari, ſatis eſt ad matrimonium taciturnitas, quæ in his circumſtantijs, cum ſit ſignum conſenſus, erit ſufficiens ad matrimonium, ſi coram legitimo Parocho, & teſtibus hęc omnia fiant. *Ex* his verò colligi poterit, opinionẽ hanc fundari in textu illo canonico, (ſicuti volunt Authores eiuſdẽ opinionis) hoc pacto videlicet, vt illatiuè deducatur mẽs *Põ*tificis in ordine ad matrimoniũ, ſeu per quãdã æquiparantiã inter ſponſalia, & matrimoniũ, quatenus ſignificata per taciturnitatem; & ſi hoc modo intelligatur textus, ceſsãt difficultates, quas in cõtrarium proponit *Pontius*, quę omnes tendunt ad oſtendẽdendum, in cap. illo vnico ſermonem eſſe de ſponſalibus: quod ipſe concedit, ſi de ſermone explicito loquamur, & non de implicito incluſo in explicito per ęquiparantiam, vt dictum eſt. 18

19 Quęres ſecundo, vtrum quę diximus de Patre, locum habeant in matre contrahente pro filia?

Reſpondeo affirmatiuè; nam in cap. illo locutio eſt de parentibus: ſub nomine autem parentum Pater, & *M*ater continentur, ita *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 23. n. 9.* vbi optimam aſſignat rationem dicens, deciſionem prædicti textus

mi-

Digitized by Google

minimè fundari in patria poteſtate; ſed tùm in amore paterno, qui ardentior eſt in matre, tum etiam in naturali ratione, qua filius vtrique parenti eſt ſubditus, eique obedire debet: patria autem poteſtas, cui non innititur deciſio illa Pontificis, vt diximus, eſt de iure ciuili, cui præferenda eſt naturalis ratio. ſic diſcurrit *Sanchez* probans hæc omnia multorum authoritate.

20 Quæres tertiò, an in prędicta conſtitutione non ſolũ includantur parentes, ſed etiam tutores, & curatores, & alij, ſub quorum cura manent filij?

Reſpõdetur. Hos omnes includi cẽſent *Coninck. dub. cit. nu. 37. Hurtadus loco cit. Diana tract. obi ſupra reſol. 70. in fine.* ratio autem pro hac ſententia eſſe poteſt, quia tutor, curator, & ſimilea, quibus eſt cura pupillorum, & minorum commiſſa, cenſentur bonum illorum curare, eorumque nomine agere.

Hęc opinio videtur probabilis, licet in cap. illo vnico de his non fiat mentio.

21 Quęres quartò vtrum ſponſalia firmẽtur, ſi alius extraneus contrahat nomine puellę prę́ſentis, & tacentis?

Reſpondeo, partem affirmatiuam ab aliquibus ſuſtineri, nẽpe *à Soto, & Victoris* locis in primo quęſito citatis: & idem ſentiunt alij apud *Sanchez diſp. 23. cit. n. 6.* quibus ſubſcribit *Pontius cap. illo 14.* ſuperius relato *num. 7. & ſeq.* Mouentur ad hoc aſſerendum, quia, cum agatur de re appetibili, & fauorabili, ſi puella taceat, prę́ſumitur conſentire. Ruſus probatur *ex cap. 1 de matr. contracto contra interdict. Eccleſ.* vbi iudicatum fuit validum matrimonium initum a fratre pro ſorore prę́ſente, & conſentiente. Alij verò partem negatiuam tuentur, vt *Gutierez de matrim. cap. 13. n. 2. Couar. de ſponſal. par. 2. n. 4. Sanchez diſp. cit. nu. 7. Diana reſol. 270. cit. Leander vt ſupra quæſt. 30. & alij quamplures apud Sanchez.* Ratio eſt, quia diſpoſitio illa Bonifacij in cap. vnico eſt ſpecialiter edita pro parentibus tantum. Demum alij, media incedentes via, diſtinguunt, & inquiunt, in foro externo irritum eſſe, at in foro conſcientię eſſe validũ. Patroni huius ſententiæ laudantur a *Sanchez, & à Pontio.* Ratio, quę priorem partem probat, eſt, quia diſpoſitio Pontificia prę́ſumit conſenſum internum, quando filij, parentibus contrahentibus nomine ipſorum, tacent; at hoc non prę́ſumit, quando contrahunt alij extranei. Secunda verò pars ſuaderi poterit, quia, ſi re vera filius, aut filia interiùs conſentiat, firmum iudicari debet matrimonium. Quid autem probabilius mihi videatur mox aperiam.

Dicendum eſt primò, ſi ſpectemus deciſionem Pontificis in cap. illo vnic. certum eſſe extraneos non poſſe nomine aliorum contrahere, niſi ſint procuratores in hunc finem deſtinari ab illis, qui volunt ſe matrimonio copulare; & de hoc non procedit quæſitum, ſed de illis extraneis, qui abſque prædicta commiſſione contrahunt pro alijs præſentibus, ac tacentibus; & de his dico, non includi in diſpoſitione Pontificis, in qua ſolum de parentibus eſt locutio præſcindendo autem à tali diſpoſitione, quid ſit dicendum declaro in ſequentibus. 22

Dicendum eſt ſecundo, longè probabilius eſſe ita parentibus concedi validè contrahere poſſe pro filijs præſentibus, & tacentibus, vt non cõcedatur extraneis, ſicuti docent Authores ſecundæ ſententiæ. Probatur, quia, licet taciturnitas hæc ſecundum ſe, & naturaliter ſpectata æquè ſe habere poſſit ad ſignificandum conſenſum internum, ſiue in ordine ad parentes, ſiue in ordine ad quoſcumque alios; nihilominus ob lucis diſpoſitionem non cauſſat hunc effectum firmandi ſponſalia, vel matrimonium, niſi reſpectu parentũ; & hoc ob rationẽ dictã in probatione principalis concluſionis; potuit enim Eccleſia ſtatuere, vt taciturnitas reſpectu talis determinatæ perſonæ vim habeat ad firmandũ hũc contractũ, nempè ſponſalia, aut matrimonium; neque hoc mirum eſſe debet; nam aliud ſimile in hac materia habemus, videlicèt, quòd contractus legitimus ad firmandum matrimonium non eſt quicumque, ſed ille, qui celebratur coram proprio Parocho, & teſtibus; & tamen ſpectando ius naturale ad ſignificandum conſenſum, quo quis vult ſe obligare, ita ſe habet contractus initus coram parocho, ſicuti ille, qui fit non coram parocho; ſimiliter in caſu noſtro taciturnitas conſiderata ſecundum ius naturale vniformiter ſe habet reſpectu cuiuſcumque perſonæ ad ſignificandum, aut non ſignificãdum internum conſenſum; ſed ius voluit in ordine ad prædictum effectum approbare duntaxat taciturnitatem in ordine ad parentes: ex quo oritur illud diſcrimen, quod notat *Sanchez diſp. 23. cit. num. 12.* inter vtrũque 23

que

Digitized by Google

que taciturnitatem; nam præſentia, & taciturnitas filiæ, quando nomine ipſius contrahunt parentes, niſi conſtet de interno diſſenſu, habebitur in vtroque foro pro conſenſu; quando verò contrahũt alij extranei, non habebitur pro conſẽſu legitimo, & ſufficienti, niſi veſtiatur aliquo alio ſigno ſenſibili externo indicãte conſenſum internum. Ratio autem, quare Eccleſia ita diſpoſuit, fundatur in affectu parentum, & ſollicitudine illa, qua curant bono filiorum proſpicere, & maximè in ijs collocandis in matrimonium: quæ ratio non locum habet in extraneis. Limitat hanc ſententiam *Sanchez num.* 14. quando in aliquo loco vigeret conſuetudo legitimè inducta declarandi conſenſum proprium per alios; & ita ſeruari in Indijs teſtatur ipſe; ait enim, Indos eſſe ita timidos, vt nequeant pedem mouere ſine gubernatoris conſenſu; proinde quando matrimonium contrahunt non ſolent ipſi conſenſum exprimere, ſed eorum gubernator: & expreſſio gubernatoris ob patriam conſuetudinem cenſetur ſignum ſufficiens ad indicandum internum conſenſum ipſorum, cum ſunt præſentes, & tacent.

24 Remanet, vt ſatisfaciam contrarijs argumentis. Ad primum autem pro priori ſententia reſpondeo, vt bene reſpondet *Sanchez num.* 7. Quamuis matrimonium ſit appetibile, nihilominus contingere poterit, vt contrahere cum tali determinata perſona ſit nociuum: & cum parentum munus ſit bene prouidere proprijs filijs, & præſertim in matrimonio, idcirco ius præſumit, quòd Pater v.g. contrahens nomine filiæ curet matrimonium idoneum: quæ ratio, vt ſuperius dixi, non militat in extraneis: & quãuis interdum eueniat, vt aliquis extraneus curet bonum alicuius puellæ non minori, imò maiori diligentia, quam ſit illa adhibita à patre; ius tamen in condenda hac lege ſpectauit id, quod per ſe contingere ſolet, & non caſus per accidẽs; per ſe autem loquendo amor, quo parentes ſuos filios proſequuntur, eſt longè maior illo, quam habent extranei; quia proficiſcitur à natura, & etiam ipſis animalibus eſt inditus, vt fusè oſtendit *Tiraquel. l. ſi vnquam in præfat. n.* 13. *&* 14. *& Diuus Ambroſius Hexameron lib.* 6. *cap.* 4. dicens, [Natura hoc beſtijs infundit, vt catulos proprios ament; fœtus ſuos diligant, &c.] nullus enim amor vincit paternum, inquit *Menochius lib.* 4. *præſumpt.* 89. *n.* 118. & conſequenter, cum ſollicitudo, quam parentes habent de filijs, ſit longè maior ſollicitudine aliorum, valdè conſentaneum fuit concedere parentibus, & nõ alijs facultatẽ declarandi conſenſum filiorum, qui ſanè præſentes, & tacentes cenſentur approbare id, quod fit à parẽtibus: niſi tamẽ conſtet de oppoſito, aut talia cõcurrãt inditia, vt factum reddatur ſuſpectum, & dubium; quia tunc certum erit, non ſatis eſſe puram taciturnitatem filiorum.

Ad ſecundum deſumptum *ex cap.* 1. *de matrim. contracto, &c.* reſpondeo, mulierem illam, de qua loquitur textus, non ſolum conſenſum internum præbuiſſe, verum etiam varijs ſignis externis illum manifeſtaſſe, vt expreſsè declaratur in eodẽ textu; nam recepit dona, & munera iuxta morem regionis à viro illo, cui in matrimonium erat coniungenda, & præterea eumdem tanquam proprium virum ſæpè amplexabatur; idcircò non ſolum implicitè, ſed etiam explicitè internum conſenſum declarauit.

Contra prædictam concluſionẽ arguit *Pontius cap.* 14. *cit. à num.* 7. nitens oſtẽdere, in foro conſcientiæ validum eſſe matrimonium cõtractum per extraneos; & hoc probat ex eo, quòd taciturnitas perſonæ præſentis æquè ſe habet ad exprimendum internum conſenſum, ſiue parentes, ſiue extranei pro perſona illa ad contrahendum verba proferant. Hoc argumentum, quod efficax exiſtimauit *Pontius*, facilè ſoluitur, diſtinguẽdo vim ſignificandi, quæ continetur in tali taciturnitate, naturaliter, & legaliter ſpectata, vt ſupra in probatione concluſionis ſufficienter declaraui; naturaliter enim æquè ſe habere poteſt; ſecùs autem legaliter ob rationem aſſignatam. 25

Arguit vlterius nu. 9. eamdem probans ſententiam ex motiuo, quod habere potuit Pontifex reſtringens conſtitutionem illam ad ſolos parentes; ſi enim fuit naturalis amor erga filios, certè amor iſte interdum non eſt minor in fratribus: & ideo conſtitutio erat ad fratres extendenda: ſi verò dicatur, quòd extranei non ſunt ita ſolliciti de bono contrahentium, hoc non obſtat, quia eſt maior libertas contradicendi ex parte illius perſonæ, quæ contrahere debet; quæ libertas ſæpè non habetur, quando pater pro filia contrahit;

nam

Digitized by Google

nam, vt ipſa Patri obediat cogi poteſt metu reuerentiali. Si autem motiuum Pontificis fuit ſollicitudo, qua Parentes proſpicere ſolent proprijs filijs, quamuis extranei rarò, & non niſi vocati id curent, nihilominus ſi ſemel vocati ſunt, iam erunt veluti procuratores, & internuntij habentes expreſſam contrahentium voluntatem; ſi verò non ſunt vocati, & tamen id agunt, tunc perſona, quæ præſens eſt, intelligit, & tacet, cum poſſit facile reclamare, videtur conſentire. ita diſcurrit Pontius.

Reſpondeo ex dictis, videlicet, in hac diſpoſitione à Pontifice ſpectatum fuiſſe, id, quod per ſe contingit, nempè amorem, & ſollicitudinem parentum erga propriam ſobolem; talis enim amor ſolet eſſe in illis vehementior, quàm ſit reſpectu aliorum; & quamuis inter fratres mutua dilectio ſit magna, nihilominus ordinariè eſt minor, quam ſit amor parentũ, & idem aſſero de ſollicitudine; imò ſæpè proprium commodum frater quærit, minus, aut parum curans de commodo alterius fratris; idcircò conformius rectæ rationi fuit, vt Pontifex in conſtitutione illa de ſolis parentibus mentionem faceret.

Quod verò dicitur de metu reuerentiali, non obſtat, quia in caſu noſtro ſermo eſt, quando nulla eſt ſuſpicio, quod filia non contradicat ob verecundiam, & metum reuerentialem erga parentes, & niſi conſtet, vel coniecturæ habeantur, filiam tacere ob talem metum; ceſſante enim huiuſmodi ſuſpicione, præſumit Ius, à patre collocante filiam in matrimonium diligenter inſpectum fuiſſe bonũ ipſius filiæ, & ipſam tacentem conſentire.

Denique, cum dicitur extraneus vocatus ſe habere, ac ſi eſſet procurator, non eſt abſoluiè verum, quia deberet vocari ab ipſamet filia pro expreſſione conſenſus, & tunc perinde eſſet, ac ſi ipſa immediatè conſenſum exhiberet; ſi verò extraneus vocatur ab alio, tunc omnia eſſent irrita.

26 Quæres quintò, vtrũ nomine parentũ, de quibus in illa conſtitutione loquitur Pontifex, comprehendantur aſcendentes, vt auus, proauus, &c.

Reſpõdetur, mihi videri eſse comprenſos: & duplici ratione moueor ad hoc aſſerendum; primo, quia in iure aperte habetur nomen parentum extendi ad aſcẽdentem. ità L. *Appellatione*. 51. *ff. de verb. ſignif.* & idem ſentiunt Doctores, & inter alios *Aſcanius Clementius de patria poteſt. effectu* 1. *num.* 21. *&* 22. quod opus continetur in tractatibus *tom.* 8 *par.* 2. *Rebuffus in eamdem legem. Gratianus in diſcept. foren. tom* 5 *cap.* 977. *num.* 3. *Surdus de alimentis tit.* 6. *cap.* 8. *num.* 17. *Maſtrilli deciſ.* 256. *num.* 31. *& alij*; idque procedit in omni diſpoſitione, & ſtatuto, quamuis ea ſtrictè eſſe explicanda doceat Baldus, Surdus loc. cit. & alij.

CAPVT III.

Extenditur, an, quando ad aliquid peragendum, vel omittendum licentia requiritur, ſatis ſit tacita.

NOn eſt huic regulæ, quam præ manibus habemus, diſſonum, neque à noſtris inſtitutis alienum pertractare de licentia illa, quæ tacita ab Authoribus appellari conſueuit, quatenus ex taciturnitate illius prodire ſolet, ad quem eam concedere ſpectat; ſæpè enim euenit, vt quibuſdam poſitis circumſtantijs, ſilentium indicet internum conſenſum, & ideo locum habeat regula iuris. Qui tacet cõſentire videtur, interdum vero in alijs circumſtantijs potius diſſenſum, quàm conſenſum oſtendat. Cæterum pleraque, quorum determinatio ex deciſione propoſitæ quæſtionis dependet, neceſſariò prærequirunt, vt non ſolùm explanemus, quid ſit tacita, quid expreſſa licẽtia; ſed etiam an aliquod reperiatur diſcrimẽ inter licentiam, & conſenſum; nam à Iuriſtis hæc duo diſtingũntur: meritò autem id præmittendum videtur, quia plures ſe offerunt caſus, qui verſantur circa actiones, ad quas exercendas licentia, ſeu alterius conſenſus exigitur; & in cõtrouerſiam apud Authores adducitur, nũ licentia eſſe debeat expreſſa, an verò ſufficiat tacita, idemque aſſero de cõſenſu. Vt autẽ diſtinctiùs, & clariùs procedatur, omnia in varios paragraphos ſunt diſtribuenda.

§. I.

An licentia, & conſenſus inter ſe differant?

ANte quam reſoluam, num inter licentiam, & cõſenſum aliquod inueniatur diſcrimen, & quale eſſe poſſit, 27
iuuat,

Digitized by Google

ſunar, quamdam breuem vtriuſque nominis declarationem præmittere: dico igitur vocem hanc *Licentia*, deriuari à verbo, *licet*, *licebat* imperſonali, quatenus importat eſſe permiſſum, ſeu habere facultatem, ſeu gratiam aliquam ab alio, per quam fit alicui conueniens, quod prius decens non erat: & non deriuari à verbo *liceo lices*, vt cenſuit *Cardinalis Zabbarella in Clemen fin. num 9 de elect. & Albericus in dictionario iuris verb. licentia*, nam liceo ſignificat ſubijcere rem aliquam præconis voce publicè vendendam. Conſenſus autem venit à verbo, conſentire, quod ſignificat in vnam ſententiam conuenire, nam *in L. 1. §. Conuentionis ff. de pactis*, ſic habetur [Sicuti conuenire dicuntur, qui ex diuerſis locis in vnum locum colliguntur, & veniunt, ita qui ex diuerſis animi motibus in vnũ conſentiunt, ideſt in vnam ſententiam decurrunt.] Hæc quoad nominis explicationem: remanet inueſtigandum, an inter hæc duo diſcrimen reperiatur?

28 Iuriſtæ, & Canoniſtæ communiter dicunt, differre, quatenus licentia debet eſſe expreſſa, vt vult *Gloſ. in Clement. vnica. verbo obtenta, de teſtam. Ioannes Andr. & Decius in cap. Si Abbatem. initio de elect. in 6. Lapus allegat. 86. num. 3 Tiraquel de lege connub. Gloſ. 7. num. 8 Gonzales in regul. 8 Cancel. Gloſſa 47. quæſt. 7. num 45. & ſeq. Menochius de arbit. cent. 2. caſu 453 in fine: & in conſil. tom. 2. conſ. 188. num. 7. & alij apud Sanchez lib. 3 de matrim. diſp. 35. num. 16.* Probant hanc ſententiam primo ex quadam declaratione ſacræ Congregationis ſuper Conc. Trid. in licentia, quæ conceditur à Parocho, vt alicnus ſacerdos matrimonio aſſiſtat: quam declarationẽ referunt Gonzales, Menochius, & Baſilius Pontius infra citandus, & alij: in qua declaratione diſpoſitum eſt, non ſufficere tacitã licentiam, ſed debere eſſe expreſſam. Secundò probant ex quibuſdam caſibus particularibus requirentibus expreſſam; & ex his caſibus deducunt regulam vniuerſalem, videlicet de ratione licentiæ eſſe, vt expreſſè concedatur; ſed non ita eſſe de ratione conſenſus.

Sed alij quamplures oppoſitum ſentiũt, quatenus indiſcriminatim loquuntur de licentia, & conſenſu quoad eſſe expreſſũ, vel tacitum; in multis enim caſibus docet, ſufficere licentiam tacitam, ſeu illam, quę eſt per ratihabitionem de præſenti. ita *Ioannes Lupus de Palatijs rubeis. in repetit rubr. de donat inter virum, & vxorem § 68 nu. 26. 27. pagina mihi* 180. vbi exagitans caſus aliquos, in quibus requiritur licentia ad valorem alicuius actus expreſsè docet, tacitam licentiam ſufficere, laudans plures ex antiquioribus Iuriſtis: & hoc ipſum ſentit *Azeuedo tom. 3. Recompilat. lib. 5 tit. 3. leg. 2. n.* 8. docet enim, vt vxor validè contrahat, ſatis eſſe licentiam tacitam mariti: *& tit. 7. leg. 3. nu.* 1. quamuis aſſerat, ad inſtituendum maioratum requiri licentiam expreſſam à Rege, & non ſufficere tacitam, aduertit, id eſſe ſecundum legem Hiſpaniarum: & addit, ſecùs eſſe de licentia, quæ exigitur, vt vxor contrahat; nam, ad hoc, inquit, ſatis eſſe tacitam, & ſe remittit ad eã, quæ docuerat priori loco citato. Et Io. *Maria Nouarius in collect. ſuper pragmat. Neapoli pragmat.* 10. *de officio iud. collect.* 8 *num.* 58. quamuis ponat differẽtiam inter conſenſum, & licentiam, & dicat, illũ ſufficere tacitum, niſi ponatur pro forma, hanc vero debere eſſe expreſſam; addit tamen, aliquando iuxta qualitatem materię ſufficere tacitam. His Authoribus addo alios, & hi ſunt plures in tract. de matrim. videlicet *Sanchez diſp. cit. num.* 20. *Pontius lib* 5. *cap.* 29 *num.* 1. *in fine. Reginaldus in praxi. lib.* 31. *nu.* 181. *propoſ.* 6. *Aegidius Coninch. diſp.* 27. *dub.* 3. *num.* 31. *Filliucius tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 119. *Perez diſp.* 41 *ſect.* 1. *num.* 7. *Auerſa quæſt* 6. *ſect.* 4. *ver. Recte tamen. Trullench. de Sacram lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 4. *num.* 4. *Gaſpar Hurtado diſp.* 5. *diffic.* 11. *num.* 31. *Caſtropalaus par.* 5. *diſp.* 2. *pu.* 13. §. 12. *num.* 4. & in hanc opinionem, vt valde probabilem, inclinat *Stephanus Bauni de Sacram. tract.* 12. *quæſt.* 6. *aſſert* 6. & alij, qui licet vniuerſaliter non decidant, licentiam nõ requirere de ſui natura eſſe expreſſã, itaut nunquã poſſit eſſe tacita; nihilominus, docendũ in multis caſibus ſufficere implicitam, euidenter colligitur, in eorũ ſententia iuxta materiam, de qua agitur, licentiã quandoque expreſſam eſſe debere, quandoque verò ſatis eſſe tacitam. *Inuenio tamen*, P. Sanchez hoc apertè docere nõ ſolum in fine diſputationis citatæ reſpondentem ad argumenta contraria ſed etiam in ſumma *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 21. Quid autem de re hac ſentiam, breuiter explico:

Dico igitur primo nullam inueniri di- 29

ſcri-

ſcrimen quoad eſſe expreſſum, vel tacitum inter licentiam, & conſenſum à ſuperiore præſtandum; ſed vtrumque indifferenter ſe habere, vt volunt Authores poſterioris ſententiæ, & ſolum determinationem expectari per ordinem ad materiam, cui applicantur; quæ interdũ exigit licentiam eſſe expreſſam, interdũ verò alterutram poſtulat: & idem dico de conſenſu. Probari poteſt hæc ſententia argumento negatiuò, quo *Sanchez loc. cit. in ſumma* reijcit contrariam opinionem; vult enim, nullum videri fundamẽtum ad aſſerendum, quòd, quoties ad aliquẽ actum requiritur licentia, ea debeat eſſe expreſſa; fallit enim in multis caſibus infra exagitandis, imò Authores contrarij; qui id dicunt, plures hoc limitant, & contenti ſunt de licentia tacita, vt videbimus.

Ad declarationem autem S. Congregationis reſpondet *Sanchez loco cit. de matrim. num. 24. in fine* dicens, eſſe intelligendam de licentia expreſſa, prout diſtinguitur à tacita ex ratihabitione de futuro. Sed reſponſio hæc non videtur ſatisfacere, quia licentia expreſſa, vt ſic, opponitur cuicumque tacitę, ſiuè de futuro, ſiuè de præſenti, aut de pręterito, & ſine ſufficienti ratione ſumitur reſtrictè, nempè vt oppoſita tacitæ in ſpecie; & ideo melius, ni fallor, reſponderi poſſet primò, non conſtare authenticè de illa declaratione. Secundo, & ſolidius, dicendo, declarationem illam eſſe limitatã ad vnum dumtaxat caſum, ſcilicet ad matrimonium contrahendum, in quo voluit ſacra Congregatio, quòd, vt ſacerdos alienus validè aſſiſtat, debeat expreſſam habere licentiam à Parocho, quia agitur de re magni momenti: ex hoc autẽ non rectè infertur, eo ipſo quod requiritur licentia, eſſe debere expreſſam.

Ad ſecundum aio, non valere illationem quoad hunc effectum, nempè, in his, vel illis caſibus exigitur licentia expreſſa, ergo in omnibus; quia in particularibus poteſt eſſe ſpecialis ratio, quæ nõ militet in alijs: & idem dico de conſenſu, qui poteſt in aliquo caſu eſſe expreſſus, & in alio tacitus; proindè penes hoc nequeunt differre licentia, & conſenſus.

30 Dico ſecundo, aliquam differentiam eſſe inter licentiam, & conſenſum, vt ſic; differunt enim tanquam minus amplũ, à magis amplo; nam omnis licentia eſt quidam conſenſus, & non è conuerſo: & quamuis plures peruoluerim Authores, vt apud illos inuenirem tale diſtinctiuum, nil tamen reperi; proinde cogor declarare quid mihi videatur: aio igitur, licentiam eſſe conſenſum quemdam qualificatum, quatenus prouenit, vel ab habente iuriſdictionem in perſonam, quæ licentiam petit, & in rebus præceptis, aut prohibitis, vel ab habente dominium in rem aliquam, circa quam verſatur licentia: explico omnia. Sit lex ſiue eccleſiaſtica, ſiuè ſecularis, præcipiens aliquem actum, vel illum prohibens, & ſubditus volens hic, & nunc legem non ſeruare, petat diſpenſationem à Superiore, qui illam concedat; tunc conſenſus iſte ſuperioris appellatur licentia: ſicuti etiam, ſi quis vellet vti re aliena, & id manifeſtet illius rei domino, qui contentus ſit; tunc talis conſenſus vocatur licentia illius vſus: contra verò, ſi conſenſus procedat ab aliquo, qui neque ſuperior, neque ſit dominus illius rei, ſupra quam cadit conſenſus iſte, non diceretur licentia. V.g. Si Titius proponat Sorti, vt aliquid faciat, nempè ſecum eat ad deambulandum, tũc conſenſus Sortis non diceretur licentia, ſed merus, & ſimplex conſenſus, in quãtum eius voluntas, & voluntas Titij in eamdem actionem tendunt.

Et hæc ſatis videntur pro declaratione vocum: remaneat diſcutere aliquos caſus in materia ſpeciali, an ſcilicet quando requiritur conſenſus, ſeu licentia, ſufficiat tacita, an vero exigatur expreſſa: in diſcuſſione autem indiſcriminatim loquar de conſenſu, & licentia, ſumendo vtrumque pro eodem; cum ſermo futurus ſit de conſenſu, qui præſtari debet à ſuperiore, ſeu à domino illius rei, quæ licẽtiam in ſuo exercitio poſtulat; nam, vt dictum eſt, talis conſenſus eſt propriiſſimè licentia.

§. II.

An tacita Superioris licentia ſatis ſit, vt Religioſus munus executoris teſtamenti ſuſcipiat.

SVpponit præſens quæſitum eccleſiaſticã legem, quæ habetur in *cap. Religioſus de Teſtamen. in 6.* vbi Religioſis expreſſè prohibetur recipere officiũ executoris teſtamentarij, niſi prius petant, & obtineant licentiam à proprio ſuperiore: hoc ipſum etiam ſtatuitur in *Clementina* 31

vnica de Teſtam. & eſt communis Doctorum ſententia: ſuperior autem in hac materia appellatur etiam ille, cuius iuriſdictioni religioſus immediatè ſubijcitur, qualis eſt ſuperior localis, nempe illius monaſterij, ſeu conuentus, in quo Religioſus habitat; & ideo ſuperior in hoc canone comprehēdit ſuperiorem immediatum, & mediatū, nempè, tū localem, tū pariter Prouincialem, & Generalem; ſub hac enim voce abſolutè prolata veniunt omnes prædicti, qui abſque addito, & ſimpliciter Superiores vocantur; & ideo authoritas dandi hanc licentiam in omnibus prædictis reperitur, niſi in aliqua Religione ſint ſpeciales conſtitutiones, quæ reſtringant facultatē hanc ad certas perſonas, ſicuti ſeruatur in noſtra Societate, in qua diſpoſitū eſt, vt ſolus Pater Generalis valeat religioſis ſocietatis licentiā hanc concedere, vt habetur in noſtris conſtitutionibus *part. 6. cap. 3. §. 7.* & in declaratione *litt. D.* Quæ dicta ſunt de hac facultate nequeunt locum habere in Fratribus minoribus de Obſeruātia, quibus totaliter interdicitur officium executoris vltimarum voluntatum, vt determinatur, *in Clementina exiui § Porrò de verb. ſignific. ver. Cumque dicti ordinis litt.* G. proindè nullus ſuperior regularis poterit illis concedere talem licentiam. His breuiter præmiſſis, inquiritur, num ad recipiendum executoris teſtamentarij officium in ea religione, in qua recipi non prohibetur, ſatis ſit licentia tacita legitimi ſuperioris regularis, an verò requiratur expreſſa?

32 Prima ſententia poteſt eſſe eorum, qui ſuſtinent, eſſe neceſſariam licentiam expreſſam, & ſatis nō eſſe tacitam; quia quoties in aliquo actu requiritur licentia, debet ea eſſe expreſſa ita *Ioannes Andreas, & Dominicus Francus cap ſi Abbatem. de elect. in 6.* & quamplures alij, quos refert *Tiraquellus de lege connub. gloſſa 7. num. 8. & Sanchez lib 3. de matrim. diſp. 33. num. 16.* & loquendo de executore teſtamenti *Gloſ. in Clem. vnic. de teſtam. verb Obtenta. Panormitanus ibi num. 6.* Ratio autem pro hac ſententia eſſe poteſt, quia hoc videtur indicare voluiſſe Pontifex in Clement. citata illis verbis *Petita, & obtenta.*

33 Secunda ſententia, quamdam præmittens diſtinctionem, docet partem affirmatiuam: diſtinguit enim duplicem licētiam, tacitam vnam, quæ fit per ratihabitationem de futuro, alteram verò per ratihabitionem de præſenti, ſeu præterito: his poſitis, aſſerit non valere licentiā tacitam prioris generis, valere tamen, quando eſt ſecundi generis: ita quamplures apud *Sanchez diſp. cit. num. 20.* tum Iuriſtæ, tum Canoniſtæ loquentes in alijs actibus diuerſæ materiæ, in quibus requiritur licentia: & loquendo de caſu noſtro, nempè de licentia, quæ exigitur, quādo Religioſus ſuſcipit munus executoris, id expreſſe tenent *Sylueſter verbo Teſtamentum quæſit. 2. dicto 5. in fine. Sanchez in ſumma lib. 6. cap. 11. num. 11. Franciſcus Carpius de executoribus, & commiſſarijs teſtamentarijs lib. 1. num. 23. & alij.* Probatur, quia quando ſuperior videt, & tacet, potens libere impedire, ne Religioſus ſibi ſubditus tale munus ſuſcipiat, clarè colligimus, contentū eſſe de actione illa.

34 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quam probabiliorem exiſtimo: & ducor, quia ſine ſufficienti fundamento ſupponitur à quibuſdam, licentiam debere neceſſario expreſſam eſſe, quando in aliquo actu exercendo requiritur; nam ſicuti expreſſa indicat conſenſum voluntatis ſuperioris, ita etiam in talibus, & talibus circumſtantijs, tacita, quæ fundatur in cognitione, & taciturnitate, poterit eumdē conſenſum ſignificare; idem enim iudiciū faciendum eſt de tacito, & expreſſo, vt colligitur *ex L. Cum quid, ff. Si certum petatur, & ex L. item quia §. finali ff. de pactis.* quod intelligo, quando ex circūſtātijs oppoſitū nō eſſet iudicandū. Aliud autē eſſet dicendum, quādo exigeretur licētia expreſſa, quæ non ſolū importat, eſſe ſignū conſenſus ſuperioris vt ſic, ſed tali determinato modo, qui cōſiſtit in expreſſione; quādo verò in aliqua lege, ſeu ſtatuto ſimpliciter, & ſine addito admonentur ſubditi, ne aliquam exerceant actionem, aut ne illam omittant ſine licentia, & nihil aliud apponitur modificans ipſam licentiam, tunc poſtulatur licentia, vt ſignū manifeſtatiuum voluntatis ſuperioris cū præciſione ab hoc, vel illo modo: & ideo, quomodocumque habeatur, erit ſatis ad cohoneſtandam actionem, quæ abſque licentia fieri nō poterat. Limitanda tamen eſt concluſio in eo caſu, in quo ſuperior taceat, quia vel nequit, vel timet contradicere, & impedire actionem, quæ licentiam exigit; tunc enim erit conſenſus, ſed non approbatiuus, & conſequenter

non

Digitized by Google

non excuſabitur ſubditus talem exercens actionem.

35 Ad rationem contrariam pro ſententia negatiua ſolutio patet ex dictis, nam quatenus ſupponitur, quòd, quoties requiritur in aliquo actu licentia, intelligi debeat de expreſſa, id gratis ſupponitur, & eſt fallax argumentum à licentia vt ſic, ad licentiam, vt ſtantem ſub tali modo. Ad illud quod dicitur de clauſula illa, nempè, *Petita, & obtenta*, respondeo, ſufficere obtentam eſſe, ſiue per conſenſum expreſſum, ſiuè tacitum, neque eſt neceſſaria expreſſa petitio ex parte ſubditi, cum ſit ſatis implicita, quæ facto ipſo manifeſtatur. Nolo autem prætermittere cautionem quamdam, videlicet, vt in his caſibus ſubditus rectè perpendat omnes circumſtantias, ad hoc vt deducat ex taciturnitate ſuperioris, conſenſum non eſſe coactum, ſed liberum, & approbatiuum, quatenus ei placet, vt ipſe ſubditus hoc, vel illud faciat, itaut prudenter, & moraliter euidens feratur iudicium de legitima licentia: & ideò ad hoc colligendum conſideranda ſunt hæc omnia, qualitas rei, de qua agitur, conditio ſuperioris, nempè ſi auſterus, vel pronus ſit ad ſimiles licentias libenter concedẽdas, &c. his autẽ, & alijs circumſtantijs rectè perpenſis, iudicium ferri debet, & ſi res eſt dubia non poterit ſubditus prudenter, & determinatè præſumere voluntatem ſuperioris; ac proinde non licebit ipſi actionem illam exercere, quia temere id faceret, & ſe exponeret manifeſto periculo operandi actum aliquem ſine licentia debita, quæ neceſſariò præexigitur; propterea, ſi materia eſt grauis, lethaliter peccabit. Verũ autem tunc non ſolum illicite, verum etiam inualidè id fiat, nõ pertinet ad hũc locum deciſio, cum dependeat ex qualitate formæ, ſub qua prohibetur actus ille fieri ſine licentia: & loquendo de officio executoris, quod ſuſcipitur à Religioſo ſine licentia ſuperioris, an receptio non ſolum illicita ſit, ſed etiam irrita, eſt controuerſia inter Authores, quam examinat *Carpius cap cit. à nu.* 19. & ad eũdem remitto lectores.

§. III.

An Matrimonium validè contrahatur, ſi loco Parochi aſſiſtat contrahentibus alienus ſacerdos cum licentia tacita eiuſdem Parochi?

36 VT præſens quæſitum, & difficultas in eo contenta locum habeat ſupponendum erit decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de reformat. matrim. cap.* 1. in quo ſtatuitur, matrimonium eſſe contrahendum coram parocho, & teſtibus, vel coram alio ſacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, aliter ſit irritum. Hoc præſuppoſito, inquiritur, an quando alienus ſacerdos vult loco Parochi intereſſe, licentia, quam à Parocho, ſeu ab Ordinario habendam præſcribit Concilium, neceſſariò debeat eſſe expreſſa, an verò ſatis ſit tacita? & ſuppono tanquam certũ, non ſufficere licentiã præſumptam per ratihabitionem de futuro, vt omnes doctores animaduertunt: & meritò, quia cum requiratur ad valorẽ Sacramenti, nequit Sacramentum remanere ſuſpenſum expectando licentiam poſt initum contractum obtinendã: igitur quæſitum eſt intelligendum de licentia tacita, quæ ſit ante contractionem matrimonij; & ideo quæritur, an ſit ſatis?

Nonnulli negant volentes, licentiam hanc debere eſſe expreſſam. ita *Menochius de arbitr. cent* 2. *caſu* 453. *in fine. Petrus Ledeſma tract. de matrim. cap.* 7. *dub.* 14. *Henriquez in ſumma lib.* 11. *cap.* 3. §. 5. *Gonzales in regul.* 8. *Cancellaria. gloſ.* 47. *num.* 52. & alij, quos cõgerit, & ſequitur *Auguſtinus Barboſa* tum in remiſſionibus ſuper Concil. Trident. ſeſs. cit. verb. licentia, tum *allegat.* 32. *num.* 126. *de officio, & poteſt. Epiſc.* tum denique *de offic. Parochi cap.* 21. *num* 69. Vnicum, & commune fundamentum, quo nituntur eſt, quia, quoties ad aliquem actum exercendum requiritur licentia, intelligi debet expreſſa; tacitam vero, aiunt, non ſufficere: & confirmatur hæc ſententia ex quadam declaratione ſacræ Congregationis, quam refert *Menochius conſil.* 188. *nu.* 7. *lib.* 2. & *Gonzales loc. cit.* Verba autem hæc ſunt: Non ſufficit tacita licentia, quæ reſultat ex tolerantia; requiritur vero, vel cõmiſſio generalis ad adminiſtrandum Sa-

cramenta, vel ſi hæc abſit, expreſſa, vel ſpecialis licentia.]

37 Dicendum eſt, validum fore matrimonium, ſi tempore, quo alienus ſacerdos aſſiſtit, Parochus proprius præſens, & videns aſſiſtentiam illam, taceat; cum nullum habeat impedimentum contradicendi, ſi velit. ita docet *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 35. num. 20. Baſilius Pontius lib. 5. cap. 29. num. 1. in fine. Gaſpar Hurtado diſp. 5. diff. 11. nu. 38. Caſtropalaus par. 5. diſp 2. pu. 13 §. 12. n. 4. Antonius Eſcobar in exam. confeſ. tr 7. exã. 9. cap. 1. nu. 77. Auerſa qu. 6. ſect. 4. ver.* [Rectè tamen] *Coninch diſp 27. num. 21. Ioannes de Dicaſtillo tract. 10. diſp 3. dub. 14. quæſito 2. num. 118.* Probant autem communiter ſententiam hanc, quia dum Parochus videt, ſacerdotem illum facultate carentem ſe ingerere ad aſſiſtendum, & potens contradicere tacet, tale ſilentium eſt manifeſtum ſignum interni conſenſus; nam, vt dicunt Iuriſperiti, ſcientia, & patientia cauſant conſenſum, qui eſt vera licentia de præſenti, & ſufficit in ijs, quę ſunt modici præiudicij reſpectu ipſius concedentis, qualis eſt aſſiſtentia alieni ſacerdotis, quando matrimonium contrahitur, ſi id fiat vi licentiæ habitæ à proprio.

38 Probant etiam à pari ex approbatione, quæ requiritur in ſacerdote ad confeſſiones fidelium excipiendas; nam *in Cap. Omnes vtriuſq; ſexus. de Pænit. & remiſ.* præſcribitur, vnumquemque debere ſaltem ſemel in anno omnia ſua peccata proprio ſacerdoti confiteri: poſtea in *§. Si quis autem.* concedit ſancta Synodus, vt ſi quis iuſta de cauſa voluerit ſua peccata alieno Sacerdoti confiteri, poſtulet, & obtineat licentiam à proprio ſacerdote, &c. His præhabitis, probatur cõcluſio argumento à pari in hunc modum.

Ad confeſſiones excipiendas ab alieno ſacerdote eſt ſufficiens licentia tacita de præſenti: ergo à pari etiam eſt ſufficiens, vt alienus ſacerdos valide matrimonio interſit. Conſequentia concedi debet; nullum enim diſcrimen inter vtrumque caſum aſſignari poterit; nam vt bene aduertit *Sanchez loc. cit.* eodem tenore, & forma in vtroque caſu præſcribitur licentia. Antecedens autẽ, quamuis ab aliquibus paucis non admittatur, communiter tamen defenditur ab alijs: & quamplures laudantur a Sanchez, & nouiſſimè à *Leandro par. 2. de ſacram. tract. 5. diſp. 11. quæſt. 94.* & hanc opinionem fusè ego ipſe examinaui in explicat. Bullę cruciatę *par. 2. tract 5. cap. 1 ſect. 9.* eamdemque num. 128. efficaciter probaui, & plura in eadem ſectione diſcuſſa à me fuerant, & præſertim additæ nonnullæ animaduerſiones, quæ faciunt ad præſens quæſitum, & ne iterum hic repetantur, remitto lectorem ad eumdem locum.

Ad declarationem ſacræ Congregationis, quæ pro contraria ſententia allegatur, reſpondeo, ſermonem ibi eſſe, de licẽtia, quæ non antecedit matrimonium, ſed fundatur in præſumptione, vi cuius ſacerdos aſſiſtens credit, a Parocho fore dandam talem licentiam: hæc autem licentia non eſt ſatis ad valorem matrimonij, quia non celebraretur coram Parocho, neque coram alio habente, ſed habituro iuriſdictionem, ſi poſtularetur; ſecùs autem ſi licentia tacita ſit de pręſẽti; tunc. n. quamuis non ſit expreſſa, dicitur tamen hic, & nunc ſpecialis, & conſequenter ſufficiens: & ideo Sacra Congregatio cautè locuta eſt, dicens, quando nõ eſt generalis commiſſio adminiſtrandi omnia ſacramenta, requiri licentiam expreſſam, vel ſpecialem, contradiſtinguendo hæc duo expreſſam, & ſpecialem, & ſub hac comprehendendo licentiam tacitam de præſenti.

Quęres, num vi huius licentię tacitę, per quam ſacerdos alienus aſſiſtit huic determinato, & ſingulari matrimonio, poſſit etiam alijs matrimonijs intereſſe abſque alia noua licentia. 39

Reſpondeo negatiue, vt, loquendo de approbatione habita per licentiã tacitã, dixi *in explic. Bullæ ſec. cit. n. 131.* & docẽt multi *Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 13. n. 33. Sanchez diſp. cit. n. 22. Leander diſp. cit. quæſt. 96.* & alij apud ipſum: & ratio eſt, quia nullum ſufficiens fundamentum habere poteſt ſacerdos alienus ad ſibi perſuadendum, quod illud ſilentium, ſeu tacita licentia conceſſa in hac, vel illa occaſione ſit generalis, & extendatur etiam ad alias occaſiones.

§. 4.

Digitized by Google

§. IV.

Sit ne ſufficiens tacita licentia Superioris, ne Religioſus vtens re aliqua paupertatis votum tranſgrediatur?

40 NOn eſt ſermo de licentia tacita, ſeu pręſumpta per ratihabitionem de futuro, de qua fusè egi in tractatu *de proxima humanorũ actuum regula, diſcep. 6 cap.3.* loquens de vſu Epij*K*ię in ordine ad ambiguum dictamen conſcientię; talis enim licentia non continetur directè ſub hac regula iuris, *Qui tacet*, &c. ſed ſermo eſt de licentia tacita, quę fundatur in ſilentio ſuperioris, qui eſt pręſens, & non contradicit, cum poſſit facilè, ſi vellet, impedire religioſum ſubditum vtentem re aliqua, ſeu de illa diſponentem.

Quęritur ergo, num talis licentia ſit ſatis ad excuſandum relgioſum, ne peccet contra votum paupertatis, an verò exigatur licentia expreſſa? ſupponimus autẽ, licentiam hanc eſſe ſecundum ſe iuſtam, & decentem, voluntariam, non coactã, nullumq; in ea defectum futurum, ſi a ſuperiore concederetur. His præmiſſis.

Prima ſententia negat, licentiam hanc tacitam eſſe ſufficientem ad excuſandum religioſum à tranſgreſſione voti. ità apertè docet *Arebidiaeonus cap. Non dicatis 12. quæſt. 1. num. 6. Turrecremata. ibidem ad quintum dubium*; ducuntur autẽ ex eo quod ſilentium illud in ſuperiore ex diuerſis cauſis prouenire poteſt; proinde nequit ſubditus ex illo prudenter præſumere tacitam licentiam.

41 Secunda ſententia contrarium tuetur, videlicet, ſilentium illud ſatis eſſe ad præſumendam licentiam, & voluntatem ſuperioris. ita expreſsè docet *Panorm. in cap. Quod quibuſdam. nu. 10. de fideiuſſor.* dicens, ſi Religioſi aliquid detinent Abbate ſciente, & non contradicente, nõ dicuntur ex hoc habere proprium, nec peccant. *Nauar. in cap. Non dicatis ſeu comment. 2. de Regular. nu 20. & lib. 3. conſil. de ſtatu monachorum conſil. 3. dub 29. num. 64.* vbi loquens de Monacho Carthuſiano, & quęrens, num poſſit cum licentia Prælati applicare ſuis vſibus, aut amicis ſuis donare fructus arborum, vt poma, &c. reſpondet, quod ſic, aſſiſtens ſufficere tacitum conſenſum Prælati id ſciẽtis, & non contradicentis.

Dicendum ergo eſt. *S*i taciturnitas ſit 42
tantum permiſſiua; non excuſabitur ſubditus recipiens aliquid, vel de illo diſponens abſque alia licentia conceſſa à ſuperiore; ſecùs autem ſi ſit approbatiua. ita *Nauarrus in comment. cit. num. 22. Suarez tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 11. num. 8. Sanchez in decalogum lib. 7. cap. 19. num. 12. Caſtropalaus par. 3 tract 16. de ſtatu religioſo diſp 3. pu 23. num. 6. Pellizarius in quæſtion regul. tract. 4. cap. 1. ſec 5. quæſito 10. num. 417.* Concluſio duas habet partes, & ſecundum vtrãque eſt probanda. *P*rior autem pars, quatenus negat, eſſe ſufficientem taciturnitatem permiſſiuam, eſt manifeſta; quia pura permiſſio non excuſat alium à peccato; nam permittere, vt ſic, non eſt licẽtiã concedere, vt de ſe patet; proinde, quando ex circumſtantijs, & temporis, & perſonarum, & rei, circa quam verſatur actio, colligitur, ex parte ſuperioris videntis, ſeu ſcientis id, quod Religioſus operatur, taciturnitatem eſſe purè permiſſiuam, peccabit ſubditus diſponendo de re aliqua ſine alia licentia obtenta à proprio ſuperiore. Secunda autem pars prędictæ concluſionis ſuadetur; quia, vt Iuriſtæ dicunt, tacitum, & expreſſum paris virtutis eſſe ſolent, & colligitur ex varijs iuribus, quæ citantur *à Barboſa in axiomatibus vſu frequent: axiom.* 218. & quãuis axioma illud in multis limitetur; in caſu tamen, de quo eſt ſermo, nulla apparet ratio illud limitandi; quia loquimur, quando omnibus rectè ſpectatis, taciturnitas prudenter iudicatur approbatiua: ad diſcernendum autem, quando ſit pure permiſſiua, vel approbatiua, ſunt conſiderandæ circumſtantiæ illæ, quas ponunt Authores agentes de licentia præſumpta per ratihabitionẽ de faeturo, quibus in caſu præſenti additur ſcientia, & taciturnitas ſuperioris: quæ omnia manifeſtant actualem, & internum conſenſum in ipſo ſuperiore.

Ad argumentum, quo nituntur Authores primæ ſententię contrarię, reſpondetur, concedendo, ſilentium, vt ſic, in ſuperiore prouenire poſſe ex pluribus cauſis, & quòd ex illo vt ſic, præciſè inferre non poſſimus tacitum conſenſum, ſeu licentiam: ſed negandum eſt, ex tali determinato ſilentio, nempe his, aut illis circumſtantijs conueſtito, tacitam licen-

tiam

Digitized by Google

tiam colligi non poſſe; nam eędem circũſtantię, ex quibus etiam per aduerſarios deduci poteſt licentia præſumpta per ratihabitionem de futuro, quæ ſit ſufficiens, vt Religioſus eleemoſynam facere poſſit ſine alia licentia, vt fatetur ipſemet *Turrecremata loc cit.* reſpondens ad quintum, erunt pro nobis ſufficientes ad licentiam tacitam, quando ſuperior ſcit, & non contradicit, & facilè diſpoſitionem ſubditi impedire poteſt.

§ V.

An taciturnitas ſuperioris agnoſcentis à ſubdito votum emitti, ſit tacita licentia ad illud emittendum, ita vt ſuperior ipſe abſque cauſa illud amplius irritare nequeat.

43 PRo maiori huius quæſiti intelligentia ſupponenda nobis eſt ampla illa facultas, quæ reſidet in Prælatis regularibus ad irritanda, non ſolum indirectè ex parte materiæ, ſed etiam directè, omnia vota à proprijs ſubditis emiſſa, exceptis tribus illis votis ſubſtantialibus, quæ religioſum conſtituunt, & ſunt fundamentum ſubiectionis, qua voluntas religioſi ſubijcitur poteſtati legitimi ſuperioris, & etiam exceptis quibuſdam alijs votis ſtatui religioſo annexis iuxtà proprias conſtitutiones à Summo Pontifice confirmatas, vt eſt V.g. votum vitæ Quadrageſimalis, quod emittitur à Fratribus Minimis ordinis *S.* Franciſci de *Paula*, & votum ſpecialis obedientiæ circa miſſiones, quòd emittunt Profeſſi quatuor votorum in noſtra Societate, & ſic de alijs ſimilibus. Poteſtas autem quam habent *Prælati*, ad hæc vota irritanda minimè extenditur; & ideo in ijs tum materia ipſa, tum actus vouendi non ſubijciuntur iuriſdictioni Prælati regularis, vt omnes fatentur, & notat *Sanchez in decal. lib.4. cap. 33. num.5. Lezana in quaſtion. regul part. 4 verb. Votum num 7.* Excipitur etiam votum tranſeundi ad ſtrictiorem religionem, niſi talis tranſitus ſit aliquo modo prohibitus à Pontifice, ne ſcilicet fiat ſine ipſius Pontificis licentia.

His præmiſſis quæritur, num taciturnitas, & diſſimulatio illa ſuperioris cenſeatur tacita licentia, vt ſubditus firmiter votum emittat, & per illam non ſit amplius ſuperiori facultas, votum ex tali licentia factum, irritandi? Duo autem ſunt mihi examinanda, & decidenda; primo, nùm illud ſilentium cum ſcientia voti, quod ſubditus emittit, ſit verè tacita licentia? & hoc eſt principaliter intentum; ſecundo, an, ex ſuppoſitione quod taciturnitas hæc ſit licentia tacita, nequeat ſuperior votum illud ad ſui libitum, ſaltem licitè irritare? Quoad primum aliquas inuenio ſententias.

44 Prima enim abſolutè, & abſque limitatione docet, taciturnitatem, & negationem contradictionis, poſita ſcientia voti ex parte ſuperioris, eſſe tacitam licentiam, ita *Gregorius de Valentia in 2.2. S. Thoma diſp 6. quaſt. 6. p 6. in 1 qu. verſ. Aduertendum eſt autem. Sayrus in Claui regia. lib.6. cap.3 num. 20. verſ. illud autem, &* hoc ambo probant authoritate S. Thomæ in eadem 2.2. *quaſt.* 88. *artic.* 8. *ad quartum*, vbi loquens de votis, quæ fiunt à Religioſis, inquit, eſſe conditionalia, quatenus ſcilicet ſuperioribus placuerit: pro qua ſententia plures canoniſtas laudat *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.* 4. *nu.* 25. loquens de diſpenſatione: & *lib.9. diſp.* 40. ſermonem habens de licentia requiſita ad vota emittenda à Religioſis, hoc ipſum confirmat num. 9. authoritate aliquorum Canoniſtarum.

45 Secũda ſententia diſtinctionem adhibens ait, ſolam taciturnitatem abſque interno conſenſu non cenſeri ſignum ſufficiens confirmationis, & approbationis voti à ſubdito emiſſi; ſatis tamen eſſe, ſi illi taciturnitati addatur conſenſus internus ſuperioris, ita *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto cap. 6. num.* 14. *Sanchez in ſumma lib.4. cap. 29. num. 46. & 47. Caſtropalaus par. 3. tract. 15. diſp. 2 punct. 3. §. 2. num.* 14. *&* 15. & alij antiquiores apud *Sanchez*, qui hanc ſententiam probat authoritate *S. Thomæ in 4. diſt.* 32. in fine expoſitionis litteræ: & in ea etiam videtur eſſe *Leſſius* ſi attentè legatur *lib. 2. de iuſt. cap. 40. num. 78. Bordonus reſolut.* 14. *ex moralibus nu.* 37. Sed in hac ſententia eſt aliqua diuerſitas apud Authores; nam aliqui aiunt, ſi cum taciturnitate concurrat internus cõſenſus ſuperioris approbantis voti emiſſionem, ſatis eſſe ad hoc vt dicatur votum illud factum ex licentia ſuperioris, quamuis conſenſus ille non innoteſcat ſub-

Digitized by Google

ſubiecto, & pro hac opinione *Caſtropalaus* laudat *Suarez loc. cit. & Sanchez.* Alij verò requirunt, à ſuperiore eſſe ſubdi ... manifeſtandum conſenſum illum internum, ſiuè per ſe immediatè, ſiue per litteram, aut nuntium; & ita docet ipſe *Caſtropalaus nu. 16.* qui addit, hoc ipſum affirmari à *Sanchez in ſumma. cap. 27. num. 3.* quamuis *lib. 9. de matrim. diſp. ... num. 10. in medio.* contrarium videatur docere. ...

46 Hæ ſunt principaliores ſententiæ: inueniuntur aliquæ aliæ veluti mediæ, quæ prædictis duabus aliquam addunt limitationem; nam aliqui dicunt, debere ſuperiorem, cognito voto, ſtatim contradicere, ne videatur illud approbare, quod exponit *Syluester verbi Religio. 4. quæſt. 15. ver. Adde prædictis.* volens, contradicendū eſſe eodem die, idque aſſerit etiā *Cornelius à Lapide in cap. 30. Numer. ver. 4. & ſequent.* Fundant autem hanc opinionem in eo, quod habetur in ipſomet *cap. 30. Numer.* vbi eſt ſermo de voto, quod vxor emittit, & ita dicitur [Quod ſi audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit ſententiam, quidquid vouerat, reddet] Ex his verbis colligunt citati Authores, ad hoc vt votum factum à Religioſo non maneat firmum, nec approbatum, debere ſuperiorem illi ſtatim contradicere poſt notitiam de eo habitam. ...

Alij verò diuerſa via incedentes inquiunt, ſi opus mediante voto promiſſū, nō eſt contra regulas religionis, ſatis eſſe ſuperiorem negatiuè ſe habere, vt Religioſus abſque alia licentia obligetur ad votum adimplendum: ſi verò opus promiſſum ſit per regulas prohibitum, tunc non obligabitur Religioſus ad eius executionem, donec ſuperior certior factus poſitiuè det licentiam; quoniam, antequā detur licentia, opus, cum ſit contra regulam, non erit honeſtum: & pro hac opinione *Valentia* laudat Caietanum, & Sotum. Remanet, vt de hac controuerſia, quid mihi videatur probabilius, aperiam. Antequā autem ad deciſionem deueniā ſuppono, in licentia, ſiue expreſſa, ſiuè tacita, duplicem inueniri reſpectum ad votum: primus reſpectus attenditur in ordine ad valorem ipſius voti: ſecundus verò ad firmitatem eiuſdem voti. Quibus poſitis ...

47 Dicendum eſt primò. Si votum ſpectetur quoad valorem, ſeu quoad obligationem, quæ eo emiſſo reſultat in religioſo vouente, nullam requirit licentiam. Probatur; nam quilibet habens vſum rationis eſt capax vouendi de re bona, niſi aliunde ſit illi prohibitum; & ideo votum à religioſo emiſſum fundendi preces aliquas, vel ſe mortificandi in aliqua actione, cū non ſit ipſi prohibitum, erit validum, etiam antequam licentiam de tali voto faciendo habeat à ſuperiore: poſſe autem religioſos vouere de his rebus, eſt communis Doctorum ſententia, quam fuſe probat *Suarez lib. 3. de relig. cap. 5 num. 5. & ſequent: Sayrus in Claui regia lib. 6. cap. 5. à num. 22. Trullench in decal. lib. 2. cap. 2. dub. 12. num 7 & alij.*

Dicendum eſt ſecundo. Votum de rebus prædictis, vt probabilius mihi videtur, non cenſetur approbatum, & firmum ob ſolam, & præciſam taciturnitatem ſuperioris negatiuè ſe habentis poſt notitiam voti emiſſi, vt rectè oſtendunt Authores citati pro ſecunda ſententia: & probatur, quia, cum actus irritandi votum ſubditi, ſicuti actus approbandi, ſint actus procedentes à dominio, quod habet Prælatus ſuper voluntatem Religioſi ſubditi, poterit ipſe Prælatus tales actus, vel alterum ex illis exercere, quando voluerit; ac proinde poterit hic, & nunc vtrumque ſuſpendere, vt magis accuratè examinet, an votum illud ſit irritandum, an verò approbandum; cum igitur taciturnitas, ſeu diſſimulatio Prælati poſſit coniungi cum approbatione, vel cum ſuſpenſione, & indifferentia ad confirmandum, & irritandum, ſequitur quòd ſola, & præciſa taciturnitas ſuperioris non cenſeatur voti approbatio. 48

Dicēdum eſt tertio. Si taciturnitati addatur conſenſus internus, per quem ſuperior ratum habeat votum emiſſum, tūc taciturnitas erit vera approbatio, per quā votum à ſubdito emiſſum firmitatē obtinebit. Hæc concluſio eſt etiam Authorum ſecundæ ſententiæ: & probatur; quia ex vi talis taciturnitatis, & interni conſenſus, votum habet omnimodam illam firmitatem, quam habere debet, vt ad libitum non irritetur: ergo illa taciturnitas coniuncta cum conſenſu, quamuis interno, erit vera ipſius voti approbatio. Patet conſequētia; quia prælatus per eūdem actum, per quem firmitatem præſtat voto, approbat illud. Antecedens autē ſuadetur tali diſcurſu. Firmitas voti depēdet adæquatè tum à voluntate ſubditi volentis votum edere; tum etiam à volun- 49

tate

tate ſuperioris: ex parte autem ſubditi recipit firmitatem, quando emittitur; quia, vt in præcedēte concluſione dictum fuit, vota emiſſa à Religioſis in materia non prohibita valorem habent, etiam ſi fiant abſque ſuperioris licentia: quamuis ſine illa non ſint vndequaque firma, ſed maneant irritabilia, & totalem firmitatem expectent à voluntate Superioris: ideò quando ſuperior cognoſcit votum, & non contradicit, imò poſitiue conſentit, ſtatim conſenſus iſte complet firmitatem, quæ in ipſo voto requirebatur: ergo taciturnitas hæc erit vera approbatio; quod erat antecedens à me probandum.

50 Dicendum eſt quartò. Sola taciturnitas etiam addito interno conſenſu ſuperioris approbantis votum à ſubdito emiſſū, vt ſic, & præcisè ſpectata, nequit habere rationem tacitæ licentiæ. Probatur, quia talis conſenſus, quamuis in ordine ad Deum, qui illum intuetur, ſit vera approbatio voti, & conſequenter in foro conſcientiæ nequeat ſuperior abſque cauſſa illud licitè irritare; quatenus tamen habet rationem licentiæ in ordine ad ſubditum vouentem, debet fieri eidem ſubdito ſenſibilis; quia debet eſſe licentia hominibus proportionata; & ideo nō quæcumque taciturnitas, etiam poſito cōſenſu, eſt ſatis ad hunc effectum, ſed talis determinata, & in talibus circumſtātijs, in quibus ſubditus ex illa deueniat in notitiam conſenſus interni, ad hoc vt agnoſcat notum eſſe ſuperiori votum emiſſum, & quod ille poſſet facilè, ſi vellet, eius executionem impedire, & tamen non impediat; tunc enim clare colligi poterit, quod ſuperior approbet factum: & ſub hac ratione conſenſus dicitur licentia tacita: & in hoc ſenſu loquutus eſt *Sanchez in ſumma cap. 27. cit. num. 49.* dicens, non ſufficere conſenſum internū, niſi aliquo pacto externus fiat ſubdito ſenſibilis; intelligit. n. de conſenſu, in quantū eſt licentia, vt patet ex toto illo diſcurſu, quem facit ipſe ad hoc probandum: neque ea, quæ ibi dicit, ſunt contraria doctrinæ ab ipſomet traditæ, in *d. diſp. 40. citata de matrim.* vt viſum fuit Caſtro palao, quia in hoc ſecundo loco ipſe Sanchez conſiderauit conſenſum internū in ordine ad Deum, & quatenus eſt quędam approbatio dans voto firmitatem, & pariter conſiderauit poteſtatem dominatiuam, quam habent Prælati regulares ad vota ſubditorum irritanda; & quia tū in ordine ad poteſtatem approbandi, tū irritandi ſuperior minimè depēdet à voluntate ſubditi, quia, voto etiam emiſſo, velit nolit ſubditus, eſt in libertate ſuperioris conſentire, vel non conſentire; idcirco ſpectando conſenſum internum, vt formam aptam ad præſtandam voto emiſſo firmitatem, non erit habenda ratio, an ſubditus agnoſcat, vel non agnoſcat talem conſenſum: at verò in priori loco, nempè *in ſumma cap. 27. cit.* cōſiderauit Sanchez conſenſū illum internū ſub alio reſpectu, nempè, vt tacitam licentiam ſubdito conceſſam: & ſub hac ratione ait, quod debeat nota fieri ipſi ſubdito, vt dictum eſt.

Sed aduerſus prædicta inſtitit quidā eruditiſſimus Profeſſus noſtræ Societatis; aiebat. n. per hūc diſcurſum, & ad eximendū Sanchez à cōtradictione, videri omnia reuocari ad quæſtionē de nomine; quia in re ex vi talis diſcurſus nihil mutatur de poteſtate licitè irritādi vota ſubditorum; nā ſiuè cognoſcat, ſiuè nō cognoſcat ſubditus conſenſum illum, æquè ſe habebit poteſtas prædicta in ordine ad licitā, vel illicitam irritationem. Sed ex dictis ſoluo hanc inſtantiam, conciliando ſimul vtrūque locum; primò, quia certum eſt, in conſenſu ſuperioris inueniri duplicem illum reſpectum, nempè in ordine ad Deū, firmitatem præbendo ipſi voto, & in ordine ad ſubditum, quatenus habet rationē licentiæ: & vterque reſpectus nonnullos habere poteſt effectus; nam ſubditus ſciens, votum à ſe emiſſum à ſuperiore fuiſſe approbatum, & ſtante eius conſenſu executionem voti eſſe cum licentia, venit in cognitionem nouæ obligationis, nempè, non poſſe licitè petere à ſuperiore irritationem ſui voti, quando nulla ſe offert legitima cauſſa, quam tamen poterat, ſi licentia habita minimè fuiſſet. Rurſus poterit interdū prodeſſe talis notitia, quatenus ſubditus agnoſcēs, votum fuiſſe à ſuperiore approbatum, colligit, ſe firmius obligari ad eius executionem. Omitto autem alios effectus per accidēs, in quantum poterit ſubdito interdum eſſe adeo grata approbatio, & licentia Superioris, vt de illa obtenta gratias Deo referat, agnoſcens, ſe manere per votum maximè confirmatum, & ſtrictiùs ipſi Deo obligatum, & ſic de alijs ſimilibus.

51 Dicendū eſt quintò. Non eſt neceſſe, vt ſuperior audito voto ſtatim cōtradicat; nempè eodem die, ita vt eo elapſo careat

po-

Digitized by Google

poteſtate contradicēdi, ſicuti placuit quibuſdam quos ſupra retuli; nam, & ſi per plures dies taceat, & conſenſum non præbeat, integrum erit ipſi ſemper, contradicere, & impedire voti executionem, & nulla ratio eſt talis reſtrictionis, neque lex illa *ex lib. Numer.* quoad hoc habet vim; quia illa erat pura lex cæremonialis, & ſolum viguit in veteri teſtamento, quo ceſſante, & ipſa ceſſauit, vt notat *Suarez lib. 6. de voto cap. 4. num. 10. & Sãchez cap. illo 40. de matrim. num. 10. initio, & in ſumma cap. 27. cit. nu. 46.*

52 Dicendum eſt ſextò. Limitatio, ſeu diſtinctio illa adhibita ab aliquibus de voto verſante circa res prohibitas, & de voto circa res non prohibitas, non videtur facere ad rem, quia quando votũ emittitur de re prohibita, & mala, certum eſt eſſe inualidum; nam cum eius materia, vt communiter docent Authores, eſſe debeat de obiecto honeſto, imò vt aiunt de meliori bono, nequit fieri de re mala; ſi verò res, de qua ſit votum, non ſit ſecundum ſe mala, ſed contra regulas non obligantes ad culpam, manifeſtum eſt tunc, requiri approbationem, & licẽtiã ſuperioris, ſiue expreſſam, ſiue tacitã, ſine qua votum eſſet irritum; nam votũ, quod facit religioſus, vt ſupra ex communiori ſententia diximus, imbibitam habet conditionem hanc, niſi ſuperior contradixerit: proindè diſtinctio de voto verſãte circa rem prohibitam, & nõ prohibitã nõ facit ad rem; quia ſi res eſt prohibita, & mala, nullius valoris erit votũ; ſi verò eſt prohibita, & non mala, perinde ſe habet quoad licentiam obtinendam, ſicuti res non prohibita, & vt animaduertit *Valentia 2. 2. puncto cit. ver. Et quoniam.*

53 Quæres, quid in dubio præſumendum? an ſcilicet adfuerit, nec ne conſenſus ſuperioris poſita taciturnitate, & voti manifeſtatione facta à ſubdito ipſimet ſuperiori?

Reſpondet *Suarez cum diſtinctione lib. 6 cit. cap. 4. num. 10.* loquens de voto emiſſo ab vxore, quando maritus de illo notitiam habet, & tamen, cum poſſit cõtradicere, tacet; nimirum, si materia, de qua eſt votum, cedat in prçiudicium ipsius mariti, tunc non præſumi conſenſum per ſolam taciturnitatem, ſed requiri facultatem expreſse conceſſam; si verò materia nõ sit præiudicialis ipsi marito, ſed tantum pertineat ad debitam ſubordinationem, & rectum regimen, vel ad bonum animæ vxoris, tunc taciturnitatẽ ſatis eſſe ad præſumendum conſenſum.

Hanc diſtinctionem *Suarij* impugnat *Sanchez cap. illo 27. num. 25.* dicens, quòd, ſi aliquid probaret, nunquã concluderet, taciturnitatem eſſe ſignum conſenſus; quia conſenſus approbans votum ſubditi ſemper cedit in prçiudicium ſuperioris, quatenus conſentiendo, & approbando priuat ſe libera facultate irritandi votum; & ideo recurrens ad præſumptiones iuris ait, quòd, quando duæ concurrunt præſumptiones tendentes ad effectum oppoſitum, præſumptio valida deſtruit minus validam: hoc autem confirmat *ex L. Diuus ff. de in integr. reſtit.* & ex doctrina Menochij: quo poſito, deueniẽs ad caſum hunc, de quo loquimur, aſſerit, in eo duas concurrere præſumptiones, vnam, per quam præſumitur, quod tacens non conſentiat in ijs, quæ ſibi nocent, qua præſumptione ſtante, tollitur firmitas in voto; alteram, quæ fauet validitati actus, nempè voti: *ex* his duabus præſumptionibus, inquit Sanchez, validiorem eſſe hanc ſecundam, per quam ſuſtinetur actus validus, ac proinde in dubio prædicto præſumendum eſt, interueniſſe conſenſum.

Vtraque ſententia eſt probabilis: ſed 54
penſatis omnibus, mihi videtur dicendũ, in dubio poſt diligens coniecturarum examen, non præſumi adfuiſſe conſenſũ approbatiuum voti, ſed permiſſiuum: vtraque pars probatur; prima autem ſic. Validior eſt præſũptio, qua prçſumimus neminem velle ſine cauſſa ſufficienti ſe priuare libera facultate ad exercendam aliquam actionem, quàm ſit præſumptio pro valore actus: ad illud verò, quod addit *Sanchez*, nempè, præſumptionem pro valore actus eſſe reliquis efficaciorem, reſpondet *Caſtropalaus loc. cit.* id verificari in actibus ab eadem perſona elicitis, & ad eamdem ſpectantibus; ſed quidquid ſit de hoc, addo cum eodem, id non valere in actibus præiudicialibus, qualis eſſet, ſuperiorem ſe priuare facultate liberè irritandi votum ſui ſubditi: neque ratio hæc tollitur, ſi cum Sanchez dicatur, prçiudicium hoc eſſe leuis momenti, & conſequenter non obſtare, quo minus prçſumatur conſenſus ſuperioris, nõ tollitur, inquam, rationis prçdictç efficacia; quia non videtur res parui momenti carentia talis facultatis; prçſertim quia

non aufertur obligatio ex parte ſubditi, neque eiuſdē voti executio impeditur: & ſic habetur voti adimpletio, abſq; eo quod ſuperior ſuam liberam facultatem amittat. Secunda pars concluſionis ſuadetur, quia, ſi ſuperior agnoſcat votum, & non impediat eius executionem, euidens eſt, habere conſenſum ſaltem permiſſiuum, quia niſi permittere vellet, impediret voti executionem.

Remanerent examinanda aliqua alia prædictæ materiæ annexa, videlicet, vtrū ſuperior nō obſtante approbatione voti, validè ſaltem poſſit illud irritare, quāuis, si fiat hoc ſine cauſſa, ſit peccatum? item, an hoc ſit mortale, an veniale? præterea nùm alius ſuperior ſuccedens in eumdem officium poſſit tale votum, etiam ſine cauſſa validè, & licitè annullare? Hæc autem omnia iure omitto, quia per ſe non videntur ſpectare ad intelligētiam huius Regulæ, *Qui tacet, &c.* Videri tamē poſſunt apud *Suarez lib 6 de voto cap. 8. nu. vlt. Sanchez cap. 27 cit. num. 36. Caſtro-palaum puncto citato, num. 10. & apud alios.*

REGVLA XXXXV.

Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimile eſt, vel quod plerumque fieri conſueuit.

QVæ ad huius regulę declarationem ſpectant, ſufficienter haberi poſſunt in explicatione Regulę trigeſimę, in qua diſponitur, quod in obſcuris minimum ſequi debeamus: vbi in quæſtione prima adnotaui, regulam illā huic valdè affinem eſſe. At quia ibidem expoſui, quid ſit obſcurum, quid veriſimile, & ex quibus capitibus deſumatur, nōnullaque alia in ſequentibus quæſtionibus examinaui, quæ ad pleniorem præſentis regulæ notitiam conducere poſſunt, ideò, ne eadem inutiliter repetantur, lectorem remitto ad illa, quę eo in loco dicta ſunt.

REGVLA XXXXVI.

Is, qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille vti debet.

DVæ extant aliæ in iure ciuili huic noſtræ regulę conformes, videlicet. *Qui in alterius* 40. *& Qui in ius* 137. *ff. eo.* pro quarum tamen intelligētia, antequam ad aliqua in ſpecie diſcutienda deueniam, explanandos cenſeo terminos, qui in his regulis habentur. Quid nempè & quotuplex ſit ſucceſſio, item quis propriè ſucceſſor dicatur?

Et à primo exordium capiens, animaduerto, quod, quamuis ſucceſſio ipſa ſuo ipſius nomine ſatis ſe ſe declaret, eam tamen ita placet deſcribere. Eſt actus, quo aliquis in locum, idest, vel in munus, vel in dignitatem, vel in bona, vel in iura alterius ſubit. Hanc autem ſucceſſionem multiplicem eſſe docent communiter tū Iuriſtæ, tum Canoniſtæ, & de ea loquens *Tuſcus tom. 7. lit. S. concl.* 819. inquit *ex Baldo conſ.* 199. *initio lib.* 3. triplicē eſſe, primam ex vi legis communis, ſeu ſtatuti: ſecundam ex contractu, ſeu ex hominis diſpoſitione: tertiam verò ex propria ipſius rei natura ordinatam, cuiuſmodi eſt ſucceſſio feudalis. Eadem ferè, quamuis cū aliqua diuerſitate aſſerit *Maynerius in d. L. Qui in alterius.* docens, primam eſſe hereditariam, quæ multiplex eſt, vel ſcilicet procedens ex expreſſa teſtatoris voluntate, vel ex tacita, quando defunctus non teſtamentum, ſed Codicillos fecit, vt ipſe probat ex *L. Conſcientium, ff. de iure codicillorū*: vel ex ea legis diſpoſitione, in qua ius ſanguinis attenditur *L. hac parte ff. unde cognati* (quę quidem, ait ipſe, locum habet, ſiue defunctus teſtamentum condere potuerat, ſiue non potuerat, puta ob inhabilitatem ex delicto prouenientem, cuius cauſſa ad mortē fuerat damnatus *L. Eius, qui § ſi eui, ff. de teſtam*) vel deniq; ex legis diſpoſitione ſa uore libertatis, vel inſpecta aliqua alia inſta cauſſa, vti apud eū videre eſt. Secundā ait eſſe arrogatoriam, eam nimirum, quæ à lege virtute arrogationis cōceditur ipſi arrogato. Tertiam ſubrogatoriam, nēpè eā, quæ datur a ſuperiore, ſiue ſpirituali, ſiue temporali, cuius conſenſus requiritur, vt quis in alterius locum ſubrogetur. Quartā denique, quæ vocatur delegatoria, quæ non obtinetur, niſi interueniat.

con-

conſenſus illius, in cuius locũ alter ſuccedit: & iſta locum habere poteſt tum in contractibus, tum in quaſi contractibus. Et hæc ſatis ſint quo ad notitiam ſucceſſionis, eiuſque ſpecierum, quæ apud *Maynerium loco citato* diſtinctius legi poſſunt.

2 Ex dictis autem maniſeſtè colligitur quis in iure nomineturſucceſſor; eſt enim propriè heres Iuris, vt *in L. Quoties. §. heredes ff. de hæred. inſtituendis, & L. Nobilis ff. de verb. ſignif.* qui tamen vel eſt vniuerſalis, nempè ille, qui in omnia bona ſuccedit, & hic ſtrictè in iure dicitur ſucceſſor: vel eſt particularis, cuiuſmodi eſt legatarius, donatarius, emptor rei ſingularis, &c. qui vt animaduertit *Dynus num* 3. vocatur ſucceſſor in rem, quia non ſuccedit in vniuerſale ius alterius, ſed in aliquod ius ſingulare *L. Quidam. § is autem ff. de edendo.*

3 Quæret hic aliquis, cur hæres vti debeat iure illo, quo vtebatur is, in cuius locũ ſucceſſit? Respondeo rationem eſſe, quia iuris fictione cenſetur vna, eadẽque vtriuſque perſona. *Gloſs. ibi in fine. Pec Kius nu.* 11. proinde abſolutè loquendo ambo eodem iure vti debent.

4 Pro maiori demum intelligentia animaduerto in hoc capite, regulam procedere tum in ijs, quæ actiuè, tum in ijs, quę paſſiuè ad defunctum pertinebant, tum in ijs, quæ eius fauorem reſpiciebant, tũ denique in iis, quæ erant contra eum: in quæ omnia hæres ſuccedit, vt hic notat *Dynus* His ſic præmiſſis pro regulę præſentis firmitate aliqui caſus ſpeciales ſunt examinandi.

CAPVT I.

Nonnulli proponuntur caſus, in quibus præſens regula locum habet in foro fori.

5 PRimo procedit Regula in contractibus, & ſic conuentio tempore vitæ à defuncto facta cum alio, ſeruanda eſt à ſucceſſore *cap. Eleutherius* 18. *quæſt.* 2. *ubi Gloſſa.*

6 Secundo. Idem dicendum in iudicijs; ideoque ſucceſſor debet conueniri coram illo Iudice, vbi defunctus conueniebatur *L. hæres abſens ff. de Iudic. Peckius numer* 6. *& alij apud eum.* Ex quo infertur, quòd laicus hæres clerici li-

7 tem, tempore quo clericus erat in humanis coram Iudice eccleſiaſtico conteſtatã, coram eodem proſequi debet: & è conuerſo, ſi lis inchoata ſit contra laicum apud Iudicem ſæcularem, eaque pendente laicus moriatur, clericus in illius locum ſuccedens apud ſæcularem Iudicem eam proſequi debet. punctum hoc copioſè examinat *Couarru pract. quæſt. cap.* 8. & huic deciſioni fauet textus *in Leg. vbi acceptũ & L. venditor ff. de Iudicijs*, quamuis alij contrarium ſentiant apud eumdẽ *Couar.* qui tamen eos refellit.

Tertio. Hæres poterit conueniri virtute alicuius reſcripti, quod obtentum fuit contra prædeceſſorem defunctum, cui ipſe ſucceſſit. *cap. dilectr. de for. compet.* quod rectè explicatur à *Gloſsa* ibidẽ in poſitione caſus, videlicet, ſi quis pecuniam mutuò acceptam promiſit in aliquo determinato loco ſoluere mutuanti, & priuilegium acquirat in communi, vt ſuper cauſis pecuniarijs citra talem locum conueniri nequeat; poterit nihilominus, non obſtante priuilegio illo conueniri in loco, in quo ſolutionẽ facere promiſit; ad quod etiam tenetur eius ſucceſſor; non enim frui debet priuilegio, quo ſuus prędeceſſor frui non poterat. 8

Quarto. Si prædeceſſor, dum viuebat, ob aliquod delictum condemnatus fuit ad pœnam, & antequam pœnam impleret, ex hac vita deceſſit, tenebitur ad eam eius ſucceſſor; quod tamen intelligitur quo ad pœnas pecuniarias, ad quas vi condemnationis magiſtratus, vel alter ius acquiſiuit, ſecus verò quoad pœnas corporales. 9

Quinto. Omnia de immediato hærede ſupradicta extendi debent ad alios mediatos heredes, quamuis hi verbis non ſint expreſſi, quia ſub nomine hæredis comprehenduntur; vt habetur *in L. hæredis appellatio. ff. de verb. ſignif.* idque etiã intelligitur, etiam ſi heredes ſint in aliqua tantum parte hæreditatis, in qua perſonam defuncti repræſentant non minus, quàm heredes vniuerſales: heres enim hæredis mei hæres meus cenſetur, eodem que vtitur iure, quo ego vtor, vt latè explicat *Tiraquel. de retract. conuent. §.* 1. *Gloſſ.* 6. *à* 21. *& ſeq. Pec Kius hic nu.* 8. *ampliat.* 2. *& alij apud eum.* 10 11

Sexto. Hæres eſt ita aſtrictus ad iura defuncti ſeruanda, vt nullo modo poſſit ex propria perſona contra factum defuncti agere. V. g. Si mater vendat bona paterna, quæ ad ſuum filium ſpectant, cum 12

id facere nequeat: filius verò hæres ſuæ matris inſtituatur, & adeat hæreditatem, non poterit bona illa per matrem vendita reuocare, vt expreſſe dicitur *in L. Cum à matre*. C. *de rei vendic. L. Venditrici ſuccedenti*. C. *de reb. alien. non alien. vbi Gloſſ. & alij*. ratio autem eſt, quia non poteſt hæres venire contra factum defuncti, ſiue proprio, ſiue hæreditario iure, vt docent *Bald. Salicet.* & cōmuniter ſcribentes *in L. prædicta*.

CAPVT II.

Aperiuntur caſus, in quibus regula non militat.

QVia nonnulli ſunt caſus, in quibus huius regulę diſpoſitio ceſſat, placet ex iis principaliores hic referre.

13 Primò. Si ab vxore conueniatur maritus ad dotis reſtitutionem, quamuis cōdemnari non debeat vltra quam facere poteſt; tale tamen priuilegiū non transfundit ad hæredes *L. maritum, & L. quia tale ff. ſolut. matr.* ratio eſt, quia beneficium hoc à iure conceſſum marito, eſt beneficium perſonale, ideoque expirat morte ipſius.

14 Secundò. Priuilegium, quo mulier pro dote præfertur alijs mariti creditoribus, non tranſit ad hæredes ipſius mulieris. *L. Scire debet. C. de priuileg. dotis.* quod tamen quamuis à *Gloſſa* admittatur, limitatur tamen ab eadem aſſerente, quòd tale priuilegium intelligitur non tranſire ad hæredem extraneum; ſed tranſit quidèm ad filios, quamuis non iure hæreditario, tamen iure filiationis.

15 Tertiò. Poteſt vir donationem, quam vxori fecit, reuocare: quod etiam procedit in donatione facta ab vxore *L. cum hic ſtatus. § ait ratio ff. de donat. inter virum, & vxorem* vtriuſque tamen coniugis hæredes id facere nequeunt, quia morte donantis donatio confirmatur.

16 Quarto. Donator poteſt ratione ingratitudinis donationem reuocare *L. fin. C. de reuoc. donat.* non tamen eius hæres, quia ſi donans, qui iniuriam paſſus fuit, dum viuebat, donationem non reuocauit, vtique præſumitur iniuriam donatario remiſiſſe. ita *Gloſſa ibidem, & PerKinus hic* in ſolutione ad tertium dubium. Qua propter hæres non poterit in foro
17 iudiciali petere talis donationis reſciſſionem ratione prædicta. Neque obſtat dicere, iuris proprij remiſſionem non præſumi, ac proinde neque præſumi debere talem remiſſionem à defuncto tempore vitę factam; quia reſpondeo cum *PerKio* qui alios refert, nempe præſumi rectè, quod quilibet Chriſtianus in fine vitæ omnes ſibi illatas iniurias libenti animo remiſerit; obiectio enim illa, quod nemo præſumi debet remittere, niſi ius ſuum condonaſſe conſtet, euincitur ab efficaciori, & fortiori præſumptione, qualis eſt hæc, per quam ritè præſumimus, quemlibet Chriſti fidelem tempore mortis memorem eternę ſalutis iniurias ſibi irrogatas remittere.

Quinto. Fallit Regula in officio execu- 18
toris relicti in teſtamento; tale enim officium non tranſit ad heredem, ita expreſſè aſſerit *Gloſſa cap. 1. de teſtam. verſ. mortuo in 6. Francus ibidem § ſanè nu. 6. & alij* quos citat, & ſequitur *Sanchez lib. 4. conſ. moral cap. 1. dub 41. n. 3.* & ratio eſt, quia in electione executoris cenſetur electa induſtria perſonæ; ideoque tale munus ad alium non tranſit. Limitatur tamen primo, quando teſtator contrarium 19
expreſſerit, nempè vt officium ad hæredem tranſiret. Secundo, limitatur, ſi officium executoris committatur alicui ratione dignitatis, quam habet; qua tunc, ſi hęres in eamdem dignitatem ſuccederet, benè ad ipſum tranſiret officium executoris *Sanchez loco citato nu. 4.* & alij, qui ab ipſo referuntur.

CAPVT III.

Expenduntur caſus in quibus regula locum habet in foro conſcientiæ.

HActenus ſermo fuit de caſibus ad forum externum in hac regula ſpectantibus, nunc verò eamdem regulam conſiderabimus reſtrictam ad forum dumtaxat internum; nam contingere interdum poterit, vt in foro fori iudicetur ceſſare regula, cum tamen contrarium in rei veritate, & in conſcientia ſe habeat: quod euenire v.g. poterit, quando mens teſtatoris, eiuſque diſpoſitio, vel obligatio aliqua conſtaret hæredi, ſed ob defectum ſcripturæ, vel teſtium alios lateret, aut, ſi nota eſſet, nihilominus ob carentiā alicuius ſolemnitatis à iure requiſitæ nō poſſet hęres cogi in foro externo ad defuncti intentionem adimplendam: idcircò expediens cenſetur, caſus aliquos pro-

Digitized by Google

nere, & diſcutere,ad quos in rei veritate
extenditur regula, quamuis in exteriori
foro id non appareat: caſus autem, de
quibus dubitatio, vel controuerſia eſſe
poterit, maioris claritatis gratia ſub di-
uerſis, & diſtinctis quęſitis ſunt proponē-
di, exordium ſumendo ab ijs, qui non
rarò ſolent contingere.

20 Quæres primò. Defunctus tempore
quo viuebat,aliqua vota realia emiſit,quæ
morte præuentus implere non potuit,ne-
que etiam potuit in teſtamento,aliaue
ſcriptura id hæredi ordinare,an hæres id
ſciens,teneatur votis ipſius defuncti ſatiſ-
facere ex eiuſdem defuncti bonis, in cu-
jus locum, & ius ſucceſſit?

Reſpondeo affirmatiuè, & expreſſe
hoc declaratum habemus in fine *Legis
ſecunda ff. de pollicit.* his verbis [Voti
enim obligationem ad hæredem tranſire
conſtat]*Gloſſa ibi verbo voti*, quę addit,
21 non tranſire ad hæredem votum eundi
ad *S.*Iacobum; hoc enim eſt votum per-
ſonale, quod non tranſit ad alium. *Et*
hanc ſententiam docet *Sanchez in dec a-
log.lib.*4.*n.*25. ratio autem,quare votum
reale tranſeat ad hæredem,eſt, quia licet
dici poſſit aliquo modo perſonale,quate-
nus afficit perſonam ipſam vouentem;
nihilominus cum illam obliget, vt domi-
nam rei promiſſę, v. g. pecuniarum; &
mortuo ipſo vouente bona in hæredis do
minium tranſeant,debet hæres, qui de-
functi perſonam repręſentat, & in illius
ius ſuccedit, rem habere cum eodem
onere, quod defunctus habebat.

22 Dices.Obligatio,quę oritur ex voto ne
quit in aliū tranſire, ſed in ipſomet vouē-
te manet, vt apud omnes certū eſt, quia
eſt actio perſonalis ex parte vouentis, ita
vt alios nequaquam poſſit obligare, ſi-
cuti etiam iuramentum, vt docet S.*Tho-
mas* 2.2. *quaſt.* 98 *artic.* 2. *ad* 4 *&* *alij*
communiter; ergo in caſu noſtro hæres
non aſtringitur ad explenda vota defun-
cti.

23 Reſpondeo, non teneri ad vota defun-
cti implenda ex vi voti,quia obligatio re-
ſultans ex voto eſt intranſitiua,quemad
modum illa,quæ prouenit ex iuramento;
ſed teneri ex vi contractus;nam eo ipſo,
quod hæreditatem adijt, cenſetur, voluiſ-
ſe ſe obligare ad ſoluenda defuncti debi-
ta, & vota, vt rectè notat *Sanchez cap cit.
n.*25.*&* 28 vbi hanc obligationem exten-
dit, etiam ſi defunctus expreſſè dixerit
nolle ſe, hæredē ad ea vota teneri, quia
hoc non obſtante, hæres tenebitur, vt
plures docent apud eumdem *Sanchez*,
ſicuti tenetur ad alia eiuſdem defun-
cti debita; eadem enim vtrobique militat
ratio.

Quæres ſecundo Quando vota defun- 24
cti non ſunt totaliter realia, ſed mixta,
ideſt partim realia, & partim perſona-
lia, an hæres ſit obligatus ad partem il-
lam realem?

Reſpondeo cum diſtinctione; vel pars
illa realis eſt per ſe, & expreſſè intenta
quando votum emittitur, vel non eſt per-
ſe intenta, neque expreſſa, ſed acceſſo-
riè ſe habet ad id, quod eſt perſonale.
Exempli gratia.Si quis voueat peregrinari
ad B. Virginē Drepanitanam, eidemque
in eleemoſynam offerre vas,aut candela-
brum, argenteum, tunc in hoc voto pars
realis, quæ eſt vas, fuit expreſſè, & per ſe
intenta; contra verò, ſi votum emiſerit
ſimpliciter peregrinandi ad B. Virginem,
expenſæ, quæ in hoc voto includuntur
ab ipſomet vouente faciendæ in itinere,
quamuis ſint quid reale, nihilominus ſe
habent, vt quid acceſſorium ad peregri-
nationem.Dico igitur, quod ſi à defuncto
votum emiſſum fuit ſub priori forma, hę-
res illud implere tenebitur quo ad par-
tem realem, & in caſu poſito obligabitur
ad afferendum B. Virgini Drepanitanæ
rem promiſſam: ſi verò fuit ſub poſteriori
forma, tunc ad nihil tenebitur;quia, licet
pecunia expendēda ſit quid reale, eſt ta-
men quid acceſſorium parti perſonali,
quæ in tali voto principaliter ſe habet,
idcircò principali extincto, perit etiam
acceſſorium. Hanc ſententiam hoc pa-
cto declarant, & ſuſtinent plures aucto-
res,quos refert *Azor.inſtit.moral.par.*1.
*lib.*11.*cap.*16.*quæſito* 15.*Sanchez cap.cit.
n.*30.

Quęres tertio.Si votum fuit disiunctiuè 25
emiſſum, nēpe cuius vna pars fuit realis,
altera verò perſonalis, ita vt fuerit ſub
vouentis poteſtate ad ſui libitum alteru-
tram eligere, an hæres teneatur adim-
plere partem realem, ſi defunctus neu-
tram adimpleuit?

Reſpondet ad hoc dubium *Sanchez
loc.cit. n.*31.teneri ad partem realem,
quia,cum pars perſonalis extincta perſo-
na, cui erat affixa,reddita ſit impoſſibilis,
obligatio remanet ad partem realem: &
licet defunctus,qui vouit, potuerit elige-
re,quod ſibi placuerit,non poterit tamen
hæres, ſicut neque ipſe vouens id facere
po-

Digitized by Google

26 potuiſſet, ſi ante electionem vna pars
reddita fuiſſet impoſſibilis. Hanc verò ſen-
tentiam limitat Sanchez in eo caſu, in
quo defunctus tempore vitæ partem per-
ſonalem elegiſſet; nam facta electione
ceſſat obligatio quoad alteram partem,
& ideò hæres non remanebit aſtrictus
ad partem realem adimplendam, quam-
uis defunctus dum viuebat, non imple-
uerit votum quoad partem perſonalem,
quam determinatè elegerat. Vide *Sanch.*
cap. 13. lib. 4. cit. num. 28. *&* 30.

Quęres quarto. Vtrum hæres ſuccedat
27 in illud ius, quod defunctus habebat, ſe
validè componendi ſupèr debita incerta
virtute Bullæ Cruciatæ, quam tamen cō-
poſitionem, dum viuebat, omiſit.

Reſpondetur. Quæſitum hoc propoſui
in explicatione eiuſdem Cruciatæ *part.* 3.
tract. 5. *diſſert* 2. *cap.* 5. *ſect.* 3. *num:* 24.
in ſecunda impreſſione. vbi partem affir-
matiuā ſuſtinui, ſub hac tamē conditione,
nempè, ſi adhuc maneat in hærede illa
eadem incertitudo de verò domino, quæ
erat tempore, quo defunctus vitam age-
bat; idque etiam docet *Trullench. in ex-*
poſit. Bullæ lib. 3. *dub.* 2. & poſtea ſequu-
tus fuit *Carolus Latius in dilucidat. eiuſ-*
dem Bullæ. diſp. 10. *quæſt.* 2. *difficult.* 20.
& ratio eſt, quia poſt aditam hæreditatē
debita defuncti ſunt effecta propria ip-
ſius hæredis, ideoque ſicut ſuper talia
poterat defunctus ſe componere, ita etiā
ſuus hæres, ſi conditiones intercedant,
in Bulla ad validam compoſitionem re-
quiſitæ.

REGVLA XXXXVII.

Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia
non probetur.

CElebrem, & amplam commentatori-
bus exhibet materiam Regula hęc:
ideoque tum Iuriſtæ, tum Canoniſtæ de
illa fusè differentes plures, variaſque quæ-
ſtiones inſtituerunt: ea propter hoc ipsū
præſtandum mihi eſſet, ne tam illuſtrē,
& valdè neceſſariam materiam inexagi-
tatam omitterem, recedens à conſueta
Profeſſorum methodo: verum quia de
ijs, quæ ad hanc regulam ſpectare viden-
tur, ſufficienter ſermonem habui in expli-
catione 13. Regulæ, vbi copiosā de igno-
rantia tractationem contexui, & præſer-
tim in prima quæſtione, in qua congruē-
tem modum aſſignaui ad agnoſcendum,
quando præſumi, vel non præſumi debe-
at ignorantia, idcircò nihil hic addendū
cenſeo, ſed ad eum locum lectorem re-
mitto.

REGVLA XXXXVIII.

*L*ocupletari non debet aliquis cum alte-
rius iniuria, vel iactura.

PLures in iure ciuili leges regulam hāc
canonicam cōfirmantes reperiuntur
videlicet *L. Iure naturæ ff. eo. L. natu-*
raliter §. *fin ff. de cond. indeb. L. cum,*
qui C. de vſu cap. pro emptore, & aliæ,
quas affert *Barboſ. Axiomate* 139.

*D*iſpoſitio huius regulæ fundatur in iu-
re diuino, & naturali; lex enim natura-
lis nobis indita dictat, æquum non eſſe,
vt aliquis ditior fiat cum alterius iniuria,
modo infra explicando. Placet tamen
hic ad omnem æquiuocationem de me-
dio tollendam verba regulæ, quamuis
clara, enucleare.

*E*t ante omnia notanda eſt diuerſitas,
quæ in verbis reperitur inter hanc regu- 1
lam, & illam ciuilem, nempè *L. Iure na-*
turæ. In hac enim regula ſermo eſt al-
ternatiuus, ſeu diſiunctiuus: dicitur enim
[Cum alterius iniuria, vel iactura] & ita
videtur, quod alterum dumtaxat ex his
ſufficiat ad verificandam regulę diſpoſiti-
onem, nempè, aut cum iniuria, aut cum
iactura alterius. Cæterum lex ciuilis co-
pulatiuè loquitur dicens [Iure naturæ
ęquum eſt, neminem cum alterius detri-
mento, & iniuria fieri locupletiorem.]
quam diuerſitatem animaduertunt hic
Dynus, & ibi *Decius* Hi autem Auctores
non videntur in re ipſa idem ſentire; nā
Decius concludit ſufficere, vt alterum
verificetur: Dynus verò initio dubitati-
onis hoc etiam videtur aſſerere, ſed po-
ſtea inquit, illa duo, nempè iniuriam, &
iacturam copulatiuè ſumenda eſſe: nihil
tamen dicunt ad ſenſum verborum vtri-
uſque regulæ conciliandum, quod curare
quidem debebant ad tollendam apparē-
tem contrarietatem. Et de hoc puncto
apud auctores nihil exagitatum adhuc
inueni, niſi apud *Maynerium in d.* L. *Iu-*
re naturæ, ff. eo. vbi aliqua innuit, quæ
faciunt ad prædictorum iurium concor-
diam. Dico igitur, ſenſum verborum in
hac regula canonica ſumi non poſſe diſ-
iunctiuè, perindè ac ſignificet non de-
bere aliquem fieri locupletem, ſi ex hoc

ſe-

Digitized by Google

ſequatur alterum ex his duobus, videlicet, vel iniuria, vel ſola iactura: falſum etenim id eſſet; quia poteſt quis locupletari etiã cum iactura, & damno alterius, quando id ſit cum iuſtitia, & ex vi legum. quapropter, vt verbis Regulę congruadetur interpretatio, animaduerto, dictionem
2 illam, *Vel*, quamuis de ſui natura ſit diſiunctiua, & alternatiua, nihilominus aliquando eſſe copulatiuam, idemque importare, quod importat dictio, *Et*, vt notant Iuriſtæ, & præſertim *Menochius conſ. 787 num. 19* id efficaciter probans *ex L. Cum quidem S. itaque. C. de verb. ſignif. vbi expreſſè ſtatuitur, & Barboſ. tract. de dictionibus vſu frequent. dict. 415. num. 4.* qui plures alios citat. Debet autem dictio, *Vel*, ſumi copulatiuè, quãdo ponitur inter genus, & ſpeciem, vt aſſerit *Bartol. in L. ſi is qui. S. Verum num. 2. ff. de reb. dub. Bald. conſ. 378. nu. 9. tom. 5. & alij apud Barboſ. loco citato.* Rurſus, vt aiunt prædicti auctores, ſumitur etiam copulatiuè, quando ponitur inter perſonas æqualiter vocatas, vt colligitur *ex d. L. Cũ quidam* & denique idem eſt aſſerendum ad vitandam repugnantiam, aut aliquod abſurdum, quod in præſenti materia eſt manifeſtum, ſi alternatiuè accipiatur; nam ſola iactura, quæ alteri contingit, non eſt impedimentum, quin alius locupletetur. maneat igitur ex dictis dictionem, *Vel*, hic tranſire in copulatiuam; & ideo nullam eſſe contrarietatem inter ciuilem regulam, & canonicam, cum vtraque in ſenſu copulatiuo loquatur: & differentiam eſſe in eo tantùm, quod ciuilis poſuit dictionem, quæ, quamuis ſecundum ſe diſiunctiua ſit, nihilominus ſumitur coniunctiuè ob prędictam rationem: & de hac re ſat.s. Progredior nunc ad aliorum verborum declarationem, & aio, quod iactura, de qua
3 eſt ſermo, largè ſumenda eſt, vt *Ioan. Andreas* initio huius regulæ animaduertit, videlicet pro quocumque damno, detrimẽto, & incommodo, quod quis patitur.
4 Locupletatus autem, ſeu ditior factus cenſendus eſt ille, qui rem alienam habet, ſuoque eam patrimonio incorporauit, vel proprijs rebus parcens illã cõſumpſit, vel quid ſimile. His præhabitis quoad verborum explicationem, ad exempla deueniendum eſt, quibus regula magis corroboretur.

CAPVT I.

Exempla quædam proponuntur, in quibus regula vigorem habet.

PRimo. Si pupillus abſque tutoris con- 5
ſenſu pecuniam ab alio mutuam accipiat, poſtea verò ad pubertatem veniens eam mutuanti, reſtituat non poteſt illam repetere, ne ditior fieret cum iniuſta alterius iactura. ita expreſſè diſponitur *in L. naturaliter § ſi & L. ſeq. ff de cond. Indeb. Gloſſa ibi Dynus hic num. 3. PecKius n. 3. Maynerius in dicta L. Iure naturæ n. 2. & alij.* Aduerto tamen hic obiter, grauem eſſe controuerſiam inter Authores; num pupillus pubertati proximus abſque tutoris auctoritate poſſit alteri naturaliter, & in foro conſcientię obligari? & quidem vna ex duabus ſentẽtijs negat, altera affirmat, & vtramque fusè examinat *Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 38. à nu. 20. & Delugo tract. de Iuſtit. diſp. 22. ſect. 10. num. 287.* qui, licet huic poſteriori, tamquam probabiliori, & veriori adhęreant, exiſtimant tamen priorem valdè probabilem. Poterit autẽ eſſe tertia ſententia veluti media, quam ponit, & ſequitur *Leſſius lib. 2 de iuſt. cap. 17. dub. 8. à num. 61.* diſtinguit enim duo contractuum genera, & ait, in contractu, in quo pupilli propria auctoritate alienant, vel oppignorant rem aliquam immobilem, aut mobilem pretioſam, quæ ſeruari poteſt, nullo modo poſſe obligari;
at in alijs contractibus aſſerit, probabilius 6
eſſe, poſſe naturaliter obligari: ſed addit, quod, licet minor nequeat iure ordinario reſilire ab his contractibus, poterit tamen iure extraordinario, nempè priuilegio reſtitutionis in integrum: & ideo dicitur nõ obligari, quia obligatio non eſt efficax, cum elidi poſſit. Nonnullas tamen hi auctores in ſententijs, quas tuentur, afferunt limitationes, quas referre non facit ad meum inſtitutum, ſicuti neque facere arbitratus ſum ad rem noſtram prædictorum opinionum deciſionem, &
examen. Solum hic addo, quòd pupillus 7
rem aliquam vendens abſque tutoris cõſenſu, & ab emptore pretium recipiens ſi rem venditam beneficio reſtitutionis in integrum recuperet; non poterit cum damno, iniuriaque emptoris etiã pretium ſibi retinere, quia in hoc caſu locum habet noſtra regula.

Se;

8 *S*ecundo. Si ad fiſcum deuolnantur, ſeu publicetur bona emphytentica alterius, non intelligitur deuolutum ius proprietatis, ne fiſcus ipſe cum iactura directi domini locupletetur, quo in caſu fiſcus remaner emphyteuta perſonę priuatæ, cui canonem debitum ſoluere teoetur.

9 Tertiò procedit regula in Eccleſia; & ideo ſi à Prçlato facta fuerit cum aliquo permutatio rei, quę erat *E*ccleſię; poſtea vero *E*ccleſia rem ſuam ſibi reuocet, tenebitur reſtituere rem alterius, cū qua ſuit facta permutatio: & ratio deſumitur ex hac regula, ne admittatur locupletatio cū

10 alterius iactura. *E*t ob eamdem rationē, ſi res *E*ccleſię indebito modo, & ſine ſolemnitatibus vendita fuerit, licet Eccleſia rē illam repetere poſſit etiam pretio non reſtituto; attamen, ſi emptor probauerit, pretium ſuiſſe verſum in Eccleſię vtilitatem, non poterit Prçlatus reuocare, niſi pretium emptori reſtituat. *Alex. conſ.* 4. *lib.* 3.

11 Quarto hoc ipſum dicendum erit, ſi caſus ad Rempublicam pertineat. V. g. ſi reperiantur in aliquo flumine molendina ciuium priuatorum, & pariter molendina Reipublicę, ipſaque Reſpublica ſtatutum edat, per quod onerentur molendina priuatorum, & molendinorum ipſius Reipuplicę redditus augeantur, ſtatutum iniuſtum erit; ideòque non valebit. *Anchar. conſ.* 298. *in principio.* non enim debet communitas locupletior fieri cum alterius detrimento.

12 Quinto denique poſſeſſor malęfidei poteſt à domino repetere expenſas neceſſarias, & vtiles *L. planè. ff. de petit. hared.* & hoc non exceptione doli, ſicuti poſſeſſor bonęfidei, ſed officio Iudicis: facultas autem repetendi prędictas expenſas ei conceditur, ne dominus cum aliena iactura locupletetur: nequit tamen repetere expenſas non neceſſarias Vide *Maynerium loco citato num.* 9. alioſque ſcribentes *in dicta Lege Planè.*

CAPVT II.

Explanantur caſus, in quibus Regula fallit.

PLures ſolent caſus ab auctoribus proponi, in quibus huius regulę diſpoſitio ceſſat. Ego verò principaliores, magiſque exagitatos in medium afferam.

*P*rimo autem ſeſe offert remedium il- 13
lud legale, nempe vſucapio, & præſcriptio, per quam, non obſtante iactura, poteſt quis bona alterius ſibi propria facere; quod quidem quamuis pugnare videatur cum æquitate, quam hæc regula intendit; contrarium tamen in iure definitur: & propterea præſcriptionis, & vſucapionis remedium, quāuis vel rigorē inuoluens, deberet poſtponi æquitati; attamen non obſtante hac regula militare debet: rigor enim præſcriptionis introductus fuit ob bonum commune, in quo lex præſcriptionis fundatur: quicquid ſit in praxi, in qua præſcriptiones, præſertim in *R*egno noſtro, rarò ſeruantur, vt ſuperius explicans ſecundum, & tertiam regulam ſufficienter declaraui.

Secundo fallit, quando v.g. Titius creditor verè pecuniam mutuam Sorti non dedit, quam *S*ortes per chirographum confiterur ſe recepiſſe, & per biennium neque chirographum repetere curauit, neque exceptionem nō numeratæ pecuniæ oppoſuit; in hoc. n. caſu contra Titiū, qui virtute chirographi oſtendit, ſe eſſe creditorem repetendo mutuū, Sortes nō poteſt ſe opponere *L. in contractibus. C. de non numerata pecunia*. quod quidem diſpoſitum fuit in bonum creditorum ad vitandas fraudes, & calumnias debitorum: ſæpè enim exciperent, numeratā pecuniam non fuiſſe; ideòque lex præſumptiuè procedit, ſtatuens, ſcripturæ fidem præſtandam, exiſtimanſque, fuiſſe pecuniam numeratam; non enim veriſimile videtur, ita hoc non fuiſſe, dum Sortes poſt tantum tempus pecuniam nō repetijt, nec exceptionem non numeratæ pecuniæ oppoſuit. Vndè hoc caſu Titius, creditor præſumptus, fieret cum alterius iactura locupletior: & quidem abſque iniuria in foro externo; quia talis
procedendi modus eſt conformis legum 15
diſpoſitionibus Cæterum ſpectando forū conſcientiæ aliud eſt determinandum,

ideo-

Digitized by Google

ideòque in ſoro interno nequit Titius, qui vi legum creditor præſumitur, pecuniam exigere, quæ in ſyngrapha dicitur fuiſſe numerata, quia reuera oppoſitum ipſi conſtat.

REGVLA XXXXIX.

In pœnis benignior interpretatio facienda eſt.

1 HVius regulæ ratio, vt animaduertit *Gloſſa hic in fin. verſ. facienda,* deſumitur ex regula 15. in qua dicitur [Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari] vbi ego plura dixi, quæ huic diſpoſitio adaptari poſſunt, & præſertim *cap. 4. & 6.* cum autem pœnæ odioſę ſint, idcircò, quando eſt obſcuritas reddens animum dubium, interpretatio fieri debet iuxtà benigniorem, mitioremque ſenſum: quod etiam habetur in iure ciuili *L. factum cuique* 158. *eo. tit.* & confirmatur. *ex L. ſi præſes, & L. interpretationem ff. de pœnis.* harum autem omnium regularum diſpoſitio fundatur in vno principio, quod valde conſentaneum eſt lumini naturali: ęquitatem videlicet ſcriptam præferẽdam eſſe rigori ſcripto; ſed pœna maior eſt rigor, minor verò æquitas; ergo in dubijs, & in obſcuris hæc minor eſt admittenda. *P*orrò nomine pœnę ſumitur hìc pœna illa, quę eſt correſpectiua culpę, & per quam ſatisfit iuſtitię, quę ob patratum crimen læſa fuit, ideoque exigit reparari: quod fit ponendo æqualitatem in pœna iniuncta conſiſtentem: non tamen hìc intelligimus pœnam ſub ratione medicinæ, vel maioris meriti, vt fideles fieri ſolent, quoties varias aſſumunt pœnitentias, & corpus proprium affligunt. His pro verborum intelligentia, ad nonnullòs caſus deuenio, in quibus huius regulæ diſpoſitio locum habet.

CAPVT I.

Diuerſa afferuntur exempla, quæ regulam hanc confirment.

2 DIcẽdũ eſt primo. Quoties lex pœnalis verba cõminatoria cõtinet, cenſenda eſt, vt non ſit latę, ſed ferendæ ſententiæ. Verba autem, quæ comminationem important, ſunt hæc, vel ſimilia v. g. ſi dicatur, ſub pœna, ſeu interpoſitione excommunicationis, ſub priuatione beneficij, dignitatis &c.

Sed in contrarium vrgebis hoc pacto: In contractibus dictiones comminatoriæ important ſententiam latam; vt ſi quis promittat alteri contrahenti aliquid ſe facturum ſub hac, vel illa determinata pœna. v. g. ſoluendi viginti aureos in caſu contrauentionis. ergo etiam in legibus ſimilia verba, & dictiones importabunt pœnam iam latam, & non ferendam; eadem enim in vtroque caſu videtur ratio. 3

Reſpondeo, negando paritatem: & diſcrimen oritur ex diuerſitate principij, a quo procedit obligatio ad pœnam: in primo enim caſu prouenit à lege abſque cõſenſu voluntatis ſubditorum, cum adæquatè innaſcatur ex ſola legiſlatoris voluntate; ideoque, cum ex parte ſubditi non ſit poſitiuè voluntaria, infertur, quod verba legis ſumi debeant ſtrictè, vt quantum fieri poteſt, minus obligent: proinde pœna impoſita ſub prædicta verborum forma erit ſolum comminatoria, & non latæ ſententiæ: in ſecundo autem caſu obligatio oritur ex contrahentis voluntate, & ex natura ipſius contractus; vnde, licet dictiones, ſub quibus contrahens ſe obligat, videantur importare aliquid ferendum; nihilominus cum ipſe contrahens voluerit ſponte promittere, idcircò obligatio cenſetur fuiſſe non de ſolutione pœnæ ferendæ, ſed iam latæ ſententiæ. 4

Placet hic tamen animaduertere, grauẽ apud Auctores eſſe controuerſiam, num pœna contractui adiecta in caſu contrauẽtionis debeatur ante Iudicis ſententiam, & antequam à parte aduerſa petatur? & quęſtionem hanc fusè examinat *Delugo tract. de iuſt. diſp. 22. ſect. 15. à n. 400.* qui tres refert ſententias, quarum prima vult, pœnam deberi in foro conſcientiæ, etiam parte non petente, & hoc quia talis obligatio oritur vi contractus. *S*ecunda ſententia tuetur oppoſitum, nempe non deberi ante Iudicis condemnationem, quamuis à parte petatur. Tertia, quæ eſt veluti media, ſuſtinet deberi ante Iudicis condemnationem, ſed non priuſquam ab altero contrahente petatur, & huic opinioni adhæret ipſe *Delugo ibidẽ n. 406.* quod tamen intelligit, niſi contrahentes ſub alia forma pacti fuiſſent quoad pœnæ ſolutionem, vt latè declarat *n. 401.* Sed quicquid ſit de his opinionibus, quarum examen ad præſens inſtitutum minimè ſpectare videtur, ſatis mihi erit diſ- 5

crimen innuiſſe inter pœnam vi legis ab ipſo legiſlatore impoſitã, & pœnam, quã ſibi ipſi imponit contrahens vigore contractus. Ad propria igitur redeo.

6 Dicendum eſt ſecundo. Si lex inuoluat verba, vel participia futuri temporis, tūc pœna erit ferenda. V.g. ſi dicatur, qui hoc aut illud faciet, erit excommunicandus, vel beneficio, vel dignitate priuandus. ita *Syluester verb. excommunicatio. 1. num. 31. Auila de cenſur. p. 2. diſp. vnica, cap. 2. dub. 2. Reginaldus in praxi for. pœnitent. lib. 13. cap. 24. ſect. 2. num. 258. & alij.* ratio autem eſt, quia verbum tẽporis futuri nequit ſignificare tempus præſens, aut præteritum, ſed ſignificat rem, ſeu actionem, quę poſtea eſt facienda; idcircò lex imponens pœnam ſub forma verborum, quę futurum tempus exprimunt, non cenſebitur importare ſentẽ-
7 tiam latam, ſed ferendam. Idemque aiũt prędicti auctores de lege, quę vtitur verbis modi Imperatiui, licèt pręſentis; continet enim quoad inflictionem pœnæ ſẽtentiam non latam, ſed ferendam, vt cum dicitur; *Si* Titius hoc patrauerit illũ tali pœna afficite. & ratio eſt, quia modus Imperatiuus reſpicit aliquem aliũm diſtinctum ab imperante, nempe perſonam, cui imperatur, & à qua pœna eſt infligenda, ac proinde tempus futurum, & non præſens importat.

8 Limitatur tamen hoc, & rectè ab *Auila loc. cit.* & *Streinio in prolegomenis ſumma Iur. canonici* §. 8 *de lege pœnali num.* 4. quoties verbũ modi Imperatiui, neque iudicis miniſterium, neque actionem aliquam ab alio exercendam requirit; quia tunc importat ſententiam latam, & non ferendam. Verbi g. ſi Titius hoc faciat ſubiaceat excommunicationi, ſuſpenſioni, priuationi beneficij, &c. ſi enim Titius transgrediatur, ipſo facto pœnam incurrit, declarata criminis incurſione, vt placet multis auctoribus, ſine alia ſentẽtia. Quod etiam procedit ſi verbo impe-
9 ratiui modi addantur verba hæc, aut ſimilia nempe *ipſo facto, ipſo iure; &c.* quę ſententiam latam important, vt citati Auctores animaduertunt.

CAPVT II.

Recenſentur Caſus, in quibus Regula fallit.

MVlti ſunt caſus, in quibus præſentis regulæ diſpoſitio locum non habet: principaliores ego, & qui magis ad praxim ordinantur, breuiter referam.

Primo fallit regula in lege, ſeu ſtatuto ferente excommunicationem, non ex- 10
primendo, an ſit maior, aut minor; in hoc enim caſu facienda eſt interpretatio de pęna rigidiori, nẽpe de maiori excommunicatione, non autem de minori, & mitiori pœna. ita cõmuniter *Doctores. Decius in L. in pœnali ff de reg. Iur. n. 10. in fi. Couar. in c. alma mater par. 1. § 8 n. 5. Nauar. in Manuali cap. 23. n. 52. Henriquez in ſumma lib. 13. cap. 2. n. 2. Suarez de cenſur. diſp. 8 ſect. 3. n. 3. Toletus in ſumma lib. 1. cap. 5. Altertus de cenſur. lib. 1. diſp. 2. cap. 2. Filliucius tract. 12. cap. 1. queſito 3. n. 8. Coninch. diſp. 14. dub 1. n. 5. Bonacina de excom. diſp. 2. quæſt. 1. punct. 2. num. 2.* & plures alij, quos citat, & ſequitur *Barboſa in collect. cap. Si quem. de ſent. excomm. num. 1.* Probatur autem primo ex iure canonico *ca. cit. quod eſt penult.* vbi id expreſsè ſtatuitur: & quamuis Pontifex eo loco ſermonem habeat de excommunicatione, quæ eſt ab homine; nihilominus ob rationis paritatem, vt rectè notat *Suarez*, Doctores extendunt deciſionem illam pontificiã ad excommunicationem, quæ eſt à iure. Eſſe autem paritatem rationis inter vtrumque excommunicationis genus, quoad hoc punctum, mox oſtẽdetur afferendo congruentias, quibus hæc ſententia probabitur.

Dico igitur, quod hoc vocabulum, 11
Excommunicatio, importat negationem communionis, &, prout ad rem noſtram facit, ſignificat negationem, ſeu priuationem talis determinatę communionis, nimirum eccleſiaſticæ: negatio autem, cum ſit malignantis naturæ, vt *Philoſophi* inquiunt, quando ſimpliciter additur, totum, quod poſt ſe inuenit, deſtruit; & ideo in caſu noſtro, cum ſimpliciter proferatur, priuationem omnis eccleſiaſticę communionis ſignificat, & vt ſic, importabit maiorem, & non minorem excommunicationem; illa enim eſt omnis prædictæ communionis priuatio, non autem hæc, vt patet ex ſcribentibus de-

cen-

cēſuris: & ita minor excommunicatio cō-
paratur ad maiorē, tāquam, ad quoddam
totum. Quapropter hæc vox abſolutè, &
ſimpliciter prolata ſupponit pro totali, &
adæquata priuatione communionis eccle
ſiaſticę, hoc eſt pro maiori excommuni-
catione. Alias etiam rationes ad hoc pro-
bandum aſſignāt commentatores *in d.
cap. penultimo, & Nauar. tract. de datis,
& promiſſis notab.* 4. apud quos videri
12 poſſunt: prędicta verò ratio nuper aſſi-
gnata ſufficiens cenſeri debet ad ſuaden-
dum intentum. Solum hîc aduerto, quod
ea, quæ dicta ſunt, locum habent, quan-
do ex verbis legis, ſeu ex alijs conie-
cturis non colligatur mens legislatoris,
ſeu illius, qui excommunicationem tu-
lit, fuiſſe imponere minorem tantum ex-
communicationem; aliàs non procedunt.
13 Sed in contrarium vrgebis afferendo
textum *in cap. 1. de except. in 6.* vbi Pon-
tifex præcipit, quod ſi reus in iudicijs ad-
uerſus actorem de excommunicatione
excipiat, debeat ſpeciem excommunicati-
onis exprimere; nam, vt Gloſſa ibi *verbo
ſpeciem*, animaduertit, duplex eſt excō-
municatio, altera maior, quę repellit ab
agendo, altera minor, quæ non repellit:
ex quo colligitur, nomen excommunica-
tionis eſſe commune ad maiorem, & mi-
norem, & ex ſe ambiguum; ergo falſum
eſt, quod hoc nomen ſimpliciter, & abſo-
lutè prolatum ſignificet determinatè ma-
iorem excommunicationem; ſi enim ita
eſſet, ſuperuacanea foret diſpoſitio Pōtifi-
cis ſtatuētis, eſſe explicandam in iudicio
ſpeciem excommunicationis, cum ſuffi-
cienter cenſeatur expreſſa per hoc nomē
abſolutè prolatum. Ad hoc argumentum
reſpondent aliqui, id fuiſſe a Pontifice ſta-
tutum ad vitandas fraudes, & dilationes,
quas reus poſſet opponere, vt iudicium
contra ipſum differatur. Ipſe tamen *Sua-
rez loc. cit.* aliam vult fuiſſe Pontificis mē-
tem, cum ſtatuit exprimendam ſpeciem
excommunicationis; non enim per ſpeciē
intelligit maiorem, vel minorē, ſed ſpeciē
maioris in particulari, videlicet irroga-
tam ob tale delictum, puta, ob clerici per-
cuſſionem, vel ob tale ſacrilegium, &c.
idque diſpoſuit Pontifex, quia talis excep-
tio apertiſſimis documentis, vt in eodem
textu dicitur, probanda eſt, ideoque non
in confuſo, ſed in particulari exprimi de-
bet ipſa maior excommunicatio: cuius
ſententiæ cōfirmationem proſequitur idē
Suarez ex alijs verbis eiuſdem textus.

Secundo fallit Regula in materia inter- 14
dicti, quia, licet nomine Ciuitatis ſpectan-
do eius propriā, & rigoroſam ſignificatio-
nē non veniant, niſi ędificia, quæ murorū
ambitu continentur, nō autem ſuburbia;
nihilominus, quoties ciuitas interdicitur
interdicto generali locali, nomen ciuita-
tis ad ſuburbia extenditur, vt habetur in
cap. ſi ciuitas de ſent. excomm. in 6. & do-
cent communiter Auctores; & ratio eſt,
quia aliàs interdictum contemneretur;
incolæ enim ciuitatis interdictæ, vt diui-
na officia audirent, ad ſuburbia proxima
accederent, & ſic interdictum illuderent.
quæ omnia ſuperius explicaui *in Reg.* 15.
Odia reſtringi cap. 3.
Tertiò ceſſat regulæ præſentis diſpoſi- 15
tio, quando Eccleſia interdicitur; tunc n.
nomen Eccleſię ſumitur, vt extenſum ad
capellas, & ad cœmeterium eidem Ec-
cleſiæ contiguum: ita expreſſè ſtatuitur
in eo. cap. Si ciuitas; & ratio eſt, quia tum
capella, tum cœmeterium ob contiguita-
tem cenſentur facere vnum corpus cum 16
Eccleſia. Dicitur autem contiguum illud
cœmeterium, cuius extrema ſunt ſimul
cum Eccleſiæ extremis, ſeu cum inter pa-
rietes vnius, & alterius nihil mediat.
Quarto fallit regula in enormibus de-
lictis, in quibus puniendis ſeueritas po-
tius, quàm benignitas ſeruanda eſt, vt 17
patet ex *L. Diuus. verſ. ſeuerè. ff. de
re iud. L. reſpiciendum verſ. planè. ff. de
pœnis.* vbi ſcribentes, & alij, quos re-
fert, & ſequitur *PecKius hic num.* 8. *in
reſponſione ad ſecundam rationem du-
bitandi* idque probat dicens, occaſionem
delinquendi, quæ omnino tollenda eſt,
ex parte deſumi ex inflictione exiguæ pœ-
næ; & ideo in his regula locum non ha-
bet. Cæterum *Streinius* in explicatione
regulę ſoluens primam obiectionem ait,
non eſſe audiendos eos, qui apud Pe-
cKium excipiunt caſum hunc quaſi non
contentum in noſtra regula; quia, vt ipſe
inquit, licet in magnis criminibus maio-
re nobis ſeueritate vtendum ſit; nihilomi-
nus non eſt omnino excludenda lenitas.
Sed hanc Streinij animaduerſionem,
puto, nō eſſe admittendam; tum quia nō 18
eſt conformis iuribus ſupra allegatis po-
ſtulantibus ſeueritatem in prædictis cri-
minibus; tum etiam quia ipſe *Streinius*
loquens de lenitate, eam ſumit in ſenſu
longè diuerſo ab illo, in quo Doctores,
& iura loquuntur, in quorum ſenſu faci-
lè erit oſtendere, regulam fallere in ma-

Digitized by Google

gnis criminibus: ad quod demoſtrandum ſuppono, lenitatem, prout ad præſentem caſum ſpectat, dupliciter ſumi poſſe; primo, generaliter, quatenus per omnem pœnam tranſcendit; nulla enim poteſt inueniri pœna, quæ maior eſſe nequeat, quamuis ſit pœna mortis; nam poteſt inferri mors acerbiori, & acerbiori modo: ideoque quæcumque pœna, reſpectiuè ad maiorem, & aſperiorem, erit minor, & lenitatem includens in illa minoratione conſiſtentem. Hæc autem lenitatis acceptio, ad quam lędere videtur Sbrozij animaduerſio, non eſt illa, de qua loquuntur auctores, cum eam à ſeueritate contradiſtinguunt, quia talis lenitas, vt oſtenſum eſt, in qualibet pœna inuenitur. Secundo accipi poteſt lenitas modo aliquo ſpeciali, quatenus tollit in pœna aliquam grauitatem tali crimini debitam; & de hac lenitate ſermo eſt apud Iura, & Doctores, & huic, non priori ſeueritas opponitur. His præmiſſis deuenio ad demonſtrandum, quo pacto fallat regula in magnis criminibus. Dico igitur, tunc hoc euenire, quando verba legis pœnam taxantis poſſunt æquè commodè intelligi de pœna maiori, & minori; quia tunc, ſi non agatur de enormi delicto, locum habebit regula, nempe, verba legis eſſe in benigniorem partem interpretanda; contrà vero, quando delictum eſt enorme, & atrox, tunc eſt eligenda grauior pœna; & iuxta illam accipienda ſunt verba legis: & in hoc caſu fallit regula. Qualia autem ſint delicta enormia, & atrocia, erit ex iuribus vel Iudicis prudenti arbitrio omnibus perſpectis circumſtantijs determinandum.

Plura alia, quæ ad hanc regulam pertinent, omitto, quia de illis fusè ſermonē habui in regula 15. in qua dicitur *Odia reſtringenda &c.*

REGVLA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

1 DEſumitur præſens regula ex iure ciuili *L. actus, ff. de eod.* ad cuius pleniorem intelligentiam explicandi ſunt termini, qui in ipſa continentur.

Primo loco ſeſe offert verbum illud *Actus*, quod aio eſſe nomen generale ſub ſe comprehendens omnes humanas actiones, ad quas regula hæc poteſt extendi; & ideo Pontifex vti noluit verbo alio minus amplo, videlicèt non dixit, *Geſta, aut contractus legitimi*, vt enim habetur *in L. Labeo 2. ff. de verb. ſignif.* hæc tria verba Geſtum, Contractus, & Actus inter ſe differunt, ſi in ſermonis rigore ſiſtamus 2
Geſtum enim ſignificat rem abſque verbis factam. Contractus conſiſtit in conuētionibus, per quas homines inuicem ſe obligant. Actus verò eſt terminus generalis omnia complectens, vt communiter inquiunt ſcribentes *in L. actus, vbi Decius in princ. Imola in L. Gerit verſus ſinē. ff. de acquir hæred. Alex. conſ. 75. lib. 1. PetKius hic num.* 2. interdum tamen prædicta nomina in minus propria ſignificatione confundi ſolent.

Alius item terminus eſt declarandus nempè vox illa *Legitimi*; iuuat enim ad 3
huius regulæ notitiam percipere, qui ſint actus legitimi. Dico igitur, eos ita appellari, qui vel à lege, ſeu quocumque Iure ſcripto, vel à natura formam acceperunt, & ſub eadem forma ſunt approbati, & confirmati. ita *Decius L. cit. Actus nu. 2. Dynus hic in princ. Alciatus in L. cum ad præſens tempus. ff. ſi cert. petatur.*

Hi porrò actus non recipiunt conditionem, nequè diem, ideſt non ſunt capa- 4
ces ſuſpenſionis in futurum, vel in euentū dubium, & incertum, vel in tale tempus, vt interim diſpoſitio maneat ſuſpenſa: ideoque, ſi eo modo conditio, vel dies apponatur, ſtatim actus vitiātur, & inualidi redduntur; quia ſunt inſtituti à legibus, vt confeſtim, & abſque mora conſequantur effectum: proindè conditio ſuſpenſiua repugnat eorum naturæ. ita *Couarr. de ſponſal. p. 2. cap. 3 num. 4. Sotus in 4 diſt. 29. qu. 2. art. 1. ante ſecundam concluſionem verſ.* Rurſus. *Sanchez lib. 5. de matrim. diſp. 1. nu 5. Barboſa hic nu* 1. His pro terminorum notitia præhabitis deuenio ad aliquas dubitationes enodandas.

CAPVT I.

Explicantur Actus in ſpecie, qui legitimi in Iure appellantur.

NOnnulli à Papiano recenſentur actus legitimi, qui neque conditionē, 5
neque diem recipiunt, & declarantur in *L. Actus* ſuperius citata; illi autem ſunt: Emancipatio, Acceptilatio, Hereditatis additio, Serui optio, Datio tutoris. Hæc tamen regula ciuilis reſtringi videtur ad hos

hos tantum caſus expreſſos, nec ad alios
extendi, eum, tamen oppoſitum ex noſtra
regula canonica colligamus, quæ non li-
mitatè, ſed abſolutè, & indefinitè loqui-
tur de actibus legitimis; quæ diuerſitas
occaſionem præbuit auctoribus deueni-
endi in varias ſententias; & præſertim
in dubium reuocandi, an Pontifex per hãc
regulam corrigere voluerit ius ciuile,
vel potius regula hæc canonica, licèt in-
definitè loquatur, nihilominus ſit ita
ſtrictè explicãda, vt loqui non cenſeatur,
niſi de prędictis actibus a Papiano expreſ-
ſis? Aliqui fuerunt exiſtimantes, genera-
litatem huius regulę noſtrę limitandam
eſſe ad caſus iuris ciuilis: ſed hæc expoſi-
tio nullo pacto eſt admittenda, quia plu-
6 res præter enumeratos dantur caſus non
recipientes diem, neque conditionem,
nempe filiorum exheredatio, beneficio-
rum collatio, reſignatio, & pariter poſtu-
latio, & electio, pluresque alij caſus, quos
recenſet *Tuſcus in concl. pract. tom. 1.
litt. A. concluſ.* 128. qui quidem ſunt a-
ctus legitimi incapaces ſuſpenſiuę condi-
onis, ita vt ſi adijciatur, ſtatim actus red-
dantur irriti, vt patet *ex cap. in electioni-
bus. de elect. in 6* cum igitur plures alij
reperiantur actus legitimi vltra enume-
ratos à Papiano, non eſt aſſerendum, diſ-
poſitionem noſtrę regulę canonicę eſſe
ad prędictos caſus ciuiles reſtringendã,
quia talis reſtrictio falſa eſſet; & ideò hac
expoſitione reiecta viſũ eſt alijs, dicere,
enumerationem illã actuum legitimorũ,
qui habentur *in L. Actus*, exemplifica-
tiuè, & non definitiuè eſſe ſumendam. ita
Streinius, cuius explicatio eſt probabilis.
Cęterum reliquis omnibus omiſſis reci-
pienda eſt ea, quam tradit *PecKius nu.* 2.
& colligit *ex Couarr. in 4. decret. l. p.* 2.
cap. 3. *num.* 4. ait enim, in hac regula nõ
ſolum comprehendi caſus à Papiano ex-
plicatos, ſed omnes etiam alios, qui ita
fuerunt inſtituti, vt ex ipſis ſtatim aliquis
purus effectus cõſequeretur: idcircò quo
ad talem effectum neque conditionem,
neque diem recipiunt, cum ſuſpenſionẽ
non admittant. Et ab hac expoſitione
non videtur quoad rem diuerſa illa, quã
excogitauit *Barboſa hic n.* 7. dicens, quod
pręſens regula non eo tendit, vt in ſpecie
declaret, hos, aut illos eſſe actus legiti-
mos, ſed, quicumque illi ſint, tales ait de-
bere dici eos, qui vel ex rei natura, vel ex
ſpeciali legis prohibitione nequeũt con-
ditionẽ recipere: proinde per adiectionẽ
conditionis, aut diei vitiari. ità *Barboſa*,
cuius interpretatio mihi placet, & vera
videtur, nec ab ea diſſidet, quam *Peckius
loco citato* aſſignat; cenſeo enim in idem
vtramque ferri. Admiſſa igitur hac expli-
catione manifeſtè patet, nullam inueniri
contrarietatem inter ius ciuile, & cano-
nicum quoad hoc punctum; nam ius ci-
uile in lege citata aliquos actus legitimos
in ſpecie declarauit. Ius autem canoni-
cum per hanc regulam non curauit ex-
primere actus legitimos in particulari,
ſed eos, ſupponendo ipſorum naturam, in
cõmuni voluit explanare; & ſic attento
iuris vtriuſque fine nullum inter ipſa iu-
ra habetur diſſidium.

CAPVT II.

*Quo pacto conditio actibus legitimis ad-
iecta illos inutiles reddat?*

IN præcedenti capite declarauimus tã-
tum in genere, qualis ſit actus legiti-
mus, & diximus, eidem repugnare cõditi-
onis additamentum, quatenus adiecta
conditio actum irritum efficit; nunc verò
explanare oportet, qua ratione, & quo-
modo id eueniat: & gratia exempli aſſu-
mo caſus a Papiano *in d. L. Actus legiti-
mi* ſuperius expreſſos, idem tamen in
reliquis ſimilibus intelligendo.
Sed antequam id exequar, breuem 7
quamdam declarationem cenſeo præmit-
tendam de conditionum natura, & ſpe-
ciebus, quantum ad præſentem materiam
ſpectat. Dico igitur, ſermonem eſſe de cõ-
ditione propriè accepta nimirum de illa,
quæ futurum reſpicit, tenditque in euen-
tum incertum; illa enim, quæ ad tempus
præſens, vel præteritum refertur, impro-
priè appellatur conditio; idemque, ſi diſ-
poſitioni adijciatur, non reddit illam
verè conditionatam, ſed aut puram, aut
nullam, vt habetur *Inſt. de verbor. oblig.
§. conditiones. L. conditio. ff. eo. tit. & L.
cum ad præſens tempus ff ſi cert. petatur.*
Definienda igitur eſt conditio propriè di-
cta, quæ licet ſub varijs formis definita
ſit ab auctoribus, diuerſitas tamen non
in re, ſed tantum in vocibus conſiſtit.
Placet autem illam ſic deſcribere. *E*ſt qua-
litas, quæ diſpoſitioni adiecta, vel inhærẽs
illam in futurum euentum dubium ſuſ-
pendit. Hanc definitionem rectè traditã
eſſe, oſtendam, explicando ſingulos ter-
minos; primo dicitur eſſe *Qualitas*, quæ
eſt

eſt terminus communis conditionibus, & modis, ſub quibus fieri poteſt diſpoſitio: proinde terminus iſte ſeſe habet veluti genus, & quia tum conditiones, tum modi accidũt diſpoſitioni, eamque qualificant, ideo qualitates appellantur. Secũdo dicitur *Adiecta, vel inhærens* ad comprehendendas tum expreſſas, tum tacitas conditiones, de quibus *in L. 1 ff. de cond. & demonſtr.* Tertiò additur *in futurum euentum*, vt excludantur conditiones, de præſenti, & de præterito, quæ, cum actũ non ſuſpendãt, impropriè vocantur cõditiones. Quartò dicitur debere eſſe, *Dubiũ*, ad reprehendendas cõditiones illas, quæ, licet referantur in tempus futurum, ſunt tamen neceſſariæ, ac proinde certæ, vt, ſi dicas, *Si* ſol cras orietur, vel quid ſimile; idcirco hæ conditiones, quamuis futurũ euentum reſpiciant, nihilominus non dependent ex euentu dubio, ſed certo, & neceſſario: vndè non reddunt diſpoſitionem propriè conditionalem. *L. Si pupillus. §. Qui ſub conditione. ff. de nouat.* Quintò dicitur *Suſpendit*, vt excipiatur conditio reſolutiua, quę non ſuſpendit, ſed puram, & perfectam reddit diſpoſitionem, cum potius ſit modus, quam conditio, vt rectè notat Sanchez *in ſumma lib 7. diſp 5. nu. 60.* & propterea, cum non habeat effectum ſuſpenſiuum, ſed tantum reſolutiuum, non repugnat actui legitimo, vt aduertit hic *Barboſa nu. 20 ex L. 2. ff. de in diem adiectione.* ſermo autem in pręſentia eſt de conditione ſuſpenſiua, cuius capax nõ eſt actus legitimus. Hec pro terminorum declaratione ſufficiant, ex quibus patet prædictam definitionem eſſe rectè, & conuenienter aſſignatam; quia congruit omni, & cuicumque conditioni ſuſpenſiuæ, eãque ab omni alia qualitate diſtinguit, quæ adijci, aut diſpoſitioni inhærere poſſit.

*S*ed obijcies cum *Barboſa hic nu. 15.* probando, quod per adiectionem conditionis de præſenti vitietur actus legitimus contra ea, quæ ſuperius dicta ſunt. Obijcies, inquam, tali pacto: Si quis adeat hæreditatem ſub hac conditione de præſenti, nempè, ſi ipſa hęreditas ſit ſoluendo, inualida erit additio, quia prędicta conditio, quamuis de præſenti, dubiã tamẽ & ſuſpenſam reddit aditionẽ, quod repugnat ſubſtantiæ actus legitimi, vt ſupra ex iure oſtenſum eſt.

9 Pro hac obiectione ipſemet Barboſa citat quemdam textum quaſi id aſſerentem *in L. qui heredi. §. de acquir. hered.* ego verò totum hunc titulum cum ſedulo reuoluiſſem, præfatam legem non adinueni. Quicquid tamen ſit de hac lege, reſpondeo primò directè cum eodem auctore ad obiectionem. Et primò aio, quod, licet conditio illa videatur primo aſpectu conditio de præſenti, reſoluitur tamen in conditionem de futuro, quæ repugnat actui legitimo; & in caſu poſito repugnat aditioni, quatenus non in ipſo aditionis actu, ſed futuro tempore conſtabit hæredi, num hæreditas ſit ſoluẽdo, nec ne: ideoque actus iſte legitimus ſuſpenſus remanet, donec conſtabit de viribus hæreditatis.

Reſpondeo ſecũdo cum eodem auctore per conditionem illam vitiari aditionem, quia repugnat naturæ ipſius aditionis; hæres enim per aditionem obligatur ex quaſi contractu ad ſoluẽda omnia eiuſdem hęreditatis debita; quapropter repugnat ſubſtantię aditionis hæreditatem adire ſub conditione, si ipſa ſit ſoluendo; ad hunc namque effectum fuit à iure hęredi conceſſum tempus ad deliberandum, an velit adire, nec ne *L. 1. C. de Iur. de liber.* & ideo debet hæres ante aditionem cogitare de viribus hęreditatis; alioqui, si illam adire velit, adeat ſanè ſine illa conditione, & conficiat inuentariũ, cuius beneficio vltrà vires hæreditarias minimè tenebitur. 10

Aduertendum hic eſt, quod conditio, quę actui tacitè ineſt, etiam ſi exprimatur, actum tamen non vitiat. ita *Decius in L. Actus est num. 8. Tiraquell. in L. ſi vnquam. verbo reuertatur. num. 295. C. de reuoc. donat. Alciat. in pareg. lib. 3. cap. 8.* & alij, quos laudat, & ſequitur *Barboſa hic num. 16.* idque habetur *in L. cum quid ff. de reb. cred. L. conditiones 98. ff. de condit. & demonſtr. & L. hæc verba de legat. 1.* idcircò, quamuis datio tutoris ſit actus legitimus, poterit nihilominus fieri ſub hac conditione, Si tutor ſatis dederit; talis enim conditio tacitè ineſt à iure, vtque habetur *in L. Muto. §. ſub conditione ff. de tutelis* potius eſt admonitio, quam conditio. Similiter beneficij collatio fieri poteſt ſub conditione, Si vacat: & hoc quia conditio hæc eſt intrinſeca, & à iure *cap. 2. de conceſſ. præbend.* & expreſſe id docet, & explicat *Gloſſa in cap. 2. de elect. in 6. verſ. incerta, circa medium. Couarr. lib. 3. var. cap. 16.* 11 12

Digitized by Google

16. *num.* 2. Neque obſtat textus *in dicto cap. ſecundo* vbi dicitur, quod electio ſub conditione vitietur, non obſtat, in-
13 quam, quia non vitiatur electio per conditionis adiectionem ex eo, quod ſit actus legitimus, ſed quia in his electionibus ſuffragia electorum debent eſſe pura, & certa: hæc autem certitudo deficit, ſi apponatur conditio etiam de præſenti. ita *Mayner. in L. Actus num.* 28. *& Barboſa hic num.* 18. *in fine*. Præterea neque obſtabit, quod conditio tacita reſpiciens futurum verè ſuſpendat, & conſequenter quoad hunc effectum ſit conditio ſuſpen
14 ſiua, vt colligitur *ex L. item quia. ff. de pactis, & L. interdum ff. de verb. oblig.* hæc enim inſtantia facilè ſoluitur, diſtinguendo duplicem tacitę conditionis ſpeciem; vna videlicet eſt illa, quæ oritur ex ipſamet actus natura. V.g. Si teſtator ita dicat legatum inſtituens. Lego Titio partum ex mea ancilla naſciturū, vel fructus, qui ex meo fundo producentur; conditio enim hæc tacita ineſt ex natura rei L. 1. *verſus fin. ff. de cond. & demonſtr. Gloſſa ibi verbo conditio*. certum namq; eſt legatum prædictum obtineri non poſſe, niſi partus, & fructuum productio ſequatur: ideoque, etiam ſi conditio expreſsè adijciatur, legatum non vitiabitur, quia adijcitur conditio eo modo, quo ineſt, & expreſſio illius, quod tacitè ineſt nihil operatur, vt ſuprà oſtendi. Altera
15 verò conditionis ſpecies oritur non ex natura rei, ſeu ex natura ipſius actus, ſed ex placito diſponentis, de qua conſtat in *L. ſi legatum ff. de adim legat. & in d. L. actus verſ nonnunquam*. vt autem hoc clarius intelligatur pono ſequens exemplum.

Sortes debebat centum Titio ſub conditione, ſi nauis ex Aſia venerit, quod quidem debitum Titius poſtea eidem Sorti per acceptilationem remiſit: certè huic remiſſioni tacitè ineſt illamet eadē conditio, nempè, ſi nauis ex Aſia venerit; & hoc, quia remiſſio quoad effectum, ſeu quoad executionem fertur in illud idem tempus, in quo cedit dies debiti. Quęrunt igitur in hoc caſu auctores, an talis remiſſio, ſeu acceptilatio, quę eſt actus legitimus, non obſtante prædicta tacita conditione, ſuſtineatur; & reſoluunt ſuſtineri. Oppoſitum verò, docent, ſi tacita hęc conditio exprimatur; tunc enim acceptilatio, tāquam actus legitimus vitiaretur, & nullius eſſet momenti: idque aſſerunt ex eo, quod pręfata conditio nō ineſt ex natura rei, ſed ex voluntate diſponentis. Quod ſimiliter affirmant in alijs caſibus, qui huiuſmodi conditionē habent non ex natura actus, ſed extrinſecè, & ex diſponentis placito inhęrentem.

Cęterum poſſet quis rationem inquirere, cur actus legitimus non ſuſtineatur, vt validus, ſi eadem extrinſeca conditio exprimatur, quę tacitè ineſt ex voluntate diſponentis? cum iuxtà iuris vulgatū axioma idem ſit iudicium taciti, & expreſſi *L. cum quid L. ſi filius fam. ff. ſi certum petatur. L. vltima, ff. de leg. 2. & alibi*. Rurſus eſſet aſſignanda ratio diſcriminis, quare conditio prioris generis, nempè illa, quæ ex natura rei ineſt actui, etiam ſi exprimatur, non vitiet actum, vitiet tamen expreſſio conditionis poſterioris generis, quæ ab extrinſeco adijcitur?

Vt his quæſitis ſatisfaciam, ſuppono 16
doctrinam communiter receptam, nimirum actus legitimos eſſe eos, qui à iure formam recipiunt, ſub qua fieri debent, ita vt forma hæc non alteretur. Hoc præſuppoſito reſpondeo ad quæſita. & ad primum dico, quod per tacitam conditionem forma actus legitimi non immutatur, ſed manet eadem iuxtà eum modum, quo à iure fuit præſcripta; ideoque nihil ipſi nocet conditio tacita, quę tamē noceret, ſi exprimeretur, quia mutaretur forma legalis actui debita, & requiſita à *d. L. Actus legitimi. ver. nōnunquā*. vt ex Baldo aſſerit *Decius ibidem num.* 8. Ad illud autem axioma, per quod dicitur, idem eſſe iudicium taciti, & expreſſi, reſpondeo hoc in multis limitari, & inter varias limitationes eam facere ad rē
noſtram, per quam dicitur, quod, quando 17
agitur de irritando actu, plus operatur expreſſum, quàm tacitum. ita *Alex. conſ.* 59. *nu.* 15. *lib.* 3. *Tuſc. lit. T. concl.* 7. *num.* 35. 36. & alij relati à *Barboſa axiom.* 218. *num.* 4. In caſu autem noſtro agitur de inualidando actum legitimum per conditionis expreſſionem, proindè non debet idem eſſe taciti, expreſſique iudicium.

Ad ſecundum dico, diſcrimē eſſe inter 18
vtramque conditionis genus; quia, quādo conditio eſt intrinſeca, & inſeparabilis ab actu, tunc forma iuris fertur in actum iuxta qualitates, quibus ipſe actus eſt neceſſario affectus, ideoque talis conditio, ſiue exprimatur, ſiue non exprima-

tur,

Digitized by Google

tur formam legalem non immutat ea mutatione, quæ repugnet actui legitimo: & licet vi expreſſionis aliquod diuerſum habeatur in forma, quod nõ habetur deficiente expreſſione, & vt ſic videatur forma mutari, nihilominus talis mutatio non eſt extra inſtitutionem iuris præſcribentis qualitatem huius formæ per ordinem ad ipſius actus intrinſeca: quod tamē non ita eſt in conditione prouenięte ab extrinſeco, quæ, ſi exprimatur, mutat formam mutatione, quæ à iure non eſt intenta, imo eſt repugnans legis inſtitutioni: & ſic patet ratio diſcriminis inter vtrumque caſum.

19 Ex his, quæ dicta ſunt de conditionum natura, earumque effectibus in ordine ad ſuſpendendam, vel non ſuſpendendam diſpoſitionem, colligunt auctores, nõ eſſe eamdem rationem de modo, qui, cum diſpoſitionem nequaquam ſuſpendat L. *Cũ ab eo ff. de contrab. empt.* vbi *Bartol & Barboſa hic nu.* 13. ſi actui legitimo adijciatur, illum non vitiabit.

20 Sed obijcies. Conditio, & modus æquiparantur, vt habetur *ex L. prima. C. de his, quæ ſub modo, &c.* ergo ſi conditio adiecta vitiat actum, ita etiam modus.

21 Reſpondeo primo *ex Gloſſa in d. L.* 1. *verbo pro conditione,* vbi declarat, in quo conditio, & modus conueniant, & in quo differant: & ait, conuenire, ſi exitus ſpectetur, quatenus tam ille, qui conditionē non ſeruat, quàm ille, qui non ſeruat modum, non conſequitur relictum: differre autem, ſi ſpectetur principium, in quantum in conditione non datur actio, niſi conditio extet; ſecus in modo, in quo actio datur, cautione tamen adhibita de modo ipſo adimplendo: & ex hac reſponſione, quam tradit Gloſſa, patet ſolutio ad argumentum, videlicet, conditionem, & modum non in omnibus æquiparari; idcircò, licet conditio ſuſpendens diſpoſitionem actus legitimi illum vitiet, modus tamen non ſuſpendens illum non vitiabit.

22 Reſpondeo ſecundo ex *Tiraquello de Retract. lignag. §. 1. Gloſ. 2. num.* 34. conditionem, & modum conuenire quoad neceſſitatem, & in illa æquiparari; differre vero, & non æquiparari quoad ſuſpenſionem diſpoſitionis, ſeu actus. Vtraque ſolutio eſt admittenda, & in idem tendit: proinde ad argumentum neganda eſt conſequentia.

23 Supereſt, vt pro terminorum declaratione, qui in hac regula continentur, aliquid explicetur de die, quem etiam non recipit actus legitimus. Dico igitur, diei appellatione hîc venire tum naturalem, qui eſt ab ortu ſolis vſque ad occaſum, tũ etiã ciuilē, qui eſt à media nocte vſque ad ſequentem mediam noctem *L. More ff. de ferijs*, licet aliqui diuerſo modo diſcurrant de die ciuili, ſeu artificiali, de quo vide *Alciat. in L. 2. de verb. ſignif. & Accurſiũ in dicta L. More*. Sed quidquid ſit de hac re, in præſenti tamen, & quantũ ad intelligentiam huius regulę ſpectat, dicendũ eſt, nomine diei venire determinatum temporis progreſſum continuum ſpatio viginti quatuor horarum comprehēſum. Hoc poſito, aio, quod, ſi per adiectionem diei actus ſuſpēdatur, tunc ipſe actus ſuſpenſionem non recipiens vitiaretur. Vt autem tollatur æquiuocatio, notandum eſt ex doctrina Gloſſæ *Inſt. de verb oblig. §. omnis ſtipulatio verb. in diem lit. M.* 24
hęc duo eſſe diuerſa, nempè ad diem, & in diem; nam per illud primum ſignificatur vſque ad talem diem durare obligationem. V.g. vſque ad Kalendas Septembris, eoque veniente ceſſare: at verò per ſecundum ſignificatur, nunc non incidere obligationem, ſed ſuſpenſam manere, vt ſi dicatur, promitto ſoluere centum initio anni ſequentis. Hic antē aduerte, quod idem eſt dicere ex die, ac in diem, vt loco cit. ait *Gloſſa*, quæ primo verbo, *in diem, lit K*, concedens, ſtipulationem fieri poſſe vtroque modo proponit dubium, ſcilicet ſtipulationem eſſe actum ciuilem, ſeu legitimum; ideoque non videri recipere neque diem, neque conditionem, cui tamen dubio reſpondet, hunc actum non computari inter illos caſus, qui enumerantur *in L. Actus*, quod idem eſt ac dice- 25
re, Regulam fallere in hoc caſu.

His omnibus pro terminorum declaratione præmiſſis deuenio ad oſtendēdũ: quo pacto, conditio adiecta actibus legitimis illos vitiet, & inualidos reddat, quod principaliter in hoc capite inquiritur, quod quidem efficiam percurrēdo caſus in *d. L. Actus* enumeratos ſequendo *Alciati* doctrinam, quam ſatis eruditè tradit *in parerg. lib. 3. cap. 4.* Exordior 26
igitur ab emancipatione, quæ eſt actus ita à lege inſtitutus, vt ſtatim executionē habeat, nempe vt illicò filius intelligatur liber à patria poteſtate, ideoq; ſuſpenſio in eo actu dari nequit, quia vel filius per emancipationē conditionalē fieret liber,

Digitized by Google

ber à patria poteſtate, vel non; ſi primum, iam eſſet emancipatus; ſi ſecundum, vtique ſequeretur, quod adhuc eſſet ſub patria poteſtate: cum igitur emãcipatio ſit talis actus, vt in executione conſiſtat, non poterit neque diem, neque conditionem recipere.

27 Secundo. Acceptilatio eſt actus legitimus: de qua idem *Alciatus cap.* 5. docet, quod, cum ſita ſit in ficta quadam numeratione, & receptione pecuniæ per actualem remiſſionem debiti à creditore debitori factam, neceſſariò poſtulare videtur, vt non ſit capax ſuſpenſionis.

28 Tertio. Hæreditatis aditio eſt quoque *actus* legitimus, quia, vt ait *Alciatus cap.* 6. eiſdem nititur rationibus. Itemque addit optimè auctor iſte, quòd à die, quo quis hæreditatem adit, ex *legis* diſpoſitione repræſentat perſonam defuncti, quã tamen nequit repræſentare, ſi aditio fiat in diem, vel ſub conditione, quia ſuſpẽſa aditione, ſuſpenſa etiam manebit repræſentatio, quæ in ipſa aditione fũdatur. Neque obſtat, quod inſtitutio hæredis fieri poſſit ſub cõditione, vt expreſsè habetur §. *hæres. inſt. de hæred. instituendis* & conſequenter à pari poſſet etiam ſub cõditione fieri hæreditatis aditio, quia reſpondetur ex eodem *Alciato dicto cap* 6. cuius ſolutionem amplectitur *PecKius*, diuerſam eſſe rationem de hæredis inſtitutione, & de aditione hæreditatis; nam per inſtitutionem hæredis nulla inducitur defũcti repreſentatio, ſecus verò per aditionẽ, per quam ius illud omne, quod priuserat tantũ in ſpe, ſtatim actu fit acquiſitum eo modo, quo erat in defuncto.

29 Quartò, inter actus legitimos recẽſetur optio ſerui, ſeu cuiuslibet alterius rei, vt dicitur in *§. optionis legatum. inſt. de legatis*, quæ quidem optio conditionem non admittit, quamuis illam admittat legatũ optionis, vt *cap.* 7. animaduertit *Alciatus* dicens, valere hoc legatum quo v. g. quis dixerit. *Lego* tibi ex familia mea ſeruum, quẽ elegeris, ſi nauis ex Aſia venerit. Cęterum non loquimur hic de legato, ſed de executione legati, nẽpè de ipſa electione. Quare autem actualis electio incapax ſit conditionis, varia aſſeruerunt auctores, quos loco cit. refert *Alciatus*, qui tandẽ ſuam explicans ſententiam inquit, quædã verba talia eſſe, vt ab ipſo facto, ſeu ab executione nomen deſumant, cuiuſmodi eſt optio, ſeu electio: ex quo fit, vt ſimilia non recipiant diem, neque conditionẽ, quia per diei, vel conditionis adiectionẽ daretur electionis ſuſpenſio, nec actualis electio ſequeretur, vt rei natura poſtulat, & conſequenter propriũ nomẽ amitteret.

Quintò, & vltimo pono tanquam actũ legitimum dationem tutoris, quæ diei, & conditionis capax non eſt, vt rectè oſtẽdit idem *Alciatus cap* 8. vbi ait, tutelam eſſe actum inductum à lege duodecim tabularum, per quem actum lex vim, & poteſtatem in pupillum alteri conceſsit; eaque poteſtas confeſtim in tutorem transfertur, & in ſuſpenſo eſſe non poteſt. Aduertendum tamen hic eſt diſcrimen inter tutelam teſtamentariam, & tutelam datiuam, ſeu quæ à Iudice datur: illa enim ſub conditione dari poteſt; hæc verò minimè *L. Si quis ff. de teſtam tutel.* 30

ratio autem differentiæ eſt, quia in tutela teſtamentaria pendente conditione Iudex pro tempore, quo pendet conditio deſignare poteſt alium tutorem, ne pupilli bona iacturam patiantur; at verò in tutela datiua, ſi Iudex conditionatè tutorem daret, tunc conditione, vel die pendente pupillus tutore careret, damnumque interea pateretur. 31

Hæc & plura alia legi poſſunt in Alciato locis citatis, ex quibus manifeſtè patet quæſiti principalis deciſio, nẽpè, quo pacto per cõditionis, aut diei adiectionem actus legitimi vitiẽtur, quod erat præcipuè oſtẽdendũ.

CAPVT III.

An Sacramenta noui teſtamẽti, & eccleſiaſtica cenſuræ ſint actus legitimi ſuſpenſiuam conditionẽ non admittẽtes?

DE Sacramentis nouæ legis ſermo inſtituitur, quæ in rebus, & verbis conſiſtunt, vt definitur in Concilio Florẽtino in decreto *Eugenij*; & ideo locutio nõ eſt de Sacramẽtis antiquæ legis, quæ non cõſtabant ex verbis, & rebus determinatis. Hoc præſuppoſito initium ſumo a *Sacra*mentis diſcurrendo per ſingula. 32

33 Dico igitur primo, ſi excipiatur Sacramentũ matrimonij, de quo eſſe poteſt aliqua difficultas, quę inferius examinabitur, reliqua ſacramenta eſſe actus legitimos ſuſpenſiuæ cõditionis incapaces. Eſt cõmunis ſententia, quæ ſequẽti argumẽto fiet manifeſta. Actus illi cẽſentur legitimi, & conditionem ſuſpenſiuam non admittunt, qui certam à lege habent verborum formam; ſed omnia nouæ legis ſacramẽta, matrimonio excepto, de quo infra, ita

REGVLA LI.

Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum.

1 ADmonemur per hanc regulam, ne res diuino cultui dicatas in profanos vſus conuertamus, ſiue id fiat per vẽditionem, aut permutationem, ſiue per donationem, aut per quemcumque aliũ modum; prohibetur enim hoc non ſolum vi huius regulæ, ſed etiam aliorum iuriũ, nempè *cap. qua ſemel. cap. quoniam 19. quæſt. 3.* & expreſſius *cap. ligna. cap veſtimenta. de conſecr. diſt.* 1. & alibi; talis enim conuerſio magnam inuoluit irreuerentiam, & opponitur virtuti Religionis; ideoque grauis eſt culpa, quam Deus manifeſtis, & ſenſibilibus pœnis mulctare ſolet; plura enim de hac re leguntur exempla in ſacris litteris. Vt autem præſentis regulę diſpoſitio rectè intelligatur, agendum eſt tum de rebus ipſis diuino cultui in ſpecie applicatis, tum de prohibito earumdem vſu, declarando modum, quo id poſſit contingere.

CAPVT I.

Nonnulli explanantur caſus, qui ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenduntur.

2 EX varijs exemplis, quæ à Gloſsa hìc, & ab alijs ſcribentibus proponuntur præcipua ſeligam, eaque breuiter examinabo. Antequam verò ad hoc deueniam, animaduerto, quod Regula hæc licèt primario, & potiſſimè intelligi debeat de rebus inanimatis, poterit tamen extendi ad perſonas ſpecialiter Deo conſecratas. Quo autem pacto id accidat ſequenti capite aperiam. His præhabitis vniuerſalem ſtatuo concluſionẽ, nempè ſub hac regula contineri tum res immediatè conſecratas, tum etiam non ſacras quod ex ſequentibus caſibus, quos ego ex hoc vniuerſali principio inferam, melius patebit.

3 Primò itaque colligitur, quod, ſi aliqua Eccleſia ob vetuſtatẽ ſit fere conſumpta, tunc ligna, quibus eiuſdem Eccleſiæ tectum conſtructum erat, nequeunt conuerti in vſus profanos, ſeu in laicorum commodum. ita expreſsè ſtatuitur *in d. cap. ligna*, idque docent communiter Auctores. *Dynus hìc initio. PetKius num. 3. Azor. inſt. moral. p. 2. lib. 9. cap. 3. quæſt. 11. Barboſa de iure eccleſ. lib. 2. cap. 4. num. 74. Streinius hìc* & alij. ratio autem eſt eadem, quæ ex ipſomet iure deducitur, nempè, quod talia ligna, quæ partes erant Eccleſiæ, cenſentur etiam ipſa Deo dicata, veluti quid acceſſorium, vt pars in ordine ad totum corpus; proinde minimè erunt ad profanos vſus traducẽda. Vlterius in eodem cap. dicitur, quod prædicta ligna debeant applicari, vel ad aliam Eccleſiam ædificandam, vel ad profectum religioſorũ, videlicet ad monaſterium conſtruendum, quod explicant, & extendunt Doctores ad fabricandum Capitulum, Dormitorium, vel alium locũ religioſum in Fratrum vtilitatem. Gloſſa tamen limitat, aſſerens, hoc nõ eſſe quomodocumque, ſeu indifferenter intelligendum, quia profectus iſte non debet eſſe in extruenda coquina, vel in vineis paſtinandis; cui tamen limitationi ego tantum adhæreo quoad vinearum paſtinationem, quoniam id, quod ex tali vinearum cultura reſultat non eſt quid ſacrum, neque pars alicuius corporis Deo dicati, cum vinea nullo modo ſoleat inter res ſacras, vel loca pia numerari; proinde meritò ab eadem Gloſſa in re noſtra excluditur vinearum paſtinatio, ſicuti etiam rectè excluduntur *à Turrecremata in dicto cap. ligna.* quædam alia loca, nempè ſtabulum, & latrina, idque, vt reor, ob indecentiam, quæ ſequeretur. Veruntamen loquendo de coquina non eadem mihi ratio videtur, quia ſicuti auctores citati admittunt, ligna Eccleſię deſeruire poſſe ad conſtruendum dormitorium religioſorum, ita videtur ab eiſdem concedendum eſſe, nullam indecentiam contineri, ſi ligna hæc applicentur ad fabricandum refectorium coquinam, &c. ſufficientem ego diſparitatem non percipio; indignitas enim, ſeu loci vilitas reſultat ex actionibus, ad quas loca ipſa ſint ordinata; ideoque, ſicuti quies nocturna, & ſopor non reddit locum deputatum ad has actiones adeo humilem, & abiectum, vt ligna, quæ erant pars Eccleſiæ deſeruire nequeant fabricæ dormitorij; ita à pari comeſtio, & epularum, ciborumque preparatio non debent humiliores, abiectioreſque actiones exiſtimari, quàm ſit dormitio. Quapropter, ſi conceditur, quod ligna Eccleſiæ applicari poſſint fabricæ dormitorij, non video, cur nequeãt refectorio, & popinæ applicari

Quæ

4 Quę de lignis dicta ſunt intelligi etiã debent de cæmentis, ſeu lapidibus Eccleſiæ, cum eadem ſit ratio. Animaduerto tamen *ex dicto cap. ligna*, & ex auctoribus citatis, quod, ſi ligna ſint ita corroſa, & inutilia, vt nequeant deſeruire, tunc debent comburi; additque hic *PecKius num.* 4. *& Streinius loc. cit.* quod, ſi fuerint ita ſolida, vt igne non facilè pereant, confringenda ſunt, & comminuenda; pulueres verò in cauernis parietum, ſiuè alibi debere recondi, ne conculcentur *Cap. altaris palla. ead. diſtinct.*

5 *S*ecũdo colligitur, quod, ſi ex caſula benedicta, vel alio Eccleſiæ ornamento, ſeu veſtiméto ob vetuſtaté cõſumptis aliqua ſuperſint fragméta, nequeũt ex ijs aliqua fieri ad vſus profanos. hinc Gloſſa, quæ caſum hunc proponit *verſ. item poteſt.* quærens, an ex his fragmentis licitum ſit facere burſas ad vſus hominum, reſpondet negatiuè, idque etiam dicunt alij auctores: & ratio eſt, quia ex quo ſemel fragmenta illa fuerunt Deo dicata, non debet ex illis fieri aliquid ad vſum priuatorum hominum *cap. veſtimenta. ead. diſt.*

6 Tertio colligitur, quòd ſi aliquod vas argenteum, (V. g. calix) quod eſt ſub alterius dominio, ante conſecrationem caſu deueniat ad manus *E*piſcopi, iſque ex varijs circumſtantijs, & ex modo, quo ad ipſum fuit delatũ, moraliter, prudenterque arbitretur, non eſſe conſecratum, illudque propterea conſecret, ſi poſtea talis vaſis dominus reperiatur, non eſt illi reſtituendum, vt hic aſſerit *Gloſſa verſ. pone caſum*, *& Streinius num.* 3. ſed ſolum pretium eſt eidem domino ſoluendum; quod idẽ ſentit *PecKius ampl.* 6. quoad ſubſtantiam, licet caſum ſub alia forma proponat. Id tamen aiunt auctores, non procedere, quãdo calix, ſeu aliud vas eſſet alterius Eccleſiæ; tunc enim eſt abſolutè reſtituendum, vt limitat idem *PecKius ibidem.*

7 Cæterum quod à laudatis auctoribus abſolute ſtatuitur, videlicet, non eſſe calicem reſtituendum, ſed illius pretium, difficultatem mihi ingerit, quia, etiam ſi dominus illius calicis, vel alterius vaſis ſit laicus, ſi tamen velit illud repetere, vt deſeruiat ſacrificio Miſſæ celebrando in alia Eccleſia, vel in ſuo priuato Oratorio, vel intendat illud ponere pro Eccleſiæ, ſeu ſacelli ornamento, ſiue alteri ſacro miniſterio addicere, tunc nõ video, qua ratione illi tale vas reſtitui non debeat, itaut ipſe dominus cogatur pretium, & non rem ipſam recipere. Hoc autem probari poteſt ex eo quod, quamuis vas ſit Deo dicatũ, nihilominus ita reſtituitur, vt permaneat adhùc Deo dicatum; proindè prędictorum Auctorum ſententiam cenſeo cum diſtinctione admittendam, nempe, ſi dominus illud velit repetere, vt profanis vſibus deſeruiat; tunc enim pretium, non autem vas recuperare poteſt; at ſi illud repetere velit in ordine ad vſus pios, tunc exiſtimo, eſſe illi vas ipſum abſolutè reſtituendum.

Hæc, & ſimilia decidi poſſunt ex huius regulæ diſpoſitione quoad res inanimatas: ſupereſt nunc, vt aliqua dicamus de perſonis.

CAPVT II.

An Regula prædicta comprehendat perſonas Deo dicatas?

ALiqua hic ſunt examinanda de rebus animatis capacibus conſecrationis, prout ſunt homines: & licet nonnulli ſentiant, pręſentem regulam locum non habere, niſi in rebus tantum inanimatis, vt docet *Campanili in diuerſ. iur. can. rubr.* 11. *cap.* 8. *nu.* 11. & apud eumdem *Goffredus in ſumma de ſeruis non ordinand.* & id ipſum videatur aſſerere *Gloſſa fin. in cap. frequens diſt.* 54. *& Barboſa hic*; nihilominus, quia ea, quæ de inanimis dicuntur, ob aliquã proportionẽ hominibus quoque poſſunt cõuenire, nec auctores deſunt de perſonis pariter regulam intelligentes, vt aſſerit *Peckius hic num.* 2. idcirco extra inſtitutum minimè erit, nonnulla de perſonis quodammodo Deo dicatis expendere.

Initium itaque à faciliorībus, minuſque controuerſis ſumens, dico primò, quòd ſerui, ſeu mancipia Eccleſiæ nequeunt cum mancipijs laicorum permutari, niſi libera remaneant, hoc tamen pacto, vt mancipium, quod pro mancipio Eccleſiæ datur, in Eccleſiæ ſeruitutem tráſeat; mancipium verò eccleſiaſticum libertate fruatur, ita *cap. Mancipia*, *& cap. Iniuſtum. de rer. permut.* vbi *Gloſſa & alij*. ratio autem ex hac regula deſumitur, quia talia mancipia ſunt Deo dicata. 8

Dico ſecundo, præcedentem concluſionem limitari in dicto *cap. iniuſtum*, & 9

eo,

Digitized by Google

REGVLA LI.

Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum.

1 ADmonemur per hanc regulam, ne res diuino cultui dicatas in profanos vſus conuertamus, ſiue id fiat per venditionem, aut permutationem, ſiue per donationem, aut per quemcumque aliũ modum; prohibetur enim hoc non ſolum vi huius regulæ, ſed etiam aliorum iuriũ, nempè *cap. quæ ſemel. cap. quoniam 19. quæſt. 3.* & expreſſius *cap. ligna. cap. veſtimenta. de conſecr. diſt. 1.* & alibi; talis enim conuerſio magnam inuoluit irreuerentiam, & opponitur virtuti Religionis; ideoque grauis eſt culpa, quam Deus manifeſtis, & ſenſibilibus pœnis mulctare ſolet; plura enim de hac re leguntur exempla in ſacris litteris. Vt autem præſentis regulę diſpoſitio rectè intelligatur, agendum eſt tum de rebus ipſis diuino cultui in ſpecie applicatis, tum de prohibito earumdem vſu, declarando modum, quo id poſſit contingere.

CAPVT I.

Nonnulli explanantur caſus, qui ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenduntur.

2 EX varijs exemplis, quæ à Gloſſa hic, & ab alijs ſcribentibus proponuntur præcipua ſeligam, eaque breuiter examinabo. Antequam verò ad hoc deueniam, animaduerto, quod Regula hæc licèt primario, & potiſſimè intelligi debeat de rebus inanimatis, poterit tamen extendi ad perſonas ſpecialiter *Deo* conſecratas; Quo autem pacto id accidat ſequenti capite apperiam. His præhabitis vniuerſalem itaque concluſionē, nempè ſub hac regula contineri tum res immediatè conſecratas, tum etiam non ſacras quod ex ſequentibus caſibus, quos ego ex hoc vniuerſali principio inferam, melius patebit.

3 Primò itaque colligitur, quod, ſi aliqua Eccleſia ob vetuſtatē ſit ferè conſumpta, tunc ligna, quibus eiuſdem *Eccleſiæ* tectum conſtructum erat, nequeunt conuerti in vſus profanos, ſeu in laicorum commodum. ita expreſsè ſtatuitur *in d. cap. ligna*, idque docent communiter Auctores, *Dynus hic initio. Peckius num. 3.* *Azor. inſt. moral. p. 2. lib. 9. cap. 3. quæſt. 11. Barboſa de iure eccleſ. lib. 2. cap. 4. num. 74. Streinius hic* & alij. 4 ratio autem eſt eadem, quæ ex ipſomet iure deducitur, nempè, quod talia ligna, quæ partes erant *Eccleſiæ*, cenſentur etiam ipſa Deo dicata, veluti quid acceſſorium, vt pars in ordine ad totum corpus; proinde minimè erunt ad profanos vſus traducēda. Vlterius in eodem cap. dicitur, quod prædicta ligna debeant applicari, vel ad aliam Eccleſiam ædificandam, vel ad profectum religioſorū, videlicet ad monaſterium conſtruendum, quod explicant, & extendunt Doctores ad fabricandum 5 Capitulum, Dormitorium, vel alium locū religioſum in Fratrum vtilitatem. Gloſſa tamen limitat, aſſerens, hoc nō eſſe quomodocumque, ſeu indifferenter intelligendum, quia profectus iſte non debet eſſe in extruenda coquina, vel in vineis paſtinandis: cui tamen limitationi ego tantum adhæreo quoad vinearum paſtinationem, quoniam id, quod ex tali vinearum cultura reſultat non eſt quid ſacrum, neque pars alicuius corporis Deo dicati, cum vinea nullo modo ſoleat inter res ſacras, vel loca pia numerari; 6 proinde meritò ab eadem Gloſſa in re noſtra excluditur vinearum paſtinatio, ſicuti etiam rectè excluduntur à *Turrecremata in dicto cap. ligna.* quædam alia loca, nempè ſtabulum, & latrina, idque, vt reor, ob indecentiam, quæ ſequeretur. Veruntamen loquendo de coquina non eadem mihi ratio videtur, quia ſicuti auctores citati admittunt, ligna Eccleſię deſeruire poſſe ad conſtruendum dormitorium religioſorum, ita videtur ab eiſdem concedendum eſſe, nullam indecentiam contineri, ſi ligna hæc applicentur ad fabricandum refectorium coquinam, &c. ſufficientem ego diſparitatem non percipio; indignitas enim, ſeu loci vilitas reſultat ex actionibus, ad quas loca ipſa ſint ordinata; ideoque, ſicuti quies nocturna, & ſopor non reddit locum deputatum ad has actiones adeo humilem, & abiectum, vt ligna, quæ erant pars Eccleſiæ deſeruire nequeant fabricæ dormitorij; ita à pari comeſtio, & epulatum, ciborumque præparatio non debent humiliores, abiectioreſque actiones exiſtimari, quam ſit dormitio. Quapropter, ſi concedatur, quod ligna *Eccleſiæ* applicari poſſint fabricæ dormitorij, non video, cur nequeat refectorio, & popinæ applicari

Digitized by Google

4 Quę de lignis dicta ſunt intelligi etiã debent de cæmentis, ſeu lapidibus Eccleſiæ, cum eadem ſit ratio. Animaduerto tamen *ex dicto cap. ligna*, & ex auctoribus citatis, quod, ſi ligna ſint ita corroſa, & inutilia, vt nequeant deſeruire, tunc debent comburi; additque hic *PecKius num. 4. & Streinius loc. cit.* quod, ſi fuerint ita ſolida, vt igne non facilè pereant, confringenda ſunt, & comminuenda; pulueres verò in cauernis parietum, ſiuè alibi debere recondi, ne conculcentur *Cap. altaris palla. ead. diſtinct.*

5 Secũdo colligitur, quod, ſi ex caſula benedicta, vel alio Eccleſiæ ornamento, ſeu veſtiméto ob vetuſtaté cõſumptis aliqua ſuperſint fragméta, nequeũt ex ijs aliqua fieri ad vſus profanos. hinc Gloſſa, quæ caſum hunc proponit *verſ. item poteſt.* quærens, an ex his fragmentis licitum ſit facere burſas ad vſus hominum, reſpondet negatiuè, idque etiam dicunt alij auctores: & ratio eſt, quia ex quo ſemel fragmenta illa fuerunt Deo dicata, non debet ex illis fieri aliquid ad vſum priuatorum hominum *cap. veſtimenta. ead. diſt.*

6 Tertio colligitur, quòd ſi aliquod vas argenteum, (V. g. calix) quod eſt ſub alterius dominio, ante conſecrationem caſu deueniat ad manus Epiſcopi, iſque ex varijs circumſtantijs, & ex modo, quo ad ipſum fuit delatũ, moraliter, prudenterque arbitretur, non eſſe conſecratum, illudque propterea conſecret, ſi poſtea talis vaſis dominus reperiatur, non eſt illi reſtituendum, vt hic aſſerit *Gloſſa verſ. pone caſum, & Streinius num. 3.* ſed ſolum pretium eſt eidem domino ſoluendum; quod idẽ ſentit *PecKius ampl. 6.* quoad ſubſtantiam, licet caſum ſub alia forma proponat. Id tamen aiunt auctores, non procedere, quãdo calix, ſeu aliud vas eſſet alterius Eccleſiæ; tunc enim eſt abſolutè reſtituendum, vt limitat idem *PecKius ibidem.*

7 Cæterum, quod à laudatis auctoribus abſolutè ſtatuitur, videlicet, non eſſe calicem reſtituendum, ſed illius pretium, difficultatem mihi ingerit, quia, etiam ſi dominus illius calicis, vel alterius vaſis ſit laicus, ſi tamen velit illud repetere, vt deſeruiat ſacrificio Miſſæ celebrando in alia Eccleſia, vel in ſuo priuato Oratorio, vel intendat illud ponere pro Eccleſiæ, ſeu ſacelli ornamento, ſiue alteri ſacro miniſterio addicere, tunc nõ video, qua ratione illi tale vas reſtitui non debeat, ita ut ipſe dominus cogatur pretium, & non rem ipſam recipere. Hoc autem probari poteſt ex eo quod, quamuis vas ſit Deo dicatũ, nihilominus ita reſtituitur, vt permaneat adhùc Deo dicatum; proindè prędictorum Auctorum ſententiam cenſeo cum diſtinctione admittendam, nempe, ſi dominus illud velit repetere, vt profanis vſibus deſeruiat; tunc enim pretium, non autem vas recuperare poteſt; at ſi illud repetere velit in ordine ad vſus pios, tunc exiſtimo, eſſe illi vas ipſum abſolutè reſtituendum.

Hæc, & ſimilia decidi poſſunt ex huius regulæ diſpoſitione quoad res inanimatas: ſupereſt nunc, vt aliqua dicamus de perſonis.

CAPVT II.

An Regula prædicta comprehendat perſonas Deo dicatas?

ALiqua hic ſunt examinanda de rebus animatis capacibus conſecrationis, prout ſunt homines: & licet nonnulli ſentiant, pręſentem regulam locum non habere, niſi in rebus tantum inanimatis, vt docet *Campanili in diuerſ. iur. can. rubr. 11. cap. 8. nu. 11.* & apud eumdem *Goffredus in ſumma de ſeruis non ordinand.* & id ipſum videatur aſſerere *Gloſſa fin. in cap. frequens diſt. 54. & Barboſa hic;* nihilominus, quia ea, quæ de inanimis dicuntur, ob aliquã proportionẽ hominibus quoque poſſunt cõuenire, nec auctores deſunt de perſonis pariter regulam intelligentes, vt aſſerit *Peckius hic num. 2.* idcirco extra inſtitutum minimè erit, nonnulla de perſonis quodammodo Deo dicatis expendere.

Initium itaque à facilioribus, minuſque controuerſis ſumens, dico primò, 8
quòd ſerui, ſeu mancipia Eccleſiæ nequeunt cum mancipijs laicorum permutari, niſi libera remaneant, hoc tamen pacto, vt mancipium, quod pro mancipio Eccleſiæ datur, in Eccleſiæ ſeruitutem trãſeat; mancipium verò eccleſiaſticum libertate fruatur, ita *cap. Mancipia, & cap. Iniuſtum, de rer. permut.* vbi *Gloſſa & alij*; ratio autem ex hac regula deſumitur, quia talia mancipia ſunt Deo dicata.

Dico ſecundo, præcedentem concluſi- 9
onem limitari in *dicto cap. iniuſtum,* &

vo,

Digitized by Google

REGVLA LI.

Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum.

1 ADmonemur per hanc regulam, ne res diuino cultui dicatas in profanos vſus conuertamus, ſiue id fiat per vẽditionem, aut permutationem, ſiue per donationem, aut per quemcumque aliũ modum; prohibetur enim hoc non ſolum vi huius regulæ, ſed etiam aliorum iuriũ, nempè *cap. quæ ſemel. cap. quoniam 19. quæſt. 3.* & expreſſius *cap. ligna. cap veſtimenta. de conſecr. diſt. 1.* & alibi; talis enim conuerſio magnam inuoluit irreuerentiam, & opponitur virtuti Religionis; ideoque grauis eſt culpa, quam Deus manifeſtis, & ſenſibilibus pœnis mulctare ſolet; plura enim de hac re leguntur exempla in ſacris litteris. Vt autem præſentis regulę diſpoſitio rectè intelligatur, agendum eſt tum de rebus ipſis diuino cultui in ſpecie applicatis, tum de prohibito earumdem vſu, declarando modum, quo id poſſit contingere.

CAPVT I.

Nonnulli explanantur caſus, qui ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenduntur.

2 EX varijs exemplis, quæ à Gloſſa hìc, & ab alijs ſcribentibus proponuntur præcipua ſeligam, eaque breuiter examinabo. Antequam verò ad hoc deueniam, animaduerto, quod Regula hæc licèt primario, & potiſſimè intelligi debeat de rebus inanimatis, poterit tamen extendi ad perſonas ſpecialiter Deo conſecratas. Quo autem pacto id accidat ſequenti capite aperiam. His præhabitis vniuerſalem statuo concluſionẽ, nempè ſub hac regula contineri tum res immediatè conſecratas, tum etiam non ſacras quod ex ſequentibus caſibus, quos ego ex hoc vniuerſali principio inferam, melius patebit.

3 Primò itaque colligitur, quod, ſi aliqua Eccleſia ob vetuſtatẽ ſit fere conſumpta, tunc ligna, quibus eiuſdem Eccleſiæ tectum conſtructum erat, nequeunt conuerti in vſus profanos, ſeu in laicorum commodum. ita expreſsè ſtatuitur *in d. cap. ligna*, idque docent communiter Auctores. *Dynus hìc initio. PecKius num. 3. Azor. inſt. moral. p. 2. lib. 9. cap. 3. quæſt. 11. Barboſa de iure eccleſ. lib. 2. cap. 4. num. 74. Streinius hìc* & alij. ratio autem eſt eadem, quæ ex ipſomet iure deducitur, nempè, quod talia ligna, quæ partes erant *Eccleſiæ*, cenſentur etiam ipſa Deo dicata, veluti quid acceſſorium, vt pars in ordine ad totum corpus; proinde minimè erunt ad profanos vſus traducẽda. Vlterius in eodem cap. dicitur, quod prædicta ligna debeant applicari, vel ad aliam Eccleſiam ædificandam, vel ad profectum religioſorũ, videlicet ad monaſterium conſtruendum, quod explicant, & extendunt Doctores ad fabricandum Capitulum, Dormitorium, vel alium locũ religioſum in Fratrum vtilitatem. Gloſſa tamen limitat, aſſerens, hoc nõ eſſe quomodocumque, ſeu indifferenter intelligendum, quia profectus iſte non debet eſſe in extruenda coquina, vel in vineis paſtinandis: cui tamen limitationi ego tantum adhæreo quoad vinearum paſtinationem, quoniam id, quod ex tali vinearum cultura reſultat non eſt quid ſacrum, neque pars alicuius corporis Deo dicati, cum vinea nullo modo ſoleat inter res ſacras, vel loca pia numerari; proinde meritò ab eadem Gloſſa in re noſtra excluditur vinearum paſtinatio, ſicuti etiam rectè excluduntur *à Turrecremata in dicto cap. ligna.* quædam alia loca, nempè ſtabulum, & latrina, idque, vt reor, ob indecentiam, quæ ſequeretur. Verumtamen loquendo de coquina non eadem mihi ratio videtur, quia ſicuti auctores citati admittunt, ligna Eccleſię deſeruire poſſe ad conſtruendum dormitorium religioſorum, ita videtur ab eiſdem concedendum eſſe, nullam indecentiam contingere, ſi ligna hæc applicentur ad fabricandum refectorium coquinam, &c. ſufficientem ego diſparitatem non percipio; indignitas enim, ſeu loci vilitas reſultat ex actionibus, ad quas loca ipſa ſint ordinata; ideoque, ſicuti quies nocturna, & ſopor non reddit locum deputatum ad has actiones adeo humilem, & abiectum, vt ligna, quæ erant pars Eccleſiæ deſeruire nequeant fabricæ dormitorij; ita à pari comeſtio, & epularum, ciborumque præparatio non debent humiliores, abiectoreſque actiones exiſtimari, quàm ſit dormitio. Quapropter, ſi conceditur, quod ligna *Eccleſiæ* applicari poſſint fabricæ dormitorij, non video, cur nequeãt refectorio, & popinæ applicari.

Quæ

Digitized by Google

4 Quæ de lignis dicta ſunt intelligi etiã debent de cæmentis, ſeu lapidibus Eccleſiæ, cum eadem ſit ratio. Animaduerto tamen *ex dicto cap. ligna*, & ex auctoribus citatis, quod, ſi ligna ſint ita corroſa, & inutilia, vt nequeant deſeruire, tunc debent comburi; additque hic *PecKius num.* 4. *&* *Streinius loc. cit.* quod, ſi fuerint ita ſolida, vt igne non facilè pereant, confringenda ſunt, & comminuenda; pulueres verò in cauernis parietum, ſiuè alibi debere recondi, ne conculcentur *Cap. altaris palla. ead. diſtinct.*

5 Secũdo colligitur, quod, ſi ex caſula benedicta, vel alio Eccleſiæ ornamento, ſeu veſtimẽto ob vetuſtatẽ cõſumptis aliqua ſuperſint fragmẽta, nequeũt ex ijs aliqua fieri ad vſus profanos. hinc Gloſſa, quæ caſum hunc proponit *verſ. item poteſt.* quærens, an ex his fragmentis licitum ſit facere burſas ad vſus hominum, reſpondet negatiuè, idque etiam dicunt alij auctores: & ratio eſt, quia ex quo ſemel fragmenta illa fuerunt Deo dicata, non debet ex illis fieri aliquid ad vſum priuatorum hominum *cap. veſtimenta. ead. diſt.*

6 Tertio colligitur, quòd ſi aliquod vas argenteum, (V. g. calix) quod eſt ſub alterius dominio, ante conſecrationem caſu deueniat ad manus Epiſcopi, iſque ex varijs circumſtantijs, & ex modo, quo ad ipſum fuit delatũ, moraliter, prudenterque arbitretur, non eſſe conſecratum, illudque propterea conſecret, ſi poſtea talis vaſis dominus reperiatur, non eſt illi reſtituendum, vt hic aſſerit *Gloſſa verſ. pone caſum, &* *Streinius num.* 3. ſed ſolum pretium eſt eidem domino ſoluendum: quod idẽ ſentit *PecKius ampl.* 6. quoad ſubſtantiam, licet caſum ſub alia forma proponat. Id tamen aiunt auctores, non procedere, quãdo calix, ſeu aliud vas eſſet alterius Eccleſiæ; tunc enim eſt abſolutè reſtituendum, vt limitat idem *PecKius ibidem.*

7 Cæterum, quod à laudatis auctoribus abſolute ſtatuitur, videlicet, non eſſe calicem reſtituendum, ſed illius pretium, difficultatem mihi ingerit, quia, etiam ſi dominus illius calicis, vel alterius vaſis ſit laicus, ſi tamen velit illud repetere, vt deſeruiat ſacrificio Miſſæ celebrando in alia Eccleſia, vel in ſuo priuato Oratorio, vel intendat illud ponere pro Eccleſiæ, ſeu ſacelli ornamento, ſiue alteri ſacro miniſterio addicere, tunc nõ video, qua ratione illi tale vas reſtitui non debeat, itaut ipſe dominus cogatur pretium, & non rem ipſam recipere. Hoc autem probari poteſt ex eo quod, quamuis vas ſit Deo dicatũ, nihilominus ita reſtituitur, vt permaneat adhùc Deo dicatum; proindè prædictorum Auctorum ſententiam cenſeo cum diſtinctione admittendam, nempe, ſi dominus illud velit repetere, vt profanis vſibus deſeruiat; tunc enim pretium, non autem vas recuperare poteſt; at ſi illud repetere velit in ordine ad vſus pios, tunc exiſtimo, eſſe illi vas ipſum abſolutè reſtituendum.

Hæc, & ſimilia decidi poſſunt ex huius regulæ diſpoſitione quoad res inanimatas: ſupereſt nunc, vt aliqua dicamus de perſonis.

CAPVT II.

An Regula prædicta comprehendat perſonas Deo dicatas?

ALiqua hic ſunt examinanda de rebus animatis capacibus conſecrationis, prout ſunt homines: & licet nonnulli ſentiant, præſentem regulam locum non habere, niſi in rebus tantum inanimatis, vt docet *Campanili in diuerſ. iur. can. rubr.* 11. *cap.* 8. *nu.* 11. & apud eumdem *Goffredus in ſumma de ſeruis non ordinand.* & id ipſum videatur aſſerere *Gloſſa fin. in cap. frequens diſt.* 54. *& Barboſa hic*; nihilominus, quia ea, quæ de inanimis dicuntur, ob aliquã proportionẽ hominibus quoque poſſunt cõuenire, nec auctores deſunt de perſonis pariter regulam intelligentes, vt aſſerit *Peckius hic num.* 2. idcirco extra inſtitutum minimè erit, nonnulla de perſonis quodammodo Deo dicatis expendere.

Initium itaque à facilioribus, minuſque controuerſis ſumens, dico primò, quòd ſerui, ſeu mancipia Eccleſiæ nequeunt cum mancipijs laicorum permutari, niſi libera remaneant, hoc tamen pacto, vt mancipium, quod pro mancipio Eccleſiæ datur, in Eccleſiæ ſeruitutem trãſeat; mancipium verò eccleſiaſticum libertate fruatur, ita *cap. Mancipia, & cap. Iniuſtum de rer. permut.* vbi *Gloſſa & alij*: ratio autem ex hac regula deſumitur, quia talia mancipia ſunt Deo dicata. 8

Dico ſecundo, præcedentem concluſionem limitari in *dicto cap. iniuſtum*, & 9

ab,

Digitized by Google

REGVLA LI.

Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum.

1 ADmonemur per hanc regulam, ne res diuino cultui dicatas in profanos vſus conuertamus, ſiue id fiat per vēditionem, aut permutationem, ſiue per donationem, aut per quemcumque aliū modum; prohibetur enim hoc non ſolum vi huius regulæ, ſed etiam aliorum iuriū, nempè *cap. quæ ſemel. cap. quoniam* 19. *quæſt.* 3. & expreſſius *cap. ligna. cap veſtimenta. de conſecr. diſt.* 1. & alibi; talis enim conuerſio magnam inuoluit irreuerentiam, & opponitur virtuti Religionis; ideoque grauis eſt culpa, quam Deus manifeſtis, & ſenſibilibus pœnis mulctare ſolet; plura enim de hac re leguntur exempla in ſacris litteris. Vt autem præſentis regulę diſpoſitio rectè intelligatur, agendum eſt tum de rebus ipſis diuino cultui in ſpecie applicatis, tum de prohibito earumdem vſu, declarando modum, quo id poſſit contingere.

CAPVT I.

Nonnulli explanantur caſus, qui ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenduntur.

2 EX varijs exemplis, quæ à Gloſſa hìc, & ab alijs ſcribentibus proponuntur præcipua ſeligam, eaque breuiter examinabo. Antequam verò ad hoc deueniam, animaduerto, quod Regula hæc licèt primario, & potiſſimè intelligi debeat de rebus inanimatis, poterit tamen extendi ad perſonas ſpecialiter *Deo* conſecratas; Quo autem pacto id accidat ſequenti capite aperiam. His præhabitis vniuerſalem ſtatuo concluſionē, nempè ſub hac regula contineri tum res immediatè conſecratas, tum etiam non ſacras quod ex ſequentibus caſibus, quos ego ex hoc vniuerſali principio inferam, melius patebit.

3 Primò itaque colligitur, quod, ſi aliqua Eccleſia ob vetuſtatē ſit ferè conſumpta, tunc ligna, quibus eiuſdem *Eccleſiæ* tectum conſtructum erat, nequeunt conuerti in vſus profanos, ſeu in laicorum commodum. ita expreſsè ſtatuitur *in d. cap. ligna*, idque docent communiter Auctores. *Dynus hìc initio. PecKius num.* 3. *Azor. inſt. moral. p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 11. *Barboſa de iure eccleſ. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 74. *Streinius hìc* & alij. ratio autem eſt eadem, quæ ex ipſomet iure deducitur, nempè, quod talia ligna, quæ partes erant *Eccleſiæ*, cenſentur etiam ipſa Deo dicata, veluti quid acceſſorium, vt pars in ordine ad totum corpus; proinde minimè erunt ad profanos vſus traducēda. Vlterius in eodem cap. dicitur, quod prædicta ligna debeant applicari, vel ad aliam Eccleſiam ædificandam, vel ad profectum religioſorū, videlicet ad monaſterium conſtruendum, quod explicant, & extendunt Doctores ad fabricandum Capitulum, Dormitorium, vel alium locū religioſum in Fratrum vtilitatem. Gloſſa tamen limitat, aſſerens, hoc nō eſſe quomodocumque, ſeu indifferenter intelligendum, quia profectus iſte non debet eſſe in extruenda coquina, vel in vineis paſtinandis: cui tamen limitationi ego tantum adhæreo quoad vinearum paſtinationem, quoniam id, quod ex tali vinearum cultura reſultat non eſt quid ſacrum, neque pars alicuius corporis Deo dicati, cum vinea nullo modo ſoleat inter res ſacras, vel loca pia numerari; proinde meritò ab eadem Gloſſa in re noſtra excluditur vinearum paſtinatio, ſicuti etiam rectè excluduntur *à Turrecremata in dicto cap. ligna.* quædam alia loca, nempè ſtabulum, & latrina, idque, vt reor, ob indecentiam, quæ ſequeretur. Verumtamen loquendo de coquina non eadem mihi ratio videtur, quia ſicuti auctores citati admittunt, ligna Eccleſię deſeruire poſſe ad conſtruendum dormitorium religioſorum, ita videtur ab eiſdem concedendum eſſe, nullam indecentiam contineri, ſi ligna hæc applicentur ad fabricandum refectorium coquinam, &c. ſufficientem ego diſparitatem non percipio; indignitas enim, ſeu loci vilitas reſultat ex actionibus, ad quas loca ipſa ſint ordinata; ideoque, ſicuti quies nocturna, & ſopor non reddit locum deputatum ad has actiones adeo humilem, & abiectum, vt ligna, quæ erant pars Eccleſiæ deſeruire nequeant fabricæ dormitorij; ita à pari comeſtio, & epularum, ciborumque præparatio non debent humiliores, abiectoreſque actiones exiſtimari, quàm ſit dormitio. Quapropter, ſi concedatur, quod ligna *Eccleſiæ* applicari poſſint fabricæ dormitorij, non video, cur nequeāt refectorio, & popinæ applicari.

Quæ

4 Quę de lignis dicta ſunt intelligi etiã debent de cæmentis, ſeu lapidibus Eccleſiæ, cum eadem ſit ratio. Animaduerto tamen *ex dicto cap. ligna*, & ex auctoribus citatis, quod, ſi ligna ſint ita corroſa, & inutilia, vt nequeant deſeruire, tunç debent comburi; additque hic *PecKius num. 4. & Streinius loc. cit.* quod, ſi fuerint ita ſolida, vt igne non facilè pereant, conſtringenda ſunt, & comminuenda; pulueres verò in cauernis parietum, ſiuè alibi debere recondi, ne conculcentur *Cap. altaris palla. ead. diſtinct.*

5 Secũdo colligitur, quod, ſi ex caſula benedicta, vel alio Eccleſiæ ornamento, ſeu veſtiméto ob vetuſtaté cõſumptis aliqua ſuperſint fragméta, nequeũt ex ijs aliqua fieri ad vſus profanos. hinc Gloſſa, quæ caſum hunc proponit *verſ. item poteſt.* quærens, an ex his fragmentis licitum ſit facere burſas ad vſus hominum, reſpondet negatiuè, idque etiam dicunt alij auctores: & ratio eſt, quia ex quo ſemel fragmenta illa fuerunt Deo dicata, non debet ex illis fieri aliquid ad vſum priuatorum hominum *cap. veſtimenta. ead. diſt.*

6 Tertio colligitur, quòd ſi aliquod vas argenteum, (V. g. calix) quod eſt ſub alterius dominio, ante conſecrationem caſu deueniat ad manus Epiſcopi, iſque ex varijs circumſtantijs, & ex modo, quo ad ipſum fuit delatũ, moraliter, prudenterque arbitretur, non eſſe conſecratum, illudque propterea conſecret, ſi poſtea talis vaſis dominus reperiatur, non eſt illi reſtituendum, vt hic aſſerit *Gloſſa verſ. pone caſum, & Streinius num. 3.* ſed ſolum pretium eſt eidem domino ſoluendum: quod idẽ ſentit *PecKius ampl. 6.* quoad ſubſtantiam; licet caſum ſub alia forma proponat. Id tamen aiunt auctores, non procedere, quãdo calix, ſeu aliud vas eſſet alterius Eccleſiæ; tunc enim eſt abſolutè reſtituendum, vt limitat idem *PecKius ibidem.*

7 Cæterum quod à laudatis auctoribus abſolute ſtatuitur, videlicet, non eſſe calicem reſtituendum, ſed illius pretium, difficultatem mihi ingerit, quia, etiam ſi dominus illius calicis, vel alterius vaſis ſit laicus, ſi tamen velit illud repetere, vt deſeruiat ſacrificio Miſſæ celebrando in alia Eccleſia, vel in ſuo priuato Oratorio, vel intendat illud ponere pro Eccleſiæ, ſeu ſacelli ornamento, ſiue alteri ſacro miniſterio addicere, tunc nõ video, qua ratione illi tale vas reſtitui non debeat, itaut ipſe dominus cogatur pretium, & non rem ipſam recipere. Hoc autem probari poteſt ex eo quod, quamuis vas ſit Deo dicatũ, nihilominus ita reſtituitur, vt permaneat adhùc Deo dicatum; proindè prędictorum Auctorum ſententiam cenſeo cum diſtinctione admittendam, nempe, ſi dominus illud velit repetere, vt profanis vſibus deſeruiat; tunc enim pretium, non autem vas recuperare poteſt; at ſi illud repetere velit in ordine ad vſus pios, tunc exiſtimo, eſſe illi vas ipſum abſolutè reſtituendum.

Hæc, & ſimilia decidi poſſunt ex huius regulæ diſpoſitione quoad res inanimatas: ſupereſt nunc, vt aliqua dicamus de perſonis.

CAPVT II.

An Regula prædicta comprehendat perſonas Deo dicatas?

ALiqua hic ſunt examinanda de rebus animatis capacibus conſecrationis, prout ſunt homines: & licet nonnulli ſentiant, prę́ſentem regulam locum non habere, niſi in rebus tantum inanimatis, vt docet *Campanili in diuerſ. iur. can. rubr. 10. cap. 8. nu. 11.* & apud eumdem *Goffredus in ſumma de ſeruis non ordinand.* & id ipſum videatur aſſerere *Gloſſa fin. in cap. frequens diſt. 54. & Barboſa hic*; nihilominus, quia ea, quæ de inanimis dicuntur, ob aliquã proportionẽ hominibus quoque poſſunt cõuenire, nec auctores deſunt de perſonis pariter regulam intelligentes, vt aſſerit *Peckius hic num. 2.* idcirco extra inſtitutum minimè erit, nonnulla de perſonis quodammodo Deo dicatis expendere.

8 Initium itaque à facilioribus, minuſque controuerſis ſumens, dico primò, quòd ſerui, ſeu mancipia Eccleſiæ nequeunt cum mancipijs laicorum permutari, niſi libera remaneant, hoc tamen pacto, vt mancipium, quod pro mancipio Eccleſiæ datur, in Eccleſiæ ſeruitutem trãſeat; mancipium verò eccleſiaſticum libertate fruatur, ita *cap. Mancipia, & cap. Iniuſtum, de rer. permut.* vbi *Gloſſa & alij.* ratio autem ex hac regula deſumitur, quia talia mancipia ſunt Deo dicata.

9 Dico ſecundo, præcedentem concluſionem limitari in *dicto cap. iniuſtum*, &

ab,

tur formam legalem non immutat ea mutatione, quę repugnet actui legitimo: & licet vi expreſſionis aliquod diuerſum habeatur in forma, quod nõ habetur deficiente expreſſione, & vt ſic videatur forma mutari, nihilominus talis mutatio non eſt extra inſtitutionem iuris præſcribentis qualitatem huius formæ per ordinem ad ipſius actus intrinſeca: quod tamẽ non ita eſt in conditione prouenięte ab extrinſeco, quæ, ſi exprimatur, mutat formam mutatione, quæ à iure non eſt intenta, imo eſt repugnans legis inſtitutioni: & ſic patet ratio diſcriminis inter vtrumque caſum.

19 Ex his, quæ dicta ſunt de conditionum natura, earumque effectibus in ordine ad ſuſpendendam, vel non ſuſpendendam diſpoſitionem, colligunt auctores, nõ eſſe eamdem rationem de modo, qui, cum diſpoſitionem nequaquam ſuſpendat *L. Cũ ab eo ff. de contrah. empt.* vbi *Bartol & Barboſa hic nu.* 13. ſi actui legitimo adijciatur, illum non vitiabit.

20 Sed obijcies. Conditio, & modus æquiparantur, vt habetur *ex L. prima. C. de hit, quæ ſub modo, &c.* ergo ſi conditio adiecta vitiat actum, ita etiam modus.

21 Reſpondeo primo *ex Gloſſa in d. L. 1. verbo pro conditione,* vbi declarat, in quo conditio, & modus conueniant, & in quo differant: & ait, conuenire, ſi exitus ſpectetur, quatenus tam ille, qui conditionẽ non ſeruat, quàm ille, qui non ſeruat modum, non conſequitur relictum: differre autem, ſi ſpectetur principium, in quantum in conditione non datur actio, niſi conditio extet; ſecus in modo, in quo actio datur, cautione tamen adhibita de modo ipſo adimplendo: & ex hac reſponſione, quam tradit Gloſſa, patet ſolutio ad argumentum, videlicet, conditionem, & modum non in omnibus æquiparari; idcircò, licet conditio ſuſpendens diſpoſitionem actus legitimi illum vitiet, modus tamen non ſuſpendens illum non vitiabit.

22 Reſpondeo ſecundo ex *Tiraquello de Retract. lignag. §. 1. Gloſ. 2. num.* 34. conditionem, & modum conuenire quoad neceſſitatem, & in illa æquiparari; differre vero, & non æquiparari quoad ſuſpenſionem diſpoſitionis, ſeu actus. Vtraque ſolutio eſt admittenda, & in idem tendit: proinde ad argumentum neganda eſt conſequentia.

23 Supereſt, vt pro terminorum declaratione, qui in hac regula continentur, aliquid explicetur de die, quem etiam non recipit actus legitimus. Dico igitur, diei appellatione hic venire tum naturalem, qui eſt ab ortu ſolis vſque ad occaſum, tũ etiã ciuilẽ, qui eſt à media nocte vſque ad ſequentem mediam noctem *L. More. ff. de ferijs*, licet aliqui diuerſo modo diſcurrant de die ciuili, ſeu artificiali, de quo vide *Alciat. in L. 2. de verb. ſignif. & Accurſiũ in dicta L. More.* Sed quidquid ſit de hac re, in præſenti tamen, & quantũ ad intelligentiam huius regulę ſpectat, dicendũ eſt, nomine diei venire determinatum temporis progreſſum continuum ſpatio viginti quatuor horarum comprehẽſum. Hoc poſito, aio, quod, ſi per adiectionem diei actus ſuſpẽdatur, tunc ipſe actus ſuſpenſionem non recipiens vitiaretur. Vt autem tollatur æquiuocatio, notandum eſt ex doctrina Gloſſæ *Inſt. de verb oblig. §. omnis ſtipulatio verb. in diem lit. M.* 24
hęc duo eſſe diuerſa, nempè ad diem, & in diem; nam per illud primum ſignificatur vſque ad talem diem durare obligationem. V.g. vſque ad Kalendas Septembris, eoque veniente ceſſare: at verò per ſecundum ſignificatur, nunc non incidere obligationem, ſed ſuſpenſam manere, vt ſi dicatur, promitto ſoluere centum initio anni ſequentis. Hic antẽ aduerte, quod idem eſt dicere ex die, ac in diem, vt loco cit. ait *Gloſſa*, quæ primo verbo, *in diem, lit K.* concedens, ſtipulationem fieri poſſe vtroque modo proponit dubium, ſcilicet ſtipulationem eſſe actum ciuilem, ſeu legitimum; ideoque non videri recipere neque diem, neque conditionem, cui tamen dubio reſpondet, hunc actum non computari inter illos caſus, qui enumerantur *in L. Actus*, quod idem eſt ac dicere, Regulam fallere in hoc caſu. 25

His omnibus pro terminorum declaratione pręmiſſis deuenio ad oſtendẽdũ: quo pacto, conditio adiecta actibus legitimis illos vitiet, & inualidos reddat, quod principaliter in hoc capite inquiritur, quod quidem efficiam percurrẽdo caſus in *d. L. Actus* enumeratos ſequendo *Alciati* doctrinam, quam ſatis eruditè tradit *in parerg. lib. 3. cap. 4.* Exordior igitur ab emancipatione, quæ eſt actus ita à lege inſtitutus, vt ſtatim executionẽ habeat, nempe vt illicò filius intelligatur liber à patria poteſtate, ideoq; ſuſpenſio in eo actu dari nequit, quia vel filius per emancipationẽ conditionalẽ fieret liber, 26

ber à patria poteſtate, vel non; ſi primum, iam eſſet emancipatus; ſi ſecundum, vtrique ſequeretur, quod adhuc eſſet ſub patria poteſtate: cum igitur emãcipatio ſit talis actus, vt in executione conſiſtat, non poterit neque diem, neque conditionem recipere.

27 Secundo. Acceptilatio eſt actus legitimus, de qua idem *Alciatus cap.* 5. docet, quod, cum ſita ſit in ficta quadam numeratione, & receptione pecuniæ per actualem remiſſionem debiti à creditore debitori factam, neceſſariò poſtulare videtur, vt non ſit capax ſuſpenſionis.

28 Tertio. Hereditatis aditio eſt quoque actus legitimus, quia, vt ait *Alciatus cap.* 6. eiſdem nititur rationibus. Itemque addit optimè auctor iſte, quòd à die, quo quis hæreditatem adit, ex legis diſpoſitione repræſentat perſonam defuncti, quã tamen nequit repræſentare, ſi aditio ſit in diem, vel ſub conditione, quia ſuſpẽſa aditione, ſuſpenſa etiam manebit repræſentatio, quæ in ipſa aditione fũdatur. Neque obſtat, quod inſtitutio hæredis fieri poſſit ſub cõditione, vt expreſsè habetur §. *hæres. inſt. de hæred. inſtituendis* & conſequenter à pari poſſet etiam ſub cõditione fieri hæreditatis aditio, quia reſpondetur ex eodem *Alciato dicto cap* 6. cuius ſolutionem amplectitur *PerKins*, diuerſam eſſe rationem de hæredis inſtitutione, & de aditione hæreditatis; nam per inſtitutionem hæredis nulla inducitur defuncti repræſentatio, ſecus verò per aditionẽ, per quam ius illud omne, quod prius erat rarũ in ſpe, ſtatim actu fit acquiſitum eo modo, quo erat in defuncto.

29 Quartò, inter actus legitimos recẽſetur optio ſerui, ſeu cuiuslibet alterius rei, vt dicitur in §. *optionis legatum. inſt. de legatis*. quæ quidem optio conditionem non admittit, quamuis illam admittat legatũ optionis, vt *cap.* 7. animaduertit *Alciatus* dicens, valere hoc legatum quo v. g. quis dixerit. Lego tibi ex familia mea ſeruum, quẽ elegeris, ſi nauis ex Aſia venerit. Cæterum non loquimur hic de legato, ſed de executione legati, nẽpe de ipſa electione. Quare autem actualis electio incapax ſit conditionis, varia aſſeruerunt auctores, quos loco cit. refert *Alciatus*, qui tandẽ ſuam explicans ſententiam inquit, quædã verba talia eſſe, vt ab ipſo facto, ſeu ab executione nomen deſumant, cuiuſmodi eſt optio, ſeu electio: ex quo fit, vt ſimilia non recipiant diem, neque conditionẽ, quia per diei, vel conditionis adiectionẽ daretur electionis ſuſpenſio, nec actualis electio ſequeretur, vt rei natura poſtulat, & conſequenter propriũ nomẽ amitteret.

Quintò, & vltimo pono tanquam actũ
legitimum dationem tutoris, quæ diei, & 30
conditionis capax non eſt, vt rectè oſtẽdit idem *Alciatus cap* 8. vbi ait, tutelam eſſe actum inductum à lege duodecim tabularum, per quem actum lex vim, & poteſtatem in pupillum alteri conceſsit; eaque poteſtas confeſtim in tutorem tranſfertur, & in ſuſpenſo eſſe non poteſt. Aduertendum tamen hic eſt diſcrimen inter tutelam teſtamentariam, & tutelam datiuam, ſeu quæ à Iudice datur: illa enim ſub conditione dari poteſt; hæc
verò minimè *L. Si quis ff. de teſtam tutel.*
ratio autem differentiæ eſt, quia in tute- 31
la teſtamentaria pendente conditione Iudex pro tempore, quo pendet conditio deſignare poteſt alium tutorem, ne pupilli bona iacturam patiantur; at verò in tutela datiua, ſi Iudex conditionatè tutorem daret, tunc conditione, vel die pendente pupillus tutore careret, damnumque interea pateretur.

Hæc & plura alia legi poſſunt in Alciato locis citatis, ex quibus manifeſtè patet quæſiti principalis deciſio, nẽpè, quo pacto per cõditionis, aut diei adiectionem actus legitimi vitiẽtur, quod erat præcipuè oſtẽdendũ.

CAPVT III.

An Sacramenta noui teſtamẽti, & eccleſiaſtica cenſura ſint actus legitimi ſuſpenſiuam conditionẽ non admittẽtes?

DE Sacramentis nouæ legis ſermo in- 32
ſtituitur, quæ in rebus, & verbis conſiſtunt, vt definitur in Concilio Florẽtino in decreto Eugenij; & ideo locutio nõ eſt de Sacramẽtis antiquæ legis, quæ non cõſtabant ex verbis, & rebus determinatis. Hoc præſuppoſito initium ſumo à Sacramentis diſcurrendo per ſingula.

Dico igitur primo, ſi excipiatur Sacra- 33
mentũ matrimonij, de quo eſſe poteſt aliqua difficultas, quę inferius examinabitur, reliqua ſacramenta eſſe actus legitimos ſuſpenſiuæ cõditionis incapaces. Eſt cõmunis ſententia, quæ ſequẽti argumẽto fiet manifeſta. Actus illi cẽſentur legitimi, & conditionem ſuſpenſiuam non admittunt, qui certam à lege habent verborum formam; ſed omnia nouæ legis ſacramẽta, matrimonio excepto, de quo infra, ita

ſe habent: ergo, &c. Maior patet ex L. *Actus de reg. iur. & ex hac regula canonica* minor verò ſuadetur, quia materia & forma noſtrorum Sacramentorũ fuerunt à Chriſto Domino inſtituta, vt ex diuerſis ſacrę ſcripturę locis colligitur, qui à Theologis referuntur in tractatu de Sacramentis, idque à *Tridentino* decernitur loquente de Sacramentis in genere *ſeſſ. 7. cap. 1.*

Sed inſtabis hoc pacto, Sacramenta in multis caſibus poſſunt non conferre gratiam ſanctificantem, quæ eſt eorum primarius effectus, & hoc ob aliquod impedimentum ex parte recipientis, quem tamen effectũ poſtea habebunt remoto impedimẽto, ſeu obice, vt aſſerunt Theologi: ergo poſſunt ſuſpenſionem admittere.

34 Reſpondeo, ſuſpenſionem tantummodo inueniri in Sacramentis, quoad effectum gratiæ; certum enim eſt interdum eſſe valida Sacramẽta, ſed informia, quatenus aliquo poſito obice non cauſſant gratiam: negamus tamen ſuſpenſionem in eis reperiri poſſe quoad ipſorum valorem, ſeu ſubſtantiam: impoſſibile .n. eſt, Sacramentum in ſe manere ſuſpenſum. V. g. ſi quis accedat ad Baptiſmum in peccato mortali, & de illo non doleat, ſit tamen à miniſtro prolata forma abſolutus, tunc ſine dubio validum, & abſolutum erit in ſe Sacramentum, quamuis informe ob peccati impedimentum, in quantum gratiæ effectus ſtat in ſuſpenſo: quamuis enim gratia non detur pro illo tẽpore, quo Sacramentũ conficitur, dabitur nihilominus poſtea, nẽpè cũ iſte talis ſufficienter de peccato doluerit, dabiturque vi ipſius Sacramenti Baptiſmi. Idemque aſſero de alijs Sacramentis, quæ informia eſſe poſſunt.

35 Dico ſecundò. Sacramenta dari poſſũt ſub conditionẽ de præſenti, aut de præterito; hæ .n. conditiones non ſuſpendunt, vt capite præcedente oſtendimus: ideoq; non aduerſantur ſubſtantiæ actus legitimi V. g. ſi prudenter dubitetur, an Titius ſit baptizatus, debet nõ abſolutè, ſed ſub conditione baptizari, vt præcipitur in *cap. 2. de Baptiſmo* præmittendo verba, quæ in eodem capitulo præſcribũtur, videlicet, ſi baptizatus es non te baptizo, ſed ſi non dũ es baptizatus, ego te baptizo, &c. quod ſanè diſpoſitũ eſt, vt occurratur periculo reiterationis; eſſet enim graue peccatum eidem iterum conferre baptiſmum *cap. non licet 2. de conſecrat. diſt. 4.* & communiter Theologi: imò præter culpam plures cenſent, incurri pœnã irregularitatis, de qua re in tractatu de cenſuris agunt Doctores. Notat tamen Bonacina ex alijs, quos refert tract. de Baptiſmo *diſp. 2. pu 5 nu. 10.* non eſſe neceſſarium exprimere conditionem prędictam; ſed ſufficere eam ſolummodo in mente retinere, vt rectè etiam animaduertit *Suarez to. 2. in 3. p. diſp. 31. ſec. 6. in prinс.* Quod tamen procedit concurrẽte dubio; at verò, vt ibidem aſſerit idem 36
Suarez, ſi nulla ſe ſe offerat probabilis, & ſufficiens ratio dubitandi, an ille, cui Sacramentum confertur, ſit baptizatus nec ne, tunc nequit iterum baptizari, neque abſolutè, neque etiam ſub prædicta cõditione, itaut, ſi aliter faciat miniſter, grauiter peccabit, quia nihil proficit conditio, quando conſtat, quid re ipſa factum ſit, nec vllum adeſt probabile dubiũ. Eſt igitur hoc prudentum arbitrio in caſibus ſpecialibus hic, & nunc reſoluendum.

Similiter Sacramentum pœnitentiæ 37
poteſt conferri ſub cõditione de præſenti, aut de præterito, quando proportionata occurrit cauſſa; puta, ſi dubium ſit, an pœnitens vera peccata faſſus fuerit; tunc enim confeſſarius poterit eum abſoluere ſub hac, vel ſimili conditione, ſi vera habes peccata, eaque confeſſus es; ſi es viuus, &c. ego te abſoluo: quæ tamen conditio ſufficit, vt in mente ſolum ſit, nec exprimi neceſſe eſt, vti de Baptiſmo diximus. Ex his patet, nullã dari ſuſpenſionem per harũ conditionum adiectionem, quæ, cum ſint de præſenti, aut præterito, ſtatim validum erit Sacramentum, niſi aliud opponatur impedimentũ. Quod ſi res non ita ſe habet inualidum erit, nec in ſuſpenſo manere poteſt; non enim poteſt confeſſarius pœnitentem abſoluere ſub conditione de futuro dicens. v. g. ſi tu reſtituas, aut hoc, vel illud facias, &c. niſi tamen verba hæc addantur per modum exhortationis, ſeu admonitionis; non autem per modum veræ cõditionis, quia tunc non ſuſpenderent; nam talis admonitio ſubſtãtiæ Sacramẽti nõ repugnat, quod notat hic *Barboſa n 11.* Idẽq; aſſero de alijs Sacramentis excepto matrimonio, de quo in ſequẽti concluſione. 38

Dico tertio, Matrimonium, quatenus Sacramentum, nõ admittere conditionẽ de futuro ſuſpenſiuam, quamuis conſenſus, qui ſubſtantiam matrimonij ingreditur, talẽ conditionem recipiat, eſt contra

Bar-

Barboſam hic num. 8. aſſerentem, matrimonium propriam, & ſuſpenſiuam recipere conditionẽ. Concluſio tamen noſtra defenditur à nonnullis videlicet *à Soto in 4. diſt. 29. quæſt. 2. art. 1. ante ſecundam concluſionem verſ. Rurſus animaduertendum. à Couar. in 4. decret. p. 2. cap. 3. num. 3. & 4. Sanchez lib. 5. de matr. diſp. 1. num. 5.* Probatur concluſio quoad vtramque partem: & quoad priorem, nempè, quoad Sacramentum, eſt manifeſta, quia, quouſque pendet conditio, matrimonium non habetur; eſt enim actus legitimus ita à lege conſtitutus, vt ſtatim aliquem effectum purum aſſequatur, cui repugnat ſuſpenſio. Quoad poſteriorem verò partem, nempè, conſenſum capacẽ eſſe conditionis de futuro, ita probatur. Qui matrimonium contrahere intẽdunt, poſſunt nunc conſenſum præſtare, adimplendum tamen tali tempore, v. g. prima die proximi menſis, ſi hæc vel illa conditio verificabitur, nimirum, ſi placuerit parentibus ipſorum contrahentium, vel ſub aliqua alia conditione poſtea adimplenda: hic autem conſenſus, vt de ſe patet, eſt ſuſpenſus, nec ſtatim habet effectum, ſed habebit in futurum die, quo implebitur conditio; ergo conſenſus eſt capax conditionis de futuro. Hinc inferri poteſt aliquantulum exceſſiſſe *Barboſam* in modo loquendi, dũ loco citato inquit otioſam, ineptamque eſſe diſtinctionem à *Soto*, Couarruuia, & *Sanchez* allatam dicentibus, conſenſum, nõ verò matrimonium recipere conditionem: optima enim eſt prædictorum authorum diſtinctio, ſi rectè intelligatur; in nullo enim momento verificari poterit extare ſubſtãtiam matrimonij, ipſumque matrimonium in ſuſpenſo manere; contra verò conſenſus, licet quoad ſuam realitatem ſit in hoc inſtanti, dirigi poterit in futurum. Rurſus impoſſibile eſt, vt hæc duo ſimul eſſe verificentur, nempè, in hoc inſtanti eſt matrimonium, & in hoc eodem inſtanti eſt conditio ſuſpenſiua matrimonij; ſuſpenſio enim alicuius rei importat rem illam non eſſe: cæterum de conſenſu prædicta duo poſſunt verificari; non in hoc ſenſu, quaſi conditio ſuſpendat realitatem conſenſus eo momento, quo conſenſus eſt, hoc enim eſt impoſſibile; ſed in hoc alio ſenſu, ſcilicet, vt conſenſus, qui entitatiuè nunc exiſtit, non ſortiatur nunc ſuum effectum, ſed quouſque conditio, ſub qua fuit elicitus, impleatur.

Ratio autẽ, qua *Barboſa* putat, otioſam eſſe ſententiam *Sanchez*, & aliorum facilè ſoluitur; ait enim ipſe, quod in omnibus contractibus conditio ita actum ſuſpendit, ſicut conſenſum; & ille, qui cõditionem adijcit intendit per talem adiectionem vtrumque ſuſpendere, ſcilicet immediatè conſenſum, & conſequenter actum. hæc verò ratio diluitur, quia eſſentia contractus formaliter conſiſtit in ipſo conſenſu exterius ſignificato; ideoque, ſi ſuſpenditur, intelligitur ſuſpenſus contractus: ſed cum hoc ſtat, vt tunc inueniatur conſenſus quoad ſuam entitatẽ, conditionatus tamen quoad effectum modo explicato: at de matrimonio hoc aſſerere non poſſumus, quia matrimonij eſſentia ex diuina inſtitutione conſiſtit in conſenſu contrahentium non quocumque modo, ſed in conſenſu abſoluto, & perfecto; proindè, quamdiu non datur talis conſenſus actu complens cõtractũ, non habebitur *S*acramentum, quod fundatur in contractu perfectè completo; quapropter, dum conſenſus eſt conditionatus, erit imperfectus, & conſequenter non habebitur Sacramentum. 39

Dico quartò, cẽſuras eccleſiaſticas nõ eſſe propriè, & rigoroſè actus legitimos; quia non ſunt inſtitutæ, vt ſub certa, & determinata verborum forma ferantur; proinde admittere poſſunt conditionem ſuſpenſiuam, vel ferri in diem. ita *Barboſa hic n. 11. & in cap. Romana de ſent. excom. 6 nu. 3.* & probari poteſt ex praxi ordinaria, ſecundum quam excommunicatio ſub conditione ferri ſolet, quemadmodum ſuſpenſio, & interdictum *cap. præterea. de appell.* puta, *Niſi infra menſem ſatisfeceris te excommunicatum eſſe cognoſcas.* prout etiam eſt excommunicatio, quæ fertur contra eum, qui ſuadente diabolo manus violentas contra clericum, aut religioſum iniecerit *cap. ſi quis ſuadente 17. qu. 4.* idemque a de alijs caſibus, qui ſparſim leguntur in corpore iuris canonici, tum quoad excommunicationem, tum etiam quoad alias cenſuras, & pœnas. 40

REGVLA LI.

Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum.

1 ADmonemur per hanc regulam, ne res diuino cultui dicatas in profanos vſus conuertamus, ſiue id fiat per vẽditionem, aut permutationem, ſiue per donationem, aut per quemcumque aliũ modum; prohibetur enim hoc non ſolum vi huius regulæ, ſed etiam aliorum iuriũ, nempè *cap. quæ ſemel. cap. quoniam* 19. *quæſt.* 3. & expreſſius *cap. ligna. cap. veſtimenta. de conſecr. diſt.* 1. & alibi; talis enim conuerſio magnam inuoluit irreuerentiam, & opponitur virtuti Religionis; ideoque grauis eſt culpa, quam Deus manifeſtis, & ſenſibilibus pœnis mulctare ſolet; plura enim de hac re leguntur exempla in ſacris litteris. Vt autem præſentis regulę diſpoſitio rectè intelligatur, agendum eſt tum de rebus ipſis diuino cultui in ſpecie applicatis, tum de prohibito earumdem vſu, declarando modum, quo id poſſit contingere.

CAPVT I.

Nonnulli explanantur caſus, qui ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenduntur.

2 EX varijs exemplis, quæ à Gloſſa hìc, & ab alijs ſcribentibus proponuntur præcipua ſeligam, eaque breuiter examinabo. Antequam verò ad hoc deueniam, animaduerto, quod Regula hæc licèt primario, & potiſſimè intelligi debeat de rebus inanimatis, poterit tamen extendi ad perſonas specialiter Deo conſecratas. Quo autem pacto id accidat ſequenti capite apериam. His præhabitis vniuerſalem ſtatuo concluſionẽ, nempè ſub hac regula contineri tum res immediatè conſecratas, tum etiam non ſacras quod ex ſequentibus caſibus, quos ego ex hoc vniuerſali principio inferam, melius patebit.

3 Primò itaque colligitur, quod, ſi aliqua Eccleſia ob vetuſtatẽ ſit fere conſumpta, tunc ligna, quibus eiuſdem Eccleſiæ tectum conſtructum erat, nequeunt conuerti in vſus profanos, ſeu in laicorum commodum, ita expreſsè ſtatuitur *in d. cap. ligna*, idque docent communiter Auctores. *Dynus hìc initio. Peckius num.* 3. *Azor. inſt. moral. p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 11. *Barboſa de iure eccleſ. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 74. *Streinius hìc* & alij. ratio autem eſt eadem, quæ ex ipſomet iure deducitur, nempè, quod talia ligna, quæ partes erant Eccleſiæ, cenſentur etiam ipſa Deo dicata, veluti quid acceſſorium, vt pars in ordine ad totum corpus; proinde minimè erunt ad profanos vſus traducẽda. Vlterius in eodem cap. dicitur, quod prædicta ligna debeant applicari, vel ad aliam Eccleſiam ædificandam, vel ad profectum religioſorũ, videlicet ad monaſterium conſtruendum, quod explicant, & extendunt Doctores ad fabricandum Capitulum, Dormitorium, vel alium locũ religioſum in Fratrum vtilitatem. Gloſſa tamen limitat, aſſerens, hoc nõ eſſe quomodocumque, ſeu indifferenter intelligendum, quia profectus iſte non debet eſſe in extruenda coquina, vel in vineis paſtinandis: cui tamen limitationi ego tantum adhæreo quoad vinearum paſtinationem, quoniam id, quod ex tali vinearum cultura reſultat non eſt quid ſacrum, neque pars alicuius corporis Deo dicati, cum vinea nullo modo ſoleat inter res ſacras, vel loca pia numerari; proinde meritò ab eadem Gloſſa in re noſtra excluditur vinearum paſtinatio, ſicuti etiam rectè excluduntur *à Turrecremata in dicto cap. ligna*, quædam alia loca, nempè ſtabulum, & latrina, idque, vt reor, ob indecentiam, quæ ſequeretur. Verumtamen loquendo de coquina non eadem mihi ratio videtur, quia ſicuti auctores citati admittunt, ligna Eccleſię deſeruire poſſe ad conſtruendum dormitorium religioſorum, ita videtur ab eiſdem concedendum eſſe, nullam indecentiam contineri, ſi ligna hæc applicentur ad fabricandum refectorium coquinam, &c. ſufficientem ego diſparitatem non percipio; indignitas enim, ſeu loci vilitas reſultat ex actionibus, ad quas loca ipſa ſint ordinata; ideoque, ſicuti quies nocturna, & ſopor non reddit locum deputatum ad has actiones adeo humilem, & abiectum, vt ligna, quæ erant pars Eccleſiæ deſeruire nequeant fabricæ dormitorij; ita à pari comeſtio, & epularum, ciborumque pręparatio non debent humiliores, abiectioreſque actiones exiſtimari, quàm ſit dormitio. Quapropter, ſi concedatur, quod ligna Eccleſiæ applicari poſſint fabricæ dormitorij, non video, cur nequeant refectorio, & popinæ applicari.

Quæ

4 Quæ de lignis dicta ſunt intelligi etiā debent de cæmentis, ſeu lapidibus Eccleſiæ, cum eadem ſit ratio. Animaduerto tamen *ex dicto cap. ligna*, & ex auctoribus citatis, quod, ſi ligna ſint ita corroſa & inutilia, vt nequeant deſeruire, tunc debent comburi; additque hic *PecKius num.* 4. *& Streinius loc. cit.* quod, ſi fuerint ita ſolida, vt igne non facilè pereant, confringenda ſunt, & comminuenda; pulueres verò in cauernis parietum, ſiuè alibi debere recondi, ne conculcentur *Cap. altaris palla. ead. diſtinct.*

5 *S*ecūdo colligitur, quod, ſi ex caſula benedicta, vel alio Eccleſiæ ornamento, ſeu veſtimēto ob vetuſtatē cōſumptis aliqua ſuperſint fragmēta, nequeūt ex ijs aliqua fieri ad vſus profanos. hinc Gloſſa, quæ caſum hunc proponit *verſ. item poteſt.* quærens, an ex his fragmentis licitum ſit facere burſas ad vſus hominum, reſpondet negatiuè, idque etiam dicunt alij auctores: & ratio eſt, quia ex quo ſemel fragmenta illa fuerunt Deo dicata, non debet ex illis fieri aliquid ad vſum priuatorum hominum *cap. veſtimenta. ead. diſt.*

6 Tertio colligitur, quòd ſi aliquod vas argenteum, (V. g. calix) quod eſt ſub alterius dominio, ante conſecrationem caſu deueniat ad manus Epiſcopi, iſque ex varijs circumſtantijs, & ex modo, quo ad ipſum fuit delatū, moraliter, prudenterque arbitretur, non eſſe conſecratum, illudque propterea conſecret, ſi poſtea talis vaſis dominus reperiatur, non eſt illi reſtituendum, vt hic aſſerit *Gloſſa verſ. pone caſum, & Streinius num.* 3. ſed ſolum pretium eſt eidem domino ſoluendum; quod idē ſentit *PecKius ampl.* 6. quoad ſubſtantiam, licet caſum ſub alia forma proponat. Id tamen aiunt auctores, non procedere, quādo calix, ſeu aliud vas eſſet alterius Eccleſiæ; tunc enim eſt abſolutè reſtituendum, vt limitat idem *PecKius ibidem.*

7 Cæterum quod à laudatis auctoribus abſolute ſtatuitur, videlicet, non eſſe calicem reſtituendum, ſed illius pretium, difficultatem mihi ingerit, quia, etiam ſi dominus illius calicis, vel alterius vaſis ſit laicus, ſi tamen velit illud repetere, vt deſeruiat ſacrificio Miſſæ celebrando in alia Eccleſia, vel in ſuo priuato Oratorio, vel intendat illud ponere pro Eccleſiæ, ſeu ſacelli ornamento, ſiue alteri ſacro miniſterio addicere, tunc nō video, qua ratione illi tale vas reſtitui non debeat, ita ut ipſe dominus cogatur pretium, & non rem ipſam recipere. Hoc autem probari poteſt ex eo quod, quamuis vas ſit Deo dicatū, nihilominus ita reſtituitur, vt permaneat adhùc Deo dicatum; proindè prędictorum Auctorum ſententiam cenſeo cum diſtinctione admittendam, nempe, ſi dominus illud velit repetere, vt profanis vſibus deſeruiat; tunc enim pretium, non autem vas recuperare poteſt; at ſi illud repetere velit in ordine ad vſus pios, tunc exiſtimo, eſſe illi vas ipſum abſolutè reſtituendum.

Hæc, & ſimilia decidi poſſunt ex huius regulæ diſpoſitione quoad res inanimatas: ſupereſt nunc, vt aliqua dicamus de perſonis.

CAPVT II.

An Regula prædicta comprehendat perſonas Deo dicatas?

ALiqua hic ſunt examinanda de rebus animatis capacibus conſecrationis, prout ſunt homines: & licet nonnulli ſentiant, pręſentem regulam locum non habere, niſi in rebus tantum inanimatis, vt docet *Campanili in diuerſ. iur. can. rubr.* 11. *cap.* 8. *nu.* 11. & apud eumdem *Goffredus in ſumma de ſeruis non ordinand.* & id ipſum videatur aſſerere *Gloſſa fin. in cap. frequens diſt.* 54. *& Barboſa hic*; nihilominus, quia ea, quæ de inanimis dicuntur, ob aliquā proportionē hominibus quoque poſſunt cōuenire, nec auctores deſunt de perſonis pariter regulam intelligentes, vt aſſerit *Peckius hic num.* 2. idcirco extra inſtitutum minimè erit, nonnulla de perſonis quodammodo Deo dicatis expendere.

Initium itaque à faciliorībus, minuſ- 8
que controuerſis ſumens, dico primò, quòd ſerui, ſeu mancipia Eccleſiæ nequeunt cum mancipijs laicorum permutari, niſi libera remaneant, hoc tamen pacto, vt mancipium, quod pro mancipio Eccleſiæ datur, in Eccleſiæ ſeruitutem trāſeat; mancipium verò eccleſiaſticum libertate fruatur, ita *cap. Mancipia, & cap. Iniuſtum, de rer. permut.* vbi *Gloſſa & alij*: ratio autem ex hac regula deſumitur, quia talia mancipia ſunt Deo dicata.

Dico ſecundo, præcedentem concluſi- 9
onem limitari in *dicto cap. iniuſtum*, &

Digitized by Google

ab auctoribus ibi ſcribentibus in caſu, quo ſeruus ſit fugitiuus, tunc enim conceditur Eccleſię, poſſe illum ab Epiſcopo diſtrahi.

10 Dico tertiò, ſeruos, qui neſcientibus, aut contradicentibus dominis ad ordines ſacros ſeſe fecerint promouere, tali ordinatione non refragante, eſſe ſuis dominis reſtituendos, vt expreſsè diſponitur ex ſacris iuribus in Concilio Toletano, quod refertur *in capit. de ſeruor. ordinatione, & in multis ſequent. diſt.* 4. vbi *Gloſſa: Campanil. rubr. ſuperius cit. nu.* 11. *ver. poſtremè. Barboſa hic num* 1. quod tamẽ ius ad reuocandum ſeruum modo prædicto ad ordines promotum non eſt ita firmum, vt ſemper perſeueret; nam in *cap. ſi ſeruus* 2. *ead. diſt.* 54. præfixum ad hoc fuit tempus vnius anni, qui terminus, vt ibidem notat *Campanil. verſ. Alterum inueſtigari*, non incipit à die promotionis, ſed à die ſcientiæ, vti etiam animaduertit *Gloſſa loco cit. ver. vnius in fine. Sayrus de cenſuris lib. 6. cap.* 14. *num.* 5. & apud eum plures alij reijcientes oppoſitam ſententiam, quam tenet Hugo docens, annum hunc eſſe computandum à tempore, quo ſeruus fuit ad ſacros ordines promotus.

11 Sed occaſione huius regulæ ſe ſe offert celebris illa, & grauis quæſtio, an ſcilicet Summus Pontifex diſpenſare poſſit cum religioſo profeſſo habente votum ſolemne caſtitatis, vt matrimonium contrahat? quam ſanè quæſtionem proponit, & examinat S. *Thomas* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 11. eamque poſtea exagitarunt canoniſtæ, & Theologi. placet igitur illam diſcutere, & pro viribus elucidare, præſertim iuxta Angelici Doctoris mẽtem: referam tamẽ prius auctorum hac in re opiniones.

Prima ſententia eſt eorum, qui ſuſti-
2 nent, Pontificem diſpenſare non poſſe in voto ſolemni caſtitatis, ita habetur in *cap. cum ad monaſterium* §. *nec aſtimet* vbi *Gloſſa verbo, Abdicatio, de ſtatu monach. & Gloſſa in cap. ſunt quidam* 25. *qu.* 1. *verbo Apoſtoli*, pro qua videtur eſſe S. *Thomas loco cit.* & pro eadem ſententia tres ferè ſupra viginti Doctores refert *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.* 8. *num.* 6. de hoc puncto iterum agens *in ſumma lib.* 3. *cap.* 2. & vtrobique opinionem hanc probabilem exiſtimans. Varijs quidem argumentis horum ſententia ſuaderi po-
3 teſt: inter quæ præcipuum deſumitur ex *dicto cap. cum ad monaſterium* Secundò probatur ex hac regula diſponente, ſemel Deo dicatum non eſſe ad humanos vſus transferendum: cui principio nititur *D. Thomas* profeſſus autem in religione per 12 ſolmne caſtitatis votum Deo quodammodo conſecratur; ſolemnitas enim voti eſt quædam conſecratio, ſeu benedictio, per quam homo Deo mancipatur, vt rectè oſtendit idem *S. Thomas quæſt. citata art* 7. ideoque, quamdiù homo viuit eãdem ſemper cõſecrationem retinebit; quemadmodum in rebus inanimatis calix v. g. ſemel conſecratus, dum integer manet, nequit non eſſe conſecratus. Tertiò confirmatur ex eo, quod nequit Põtifex eſſentialia rei mutare: caſtitatis autẽ votum inter religioſi ſtatus eſſentialia continetur, vt rectè demonſtrat *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp.* 25. *num.* 8. & 9. quod hic, vt indubitatum, certumque ſupponitur. Alia pro hac opinione argumenta omitto: videri enim poſſunt apud *Sanchez*, & ferè omnia poterunt ad prædicta reuocari.

13 *Secunda* ſentẽtia eſt directè oppoſita; aſſerit enim, eſſe in *Pontifice* talem facultatem diſpenſandi cum religioſo in voto ſolemni caſtitatis, quod intelligi debet poſita proportionata, & vrgentiſſima cauſa, qualis conſueuit eſſe ea, quæ ad publicum bonum pertinet: & hanc ſententiam innumeri Canoniſtæ, & Theologi tuentur, quos laudat, & ſequitur idem *Sanchez dicta diſput.* 8. *num.* 7. vbi ferè nonaginta enumerat auctores. quamplures etiam adducit *Barboſa in d. cap. cum ad Monaſterium*. quibus ipſe adhærens *num.* 11. citat pro hac ſententia *S. Thomã in diſt.* 38. *qu.* 1. *ar.* 4. *reſp.* 1. *ad tertium*. vbi id docere videtur, ita, vt idem Barboſa cenſeat, S Thomam in prædictis locis contrarium ſibi fuiſſe. Hæc ſententia duplici ſuadetur argumento.

14 Prima ratio breuiter explicata conſiſtit in hoc, quòd videlicet huic diſpenſationi non obſtat, votum continentiæ eſſe promiſſionem Deo factã in tali materia; quodlibet enim votum eſt eſſentialiter promiſſio facta Deo, & tamen eſt capax diſpenſationis: eſſe autem in materia caſtitatis, nec impedit, quia votum ſimplex de omnimoda caſtitate, & perpetua ſubijcitur poteſtati Pontificis quoad diſpenſationem: Neque obſtat ſolemnitas voti; quoniam hæc eſt de iure poſitiuo Eccleſiæ, quod tolli poteſt à Pontifice: Itẽ nec diſpenſatio impeditur ex benedic-

tione

tione aliqua, per quam vouens conſecratus Deo fuerit, & conſequenter, vti ſemel conſecratus, remanſerit ſemper conſecratus, ita vt tali conſecrationi repugnet matrimonij contractio; tum quia bene-
1 dictio illa non eſt neceſſaria, nec in vſu in omnibus religionibus, vt idem *Sanchez* oſtendit; tum quia, ſi in omnibus ſeruaretur, nec impediret; quia per benedictionem hanc vouens non efficitur quid ſacrum ex rei natura ad continentiã deſtinatum. Præterea neque impedit traditio, per quam homo mediante voto transfert in Deum dominium ſui corporis in ordine ad ſeruandam caſtitatem; quia in aliquo vrgentiſſimo caſu ad bonum publicum ſpectante poterit Deo gratius eſſe, vt religioſus vi diſpenſationis matrimoniũ ineat. Denique neque obſiſtit ſtatus religioſus, de cuius eſſentia ſunt tria vota, quia, licet manente ſtatu religioſo ſub ea forma, nequeat Pontifex diſpenſare ad matrimonium ineundum; nihilominus poteſt Pontifex talem ſtatum tollere, & ex monacho facere non monachum, & conſequenter in ſolẽni voto diſpenſare. Hæc, & aliqua alia congerit *Sanchez* ad hanc primam rationem roborandam.

Secunda ratio eſt, quia in dubio debemus præſumere pro geſtis à Pontifice: conſtat autem ex varijs hiſtorijs, fuiſſe de facto à *Papa* diuerſis vicibus huic voto diſpenſatum: igitur dicendum eſt, id facere potuiſſe eum, qui in *Eccleſiæ* regimine Spiritus Sãcti illuſtratione ducitur.

15 Vtraque opinio quamuis, & auctoritate, & ratione ſuam habeat probabilitatem, dicendum tamen eſt, hanc ſecundam, ſi rectè explicetur, eſſe longè probabiliorem, & omnino admittendam: & probari poteſt, primo ex diſcurſu, quem facit *Sanchez*, ſuperius relato. Secundo ex varijs caſibus, qui ab Hiſtorijs enarrantur, & referuntur à *Barboſa in cap. cit. cum ad monaſterium nu.* 13. in prædictis enim caſibus legitur, à Pontifice fuiſſe voto caſtitatis diſpenſatum; proinde, ne dicamus *Papam* erraſſe in diſpenſando, credendũ eſt, in ipſo hanc reperiri poteſtatem. Tertiò probatur hæc ſecũda ſententia ſoluendo argumenta contraria, & congruam addendo huiuſce opinionis explicationem.

16 Ad primum argumentum deſumptum *ex cap. cum ad monaſterium* omiſſis quorumdam explicationibus, & præſertim illa, quam tradit *Bartholomæus à S. Fauſto in theſauro Religioſ. lib.* 3. *quæſt.* 36. vbi ait *in d. cap.* nomine Summi Pontificis venire Epiſcopos in ſua diœceſi, quia antiquo tempore ita conſueuerant appellari, vt ipſe demonſtrat, omiſſa inquam, hac explicatione, quæ textui non videtur conformis, vt eum multis oſten- 81
dit *Vaſquez in p.* 2. *diſp.* 163. *cap.* 9 *num.* 104 ſolidius reſpondeo, dupliciter conſiderari poſſe diſpenſationem prædictam, primo in ſenſu compoſito; ſecundo in ſenſu diuiſo, id eſt, vel ita diſpenſetur, vt non obſtante diſpenſatione adhuc ſub forma monaſtica diſpenſatus remaneat, vel vt à ſtatu monaſtico omnino eximatur. Priori modo aio, ſummum Põtificem non poſſe cum tali religioſo diſpenſare, nec in voto caſtitatis, nec in alijs votis ſubſtantialibus nimirum paupertatis, & obedientiæ; hæc enim tria vota ſunt de eſſentiã perfectæ religionis. dixi perfectæ, vt præſcindam ab ea controuerſia, an ſcilicet Equites S. Ia- 17
cobi, Calatrauæ, & Alcantaræ ſint verè religioſi; quamuis enim hoc admitteremus, nihilominus certum eſt, integrè, & perfectè religioſos non eſſe, vt benè probat noſter *Molina tom.* 1. *de Iuſt. diſp.* 141. *nu.* 6 quia perfecta vota non emittunt, ſed valdè limitata. In alijs itaque non ſolum veris, ſed etiam perfectis religionibus, vbi vota ſine reſtrictione emittuntur, repugnat, matrimonium ſtare cum voto perfectæ caſtitatis, vel cum voto paupertatis eſſe proprietarium, vel cũ voto obedientiæ liberum eſſe ad faciendã propriam voluntatem; & propterea hoc priori modo, ſeu in ſenſu compoſito, vt explicatum eſt, non poteſt Summus Pontifex diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis. Contrarium verò eſt aſſerẽdum, ſi loquamur de diſpenſatione poſteriori modo ſpectata, nimirum in ſenſu diuiſo, non manente ſtatu monachali. & hanc ſententiam ſic expoſitam plures tuẽtur grauiſſimi auctores tum ex antiquis, tũ ex recentioribus, qui prædicto modo interpretantur textũ citatum *in cap. cum ad monaſterium. Caietanus in* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 11. vbi mentem Angelici *Doctoris*; ita declarat; & bene; quia hoc pacto conciliantur loca eiuſdem *S. Doctoris*, nam *in* 4 *ſent.* vt diximus, affirmat, quod in ſumma videtur negare. Ruſſus hanc opinionem ſic explicatam recipit *Azor. tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæſito* 1. *Sanchez in decalog. lib.* 5. *cap.* 1 *nu.* 26. *Baſilius Pontius de matrim. lib.* 7. *cap.* 10. *nu.* 8. *Regi-*

ginald. in praxi lib. 18. *num.* 398. *Garcia de benefic. part.* 7. *cap.* 10. *num.* 92 *&* 93. *Leſſius de iuſt. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 19. *Barthol. à S. Fauſto in theſ. Religioſ. lib.* 3. *quæſt.* 36. *num.* 12. *Barboſa in d. cap. eum ad monaſterium. num.* 14. *& alij.*

18 Ad ſecundum ex hac regula erutum, nempe *Semel Deo dicatum, &c.* reſpondeo, in ſolemnitate voti, vt ſuperius oſtēdi, non addi neceſſariò benedictionē, aut conſecrationem aliquam, nec, ſi adhiberetur, obſtare; quia, licet vetitum ſit, ſemel Deo dicata in humanos, profanoſque vſus commutari, hoc tamen intelligendum eſt paſſim, & indifferenter, non autem occurrente magna, publicaque neceſſitate, ſeu vtilitate, quæ quidem omnino requiritur, vt Pontifex ſolemni voto diſpenſet pro contrahendo matrimonio, vt benè probat *Durandus in 4. diſt.* 38. *quæſt.* 2. *num.* 7. qui ad id confirmandum adducit exemplum *ex lib.* 1. *Reg. cap.* 21. vbi legitur, quod Rex Dauid, & alij eum comitantes, ne fame perirent, aliud ciborum genus non habentes, comederunt panem propoſitionis, qui erat panis ſanctus Deo dicatus; nec tamen peccauerũt; quia neceſſitas eos excuſauit. ſimiliter, ſi laicus ſiti grauiſſima laboraret, itaut, niſi biberet, exponeretur vitæ periculo, nec aliud vas haberet, in quo biberet, niſi calicem conſecratum, poſſet vtique tali vaſe conſecrato vti ad bibendum, nec ob talem neceſſitatem peccaret. ita *Durandus, & Sanchez diſp. 8. cit. num.* 7. qui ex hoc infert, quod, ſi neceſſitas perſonalis in prædictis caſibus excuſat, vt res Deo dicata conuertatur in profanos vſus, potiori ratione id cōcedi debet ob publicā, communemque neceſſitatem.

Ad tertium dico, quod diſpenſans Pōtifex in ſolemni continentiæ voto non relinquit ſtatū religioſum, de cuius eſſētia ſunt vota, ſed illum tollit; quatenus, vt probauimus, poteſt de monacho facere non monachum: ideoque non ſequitur, quod mutet eſſentialia rei, tem ipſum conſeruando.

REGVLA LII.

Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.

HVius regulæ diſpoſitio naturali rationi non parum conſentanea eſt; illud enim, quod ſuum non ſortitur effectū inutile eſt, nec in aliquo prodeſſe poterit, conueniens idcircò fuit decernere, vt, ſicuti commodum, ſeu emolumentum minimè affert, ita neque nocumentum det; viribus enim caret, omnique iuris ſubſidio deſtituitur. Suum verò robur ſortitur præſens regula ex varijs principijs, ſeu iuris axiomatibus præſertim ab his: videlicet *Non fieri, & non ſortiri effectum paria ſunt:* Item *Non eſſe, vel nullum eſſe æquiparãtur*, de quibus videndus eſt *Surdus deciſ.* 51. *num.* 14. *& deciſ.* 222. *num.* 2. *& conſ.* 51. *num.* 22. 23. *& conſ.* 245. *num.* 14. *Barboſ. axiom.* 115. *&* 168. *nu.* 2. 3. 4. His ſic breuiter poſitis aliquos afferam caſus, in quibus regula locum habet, & nonnullas pariter eiuſdem fallentias aſſignabo.

CAPVT I.

Nonnulli deciduntur caſus ſub hac Regula comprehenſi.

PRæmiſſa huius Regulæ declaratione aliquas ex ea inferam reſolutiones in 2
varijs caſibus, qui à commentatoribus examinantur ad praxim magis ſpectantes. Exordium verò ſumo ab electionibus canonicis.

Colligitur primò, quod, ſi electores ſimul more ſolito in loco capitulari cōuenientes ad aliquem per modum ſcrutinij eligendum, vt eidem aliqua conferatur dignitas, officium, ſeu beneficium, &c. ſcienter eligant indignum, quamuis videantur incurrere pœnam ipſo facto, per quam ſint priuati iure eligendi pro ſequēti vice, iuxtà diſpoſitionem *text. in cap. Cum in cunctis. §. clerici cap. cum Vuinton. §. nos igitur cap. ſcriptum. §. ſi verò cap. Cumana in fin. de electione. & cap. Quamquam §. igitur ſi electores. eod. tit. in 6.* nihilominus id non abſolutè procedit; ideoque tali pacto diſtinguendum eſt: ſi enim electio fuerit executioni mādata; tunc electores cenſentur priuati iure eligendi pro prima tantum vice immedia-

dia-

Digitized by Google

diatè ſequente, vt in iuribus allegatis ſtatuitur; ſi vero electio non habuit effectum, tunc electores nequaquam priuabuntur iure eligendi. Vtraque pars diſtinctionis expreſsè habetur in *cap. Perpetuo de electione in 6.* iuxta cuius diſpoſitionem intelligenda ſunt alia iura ſuperius relata. Et hęc deciſio eſt communiter à Canoniſtis recepta, inter quos eſt *Dynus hic* Nauarrus *in cap pœna. num. 22. de Pœnitentia diſtinct.* 1 *Sayrus de cenſuris lib.* 4. *cap.* 15. *Caſtellinus de electione cap.* 5. *num.* 29. *Samuel de canon. elect. tract.* 2. *diſp.* 4. *concluſ.* 4. *num.* 5. *Layman de electione Prælat. Eccleſ. quæſt.* 77. *Barboſa de iur. eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 71. *& in collect. cap. perpetuò cit. num.* 1. *& alij*: Porrò hæc ſecunda pars patet ex hac regula, ſub qua caſus iſte continetur. Aduertendum tamen eſt, quod, quamuis electores in caſu, qui poſteriori modo euenit, non incurrant pœnam priuationis; nihilominus ſcienter eligentes indignum grauiter peccant, vt de ſe manifeſtum eſt, & notatur communiter à laudatis auctoribus: niſi tamen aliqua inuincibili ignorantia excuſentur.

3 Colligitur ſecundo, quòd, ſi teſtator inſtituat legatum relinquens Titio ſeruum vnum ex multis, quos poſſidet, eiuſdemque *Titij* arbitrio determinati ſerui electionem remittat, facta electione, ſi ea effectum non habeat, quatenus ob carentiam alicuius conditionis neceſſariæ non valuerit, tunc ius iterum eligendi integrum remanet in ipſo Titio. ita ſtatuitur *in L.* 2. *&* 4. *ff de optione legati* Gloſſa *in* L. 1. *eodem tit. in expoſitione caſus*. & ratio huius diſpoſitionis deſumitur ex hac Regula, quæ decernit, non præſtare impedimentum, quod de iure effectum non habet. Secus autem eſſet dicendum in caſu, quo electio effectum ſortita fuerit; tunc enim extinctum eſſet ius eligendi, nec amplius in electione variatio fieri poſſet *L. ſtatu liberum. in fine. ff de leg.* 2. & hanc ſententiam docent *Dynus*, & alij in expoſitione huius regulę.

4 Colligitur tertiò, Regulam hanc valere in teſte ſibi contradicente; nam, ſi deponat coram Iudice, & depoſitio ob defectum ſit inualida, puta, quia Iudex fuit incompetens, ſi poſtea coram legitimo Iudice depoſuerit, hæc ſecunda depoſitio, quamuis primæ cōtraria, attamen erit valida; quia prima, cum de iure effectum non habuerit, impedimentum præſtare nequibit. deducitur ex *cap. at ſi clerici de iudicijs*. vbi *Gloſſa*, & plures alij, quos refert, & ſequitur *PecKius hic ampliatione* 1. *num* 2.

Colligitur quartò, diſpoſitionem noſtræ regulæ in reſcriptis quoque militare; nam, ſi primum reſcriptum effectu caruerit, puta, quia ob aliquod vitium de iure irritum redditum fuerit, tunc non eſt de hoc primo facienda mentio in ſecundo reſcripto, vt habetur *in cap. ex parte, & cap. ex tenore de reſcriptis*. 5

Colligitur quintò, contractis ſponſalibus inter Titium, & puellam, quæ non adhuc ſeptimum ætatis annum attigerit, ſi poſteà idem Titius velit matrimonium inire cum conſanguinea prædictæ puellæ in primo, vel ſecundo gradu, poteſt vtique illud validè contrahere. ita à Pontifice reſponſum teſtatur *Nicolaus Streinius* in explicatione præſentis regulæ; quia huiuſmodi ſponſalia de iure ſubſiſtere non potuerant; ideoque impedimentum publicæ honeſtatis præſtare minimè valuerunt. Veruntamen non ita abſolutè auctor iſte hoc proferre debebat in caſu poſito; quia iuxtà probabiliorem ſententiam valida ſunt ſponſalia ante ſeptennium, ſi contrahentes vſu rationis polleant, ſeu, vt vulgò dicitur, malitia ſuppleat ætatem: quod ſanè docent apud *Sanchez* plures, quos ipſe ſequitur *lib.* 1. *de matrim. diſput.* 16. *num.* 3. 9. & apud *Leandrum tract.* 9. *de matrim. diſp.* 1. *quæſt.* 28. qua admiſſa ſententia reſultabit quidem ex hiſce ſponſalibus publicæ honeſtatis impedimentum, atque adeo irritum erit matrimonium contractum cum perſona coniuncta in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis cum ſponſa: recipi tamē poteſt opinio *Streinij*, quando ſponſalia eſſent inualida ante ſeptennium ob defectum vſus rationis, in quo caſu locum haberet præſens regula. 6

7 Colligitur ſexto, etiam ad Sacramenta Eccleſiæ extendi noſtræ Regulæ diſpoſitionem; ſi quis enim inualidè fuerit baptizatus, poterit, imò debebit

iterum baptizari *cap. 1. de Preſbyt. non baptiz.* & eſt certiſſima, acceptiſſimaque ſententia: quod idem dicendum eſt de Sacramento Ordinis; nam ſi quis ob aliquem eſſentialem defectum inualidè ordinem ſuſceperit, poterit ad eũdem iterùm promoueri, qualiſcumque ille ordo ſit; quia prima promotio cum effectum non fuerit conſequuta, impedimentum ad iteratam receptionem minimè præſtat.

CAPVT II.

De nonnullis caſibus, qui à Regula excipiuntur.

8 PRimò excipiuntur delicta; propterea ſi quis actum faciat contra ius, ſeu cõtra iuris, aut legiſlatoris formam; quamuis talis actus effectu careat quoad commodum, & vtilitatẽ delinquentis; quoad pœnas tamen debitas impedimentum non præſtabit. V. g. ſi alienet bona Eccleſiæ abſque debita ſolemnitate, licet alienatio habeatur pro infecta, nullamque ex ea ipſe alienans ſortiatur effectum; nihilominus non effugiet pœnas impoſitas aduerſùs male alienantes bona eccleſiaſtica.

9 Secundo excipiuntur legata, quippe quę procedunt ex libera legantis voluntate: vt, ſi teſtator relinquat centum Titio, qui talis legati capax exiſtit, poſtea verò hoc ipſum legatum relinquat Mæuio, qui incapax illius ſit, quamuis hæc ſecunda legati inſtitutio effectu careat, & irrita ſit propter legatarij incapacitatem; nihilominus impedimentũ præſtabit Titio, cui primo loco facta fuit: vnde in hoc caſu regula non procedit. ita expreſsè habetur in *L. Planè 34. initio de leg. 1.* & refert *Dynus hic.* ratio autem eſt, quia, cum legati inſtitutio totaliter dependeat à legantis voluntate, propterea ſequitur, quòd per translationem legati ex vna ad aliam perſonam cenſeatur tacitè facta eiuſdẽ legati ademptio.

10 Tertiò excipiuntur diſpoſitiones, ſeu prouiſiones cõpetentes nõ iure primario, ac proprio, ſed iure deuolutionis, quę ſi effectũ non habeant, nequeũt iterari. V. g. in caſu *cap. ſi electio de elect. in 6.* ſi electio à canonicis facta effectũ ſortita nequaquã fuerit, quia electus diſsẽtit, vel renunciat, vel moritur, tũc certũ eſt poſſe primos eligentes iterum eligere, quia ad eos iure proprio ſpectat facultas eligẽdi; ſi verò eligens fuit aliquis ſuperior, qui electionem fecit iure deuoluto, & electus modo prædicto, vel diſſenſit, vel renunciauit, vel mortuus eſt, tunc ſuperior ille, qui elegit iure deuolutionis, non poterit iterum eligere, ſed ad canonicos redibit electio, vt voluit *Gloſſa in dicto cap. ſi electio. verbo integrũ Tiraquel. in L. boues. §. hoc ſermone limit. 1. n. 49. ff. de verb. ſignif.* qui in materia electionis docet *ibidem n. 56.* quòd, quamuis publicato ſcrutinio electores poſſint variare, & iterum eligere, quando electio ex aliquo capite eſt ipſo iure nulla, attamẽ, ſi non eſſet nulla ipſo iure, ſed ſolum poſſet annullari, tunc nequeunt variare, nec iterum eligere, vt voluit *Innocentius in cap. publicatio in princ. & ibi quoque Hoſtienſis columna ſecunda in verbo nequeunt, & Baldus col. penult. verſ. Quaero dicitur hic. Panormit. colum. vlt. verſ. vlterius quaero, & ferè omnes. de elect.* & ratio eſt, quia, licet, qui fecit actum nullũ, poſſit iterũ eundemmet actum validum facere, id tamẽ procedit, quoties actus fuit nullus ipſo iure; ſecus verò ſi ope exceptionis, vel iudicis officio veniret emendandus, reſcindendus, vel annullandus, quia tũc præſtat impedimentum, ne poſſit iterũ fieri, vt docuit *Baldus* loquẽs in iudice, qui nulliter iudicauit in *L. vlt. colum. 1. in 4. quaeſt. C. de contrah. empt. per not. in L. in propoſita. ff. pro ſoc. & alij relati à Tiraquello loc. cit. nũ. 55.* qui ibid. *à num. 29.* plures affert huius regulæ fallentias, quas apud ipſum videre poteris.

Quarto excipiũtur cauſæ, quæ alieno iure exercentur, nempè, à delegatis, ſubſtitutis, & ſimilibus; ſi enim delegatus iudicauit nulliter v. g. ex defectu citationis peremptoriæ, vel ex manifeſto iuris errore, &c. tunc non poterit iterum iudicare. ita quamplures, quos laudat, & ſequitur *Menochius lib. 1. de arbitrar. Iud. quaeſt. 67. num. 21. & ſeq.* & nouiſſimè *Sreinius hic num. 3.* qua propter, licèt prædicta ſententia lata à delegato, tanquam nulla, non ſit effectum conſecuta; nihilominus præſtat impedimentum, ne delegatus iterum iudicet. Animaduertunt tamen auctores, dari aliquos caſus in quibus conceditur delegato poſſe iterum 11

rum iudicare; etiam ſi in priori ſententia errauerit, ſiue nulliter iudicauerit: quos quidem caſus proponit *Menochius quaeſt. cit. à num.* 27. proinde quod modo diximus, limitatur in caſu, quando delegatus protulit ſententiam non ſeruata delegationis forma; tunc enim poterit denuo iudicium ferre, non obſtante prioris ſententiæ nullitate, vt communiter docent Doctores *ex cap. cum dilecta. de Reſcript.* Cęterum venit hic declarandũ, cur in primo caſu pereat in delegato facultas iterum iudicandi, non autem in hoc ſecundo caſu? fateor, apud auctores me rationem huius diſcriminis minime adhuc inueniſſe: ex eorum tamen doctrina facile diſparitatem colligo; quia in primo caſu ſupponitur, quod ſententia, quamuis nulla ob aliquem defectum contra ius, lata fuerit vi iuriſdictionis delegatę, cuius forma integrè ſeruata ſit: ideoque ſemel exercita extinguitur, vt certũ eſt *ex cap. in literis de offic. & pot. Iud. deleg.* vbi ſcribentes; at verò in ſecundo caſu res non ita ſe habet; quia ſententia non proceſſit iuxta formam delegationis, quæ ſupponitur omiſſa ſaltem ex parte; idcircò non debet exiſtimari perempta, & conſumpta: propterea, cum adhuc vigeat, poterit delegatus ſua iuriſdictione vti, & iuxta illam nouum ferre iudicium, ac ſi numquam iudicaſſet.

12 Rurſus limitari ſolet præcedens ſententia in delegato Principis, qui, nihil impediente prioris ſententiæ nullitate, poterit iterum iudicare, ſicuti etiam poteſt Iudex ordinarius. ita plures apud *Menochium num.* 28. quibus ipſe aſſentitur ſoluens argumenta contraria, quæ fiunt à quibuſdam oppoſitum tenentibus: & hoc, quod dictum eſt de delegato Principis, concedit *Menochius num* 31. etiam delegato ad vniuerſitatem cauſſarum, qui iudici ordinario æquiparatur.

13 Demum hic aduerto ex eodem *Menochio num.* 33. prædicta locum habere in iudicialibus; nam in extraiudicialibus, ſiuè ordinarius, ſiue delegatus ſemper poterit iterum iudicare.

REGVLA LIII.

Cui licet, quod eſt plus, licet vtique, quod eſt minus.

CAPVT I.

Explicatur quotupliciter ſumi poſſit plus, & minus.

EAdem in iure ciuili habetur regula L. *Non debet, quæ eſt* 22. *ff. de regulis iuris.* affinitas autem reperitur inter regulam hanc, & locum illum communem, nempè *à maiori ad minus*, quẽ locum declarat *Euerardus in ſuis locis legalibus*: proinde indiſcriminatim de vtroque erit agendum. Aio igitur, præſentem regulam, quæ ampla eſt, ſumi à Doctoribus ſecundum plures acceptiones mox declarandas, priuſquam examinandas varias quęſtiones aggrediamur.

Animaduertendum igitur eſt, maioritatem, & minoritatem varijs modis ſumi poſſe, ſeu in ordine ad diuerſa: quinque autem modi ſe offerunt, in quibus locum habet maius, & minus, quos aſſignat, & declarat *PecKius* explicans regulam hanc in princ. Et primò quidem ratione ſubiectæ materiæ. V. g. longè maius eſt habere poteſtatẽ conſecrandi corporis Domini, quàm alios benedicendi; vt habetur *cap. Ecce ego. ver. ſi presbyter. diſt.* 95. Secundo aio, ſumi poſſe maioritatem in ordine ad perſonam adminiſtrantem, vt in Sacramento confirmationis, quod à ſolo Epiſcopo, & non ab inferiori adminiſtrari poteſt, vt habetur *cap. Manus. diſt. 9. de conſecrat.* & in hoc arguere poſſumus affirmatiuè à maiori ad minus, videlicet, ſi Epiſcopo licet confirmare fideles, licebit vtique illos inungere, conferens Sacramentum extremæ vnctionis in extremo vitæ; vel arguere negatiuè à minori ad maius. V. g. cui non licet adminiſtrare, ex defectu poteſtatis extremam vnctionem, multo magis non licebit confirmare. Tertiò habetur maioritas, & minoritas in neceſſitate, & efficacia rei, quæ adminiſtratur, & in hoc comparatur baptiſmus cũ reliquis ſacramentis. in his autem non valet argumẽtum à receptione reliquorum ſacramentorum ad receptionem baptiſmi: videlicet, non licet recipere reliqua Sacramenta ab hæreticis, ergo neque baptiſ-

The numbers 1 and 2 stand in the right margin beside the lines "Animaduertendum igitur eſt, maioritatem," (1) and "poris Domini, quàm alios benedicendi; vt" (2).

Digitized by Google

mum; non valet enim conſequentia, quia Sacramentum baptiſmi, cum ſit maximè neceſſarium, & efficax ad delenda omnia peccata, idcircò cõueniens fuit, vt à quocumque conferri poſſet, vt deciditur in *cap. præterea. § Verum. verſus finem. diſt. 32.* quæ ratio non habetur in cæteris Sacramentis: valebit tamen illatio affirmatiua, v. g. ſi licitum eſt mihi conferre Sacramẽtum non tantæ neceſſitatis, quã tæ eſt baptiſmus, multo plus licitum erit conferre ipſum baptiſmum, quãdo vrget neceſſitas, Quartò reperitur maioritas, & minoritas in ratione ſignificationis, & ſic inuenitur in Sacramento matrimonij, in quo, plus quam in reliquis, repræſentatur vnio Chriſti Domini cum Eccleſia, vt dicitur *in cap. debitum de Bigamis.*

Quintò denique eſt ratione antiquitatis, & ſic rectè infertur, id quod non licet ei, qui prius fuit ad ordines promotus, non licere ei, qui poſteriùs promotus fuit *cap fin. diſt. 75. & c. 1. de maiorit & obedient.* hoc autẽ intelligendum eſt quoad honores debitos promotis, vt ibidẽ exponit Gloſſa, nempè quoad honores, qui ratione promotionis, vt ſic, exhibendi ſunt. Et hæc dicẽda mihi videntur pro explicatione modorũ, quos aſſignat *PecKius*, ex quibus ipſe deſumit maioritatem, & minoritatem, ſeu plus, & minus iuxtà huius regulæ præſcriptum.

2 *S*ed expeditius, & clariùs, prædictis modis omiſſis, mihi dicendum videtur, quod præſens regula procedat in his caſibus, videlicèt quando illud, quod eſt minus continetur in eo, quod eſt maius, tamquam pars in toto, vel ſpecies in ſuo genere, vt docet *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 2. num. 15. Tuſcus tom. 1. lit. A. concluſ. 501. nu. 8.* & alij apud eũdem: & addo, idem eſſe fatendum, quando id, quod eſt minus, maiori eſt connexum, tamquam eius acceſſorium, vel tanquam quid neceſſarium, vt id, quod eſt maius, ſubſiſtere queat, vel quid ſimile. & hæc pro huius regulæ declaratione ſufficiant; remanet, vt ex illa nõnullę proponantur, & decidãtur quæſtiones.

CAPVT II.

An Pontifex diſpenſans cum illegitimo in defectu natalium, cenſeatur illum habilem reddere, non ſolum ad ſpiritualia, ſed etiam temporalia?

SVpponit præſens quæſitum legem eccleſiaſticam, per quam illegitimi repelluntur, quoad ordines ſuſcipiendos, & ſimiliter ad beneficia, & officia, ſeu dignitates eccleſiaſticas recipiendas, vt habetur *ex cap. per venerabilẽ. in fine. Qui filij ſint leg.* & alibi. Supponuntur hic etiam iura ciuilia, quæ prohibent, ne illegitimi ſuccedant in primogenituris, ſeu in alijs bonis, & honoribus, quibus ſtante illegitimitate æſtimãtur inhabiles ad ſuccedendum, ſiue à iure communi id oriatur, ſiue à iure municipali alicuius regionis. His præſuppoſitis quæritur, num prædicta diſpenſatio, per quam v. g. Titius illegitimus legitimatur à *Summo Pontifice*, redditurque habilis ad effectus ſpirituales, extendatur etiam ad effectus temporales. 3

Videtur affirmatiuè reſpõdendum iuxtà præſentem regulam, in qua habemus; cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus; cum autem ſpiritualia ſint quid maius, & temporalia comparatiuè ad illa quid minus, infertur, quòd diſpenſatio prædicta auferens cauſſam, ex qua oritur inhabilitas in ordine ad ſpiritualia, tollat etiam illam in ordine ad temporalia: nã eadem eſt radix vtriuſque inhabilitatis: argumentum enim à maiori ad minus eſt validum, vt communiter docent Canoniſtæ, & de facto *in cap. cit. Per venerabilem.* vbi eſt ſermo de legitimatione, paulo poſt initium expreſsè dicitur diſpenſatio hæc extendi ad temporalia: cuius rei ratio aſſignatur his verbis. Quod in maiori conceditur, licitum eſſe videtur & in minori.

Sed poſſet quis in contrarium vrgere probans in materia diſpenſationis non valere argumentum de maiori ad minus; quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris; ac proindè non extendenda, vt ex multis loquẽs de hac materia oſtendit *Sanchez lib 8. de matrim. diſp. 1. num. 32.* & ad verba prædicti textus, nempè quod in maiori conceditur, & cæt. reſponderi poſſet ex do- 4

ctrina

ctina *Abbatis in eo cap. num. 6.* rationem illam contentam in illis verbis non eſſe aſſignatam à Pontifice, ſed ab eo, qui diſpenſationem in illegitimitate poſtulabat.

Ad hoc argumentum, deſumptum ex ſtricta interpretatione ipſius diſpenſationis, reſpondent Authores contrarij diſtinguentes inter diſpenſationes odioſas, & diſpenſationes fauorabiles; & de illis concedant, eſſe ſtrictè explicandas, negant verò de illis: inter has autem fauorabiles dicunt eſſe hanc, per quam Pontifex diſpenſat in illegitimitate, quatenus per eam fit reditus ad ius naturale, & antiquum, ſecundùm quod omnes homines, qui naſcebantur, erant legitimi, & nulla, quantum ad hoc, erat differentia inter legitimum, & naturalem, vt expreſſe habetur in *Authent. Quibus modis naturales efficiantur. collat. 2. cap. 2. §. illud tamen. ver. Non enim fuit in principio. lit. E.* & ſic omnes naſcebantur habiles ad ea, ad quę poſtea facti ſunt inhabiles per leges poſitiuas, vt notant ſcribentes, quorum opera cõtinentur in tractatibus *tom. 3. par. 2.* & inter alios ſunt *Gabriel Paleottus de Nothis, & Spurijs cap 1. nu. 1. & Antonius de Roſſellis lib. 1. num. 22. Molina to 3. de iuſt. tr. 2. diſp. 173. nu. 5.* & alij: idcircò diſpenſatio hæc, vtpotè fauorabilis extendi debet etiam ad bona temporalia. ita ſuaderi poterit hæc opinio, quæ, vt admittatur, diſtinctione indiget, quam, declarando, quid in re hac, ſecundum rei veritatem ſit dicendum, ſufficienter præſtabo.

5 Dicendum eſt primo. *Si* Pontifex diſpenſans, legitimando perſonam, nihil aliud faciat, non cenſetur diſpenſare, niſi in ordine ad ſpiritualia tantum, etiam ſi perſona, quæ legitimatur, ſit in tẽporali iuriſdictione ipſi Põtifici ſubiecta: & ratio eſt, quia, cum diſpenſatio quoad ſucceſſionem in bonis temporalibus redundet in graue præiudicium, & damnum eorum, qui ſunt legitimi, & debent in hæreditate ſuccedere, eſt odioſa, vt rectè animaduertit *Ludouicus de Sardis in tract. de naturalium liberorum legitimatione tit. de copula carnali. quæſito 2. num. 4.* cuius opus eſt in tractatibus generalibus: & ideò diſpenſatio hæc non eſt amplianda, vt ex multis Authoribus docet *Sanchez lib. cit. diſp. 7. num. 20.* non eſt igitur iſta extendenda ad temporalia, niſi apponantur verba, quæ indicent, *Pontificem* velle diſpenſare, etiam in ordine ad ipſa temporalia, quod non præſumitur, niſi declaretur: & de hac concluſione, neque dubitatio, neque controuerſia eſt apud *Authores*.

Dicendum eſt ſecundo. Pontifex diſpenſans in radice matrimonij, & vt dici ſolet, nunc prout ex tunc, legitimam 6
reddit prolem quoad omnes effectus ſpirituales, & temporales: & diſpenſatio hæc extenditur etiam ad eos, qui ſunt extra temporalem iuriſdictionem Pontificis, in quocumque loco commorentur; Eſt contra aliquos, quos citat *Sanchez diſp. 7. cit. nu. 4.* & præſertim contra *Molinam tom. 3. de iuſt. tract. 2 diſp. 264. num. 3.* ſed concluſio communiter, vt vera, recipitur à Canoniſtis, & Theologis, apud Sanchez, quibus loco citato ipſe aſſentitur, eamque tuetur etiam *Caſtropalaus par. 2. tract. 5 diſp 4. pu. 1. § 5. nu. 8.* & nouiſſimè *Leander part 5. tract. 2. diſp. 3. quæſt. 32.* Concluſio duas continet partes, videlicet poſſe à Pontifice prolem reddi legitimam quoad omnes effectus tum ſpirituales, tum temporales, & præterea talem legitimationem extendi etiã ad eos, qui ſunt extra temporalẽ iuriſdictionem Pontificis, in quocumque commorentur loco: Prima autem pars probatur ratione fundamentali hoc pacto. Põtifex poteſt tollere omnes illos effectus prouenientes ex matrimonio, quod iure poſitiuo fuit inualidum; ergo poteſt legitimare prolem ex tali matrimonio genitam quoad ſpiritualia, et temporalia. Conſequentia eſt certa, quia inhabilitas ad ſpiritualia, & temporalia eſt effectus reſultans in prole ex illegitimatione: difficultas autem ſita eſt in antecedente, quod ſanè ſic probatur.

Pontifex poteſt in ordine ad legitimandam hanc prolem diſpenſare nunc, pro vt ex tunc, ſeu facere, vt diſpenſatio fictione iuris retrotrahatur ad illud tẽpus, in quo initum fuit matrimonium, & reuocare legem, quæ illud irritum reddit; et conſequenter tollere omnes illos effectus prouenientes ex matrimonio, quod iure poſitiuo fuit inualidũ; ſublata enim illegitimatione, ceſſat inhabilitas, quæ reperiebatur in illegitimo ad 8
effectus ſpirituales & temporales.

Sed inſtabit aliquis, arguens in contrarium ex doctrina *Molinæ diſputatione illa 64. ſuperius citata*, hac ratione: 7
Nequit Pontifex efficere, vt matrimoniũ

quod

quod ab initio fuit irritum, etiam ob impedimentum canonicum, reddatur à principio validum, quia ad præteritum non datur potentia: & quamuis poſſit omnes inhabilitates canonicas auferre, nequit tamẽ tollere inhabilitates ciuiles, quæ ab initio ex tali matrimonio irrito in prole genita reſultarũt; hæ enim inhabilitates non ſubiacẽt Pontificis, ſed Principis ſæcularis poteſtati.

Reſpondeo, quòd, quamuis Pontifex nequeat efficere, vt matrimonium illud fuerit ab initio validum, quia ad præteritum non datur potentia, nihilominus authoritatem habet reuocandi legem à ſe editam, vi cuius matrimonium fuit inualidum, & facere, quòd diſpenſatio retrotrahatur ad tempus illud præteritum, in quo matrimonium contractum fuit, ita vt exiſtimetur perinde, ac ſi ab initio validè matrimonium initum fuiſſet, & hoc mediante diſpenſatione in ordine ad legitimãdam prolem habitã ex tali matrimonio, ita vt ſit habilis ad omnes effectus, directè quo ad ſpirituales, indirectè verò quo ad temporales. Neque obſtat, quòd hi effectus temporales, & ciuiles immediatè ſubiaceant principum ſæcularium poteſtati; quia talis immediata ſubiectio ſolum impedit, ne Pontifex legitimando prolem, directè illam habilem reddat, nõ autem prohibet, quin indirectè tollatur à Pontifice inhabilitas: hoc autem fieri poſſe expreſſè habetur *in Clementina vnica, de immunitate Eccleſiarum*. in qua refertur, quod Clemens V. in Concilio Viennenſi non ſolum reuocauit quamdam conſtitutionem editam à Bonifacio VIII. & contentam *in cap. Clericis. eodem tit. in 6.* & quaſdam declarationes ad eãdem conſtitutionem ſpectantes; verum etiam omnes effectus ex illa conſtitutione ſubſequutos, ſic inquiens [Nos de cõſilio Fratrum noſtrorum conſtitutionem, & declarationem, ſeu declarationes prædictas, & quidquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus reuocamus, & eas haberi volumus pro infectis] ita Pontifex, qui vniuerſaliter loquens tollit omnes effectus ex illegitimitate prouenientes.

8 Et hæc quoad primam partem concluſionis; ſecunda autem pars, quatenus extendit legitimationem hanc etiam ad eos, qui ſunt extra iuriſdictionem temporalem Pontificis, facilè demonſtrabitur; quia omnes Chriſti fideles ſubijciuntur legibus Pontificijs, quo ad illegitimationẽ; proinde reiectis his legibus, ceſſant effectus, qui in eiſdem legibus fundabantur, & ſic indirectè Pontifex diſpenſans cum aliquo non ſubdito, tollit inhabilitatem quoad effectus temporales, reſtituendo legitimatum ad priſtinos natales, quãdo ſcilicet omnes legitimi naſcebantur. Sẽtentia hæc principalis nonnullis indiget declarationibus, & limitationibus, quas in ſequentibus aperiam.

Dicendum eſt tertiò. Diſpenſatio prędicta per quam totaliter, & completè fit legimatio, locum habere poteſt, quando matrimonij inhabilitas prouenit ex impedimento, quod iure tantum humano dirimit. Concluſio eſt manifeſta, eamque docet *Sanchez diſp. 2. cit. num* 8. 9
ſi verò impedimentum ſit de iure diuino, & naturali, quamuis datemus, in aliquo caſu ſpeciali poſſe in illo à Pontifice diſpenſari, cauſſa legitima id exigente; nihilominus communiter non occurrit: & conſequenter dicimus, non poſſe à Põtifice diſpenſari in radice nullitatis, quia radix illa fundatur in impedimento iuris naturalis, in quo Pontifex diſpenſare nequit, ita *Sanchez* ex pluribus canoniſtis *diſp cit. num.* 8.

Dicendum eſt quartò. Quando nullũ, neque in figura præceſſit matrimonium, non poteſt Pontifex prolem ante habitã ex concubitu fornicario ita legitimare, vt reddat illam habilem ad effectus temporales; ſed tantùm quoad ſpirituales, ſi proles eſt extra iuriſdictionem temporalem ipſius Pontificis. ita *Sanchez in eadem diſputatione num.* 7. & alij apud ipſum. Ratio autem pro hac cõcluſione eſt euidens; quia, cũ deficiat matrimonij radix, in quam directè feratur diſpenſatio, & indirectè vi eiuſdẽ diſpẽſationis legitimatio extendatur ad tẽporalia, ſequeretur, directè diſpenſationẽ ferri ad temporalia, quod eſt extra Pontificis iuriſdictionem: poſſet tñ id fieri, ſi ponerent proles temporaliter ſubdita Põtifici, quia tũc, quoad effectus ciuiles, & temporales Pontifex non procederet, vt Paſtor vniuerſalis, ſed vt Dominus temporalis. 10

Hæc autem obiter dicta ſint quoad legitimationem, quia non pertinent omnia ad præſens inſtitutum; & ſolum volui occaſionaliter de illis, & breuiter aliqua innuere: de materia autẽ legitimationis, & de caſibus circa illam occurrentibus fusè tractant plures Canoniſtæ, quorum opera habentur in tractatibus *tom. 8. par.* 2.

2. Benedictus de Barzas; Gabriel Paleotti, Antoninus de Roſſellis, Ludouicus de Sardis, & Martinus Laudenſis.

CAPVT III.

Habens priuilegium legitimandi prolem ex adulterio, vel inceſtu procreatã, an poſsit illam legitimare, ſi vterque defectus in eadem coniunctim inueniatur?

11 PRima ſententia negat, id fieri poſſe, & ita ſentiunt quam plures Canoniſtæ, apud Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp.* 2., *num.* 27. Probant autem hoc varijs argumentis: & primò deſumunt argumentum ex illo principio, nempè, Conceſſo minori non intelligitur conceſſum id, quod eſt maius; ſed poſſe legitimare prolem, quando defectus prædicti, ſcilicet natiuitas ex adulterio, & ex inceſtu, ſeparatim concurrunt, eſt quid minus, quàm, ſi coniunctim in eadem prole haberentur; ergo priuilegium legitimandi prolem ex adulterio, vel inceſtu, non extenditur ad illam legitimandam, quãdo vtroque laborat defectu. Secundò probatur, quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris & odioſa, & ideò non debet extendi, ſed reſtringi; & proinde in caſu noſtro priuilegium legitimandi non eſt ampliandum ad vtrumque defectum, quando coniunctim inuenitur. Tertiò mixtum conſtituit diuerſam ſpeciem à ſimplici, vt habetur in L. *Adeo. ver. Cum quis. ff. de acquirendo rerum dominio.* ergo diſpoſitio, per quam conceditur facultas legitimandi prolem natam ex adulterio, & ex inceſtu, debet intelligi, quando defectus prædicti ſeparatim inueniuntur, nõ autem quando in eadem perſona coniũctim concurrunt; quia ſimul concurrentes reddunt materiam odioſiorem, & difficiliorem, vt in illa diſpenſetur; duplex enim defectus ſtrictiùs ligat, vt dicitur *in cap. 1. de Tregua, & pace*; ergo illegitimatio, quæ cauſatur ex duplici defectu, difficilius tollitur. Ob hoc argumentum quamplures, inter quos eſt *Sanchez diſp. cit. num.* 23. ſuſtinent, vi bullæ Cruciatę commutari non poſſe votum, ſi ſimul cum illo, & abſque connexione, cõcurrat iuramentum ſuper eamdem materiam: quam ſententiam fusè examinaui in explicatione eiuſdẽ Bullæ *par. 2. tract. 6. cap. 1. ſect. 10. §. 2.*

Secunda ſententia oppoſitum docet, 12
nempè virtute prędictæ facultatis legitimari poſſe prolem vtroque defectu laborantem. ita *Bartol.* L. 2. *num.* 2. *ff. de verborum oblig. Alexander num.* 5. *Alciatus num.* 44. & 45. *Barboſa in ſuis varijs tract. axiom.* 153. *num.* 7. *Mandoſius in reg.* 10. *Cancell. quæſt.* 3. *num.* 20. *Merolla in ſua Theologia morali to.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *coroll.* 8. *num.* 120. & complures alij Canoniſtę apud *Sanchez diſp. cit. num.* 28. quibus ipſe ſubſcribit. *Ex* Theologis verò eamdem ſententiam defendunt *Henriquez lib.* 14. *de irregul. cap.* 8. *num.* 10. *Emanuel Sà in aporiſm verb. diſpenſatio. num.* 7 probatur autem hæc opinio a ſuis ſectatoribus ſupponentibus, quod in fauorabilibus caſus mixtus contineatur ſub ſimplici, vt communiter aſſerunt Canoniſtę apud eũdem Sanchez *loc. citato.* & ideo ſub facultate legitimãdi partum adulterinum, & inceſtuoſum aiunt cõprehendi facultatẽ legitimãdi prolem, etiã ſi in illa ſint mixti duo prædicti defectus: quod autem poteſtas hæc legitimãdi inter fauorabilia enumerari debeat, probatur ab eiſdẽ Authoribus; quia per legitimationẽ, ad quã hęc poteſtas ordinatur, fit regreſſus ad ius naturale antiquum, ſecundùm quod omnes homines naſcentes legitimi habebantur, vt patet ex *Authen. Quibus modis. §. Illud.* Limitat autem *Sanchez* hanc ſententiam *diſp. cit. num.* 29. in eo caſu, in quo facultas legitimandi conceditur in gratiam, ſeu fauorem illius, qui eſt legitimaturus; non autem quando eſt in fauorem perſonæ legitimandæ, vt docuit num. 6. eiuſdem diſputationis, loquens de poteſtate diſpenſandi; & ideo in priori caſu ait, amplè eſſe interpretandam hanc poteſtatem legitimandi, vt volunt Authores huius ſecundæ ſententiæ; ſtrictè autem eſſe explicandam in poſteri caſu.

Tertia ſententia admittit hanc ſecun- 13
dam, cum quadam tamen limitatione, nempè, quando ex legitimatione non ſequitur præiudicium contra tertium; ſecùs ſi aliquod tale præiudicium generetur, vt ſi alij conſanguinei peterent hæreditatẽ defuncti mortui ab inteſtato, aut ſi filij legitimi ipſius defuncti extarent; in his enim caſibus poteſtas legitimandi eſſet odioſa, & ſtrictè interpretanda. Hanc ſententiam cum tali limitatione tuentur aliqui Canoniſtę quod *Sanchez num.* 28.

in

Digitized by Google

in fine, eamque admittit ipſe Sanchez.

14 Dicendum eſt primo. Quando legitimatio non cedit in præiudicium tertij, tunc facultas legitimandi prolem, ex inceſtu, & adulterio, ſe extendit ad illum, in quo vtrumque vitium reperitur, nempè illegitimitas ob inceſtum, & ob adulterium, vt volunt Authores ſecundæ ſententiæ. Probatur, quia, ſecluſo præiudicio contra tertium, poteſtas hæc eſt fauorabilis, quatenus per ipſam fit regreſſus ad ius naturale, vt ſupra dictum eſt; ac proinde eſt amplianda, ita vt mixtum contineatur ſub ſimplici; quia in tali caſu ſe habet, vt purum beneficium Principis, quod latam poſtulat ſignificationem.

15 Ad primum autem argumentum, quo nituntur Authores primæ ſententiæ, reſpondeo, quod, licet conceſſo eo, quod eſt minus, non intelligatur conceſſum, quod eſt maius formaliter, & vt ſic; attamen quando verba conceſſionis quoad ſuam ſignificationem poſſunt ſe extendere ad illud, quod eſt maius, tunc in fauorabilibus fit ampliatio ad illud, non quatenus maius, ſed quatenus comprehenſum ſub verborum ſignificatione; ſecus in odioſis: & hoc pacto diſtinguenda eſt maior prædicti argumenti. Ad minorem verò, eadem eſt applicanda diſtinctio, hoc modo; poſſe legitimare prolem, quando vterque ille defectus cõcurrit ſimul, eſt quid maius, quam poſſe legitimare, quando ſeparatim concurrit, ita vt non comprehendatur ſub verborum ſignificatione, ſub qua conceditur minus, nego; ita vt comprehẽdatur, & ratione huius comprehenſionis poſſit in fauorabilibus eſſe obiectum, ad quod extẽdatur facultas legitimandi, concedo minorem, & nego conſequentiam.

16 Sed dices, quando plura concurrunt impedimenta ad celebrandum matrimonium, vt in ipſis diſpenſetur, eſt neceſſaria diuerſa, & maior poteſtas, quam ſit illa, quæ conceditur in vno tantum impedimento; quia pluralitas impedimentorum plus, & ſtrictius ligat, quàm liget paucitas: ergo in caſu noſtro diuerſa, & maior poteſtas requiritur ad tollendum vtrumque illum defectum, quàm ad vnũ tantum. Reſpõdeo, huic inſtantiæ ſatisfaciendum eſſe in ſequentibus quæſtionibus.

Ad ſecundum reſpondeo, quod quamuis diſpenſatio in rebus, quæ ſunt de iure communi ſtrictè ſit interpretanda, vt oſtendi in explicatione Cruciatæ *par. 1. trac. 1. cap. 5. n. 3.* nihilominus hæc ſententia, quæ communis eſt, nonnullas admittit limitationes; nam in quibuſdam caſibus diſpenſatio latam recipit interpretationem, vt *cap. cit.* adnotaui *num. 5.*

Reſpondeo ſecundo, plures eſſe Authores, qui diſtinguunt diſpenſationem a legitimatione; nam illa eſt in ordine ad vnum, & alterum effectum, hæc vero in ordine ad omnes ita vt, qui prius erat illegitimus, poſt legitimationem ſe habeat, ſicuti alij filij legitimi: hoc autem poſito, argumentum ex ſtricta interpretatione, quæ cõuenit diſpenſationi, dicere poſſunt, non procedere in legitimatione, cũ non ſit diſpenſatio. Sed quidquid ſit de hac diſtinctione inter diſpenſationem, & legitimationem, facilè enim reuocari poterit ad quęſtionem de nomine, non cogor hac via ſoluere argumentum. Reſpõdeo igitur tertio, me loquutum fuiſſe de poteſtate legitimandi, non autem de ipſa actuali legitimatione; ac proinde, ſicuti diſpenſatio eſt ſtrictè explicanda, ſic erit legitimatio, & ſicuti poteſtas diſpenſandi eſt latè interpretanda, ita poteſtas legitimandi: propterea ad argumentum concedẽdo, diſpenſationẽ eſſe ſtricti iuris, & odioſam, negandum eſt id, quod ex hoc infertur, videlicet priuilegium legitimandi, quatenus importat poteſtatem, non eſſe ampliandum ad vtrumque defectum, quando vnus defectus eſt coniunctus cũ altero in eadem perſona.

Ad tertium diſtinguo antecedens, & concedo, tunc à mixto diuerſam conſtitui ſpeciem ab ea, quæ conſtituitur à ſimplicibus, quando per commixtionem mutatur ſubſtantia ſimplicium; nego tamen conſtitui à mixto diuerſam ſpeciem, quãdo ſimplicia in mixtione retinent eamdẽ ſubſtantiam, & naturam. ita docet *Bartolus L. 2. num. 2. ff. de verb. oblig.* quem affert, & ſequitur *Sanchez diſp. 2. cit. in fine, &* ita explicanda eſt *L. Adeo cit. ff. de acquir. rer. dom.* quam arguens pro ſe adducit; loquitur namque de commixtione, per quam ſimplicia tranſeunt in aliam, & diuerſam ſpeciem, vt patet legentiſtic autem diſtincto antecedente, ad argumentum neganda eſt conſequentia. 17

Ad illud verò, quod dicitur de duobus vinculis ſtrictius ligantibus, quod confirmatur ex *cap. 1. de Pace, & Tregua* Reſpondeo, ſtrictius ligare extenſiuè, quatenus ſimul coniuncta reddunt hominem 18

plu-

Digitized by Google

pluribus vijs illegitimum, non autẽ quia cauſatur diuerſã illegitimitatẽ; nam prædicti duo defectus eamdem retinent qualitatem, ſeu naturam, quando ſunt coniuncti, quam ſeparati habebant.

19 Ad illud, quod additur de facultate Cruciatæ in ordine ad commutandum votum, & iuramentum, quando ſine connexione ſimul concurrunt in eamdẽ rem, videlicet, nõ poſſe vi ipſius Cruciatæ commutari, quia ratione coniunctionis ſtrictius obligant, & ideo poteſtatem bullæ ad illa commutanda non ſe extendere, quæ tamen extenderetur ad illa duo vincula ſeparatim accepta, Reſpondeo, negando hoc aſſumptum; puto.n.fieri poſſe vi bullæ commutationem, quamuis illa duo vincula ſuper eamdem materiam ſimul concurrant, quia ratione cõiunctionis non mutant propriam naturam, id eſt illam ſolubilitatem, quam ſecundum ſe, & ſeorſim habent; & vi coniunctionis ſolum extenſiuè, & non intenſiuè ſtrictius obligant: quam opinionem cum multis Authoribus ſuſtinui, & latè probaui in explicatione bullæ, eo loco cit. ad quem remitto lectorem.

20 Dicendum eſt ſecundo. *Si* legitimatio eſt in alterius præiudicium, tunc cenſeo cum Authoribus primæ ſententiæ, poteſtatem legitimandi ſtrictè eſſe interpretandam, vt pote odioſam; & ideo in caſu noſtro facultas, quæ conceditur ad tollendum defectum, qui cauſatur ex inceſtu, & defectum ex adulterio, debet explicari, vt ſolum extendatur ad prædictos defectus, quando ſeparati inueniuntur, & nõ quando ſunt coiuncti: & hoc probant rationes pro priori ſententia additæ. Placet tamen hic animaduertere præiudicium, de quo eſt ſermo, & vi cuius odioſa redditur legitimatio, habere latitudinem; poteſt.n.eſſe maius, vel minus iuxta qualitatem perſonarum, quibus per legitimationem infertur damnum; nam quo magis ſunt cognatione propinquiores ei, cui deberent ſuccedere in bonis temporalibus, eo magis graue cenſebitur præiudicium, & conſequenter efficacior, & maior requiritur cauſſa ad legitimationem cohoneſtandam, & hoc præſertim, ſi filij legitimi extarent, ad quos pertineret bonorum ſucceſſio, legitimatione non poſita. Rurſus eſt etiam conſiderandum; mortuus ne, ſit an vero adhuc in humanis degat ille, de cuius hereditate, & ſucceſſione agitur? nam ſi obiceret, & legitimi, qui ſuccedere deberent, petant hæreditatem, graue ipſis inferretur preiudicium, ſi ob legitimationem excluderētur, ne ſuccederent in bona in totum, vel in partem. Vt autem breuiter omnia reaſſumam, dico, quod ad reddendam licitam ipſam legitimationem, hæc ſunt attendenda, nempe qualitas, & ſtatus perſonarum, qui deberent ſuccedere, non facta legitimatione, merita perſonæ legitimandæ, & proportio cauſæ, ob quam fieri debet ipſa legitimatio.

Cæterum ſententia hæc, iuxta quam diximus, legitimationem, ſeu exercitium legitimandi, quando tendit in præiudicium alterius, eſſe odioſam, non admittitur ab omnibus; nam plures Authores, quos affert, & ſequitur *Merolla cap.6.cit. num.124.& 125.* cenſent, legitimationẽ ipſam eſſe fauorabilem: & huic ſententiæ adhæret *Sanchez lib. illo 8 diſput. 1. num. 33.* idque probant, quia legitimatio ita vergit in fauorem filij legitimati, vt parui pendi debeat damnum aliorum, qui ſucceſſuri fuiſſent, non facta legitimatione, cum talis ſpes ſuccedendi ſit in iure odioſa, vt colligitur ex *L.Poſt emancipationem. ff. de liberat. leg.* & confirmant hoc à pari; nam legitimatio, quæ fit per ſubſequẽs matrimoniũ eſt fauorabilis, & ideo ita legitimati fruuntur omnibus priuilegijs, quibus gaudent filij ex legitimo matrimonio nati, à quibus non differunt, vt probatur per textum in *cap. tanta Qui filij ſint legitimi*, & hoc, etiam ſi per accidens redundet in præiudicium eorum, qui deberent ſuccedere, ſi legitimatio non fuerit: ergo idem eſt dicendũ de legitimatione, quæ fit per reſcriptum conceſſum à Principe ita probant hi Authores ſententiam hanc, quam limitat *Merolla num.126.* videlicet, quando legitimatio haberetur à Principe poſt mortem patris; & cognati, qui deberent ſuccedere, peterent hæreditatem; tunc enim fatetur idem Merolla, legitimationem fore odioſam, & reſtringendam; quia præſumitur, quód Princeps legitimando velit quantò minus fieri poteſt, damnum alteri inferre. ita Author iſte diſcurrit plures laudans Authores: ſed nihilominus num.241 ſequenti animaduertit ex alijs, hanc limitationem nõ procedere, quando legitimatio fieret à Principe ex voluntate eiuſdem patris ſic diſponentis ante mortem; quia tunc fauorabilis erit cenſenda.

Sed, quidquid ſit de hac ſententia, quatenus abſolutè, & ſimpliciter aſſerit, legitimationem eſſe fauorabilem, certū eſt in aliquo caſu, ob graue præiudiciū aduerſus alios eſſe odioſam, & reſtringendā, vt vidimus ex mēte Authorum, qui opinionē hanc tuentur; licet in alijs caſibus poſſit legitimatio fauorabilis eſſe; illud autem, quod ego in hac quæſtione principaliter intendo, eſt, quòd poteſtas legitimandi, non relata tamen ad hunc, vel illum caſum indiuidualem, ſit fauorabilis, ſicuti eſt poteſtas diſpenſandi, & quòd legitimatio per ſe loquēdo tendens in damnū alterius ſit odioſa, eſto quòd in aliquo caſu ſit fauorabilis, vt de ipſa diſpenſatione affirmant Doctores: videre autē quales ſint caſus plures, vel pauciores, in quibus eſt odium, aut fauor, non pertinet ad præſens inſtitutum.

CAPVT IIII.

An hac Regula locum habeat in diſpenſationibus?

22 SOlet præſens quæſtio, etiam ſub alijs terminis, idem tamen ſignificantibus proponi ab Authoribus, hoc pacto, an valeat in diſpenſationibus argumentum à maiori ad minus?

Prima ſententia eſt aliquorum Canoniſtarum apud *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 1. num.* 31. qui partem affirmatiuam tuentur, videlicet, in diſpenſationibus validum eſſe argumentum à maiori ad minus, & conſequenter regulam hanc, nempe, Cui licet quod eſt plus, &c. procedere in illis. Ducuntur ad hanc opinionem ſuſtinendam ex nonnullis iuribus ciuilibus, & Canonicis, nempè ex L. *Nec in ea. ff. ad L. Iuliam de Adulterio*, vbi ſic dicitur [Sed qui occidere poteſt adulterum, multo magis contumelia poterit iure afficere] ex hac lege Authores huius ſententiæ accipiunt argumentum, quòd ſi in pœnalibus, & odioſis, qualis eſt prædicta lex, valet argumentum à maiori ad minus, nempè, à facultate occidendi aliquem ad facultatem contumelijs eumdē afficiendi, vel verberandi; ita à pari, quāuis diſpenſatio ſit odioſa, nihilominus argumentum à poteſtate diſpenſandi in eo, quod eſt maius, valebit ad poteſtatem diſpenſandi in eo, quod eſt minus.

23 Præterea confirmatur authoritate iuris canonici *in cap. ex parte tua 27. de decimis.* vbi habetur reſponſio Pontificis ad Abbatem S. Columbæ Senonenſis, qui ab eodem Pontifice quæſierat, an priuilegium, quod ipſi Abbati fuerat conceſſū, non ſoluendi decimas ex terris ſuarū Parochiarum, ſed ex illis integros fructus in ſui vtilitatē percipiendi, intelligi etiā deberet de noualibus? cui Pōtifex reſpōdet affirmatiuè, & huius rei rationem aſſignat his formalibus verbis [Vbi maius conceditur; minus conceſſum eſſe videtur] & tamen priuilegium hoc eſt odioſum, cum ſit contra ius commune præſcribens, decimas eſſe ſoluendas *Eccleſiæ* miniſtris; vt patet ex *ex cap. ſtatuimus 16. quæſt. 1. &* 2. per varios canones, & pariter in decretalib. & in Tridentino *ſeſſ. 25. de Reform. cap.* 12. Denique eodem argumēto à maiori ad minus vtitur Pontifex *in cap. per venerabilem. Qui filij ſint legitimi* dicens, legitimatum quoad ſpiritualia, quę ſunt maiora, intelligi legitimatum quoad temporalia, quæ ſunt minora. His, & ſimilibus argumētis ſuaderi ſolet hęc ſententia.

Secunda autem, quibuſdam appoſitis limitationibus, oppoſitum docet, nempè in diſpenſationibus non valere argumētum à maiori ad minus; & ideo in illis fallere regulam hanc, videlicet, Cui licet quod eſt plus, &c. ita quamplures Canoniſtę, quos refert, & ſequitur *Sanchez diſp. cit. num.* 32. quibus addo *Petrum Peckium in explicatione huius regulæ. ampliatione. 3. Riccium in praxi reſolut.* 410. *nu.* 4. *Auguſtinum Barboſam in collectan. exponendo hanc eamdem regulam num. 4. Merollam to. 2. diſp. 4. cap. 6. dub. 1. coroll. 8 num.* 65. & alij, qui id probant ex regula 28. huius libri, in qua dicitur [Quę à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda] diſpenſatio autem exorbitans eſt à iure, & eſt ſtrictè interpretanda; proinde non valet in illa argumētum à maiori ad minus; ita hi Authores diſcurrunt, hanc ſententiam probantes; ſed tot eidem addūt limitationes, vt re ipſa, ni fallor, non videantur ab Authoribus prioris ſententiæ diſcrepare. 24

Dicendum igitur eſt, hanc ſecundam ſententiam, ſi rectè declaretur, eſſe admittendam, vt pote iuri conformiorem; & moueor ob aſſignatam rationem, ex Regula illa, *Quæ à iure exorbitant non eſſe extendenda*. diſpenſationes autem 25

ſo-

ſolent exorbitare à iure, vt communiter docent Authores. Cæterum, vt adnotauimus, concluſionem hanc oportet explicare, cum in multis caſibus contrarium aſſerere cogamur: interim verò reſpondum eſt ad argumentum, quo nituntur Authores primæ ſententiæ, quatenus aliquo modo probare poteſt contra noſtram opinionem; nempe ad argumentũ *ex L. Nec in ea &c.* Dico igitur primò, in ea lege non eſſe ſermonem de diſpenſatione, ſed de conceſſione, ſeu permiſſione, in quantum permittit, vt pater impunè occidere poſſit adulterum, inueniens in illũ actuali crimine cum filia. Secundo dico, rectè ex tali permiſſione inferri, quod ſi ex conceſſione legis poteſt parens infligere adultero grauiſſimã, & vltimam pœnam, qualis eſt mors, multo magis eodem iure permittitur ipſi parenti contumelijs adulterum afficere; nam talis contumeliarum irrogatio eſt veluti pars illius maioris pœnæ, quã adulter meretur: argumentum autẽ à maiori ad minus valet, quando illud minus eſt pars, & quaſi ſpecies illius, quod eſt maius, vt animaduertimus in explicatione huius regulæ in fine. Poſitis autẽ his reſpõſionibus, argumentũ illud *ex L. Nec in ea* nobis minimè aduerſatur. Placet tamen hic adnotare prædictam legem, & alias ſimiles, quæ concedunt Patri, aut Marito interficere adulterum, quando reperitur in actuali crimine, non eſſe approbatas in iure canonico, & talem occiſionem nõ eſſe licitam in foro animæ, niſi fiat à patre, aut marito, vt executoribus Iuſtitię, & poſt iuridicam ſententiam, vt rectè notat *Leſsius lib. 2. de iuſt. cap. 9. dub. 5.*

Denique alterutra ex his reſponſionibus dãda erit ad alias leges, ex quibus infertur validitas prædicti argumenti a maiori ad minus; vel enim in illis non eſt ſermo de diſpenſationibus, ſed de ijs, quæ beneficio iuris conceduntur, quæ ſũt amplè interpretanda, vel, ſi interdum ſermo ſit de diſpenſationibus, debet intelligi, quando maius, & minus connexionem aliquam habent, ex adnotatis ſupra in explicatione huius regulæ.

CAPVT V.

An aliquæ dentur diſpenſationes, in quibus iuxtà huius regulæ præſcriptum valeat argumentum à maiori ad minus?

DEclarando hanc eãdem regulam, in fine explicationis, antequam quæſtiones inſtituerem, varia attuli ſignificata harum vocum, nempe, *maioritas, minoritas*, pro vt ad præſentem materiam ſpectant; nunc autem deuenio ad examinandas nonnullas diſpenſationes in illis materijs, quæ ad regulam videntur pertinere poſſe: id autem præſtabo diſtincta quæſita proponendo.

26 Quæres primò, an diſpenſatio, qua Pontifex diſpenſat, vt Epiſcopus promoueatur ad maiorem dignitatem, nempe ad Archiepiſcopalem, extendatur ad minorem dignitatem, nempe ad Epiſcopatum, vel parem dignitatem? Quæſitum hoc ſupponit translationem ex vno ad alium Epiſcopatum fieri non poſſe, niſi auctoritate Summi Pontificis, vt habetur ex *cap. fin. de translat. Epiſ.* hoc autem præſuppoſito, dicere quis poſſet, diſpenſationẽ extendi ad dignitatem minorem, quia vt innuit *Gloſſa cap. cit. verſ. ad Patrem*, conceſſo eo, quod maius eſt, videtur concedi, quod minus eſt.

27 Sed omnino dicendum eſt oppoſitum, videlicet, diſpenſationem hanc non extendi ad id, quod eſt minus, ita expreſsè decidit Pontifex *Cap. cit. §. Nec illa.* his verbis (Vnde licet forſitan aliquibus videatur, vt indulgentia occaſione ipſius ad dignitatem poſſit tranſire maiorem; ad parem tamen ipſi tranſire non licuit; cum in maiori dignitate propter maiorem vtilitatem faciliùs ſoleat diſpenſari.) Hæc Pontifex. & hanc ſententiam confirmant communiter Canoniſtæ in Comment. illius capitis. *Panorm. num. 8. Imola num. 4. Alagona in ecomp. Iuris canonici ibidem pag. 85.* Ratio autem huius rei eſt, quia tenor illius conceſſionis, ſeu indulgentiæ tranſeundi ad maiorem dignitatem ad vnguem eſt ſeruandus; & ideo non licet ab illo recedere. & hoc probant Panorm. & Imola locis cit. ex cauſa conceſſionis, quæ fundatur ſuper maioritate; maior enim vtilitas inuenitur in maiori, quàm in minori dignitate: ſecùs ſi cauſa fundaretur in ipſius promo-

Digitized by Google

uendi habilitate; quia tunc habilitatus ad maiora, cenſeretur habilitatus ad minora. habilitas.n. eadem eſſet reſpectu vtriuſque dignitatis, cum eadem numero haberetur cauſa.

28 Si autem quis interroget, cur ille, cui à Pontifice conceditur tranſire ad maiorem dignitatem, nequeat tranſire ad minorem, aut ſaltem æqualem dignitatem, cum talis tranſitus in nullius præiudicium cedere videatur, niſi ipſiuſmet, qui debet tranſire?

Reſpondeo, dubium hoc proponi à *Gloſſa cap. cit. verſ. Ad Parem*, quæ ait, in re hac minus eſſe tranſire ad maiorem, quàm ad parem, vel minorem; quia per tranſitum ad maiorem minus læditur ius commune. Hanc reſolutionem approbat *Romanus conſil. 436 in fine*, & *Euerardus in ſuis Topicis. Loco A ratione legis larga. ver. Tertio fallit. pag. mihi* 378. Vt autem veritas huius reſponſionis magis eluceat, oportet eam aliquanto fuſius declarare. Aio igitur, illam fundari in hoc, quòd diſpenſationes præiudiciales ſtrictè ſunt explicandæ, & in illis valere non debet argumentum à maiori, ad minus; cũ autem diſpenſatio hæc, de qua eſt ſermo, ſecundùm quam *Epiſcopo* conceditur tranſitus ad aliam *Eccleſiam*, ſit odioſa, & contra ius commune prohibens hos tranſitus, ne diſſoluatur vinculum, & ſpirituale coniugium, inter ipſum Epiſcopum, vt ſponſum, & Eccleſiam, vt ſponſam; idcirco maioritas, & minoritas læſionis contra ius commune fundari debet in qualitate præiudicij, quod fit Eccleſiæ, quæ derelinquitur; quo enim maius eſt præiudicium, eo maior erit læſio iuris, & vice verſa, quo leuius eſt præiudicium, eo leuior erit læſio eiuſdem iuris: maioritas autem, & minoritas huius præiudicij attendi debet in ordine ad qualitatem *Eccleſiæ*, in quam fit tranſitus, comparatiuè ad *Eccleſiam*, quæ deſeritur; & ideò ſi Eccleſia, ad quam fit tranſitus, erit minoris dignitatis, quam ſit Eccleſia relicta, maius reſultabit præiudicium illo, quod haberetur, ſi tranſitus fieret ad *Eccleſiã* nobiliorem, quia permutatio in melius non eſt tanti præiudicij, quanta eſt permutatio in vilius; nam hæc ex natura ſua aliqualem videtur inuoluere contemptũ, qui non inuenitur, quando mutatio fit cũ excellentiori; & idem dico, quando vnum æquale deſeritur pro alio æquali; nam poſita æqualitate, non apparet ſufficiens ratio deſertionis. Ex his colligi poteſt, veram, et firmam eſſe ſolutionem, quam dat Gloſſa ad ſupradictũ dubium, dicẽs, in hac materia minus eſſe tranſire ad maiorem, quàm ad parem, vel minorẽ, quia tranſitus ad maiorem dignitatem minus lædit ius, et fit minus præiudicium illi dignitati, quæ deſeritur; & ideo rectè eadem Gloſſa ibidem infert, eſſe magis diſpenſabilem tranſitum ad maiorem, quàm ad minorem dignitatem: & hoc ob dictas rationes; ex quibus infero, quòd, ſi quis in re hac validum cenſeret argumentum à diſpenſatione maioris dignitatis ad minorem, deciperetur; quia non eſſet argumentum à maiori ad minus, ſed à minori ad maius, quod nihil concludit.

Quæres ſecundo, an ille, cui Pontifex conceſſit integram præbendam, validè poſſit vi talis conceſſionis recipere dimidiam, quamuis in ea *Eccleſia*, in qua aſſignatur præbenda reperiantur integræ, & dimidiæ præbendæ? poſſet alicui videri affirmatiuè reſpondendum; quia in hoc caſu valet illatio à maiori ad minus; cum dimidia, & integra præbenda appareant eſſe eiuſdem generis, in quibus argumẽtum de maiori ad minus locum habet. 29

Sed negatiuè eſt reſpondendum, vt expreſsè deciſum eſt *in cap. Cui de non ſacerdotali. §. ſimiliter ſi in eccleſia vbi de præb. & dignit. in 6. Gloſſ. ibi Ver. Integrè. Molina tract. 2. de primogen. cap. 4. num. 48. & 49. Guttier. in quæſt. canon. cap. 15 num. 124. & 126. Barboſa in Reg. Cui licet. num. 4. Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 2. num. 23. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 6. num. 66. in reſponſione ad ſecundum*, & alij. Probatur, quia in iure prohibetur diuiſio præbendæ, vt manifeſtè habetur in Concilio Turonenſi: quod refertur *in c. Maioribus, & cap. Dilecto. verſ. nam ſi duo vnicam, & cap. Vacante. ver. ſuper quo. de præben. & dignitat.* & ibi communiter Canoniſtæ; quamuis tempore, quo ipſa præbenda vacat, concurrente rationabili cauſa, diuidi poſſit in duas, ſi quælibet portio ſit ſufficiens ad honeſtã ſuſtentationẽ. vt dicitur *in Cap. Vacante cit.* quia tunc fieri poſſet talis diuiſio authoritate Epiſcopi, vt notat *Barboſa eodem cap.* ſed facta diuiſione, duæ erũt præbendæ, quæ duobus conferri poterunt. Cum igitur de iure prohibita ſit diuiſio præbendarum, & aliorum beneficiorum, quando Pontifex mandat abſolute, vt alicui præbenda aliqua conferatur, ni-

hil

Digitized by Google

hil aliud addendo, nequit collatio præbendæ fieri quoad medietatem, etiam ex conſenſu ipſius promoti; quia aliter eſſet contra ius, & non iuxtà mandatum Pontificis, atque ideo irrita; & ſic in hoc caſu non valet argumentum à maiori ad minus, ſeu à toto ad partem; quia minoritas, ſeu pars quamdam adnexam habet qualitatem, quę non reperitur in maioritate, ſeu in toto: hæc autem qualitas, quam pono in prædicta minoritate, ſeu parte, eſt reſiſtentia iuris communis
30 ſuperius declarata.

Hæc ratio deſumpta ex indiuiſibilitate præbendę efficacius probat, quando Pōtifex in mandato adderet, vt integra cōferatur præbenda; tunc enim diuiſio præbendæ in duas portiones non ſolum repugnaret iuri communi, vt oſtenſum eſt, ſed etiā in ſpeciali mandato Pontificis præcipientis collationem integrę præbendæ.

Dices; mandatum de conferenda integra præbenda, eſt in fauorem, & vtilitatem ipſius præbendarij, ergo ipſe poterit renunciare hoc, quod eſt in ſui gratiam, & valide recipere medietatem præbendę.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens; mandatum eſt in fauorem præbendarij, qualificatum iuxta iuris diſpoſitionem, concedo; abſque tali qualificatione, nego antecedens, & conſequentiam; nam Pōtifex, ſi ſpectetur forma mandati, & diſpoſitionis, ita vult fauere prębendario, vt illæſum ſeruetur ius: & etiā ſi eſſemus in dubio, hoc eſſet præſumendum; læſio enim iuris cōmunis eſt valdè odioſa, quæ niſi expreſsè habeatur, prę ſumi non debet.

31 Eamdem ſententiam docent Doctores in alio caſu ſimili, nempè, quando Pontifex mandat, conferri prębenda minoris valoris, quia talis collatio non eſſet iuxtà formā mandati Apoſtolici vide *Sanchez, & Barboſam locis citatis*. Hinc ob eamdem rationem dicunt, quod ſi Pōtifex diſpēſet, vt *Religioſus* obtineat beneficium curatum non poterit eidem loco beneficij curati conferri beneficium ſimplex. ita *Natta conſil.* 504. *num.* 4. *& Riccius in praxi aurea. reſol.* 410. *num.* 5. *& Barboſa de offitio, & poteſt. Epiſcopi alleg.* 33. *num.* 14. *& alij*.

32 Quæres tertiò: ſi quis petat, vt Pontifex diſpenſet in aliquo gradu conſanguinitatis. v. g. in tertio, vt duo inuicē matrimonium contrahant, & diſpenſatio obtineatur iuxtà formam ſupplicationis, ſed re vera gradus ſit in affinitate, & ex errore dictum fuerit, quod ſit in conſanguinitate, vtrum diſpenſatio hæc valorem habeat in ordine ad tollendum impedimentum proueniens ex affinitate? Ad quęſitum videtur primo aſpectu affirmatiue reſpondendum, quia, cum maius ſit impedimentum, quod prouenit ex conſanguinitate, quàm ex affinitate, ſi ponatur ęqualitas in gradu, idcircò diſpēſatio ad maius extenditur ad minus eiuſdem generis, quod cenſetur ſub maiori contineri; impedimenta autem hęc ſunt veluti fundata in coniunctione ſanguinis.

Sed negatiua pars eſt omnino amplectenda, quam tuetur *Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 24. *nu.* 19 *eodem tractatu lib.* 8 *cap.* 17. *§.* 5. *in fine. Bonacina de leg. diſp.* 1 *qu.* 2. *pu.* 5. *nu.* 8. & alij: ratio autem eſt, tum quia ſunt impedimēta diuerſa, licet, in genere remoto conueniāt, tum etiam quia vnum non continetur ſub alio; & ideò non valet diſpenſatio; neque argumentum à maiori: ſecus autē eſſet dicendum, ſi error in ſupplicatione fuerit, explicādo gradum maiorem, cum re vera fuerit minor, contentus tamen ſub maiori; putà, ſi dictum fuerit, eſſe in ſecundo gradu conſanguinitatis, cū eſſet in tertio eiuſdem conſanguinitatis; iſte enim gradus eſt comprehenſus ſub ſecūdo. ita *Sanchez eadem diſp. num.* 17. *& Baſilius loco cit.* vnde in hoc caſu valet hęc regula, & militat argumentum à maiori ad minus, ratione comprehenſionis, quam habet vnum ſub alio.

REGVLA LIV.

Qui prior eſt tempore, potior eſt iure.

FOrmata eſt præſens Regula ex variis iuribus ciuilibus, nempè *ex L. qui balneum, & L. potior. ff. qui potiores in pignore habeantur, & in L. ſi fundum. C. eo. tit.* Quo autem pacto ea ſit reſpectu diuerſarum materiarum intelligenda in ſequentibus declarabo.

CA-

CAPVT I.

Expenditur Regula quoad prioritatem in obtinendis Beneficijs, officijs, &c.

VAriæ ſolent in praxi contingere dubitationes in acquirendis, ſiue beneficijs, ſiue officijs, aut dignitatibus, fundatæ in prioritate, & poſterioritate impetrationis, & præſentationis; idcircò diſtinctis quæſitis ſunt enodandæ.

1 Quæres primò, Qui prius impetrauit aliquod beneficium in Eccleſia determinata, an præferendus ſit in acquiſitione talis beneficij alteri, qui poſtea idem beneficium obtinuit, ſed prius literas præſentauit?

Ad hoc quæſitum ſoluendum plures hic *Dynus num. 2. & ſeq.* præmittit diuiſiones, & ſubdiuiſiones, quas ſanè poterat ad obſcuritatem, confuſionemque vitandam clariùs proponere, & reſoluere. Quid verò ſentiendum ſit, ego nunc aperiam; & pro maiori elucidatione priùs, & ſeparatim conſidero ipſas impetrationes inuicem comparatas, præſcindendo à præſentatione litterarum, de qua poſtea erit ſermo. Dico igitur, triplicem eſſe modum, quo caſus euenire poteſt. Primò, ſi vtraque impetratio ſit ſimplex, videlicet ſine conditione. Secundo, ſi prior fuerit ſub conditione, poſterior verò abſoluta. Tertiò, ſi vtraque ſit conditionalis.

2 Ad primum aio, eſſe preferẽdum eum, qui primò beneficium obtinuit, vt certum eſt apud omnes; quia, cum ſit prior tempore, potior cenſeri debet cæteris paribus, vt habetur ex diſpoſitione præſentis Regulæ.

3 Ad ſecundum cum diſtinctione reſpõdeo, & dico, poſteriorem, qui abſolute obtinuit, præferendum eſſe, ſi conditio adiecta priori conceſſioni non ſit purificata tempore collationis; ſecus verò, ſi talis conditio ſit adimpleta, ita colligitur *ex cap. ſi pro te. de reſcrip. in 6. Gloſſa in expoſ. cuſus. & alij*, quos refert, & ſequitur *Barboſa ibidem num. 1.* ratio autẽ prioris membri eſt; quia conceſſio talis conditionalis eſt imperfecta, & quoad effectum manet ſuſpenſa; &, quemadmodum inquit *Gloſſa in fine. lit. G, ver. Merito.* quamuis ille poſterior fuerit in impetratione, eſt tamen prior iure; nã conditionale mandatum, ante conditionem impletam nõ habet conſenſum. Ratio verò pro ſecundo membro eſt manifeſta, quia, impleta conditione, gratia, ſeu conceſſio, quæ prius erat conditionalis, remanet abſoluta, & conſequenter ſe habet ſicut illa alia conceſſio ſimplex; ideoque, cum omnia cenſeantur paria, militat regula, vt qui prior tempore fuit, is potior exiſtimetur, & præferendus.

Ad tertium facilis, et in promptu eſt reſponſio; cum enim vtraque conceſſio ſupponatur conditionalis, ideo cæteris paribus anteponi debet, qui prior eſt quoad tempus: at, ſi caſus ſupponeretur, in quo conditionalis conceſſio fuerit eodem tempore quoad impetrationem, & 4
circa idem numero beneficium, tunc Epiſcopus, Capitulum, ſiue alius, ad quem Põtifex literas direxerit, poteſt eligere, quem voluerit, ita colligitur *ex cap. duobus. de reſcrip. in ſexto ex Gloſſa* & alijs. & hæc dicta ſint de impetrationibus inuicem comparatis præſcindẽdo à literarum præſentatione.

Supereſt, vt agamus de impetratione relata ad præſentationem litterarum: puta, ſi quis prius altero impetret, ſed in 5
præſentatione ſit poſterior, an ſit præferendus ei, qui, quamuis poſterius impetrauerit, prius tamen præſentauit literas? & aio, eſſe præferendum *ex Cap. Tibi in princ. de reſcrip. in 6.* vbi *Gloſſa, Dynus*, & alij cum Barboſa hic: & ratio eſt, quia, licet ſit poſterior præſentatione, eſt tamen prior in data, nempè in impetratione; ideoque potior eſt cenſendus: quod tamen intelligi debet, niſi beneficium ſit iam collatum primo præſentanti, qui in poſſeſsione reperiatur; tunc enim, qui prior impetrauit, reijciendus eſt, excepto, vt notat Gloſsa, quod in prima impetratione, non contineatur decretum irritans, & inane reddens quicquid in præiudiciũ ipſius actum fuerit; nam hoc caſu, ſuppoſito tali decreto irritante, collatio facta primo præſentanti non valebit, ſed qui primò impetrauit, præferendus eſt.

Quæres ſecundo, ſi aliqui pares ſint in 6
gratia conceſſa, quis præferendus? Reſpondeo, eſſe præferendum, qui prius coram executore, ſeu gratiæ litteras præſentauit *cap. Capitulum. verſ. qui ad eos de Reſcrip. Gomez in Reg. 8. cancell. §. 3. procem nu. 18. Barboſa in eo. cap. num. 3.*

Quæres tertio. Reſcriptum, ſeu priuilegium quod ſecundum datam eſt prius, an 7
præualeat alteri ſimili reſcripto, quod ſecun-

Digitized by Google

eundũ tempus ſignatę ſupplicationis eſt poſterius? pro hac ſententia decẽ, & octo auctores laudat *Barboſa cap. cit nu. 4.* & tandem remittit ſe ad *Mandoſ. conſ. 16. num 3.* plures cumulantem. ratio autem huius ſententiæ eſt, quia per datam gratia dicitur eſſe in rerum natura, & incipit operari, cum prius ante datam potuiſſet gratia lacerari; ideoque tempus ipſius datæ eſt attendendum. ita ex laudatis auctoribus ſuadetur hæc ſententia.

8 Sed in contrarium poſſet quis vrgere hoc pacto. Gratia ex ſola ſignatura dicitur perfecta, vt auctores aſſerunt apud *Barboſam cap. cit num. 4.* ergo non incipit eſſe perfecta à die datæ. Reſpondeo cum eodem Barboſa ibidem, quòd, licet gratia perfectionem recipiat à ſignatura, hoc tamen non obſtante, perfectio hæc incipit à die datæ, quia cenſetur Pontifex ſupplicationem ſignare tempore, quo fit data; & quando id non apparet, omnino præſumitur, ita vt probatio in contrarium non admittatur.

Remaneret agendum de prioritate, & potioritate creditorum quoad hypothecas; verum materia hæc, vtpotè ampliſſima, particularem exigeret tractationẽ; & quia paſſim tum a Legiſtis, tum à Canoniſtis & Theologis in tractatu de iuſtitia, & iure diſcuti ſolet, idcircò abſtineo ab examine talis materiæ, de qua integri potiſſimùm apud Legiſtas reperiuntur libri, ad quos lectorem remitto. Solum pro complemento præſentis Regulæ, quantũ ſanè meum fert inſtitutum, aliquæ eius fallentiæ ſunt aperiendæ, quas in ſequẽti capite afferam.

CAPVT II.

Nonnullæ præſentis Regulæ limitationes proponuntur.

9 PRimò, non obſtante prioritate, & potioritate quoad obtinendum beneficium, limitatur hæc Regula, ſi conſtat, mentem concedentis velle in præiudicium prioris, & potioris beneficium conferre poſteriori. Hanc limitationem ponit hic *PecKius num. 10. fallentia 1.* quam tamen non videtur admittere, niſi cum hac reſtrictione, nempè, vt priori de alio beneficio, vel de re æquiualenti prouideatur. Ego verò loquendo de hac fallentia abſolutè, & ſine prædicta reſtrictione dico, eam fundari in vniuerſali, & plenaria poteſtate, quam habet Summus Pontifex, præſertim in eccleſiaſticis beneficijs, vt expreſsè dicitur *in cap. 2. de præbend. in 6.*

Cæterum huic opinioni, quatenus aſſe- 10
rit, poſſe a Põtifice præiudicium inferri ei, qui habet ius prioritatis, non adhæret *Rebuffus in praxi Beneficiorum Gloſ. 6. nu. 13. & 14.* docet enim, quòd, licet in Summo Pontifice ſit plena poteſtas conferendi, vniendi, & diuidendi beneficia, nihilominus non intendit, poſſe abſque peccato tollere ius alteri quæſitum. ita *Rebuffus*, qui ſe remittit in hoc ad ea, quæ ipſe ſcripſit *in tract. nominat. quæſt. 21.* & pro ſe citat *Zabarellam conſ. 142. nu. 3. & ſeq.* quæ quidem Rebuffi ſententia mihi non diſplicet; quamuis enim concedamus, Pontificem in his validè poſſe alteri in iure quæſito præiudicare, nequit tamen abſque ſufficienti cauſſa licitè id facere.

Secundò limitatur, quoties adeſt de- 11
fectus illius, qui prior eſt, cuius quidem defectus multipliciter contingere poteſt, puta, ſi fuerit negligens; quia tunc præbenda alteri poſteriori confertur *cap. Tibi, qui. in fine. de reſcrip. in 6.* decernere autem, quando iſte talis fuerit negligens, ad arbitrium Iudicis ſpectat, quod approbat *Felinus in cap. Capitulum. num. 3. verſ fallit primo. de reſcriptis.*

Tertiò limitatur, quando ille, qui de- 12
bet beneficium conferre, iuridicum habet impedimentum, V. g. quia eſſet excommunicatus, non toleratus, aut ſuſpenſus ſaltem ab officio, ideoque beneficium conferre non poſſet ſine nullitate, vt habetur *in cap. cum inter. §. fin. de elect.* hoc enim caſu ille, qui tempore talis impedimenti factus eſt electus, licet prior tempore, debet poſtponi alteri electo poſt obtentã eligentis à prædicto impedimento abſolutionem. ita *PecKius hic in 2. fallentia.* & deſumitur deciſio *ex d. cap. cum inter.*

Quartò limitatur, ſi prior electus ſit 13
impeditus propter inhabilitatem; quia poſtea electus habilis præferri debet *cap. Cum noſtris de conceſſ. præbend.* & ratio eſt, quia ſtãte inhabilitate ille prior caret omni titulo ad beneficium; inhabilitas enim in beneficijs nequit titulum dare, *Baldus cap. ex parte. de teſtibus* apud *PecKium fallen. 3.*

Quintò limitatur, ſi forma requiſita 14
in impetratione, vel in collatione minimè ſeruata fuit in priore electo; tunc,

quia

quia talis electio irrita fuit, preferẽdas eſt poſterior iuxtà formam electus. *cap. quià propter, & cap. ſuper eo. de elect.* Plura alia, in quibus Regula hęc limitationes patitur, videri poſſunt apud laudatos auctores, & pręſortim apud *Felinum loco citato.*

REGVLA LV.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra.

CAPVT VNICVM.

Dilucidatur Regula.

1 MAximi ſanè ponderis eſt pręſentis Regulę diſpoſitio, cui ſimilis alia reperitur in iure ciuili *L. ſecundum naturam ff. de Reg. iur.* triplex autem in hac Regula inueniri axioma admonet *PecKius*, quartum addit *Streinius:* at verò, qui diligenti cõſideratione ſenſum, verbaque attendere velit, comperiet profectò, nullũ quoad rem ſignificatam diſcrimen inueniri; in ijs enim partibus *à PecKio* poſitis quatuor illæ à *Streinio* aſſignatę implicitè continentur. *Ego* tamen cenſeo, axiomata, quæ ex hac regula deſumuntur, duo tãtum eſſe, quorum primum ſic procedit; *Qui ſentit, ſeu ſuſtinet onus, conueniens eſt, vt eiuſdem rei commodum, ſeu lucrum percipiat. Secundum autem à contrario ſenſu ſic exponitur. Qui in aliqua re, ſiue negotio fruitur lucro, ſeu commodo, particeps quoque eſſe debet oneris, ſeu incommodi, quod ex eadem re naſcitur.* Cęterum, ſi verba diuerſo modo apponantur ternarius quidem, vel quaternarius reſultabit numerus axiomatum inter ſe diuerſorum quoad verborum transpoſitionem, vel quoad terminorum mutationẽ ex affirmatiuis in negatiuos, vel è contra, hoc pacto. *Qui ſentit onus ſentire debet commodum. Qui non ſentit onus non debet commodum ſentire. Qui ſentit commodum ſentire debet onus. Qui non ſentit commodum onus ſentire nequaquam debet.* In has quatuor partes diuiſit *Streinius* duo illa axiomata, quæ quidem partes non multiplicant numerum axiomatum, ſed ſolum conſiſtunt in verborum translatione, & qualitate, vt declarauimus. Quomodocumque autem formentur propoſitiones, mutando affirmatiuam in negatiuam, vel è conuerſo, ſemper propoſitio continebitur ſub vna ex duabus à me propoſitis ſecũdùm ſenſum implicitum.

Aduertendum tamen hic eſt pro completa huius Regulæ notitia, quòd ea, quæ dicta ſunt de onere, & lucro, ſeu commodo, ſunt intelligenda de ijs, quæ procedunt ex natura ipſius intrinſeca, & non de ijs, quæ ab extrinſeco, & per accidens proueniunt, quod etiam notauit *Barboſa* in fine explicationis huius, regulæ ex *Caſtil. in controuer. iur. lib. 2. cap. 5. num.* 2
56. Aequitas autem huius diſpoſitionis eſt adeò perſpicua, vt primò intuitu; & ſolo naturali lumine pateat, neq; eſt alicui determinatæ materiæ alligata; ſed tranſcendens per quaſcumque vagatur materias: proinde ſatis eſt, vt in eadem re, ſeu negotio, ſeu cauſſa reperiatur commodum, & incommodum, vt vtrumque ſentiatur; niſi ex iure, ſiue ex ſpeciali conuentione oppoſitum diſponatur 1 quod hìc *Gloſſa* declarat *verſ. qui ſentit onus* circa medium. 3

REGVLA LVI.

In re communi melior eſt conditio prohibentis.

MAgna inuenitur affinitas, & connexio inter Regulam hanc, & 29. *Quod omnes tangit, &c.* idcircò, vt ibidẽ in fine animaduertimus, plures caſus, qui illi Regulę adaptari poterant, in hunc locum remiſimus. Deſumpta autem eſt præſens Regula *ex L. Sabinus ff. comm. diuid. & ex L. in concedendo ff de Aqua pluuiæ arcenda;* in his enim legibus illud ipsũ expreſsè ſtatuitur, quod in hac regula 2 pro cuius quidem expoſitione, animaduertendum eſt, (quod etiam adnotauimus in Reg. prędicta 29.) commodum, & onus alicuius negotij, cum dicitur ad plures ſpectare, dupliciter intelligi poſſe 3 primò, prout dictio illa, *plures*, diſtributiuè ſumatur, nempè, vt ita ad plures commodum, & onus pertineat, vt etiã ad ſingulos ęquè principaliter ſpectet: ſecũdò, quatenus dictio, *plures*, collectiuè accipiatur, ſeu, in quantum plures conſtituunt vnum corpus, ſeu vnum collegium: ſub qua quidẽ duplici acceptione *in Reg. 29.* declarauimus dictionem *omnes*. Similiter in pręſenti regula, cum dicitur, *in re communi*, quia communitas importat plurium aggregatum, ſumi vtroque modo 1

po-

poteſt; ideoque in decidẽdis caſibus iuxta huius *Regulę* diſpoſitionem attendi debet, an pluralitas, ſeu communitas diſtributiuè an verò collectiuè ſit accipienda? ad quod determinandum conſideranda eſt qualitas materię, de qua agitur in caſibus ſpecialibus, quorum ego aliquos pro viribus examinabo.

CAPVT I.

Si duo eamdem domum, ſeu cubiculum in ſolidum conduxerint, an vnus ex ipſis recedere volens poſſit alium loco ſui ſubrogare, altero ſocio inuito?

1 PLures ex Iuriſtis, & Canoniſtis caſum hunc proponunt, & reſoluunt, inter quos eſt Baldus *in L. ſi conuenerit num. 4. ff. pro ſocio*. *Gloſſa in L. Non aliter. ff. de vſu, & habitatione. PerKius hic num. 1. Suar. Theſaur. recep. ſentent. lit. S. num.* 27. & nouiſſimè *Streinius* in hac Regula *num.* 1. qui omnes negatiuam tuentes ſententiam, aſſerunt, non poſſe ſocium ſubrogare alium loco ſui, inuito altero conſocio.

Dicendum eſt cum hac ſententia, cuius ratio eſſe poteſt, quia conuentio conducendi in ſolidum domum, vel cubiculum facta fuit inter tales determinatas perſonas, V. g. inter Titium, & Caium; proinde alter ipſorum ius habet prohibendi, ne alius conſocius pro ſuo arbitrio aliũ obtrudat contra alterius ſocij volũtatem: quæ quidèm ratio valdè congrua eſt, rectęque rationi conſentanea; ſępè enim euenire poteſt, vt perſona ſubrogata perditis moribus ſit inquinata; vel, ſi talis non ſit, moribus ſaltem nõ congruat cum altero ſocio: imo, quamuis inter-
2 dum in perſona ſubmiſſa huiuſmodi defectus minimè reperiantur, attamen remanet in conſocio ius repellendi perſonam ſubrogatam iuxtà pręſentis Regulę diſpoſitionem, quę vult, in re communi meliorem eſſe prohibentis conditionem, & hæc ſatis pro deciſione quæſiti principalis. Cęterum, occaſione arrepta, placet duo alia quęſita expendere, quæ ſolum in foro conſcientię locum habent, & propoſita fuerunt à quibuſdam noſtrę Societatis profeſſoribus.

3 Primò quærebatur, an Titius v. g. qui in domum ſuam titulo amicitię tãquam hoſpitem Sempronium recepit, teneatur ſub graui culpa non permittere, quòd, Sempronius meretricem ad fornicandum introducat: imo an obligatus grauiter ſit meretricem illam, ſi inducta fuerit, è domo expellere?

Secundò, ſi domus fuerit inſolidum, & ęquè principaliter conducta à Titio, & Sempronio, an Titius teneatur ſub lethali peccato prohibere, ne Sempronius illuc meretricem introducat?

Antequam verò deueniam ad deciſionem, ſuppono, quęſita prędicta reſoluenda eſſe, quatenus præcisè ſpectantur ex parte obiecti, abſtrahendo ab omnibus circumſtantijs, quæ per accidens euenire poſſent, cuiuſmodi v. g eſſet grauis metus, ob quem Titius non audeat expellere è domo ſua meretricem illam, vel magnum aliquod damnum temporale, quod ſibi obueniret expellendo mulierem, ita vt arbitrio prudentum cenſeatur excuſandus, vel aliud ſimile. Hoc ſuppoſito, venio ad deciſionem, & quantum ad primum attinet, cenſeo, Titium obligari grauiter ad impediendum, ne talis mulier in domum ſuam inducatur, & ad curandum, vt inducta expellatur: ratio autem eſt, quia id non prohibere, eſſet cooperari peccato Sempronij hoſpitis, quod eſſet peccatum ſcandali, vt colligitur ex ijs, quæ agunt *Doctores* in tractatu de ſcãdalo, & ego ipſe in ſelectis *lib. 9 quæſt. 2. ſect. 14. num. 6.* vbi diſcrimen aſſignaui inter locantem domum meretricibus, & inter illum, qui cubiculum, ſeu domum commodat ei, qui locum petijt cauſſa fornicandi; dixi enim, locationem prędictam ſecundum ſe, niſi vitietur ab aliqua extrinſeca circumſtantia, vt ibi declaraui, eſſe licitam; accomodationem verò cubiculi ad fornicandum eſſe illicitam, diuerſitas autem in hoc potiſſimum conſiſtit, quod domus, quæ locatur, eſt primo, & per ſe ordinata ad varios vſus humanę vitę neceſſarios, & per accidens eſt, vt conductor vtatur illa ad fornicandum; at verò ſubminiſtrare domum, ſeu cubiculum propter fornicationem, pręciſè vt ſic, non habet alium vſum indifferentem, ſicuti habet locatio. *Limitari* tamen poteſt hęc ſententia, quando, impediendo, vt dixi, graue timeretur ſequuturum damnum contra ipſum prohibentem, quam limitationem addit *Merolla tom. 1. diſp. 2. cap. 4. num. 295.* tunc enim cum ſui graui diſpendio non teneretur

Aaa im-

impedire. Et hęc de primo.

7 Circa ſecundum, quia nihil inuenio apud Authores exagitatum, oportet caſum decidere ex principijs communibus. Dico igitur, Titium non obligari ad prohibendum, ne Sempronius introducat mulierem illam ad fornicandum; quia, ſi aſtringeretur, maximè eſſet ex eo, quod habitatio in tali domo, ſeu cubiculo eſſet ſub dominio ipſius Titij; ſed non minus etiam eſt ſub dominio Sempronij: ſupponitur enim domus, ęquè principaliter, & inſolidum ab vtroque conducta: ergo ſinguli poſſunt, ſpectando conductionem, admittere aliam perſonam, dummodo ex tali admiſſione habitatio alterius conſocij detrimentum non patiatur; tunc enim poſſet ſocius pro ſuo intereſſe impedire, ne alia perſona introducatur, implorando officium iudicis: ſed quia hoc eſt extra quęſitum, in quo dumtaxat ſpectamus forum internum conſcientię, proindè abſolutè loquendo, aio, Titium in tali caſu nõ teneri prohibere, ne mulier illa inhoneſta admittatur; fateor tamẽ obligari ad fraternam correctionem faciẽdam Sempronio: quę quidem obligatio menſuranda eſt ex regulis generalibus, de quibus Auctores fusè tractant. Aduerto tamen, quod poſſent aliquando tales circumſtãtię concurrere, vt hìc, & nùnc Titius poſſit, imò teneatur, impedire; puta, ſi in eadem domo habitarent honeſtę mulieres, vt vxor, filię, vel alię eius conſanguineę, & admiſſio meretricis redundaret cum ſcandalo cõtra prędictarum mulierũ honeſtatem; vel, ſi meretrix inducta aliquo modo eſſet occaſio peccandi, vel ſcãdali, non ſolum ipſi ſocio, ſed etiam alijs in eadem domo commorantibus; tunc enim deberet prohiberi à Titio. Sed ſi caſus abſolutè, & precisè attendatur, cẽſeo, Titium non eſſe ad id obligatum in foro conſcientiæ ob rationem aſſignatam, iuxta quam apparet diſcrimen inter hunc caſum, & alium contentum in primo quæſito.

8 Obijcies tamen contra prędicta ex textu *in L. Sabinus. ff. communi diuidu.* vbi habetur, in re communi neminem dominorum iure facere quicquam inuito altero ſocio poſſe; vnde manifeſtum eſt in caſu poſito, ius eſſe in Titio, ne mulier admittatur. Reſpondetur, textum procedere, quando alter conſocius detrimẽtum pateretur ex opere ſocij: in re autem noſtra ſuppoſito, quòd nullum videatur detrimentum, caſus non videtur ſub dicta lege comprehenſus.

CAPVT II.

De nonnullis alijs caſibus ſub hac Regula contentis.

PRo maiori huius Regulę notitia placet aliquos proponere, & decidere caſus, qui prę cęteris magis ad praxim ſpectant, & ſuos ſequentes.

Primus caſus formatur à *Dyno hic initio explicationis huius Regulæ* hoc pacto. 9
Si Titius, & Sortes communem habeant fundum, & Titius intendat in eodem fũdo domum ędificare, melior eſt conditio 10
Sortis prohibentis, vt habetur in *L. Sabinus ff. comm. diuid.* obijcit tamen ipſe *Dynus* contrarium probans *ex L. Si Fratres, §. item Mela. ff. pro Socio*, & omiſſis alijs reſponſionibus, quas, ait, eſſe à veritate remotas, reſpondet cum diſtinctione; aut enim ſocius intendit facere, ſeu reficere aliquid in loco communi ad illũ vſum, ad quem res eſt parata, aut ad eum vſum, ad quem non eſt parata. Si primum, ait, poſſe ſocium etiam altero conſocio inuito id facere: quod probat *ex L. Sabinus cit. & ex L. ſi ædes eo. tit.* ſi ſecundum, ſubdiſtinguit; vel intereſt prohibẽtis id non fieri, & tunc melior eſt conditio ipſius prohibentis; vel nihil intereſt, & tũc eo inuito fieri poterit *L. fiſtulam. §. pen. & § fin. ff. de ſeruit vrb. præd.* excipit tamen idem Dynus caſum, quando ſocius 11
vult facere, vel reficere iure ſeruitutis; quia tunc non poterit *L. Parietem. ff. de ſeruit. vrb. præd.* quamuis poſſit iure communi *ex L. ſi fratres. §. item reſpondit. ff. comm. diuidundo*. Hęc Dynus, cuius totum diſcurſum ſatis rationi congruum ego admitto.

Secundus caſus ponitur à *PetKio hic*
ampliat. 5. docet enim, Regulam hanc valere, quamuis ſocius vellet meliorem facere rem communem. V.g. ſi duo molẽdinum commune habeant, & vnus intendat nouas molas, & veteribus meliores facere, inuito altero ſocio non poteſt: ſimiliter nec ędificare parietem fortiorem, ſi paries, qui extat, ſit ſufficienter firmus. 12
L. parietem. ff. de ſeruit. vrb. præd. pro qua ſentẽtia aliquos refert ipſe *PetKius*. 13
Vt autem ego hanc opinionem ſequar, oportet illã intelligere cum aliquo moderamine, nempè, vt opus faciendum ab

vno

10 Vno ex ſocijs, altero contradicente, non ſit neceſſarium ad vſum rei communis; quia, ſi neceſſarium eſſet, etiam inuito ſocio fieri poſſet, vt in caſu præcedente adnotauimus; ſecus autem ſi nulla adſit neceſſitas; quia, etiam ſi res melior redderetur, non tamen teneretur alter ſocius aſſentiri, quoniam deberet conferre partē in erogandis expenſis pro re melioranda, ad quas cogi nequit. Quid verò ſit dicendum, ſi nullas de proprio deberet expenſas contribuere, forte quia ſocius de proprijs pecunijs totum facere velit? exiſtimo, etiam altero inuito poſſe rem meliorari; quia nullum conſocio reluctanti de-
11 trimentum infertur; quod enim tibi non nocet, & alteri prodeſt cōcedere compellimur, vt æquitas ſuggerit, & habetur in *L. 2. §. item varus circa medium. ff. de aqua pluuia arcenda.* quod principium fusè examinat *Tuſcus to. 6. lit. P. concl.* 863. citans hinc indè plures Doctores; & demum aliquas adhibens limitationes, & regulas ait, eſſe intelligendum, quando inter duos adeſt contractus; ſi enim nullus interueniſſet contractus tunc facere non teneretur, quod alteri prodeſt, etiam ſi ipſi minimè noceat. V. g. ſi aqua, quæ eſt in meo fundo, Sortes vicinus indigeat, vt per ſuum fundum tranſiret, ego non teneor illam ipſi Sorti concedere, quamuis mihi nequaquam noceat, ſuppoſito quod nullus inter nos contractus ſocietatis interceſſerit.

12 Tertius caſus eſt in materia religionis. V. g. ſint duo coniuges quorum vnus velit caſtitatem vouere, potior erit cauſſa alterius coniugis tale votum prohibētis. ita expreſsè habetur 35. *quæſt. 5. cap. 1. Gloſſa hic verſ. in re communi*: & confirmatur ibidem authoritate *S. Auguſtini in fine pſal.* 149. Quæ quidem ſententia intelligenda eſt de voto totali caſtitatis; tale enim votum eſſet in præiudicium alterius coniugis, & ideò de re illicita; at verò ſi votum emitteretur de caſtitate extra ſtatum coniugalem, vel de totali caſtitate in caſu, quo alter coniux moriatur ſuperſtite vouente, tunc validum erit votum, & de re licita; quia nemini præiudicaret.

13 Quartus caſus traditur *à PecKio in Reg. Quod omnes tangit, &c. num. 3. amphat. 1. & à Stryckio ibidem amphat. 2.* ſint duo hæredes communes, quorum vnus velit remittere iniuriam factam ab eo, qui teſtatorem interfecit; alter verò renuat: tunc non cenſebitur remiſſum delictum, ſed potior erit conditio prohibentis, quantum ad effectum, ne ſequatur remiſſio. ita auctores relati.

Quintus eſt in ordine ad ſepulturam, & quæritur, num liceat vni ex ſocijs ſepelire aliquem in loco communi, ſi alter ſocius ſit inuitus? & ad hoc quæſitum cum diſtinctione reſpondent auctores hoc pacto, videlicèt; ſi locus ille communis ſit purus, hoc eſt non ſit ſacer, neque religioſus, vt eſſet v. g. fundus, ſeu ager communis, tunc nequit ſocius inuito altero extraneum in tali loco ſepelire. ita expreſſè diſponitur *in §. Religioſum. inſt. de rer. diuiſ.* quod etiam docent ſcribentes, & alij mox citandi: & huius rei ratio eſſe poteſt, quia, cum talis locus non ſit ſecundum ſe deſtinatus ad ſepulturam, & ſit communis vtrique ſocio, nequit vnus altero prohibente ordinare illum ad talē vſum, ad quem non eſt deſtinatus: requiritur ergo conſenſus alterius ſocij, & licētia ordinarij, qui nequit, niſi ex iuſta cauſa, eam concedere: cæterum, ſi locus non ſit purus, ſed religioſus, & ibi reperiatur commune ſepulcrum, tunc etiam, altero ſocio inuito, poteſt quis extraneum ibi ſepelire. ſic habetur *in §. Religioſum, & ibi Angelus*, & docet *PecKius in Reg. 29. in ſolutione ſexta dubitationis circa finem*: vbi etiam *Stryckius reg. cit. reſponſione ad 4. obiectionem. verſ. eadem reſolutio. Lauor. in lucubrat. var. cap. 7. nu.* 5. ratio autem huius rei eſſe poteſt, quia ex vna parte, cum ſepulcrum ſecundum ſe, ſit locus, cuius vſus conſiſtat in humandis mortuorum corporibus; ex alia verò parte quilibet ex illis ſocijs ius habeat vtendi tali ſepulcro, nequit vnus ſocius impedire, quin alter poſſit ibi extraneum ſepelire; & ita patet diſparitas inter hūc, & priorem caſum; nam locus ille purus non eſt ad ſepelitionem deſtinatus; ideoque vnus ſocius inuito altero ius non habet vtendi eo loco ad vſus extraneos, qui ſunt extra talē communem ſocietatem; at in hoc ſecundo caſu res non ita ſe habet; quia corporum humatio non eſt vſus alienus, ſed proprius reſpectu ſepulcri. Cæterum huic poſteriori deciſioni duplex eſt adhibenda limitatio, vt tanquam vera ſit ſuſtinenda. Primò, vt inter prædictos ſocios non ſit conuentio, quæ prohibeat, ne vnus vtatur cōmuni ſepulcro abſque alterius conſenſu; ſed quilibet ex ipſis ius habeat vtendi tali ſepul-

cro ad vſum ipſius proprium. *Secundò* limitatur in caſu, quo hoc commune ſepulctum ſit deſtinatum familiæ, vel alijs de domo fundatoris; in his enim duobus caſibus non poterit vnus ex ſocijs extraneum admittere, vt ibi tumuletur ſine conſenſu alterius ſocij, vel aliorum, ad quos etiam ſpectat. Et hac duplici adhibita limitatione veram, & ſuſtinendam puto prædictam ſententiam.

CAPVT III.

De quibuſdam præſentis Regulæ fallentijs.

16 VT aliquæ circa regulam hanc innoteſcant fallentiæ, nõ parum iuuat, quod *in Reg. 29. Quod omnes tangit*, ſupra adnotauimus: nimirum, quòd dictio, *omnes*, dupliciter ſumi poteſt. Primò quatenus referri poteſt ad omnes, ideſt ad ſingulos diſtributiuè. Secundo ad ſingulos collectiuè. Porrò ibi addidimus, quod quando prædicta dictio, *omnes*, ſumitur priori modo, nempè diſtributiuè, tunc neceſſarius eſt ſingulorum conſenſus, ita vt non ſufficiat conſenſus maioris partis, niſi paucis caſibus exceptis; de quibus ibi. Cæterum, quia his omnibus poſitis interdum id fallit, in quantum videmus, dictionẽ illam vniuerſalem referri ad ſingulos diſtributiuè, & tamen ſufficere maioris partis approbationem, vt mox explicabimus, idcirco punctum hoc elucidare oportet. Aio igitur *ex Decian. in cap. Cũ omnes num. 26. de conſtit. apud Barboſ. hic num. 7.* Regulam præſentem cum prædicta 29. quoad vniuerſalem dictionem debere intelligi, quando negotium, de quo agitur ita ad ſingulos diſtributiuè refertur, vt principaliter ſingulis conueniat; ſecus verò, quando conuenit alteri tertio, & non ſingulis: ex qua diſtinctione nonnullæ inferuntur limitationes in quibus diſpoſitio huius Regulę locum nõ habet, de quibus *Barboſ. hic num. 4. & ſequent.*

17 Primò. In prolatione ſententię, quę lata eſt a pluribus iudicibus, ſi non omnes conuenerint, ſtandum eſt maiori parti *L. Duo ex tribus. verſ. ſed ſi ff. de re iudic.* & quamuis officium iudicandi ſingulis conueniat; nihilominus, quia commodum, & incommodum talis negotij non reſpicit ipſos iudices, ſed litigantes, ideo in hoc caſu non procedunt prædictæ Regulæ.

18 *Secundò*. Si heredes defuncti renuant hæreditatem adire, niſi creditores partẽ aliquam debiti remittant, tunc, ſi maior ipſorum creditorum pars huic remiſſioni aſſentiatur, etiam alij quamuis diſſentientes cẽſentur comprehenſi. iuxta *L. Iuris gentium, & L. ſi in ſumm. §. hodie ff. de pactis.* idemque eſt dicendum de dilatione debitori concedenda, cum timetur fuga, vel ceſſio bonorum; quia, ſi talis dilatio à maiori creditorũ parte cõcedatur, nil refert cæterorum diſſenſus. ita *Barboſa hic num 6.* qui refert *Afflictum d. 288. num. 4.* Nota tamen, quod nomine maioris partis intelligi debet maior pars debiti, ita vt, ſi creditores maioris ſummæ conſentiant, tenentur etiam conſentire alij, qui ſunt creditores minoris ſummæ, licet ſint plures perſonę, vt patet ex tex. expreſſo *in L. maiorem. ff. de pactis.*

19 Tertiò. Quando plures ſunt patroni habentes ſingula ius præſentandi ad aliquod eccleſiaſticum beneficiũ, & in præſentatione diſſẽtiant, quatenus diuerſos præſentant, in tali caſu preferendus eſt ille, qui meritis iuuatur, & plurimorum habuit aſſenſum. ita expreſsè diſpoſitũ fuit in Concilio *Lateranenſi* relato *in cap. quoniam. de iure patronat.* vbi additur, quòd, ſi hoc abſque ſcandalo fieri nequeat, tunc Epiſcopus diſponat, prout melius in domino ſibi videtur. *Ex* quo patet fallentia huius noſtræ Regulæ; quãuis enim ius præſentandi competat ſingulis patronis diſtributiuè, & conſequenter ab omnibus, & ſingulis approbari debeat, & quamuis etiam iuxta præſentem regulam, in re communi melior ſit prohibentis conditio; nihilominus, vt ſupra animaduertimus, id verificandũ eſt, quãdo commune negotium, ſeu commodum principaliter conuenit ſingulis; quod nõ euenit in caſu prædicto, in quo commodũ, ſeu vtilitas præſentationis non reſpicit principaliter ipſos præſentantes, ſed *Eccleſiam*, cui prouideri debet, vel etiam ipſum beneficiarium, vt notat *Barboſa hic num. 7*

20 Quartò, quando agitur de reparatione ſeu inſtauratione fabricæ, quæ ſit omnino neceſſaria, idque determinare ſpectet ad plures, vt ſingulos, ſi aliqui ex ipſis renuant, tunc non eſt melior conditio prohibentis, ſed præualere debet cõſenſus maioris partis ſtatuentis inſtaurationem prædictam. ita diſponitur *in cap. ex parte. de his, quæ fiunt à maior. par. capit.* &

ap-

Digitized by Google

Approbatur communiter ab auctoribus. Sed quid dicendum, ſi non obſtante neceſſitate refectionis, maior pars eorum, quibus competit ius diſponendi, ob aliquod irrationabile motiuum diſſentiat nolens, vt fiat reparatio illa? caſus iſte, qui moraliter contingere non ita facilè poteſt, apud Auctores à me nec leuiter tactus inuenitur. Reſpondeo tamen, in tali caſu à minori parte eorū, qui refectionem exequi volunt, recurrendum eſſe ad legitimum Iudicem, qui omnibus ſpectatis, & circumſtantijs attentis determinet id, quod ſibi magis conueniens videbitur.

51 Nota denique pro complemento huius Regulæ, quòd ea limitari debet in ijs caſibus, in quibus ius contrarium diſponit, vt ex varijs auctoribus rectè notat *Barboſa* in fine Regulæ præſentis, cuiuſmodi ſunt aliqua in fauorem *Fiſci*, vel libertatis.

REGVLA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio eſt facienda.

HAbetur in iure ciuili ſimilis diſpoſitio *in L. contrahenda venditione. ff. eo. tit.* cuius ſanè præcipuus finis fuit, ius ſtatuere aduerſus eos, qui callidi, & fraudulenti intendunt ſua verſutia alios decipere, & in hunc finem verbis vtuntur ambiguis, & obſcuris; propterea contra ipſos ita ambiguè loquentes facienda eſt in dubijs interpretatio.

2 Nomine autem legis in terminis noſtræ regulæ intelligitur pactum, ſeu conuentio, quæ apponi ſolet in cōtractibus; ſecundū quā ſignificationē vſurpari poſſe nomē hoc, patet *ex L. legē. C. de pactis, vbi Gloſſa ver. legē exponit, idest conuentionem. & L. ſi & per emptorem. § Quod ſi fundum. ff. de actibus. empt.* & aliunde.

3 Valet profectò Regula tam contra actorem, quàm contra reum excipientē, vt hîc notat *PecKius ampliat. 2.* id probans *ex L. Titia textores initio ff. de leg. 2.* ſicuti enim actor ineptè proponens ſuccumbit, ita reus ineptè excipiens debet condemnari; paria enim ſunt non excipere, vel obſcurè excipere, prout ex Bartolo aſſerit idem *PecKius*. His ita ſuppoſitis pro Regulæ notitia, ad caſus aliquos explicandos deuenio.

CAPVT I.

Aliqui aperiuntur caſus ex hac Regula deſumpti.

PRimò loco refero caſum, quē hîc proponit *Gloſſa initio explicationis*. Titius monachus volēs ſuam profeſſionem irritam dicere, aſſerebat, ſe tempore, quo religionem ingreſſus fuit, vel profeſſus eſt, fuiſſe annis minorem; & propterea nulliter profeſſionem feciſſe: opponebat pars aduerſa, non ſufficienter probari à Titio nullitatem profeſſionis ex eo capite; quia ſolum probauerat, quòd tunc reperiebatur minor ſine alia explicatione; nō enim dixerat, quòd reperiebatur minor 14. annis, & impubes. in tali caſu aduerſus Titium facienda eſt interpretatio, nempe, quod voluerit dicere, fuiſſe minorem 25 annis; verbum enim *minor* vtroque modo explicari poteſt; ideoque præſumitur malignitas; potuiſſet enim apertiùs loqui dicendo, fuiſſe eo tempore impuberem; vnde in hoc caſu, vt vides, locum habet noſtra regula. 3

Secundo, ſi duas habeam domos contiguas, quarum vnam Titio vendam, & in contractu venditionis hoc pactum apponēs dicam. [Stillicidia, vt nunc ſunt, eodem modo remaneant in futuro.] ſi cōtrarium expreſſè aliunde non conſtat, exiſtimari debet, me appoſuiſſe ſeruitutem domui non venditæ, quæ apud me manet, non vero domui venditæ; prout in dubio præſumendum eſſe in hoc caſu, reſpondet eadem Gloſſa propter interpretationem contra me faciēdam ex vi præſentis Regulæ; ideoque impedire non potero, quin ſtillicidia prouenientia ex domo vendita recipiantur in domo altera, quam penes me retinui. 4

Tertiò in ſtipulatione, ſi quis promittat ſoluere centum prima die Ianuarij nō declarans, num de proximo, vel de alio Ianuario ſoluere promittat, ſtipulatio interpretanda eſt pro menſe Ianuarij proximo, contra promittentem, qui poterat clarius loqui, explicando, quonā Ianuario voluerit ſe ad ſolutionem obligare: & hæc interpretatio eſt valdè congrua; aliter poſſet ipſe ſtipulans dicere, quod intenderit de Ianuario hinc ad centum annos futuro, vel ad alios, qui circa finem mundi venturi ſunt, vt notat *Gloſſa hic verſ. item fallit.* 5

Quar-

Digitized by Google

6 Quartò verba ambigua à teſte in iudicijs prolata explicanda ſunt contra eum, qui teſtes, probationeſque produxit. ita *ex cap in præſentia. ver. intentioni veſtra. de probat.* vbi *Gloſſa ver. Verbum dubium. Surd. deciſ.* 288. *nu* 45. *& conſ.* 5. *à num.* 45. *Maſcard. de probat. concl.* 1363. *num.* 6. *Grattan. diſcept. foren. cap.* 144. *num* 21. *cum ſeq.* & alij, quos refert *Barboſa in d. cap. in præſentia num.* 18. *&* 19. eamdem ſuſtinens ſententiam, adhibita tamen limitatione mox declaranda. Ratio autem huius rei eſt, quia, vt inquit *Gloſſa loco citato*, qui probat, debet clarè, & apertè probare: quòd, ſi non clarè id fecerit, obſcura probatio nihil prodeſt.

7 Limitanda tamen eſt ſententia prædicta, vt locum habeat in ciuilibus; nam in cauſſis criminalibus probatio, quamuis dubia, in fauorem rei prodeſt contra accuſatorem, & fiſcum. *Bart. in L. non ſolum.* § *ſed vt probari n.* 2 *ff. de noui oper. nunciat. Farinac. in praxi criminali queſt.* 86. *num.* 76 *& alibi:* quod etiam docēt plures alij apud eumdem *Farinac. & Barboſam loco cit.*

CAPVT II.

Declarantur caſus, in quibus Regula non habet locum.

VT hoc melius, pleniuſq; explicetur, præſupponendum eſt, ambiguitatem, ſeu verborum obſcuritatem inueniri poſſe in his omnibus, népè in iudicijs, in ſententijs, in contractibus, in priuilegijs, in legibus, aut denique in vltimis voluntatibus, quod etiam animaduertit *Gloſſa hic ver. vt igitur planè liqueat. & Dynus* ſimiliter *num.* 4. *&* 6. Exordium autem ſumendo à iudicijs.

8 Dicendū eſt primò. Si actor in petitione, ſeu libello ambiguis verbis vſus fuerit, in eius fauorē petitio ſumenda eſt, & verba libelli iuxta explicationem ab ipſomet actore datam ſunt accipienda: ideoque præſens regula de interpretatione faciēda contra proferētem ceſſat in hoc caſu; & ratio eſt, tùm quia, niſi ſtetur declarationi actoris, facilè offerretur occaſio ipſi reo negandi, quod vellet; tum etiam quia in actore eſt ius petendi, & proponendi illud, quod intendit; in reo tamen eſt ius ſe defendendi, & repellendi, quod actor aduerſus eum propoſuit. Si verò ſermo ſit de ijs, quæ in progreſſu cauſſæ habentur, ſicuti ſunt probationes, teſtificationes, replicationes, &c. tunc verba contra proferentem ſunt interpretanda, iuxtà huius Regulę diſpoſitionem, vt probatum eſt capite præcedente, & fusè in explicatione Regulæ XXXII. *Non licet actori, &c. à num.* 5. ad quem locum remitto lectorem. Si tamen quis petat diſcrimen, cur initio cauſſę verborum ambiguitates ſint interpretandæ iuxta declarationem actoris, in progreſſu verò contra eum; Reſpondeo, diſparitatem fundari in hoc, quod in principio cauſſæ ſolum attenditur id, quod actor prætendit in ſua petitione; quia vnuſquiſque ius habet proponendi quodcunque vult: proindè ad proponentem ſpectat mentem ſuā, & verba explicare iuxtà ſuam intentionē. Cæterum in progreſſu cum examinentur probationes, quarum veritas non dependet ab actoris producentis volūtate, ſed à circumſtantijs extrinſecis, & à facti veritate; idcircò, ſi actor ſuis probationibus obſcura verba immiſceat, contra ipſum ſunt exponenda, quatenus clariùs loqui potuiſſet; etenim ius in tali obſcuritate malitiam potiùs, quàm ſinceritatem præſumit, niſi oppoſitum manifeſtè conſtet.

Quod verò dictum eſt de actore, intelligi etiā debet de Reo excipiente, vt colligitur *ex L. ſi quis intentione* 66. *ff. de Iudic.* initio enim verba ambigua iuxtà declarationem proferentis ſumenda ſūt; ſecus in progreſſu cauſſæ, ſeu in examinandis exceptionibus. 9

Dicendum ſecundò, in ſententijs verba obſcura interpretanda eſſe à *Iudice*, qui ſententiam protulit, ſi Iudex eſt ex maioribus, vt ait *Dynus num.* 8. ſeu, ſi Iudex eſt præſes prouinciæ, vel eius procurator, vt docet *Gloſſa hic verſ. in ſententijs.* contra vero ſi eſt ex Iudicibus inferioribus, ita ibidem Gloſſa: & ratio eſt, quia tunc ſententiam proferendo functus eſt officio ſuo. quod ſanè intelligendum eſt de ſententia diffinitiua, non autem de interlocutoria, quā quiſque in ambiguis poteſt declarare, vt eadem Gloſſa notat. Aliam limitationem affert *Dynus hic loc. cit.* dicens, poſſe iudicem declarare ſententiam obſcurè latam a ſuo delegato. 10

Dicendum tertiò. Si ſermo ſit de cōtractibus, diſtinguendum eſt. Vel valet contractus ſecūdum alterius tantùm interpretationē, & tunc illam ſequi debemus. *Dynus num.* 4. Quod tamen intelligo in eo caſu, quo alter, cuius intereſt, non obſtaret; ſi enim reſiſtit, deueniendum 11

dum eſt ad probationes, et cauſſa à legitimo Iudice erit terminanda: vel contractus ambiguus valet iuxtà vtriuſque interpretationem, quamuis tales interpretationes ſint inter ſe diuerſæ, imò contrariæ, & tunc admitti debet, quod eſt veroſimilius ex *L. ſemper in ſtipulationibus ff. de Reg. Iur.* ſi autem quid ſit veroſimilius nō appareret, tunc facienda eſt interpretatio contra proferentem, qui poterat clarè loqui; & ita in tali caſu locum habet præſens Regula, vt inquit *Dynus nu.* 5.

Dicendum quartò, verba obſcura in
12 priuilegijs explicanda eſſe ab eo, qui priuilegium conceſſit per tex. *in L. ex facto, ver. beneficia quidem ff. de vulg. & pup. Dynus num.* 10.

Dicendum quintò, ambiguitatem in
13 verbis legis eſſe à *Principe* interpretandam. ita habetur *in L. ſi imperialis ff. de legibus*, vbi *Gloſſa* in explicatione caſus, & alij ſcribentes.

Dicendum ſextò, In vltimis volunta-
14 tibus, ſi de teſtatoris voluntate expreſsè, aut ſaltem tacitè, nempè per coniecturas, conſtiterit, tunc illa omnino ſequanda eſt: ſi autem verba ſint nimis larga, ſequi debemus id, quod eſt minimum. *L. Nummis. ff. de leg.* 3 ſi verò non apparet, quęnam pars ſit minor, ſeu benignior, tunc nulla valebit, vt hic aſſerit *Gloſſa* id ex diuerſis legum authoritatibus deducens. verumtamen poſtea addit, huius rei indagationem ad *Iudicem* ſpectare. *L. voluntatis defuncti, C. de Fideicom.*

REGVLA LVIII.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.

CAPVT VNICVM.

Declaratur, quinam ſint boni mores, & quando iuramentum ſit illis contrarium.

CElebris ſeſe offerret materia, quæ valdè neceſſaria eſt, omnibuſque perſonarum generibus apprimè vtilis, videlicet tractatio de iuramento; ſed, cum de illa ex profeſſo agant tùm morales theologi explicantes ſecundum Decalogi præceptum, tum Canoniſtæ in lib. 2. decretalium *de iureiurando*, idcircò non oportet hìc tractatum inſtituere de iuramento in tota eius latitudine; hoc enim eſſet multùm digredi à præſenti inſtituto & ab eo, quod præſens regula ad ſui notitiam poſtulat. Quapropter ſermonem reſtringam ad aliqua tantùm, quæ pertinent ad iuramentum, prout facit ad huius Regulæ intelligentiam.

Pro nonnullorum verò caſuum deciſi- 1
one neceſſe eſt primò explicare bonorum morū qualitatem. Aio igitur, bonos mores, de quibus in præſentia eſt ſermo, eſſe in duplici differentia: alij enim ſunt naturales; alij verò ciuiles: illis autem, nempè naturalibus, homo efficitur bonus quoad animam, ſeu in genere moris; eiſdemque contraueniens peccatum committit, & malus efficitur in eodem genere moris, & quoad animam. Boni mores ciuiles ſunt ij, qui conformitatem habēt cum legibus editis in ordine ad bonum publicum, & commune ab humana poteſtate, ſiue ſæculari, ſiuè eccleſiaſtica. Senſus itaque Regulæ eſt, quòd, cum iuramentum eſt de tali materia, quæ abſq; peccato, ſiue mortali, ſiue veniali, ſeruari nequit, tunc eſt contra bonos mores; & ideò non eſt obligatorium. Si verò iuramentum fuerit contra bonos mores ciuiles, diſtingui debet; nam ſi leges ciuiles ſint tales, vt ad peccatum obligent, tunc iuramentum non obligabit; quia eſſet iniquitas illud ſeruare: at ſi leges illæ non obligent ſub culpa aliqua theologica, iuramentum erit obligatorium; quia in tali caſu illud ſeruare nullum erit peccatum.

Hæc doctrina, quamuis ſit certa, nihi- 2
hilominus in praxi eius executio dependet à notitia, per quam agnoſcatur, an talis determinata lex obliget, vel non obliget ſub culpa? locutio autem eſt de lege humana ſiue ciuili, ſiue canonica; nam loquendo de lege naturali, aut diuina, res eſt indubitata: hæ namque leges obligant ſub peccato ſiue graui, ſiue leui iuxtà materiæ qualitatē. Difficultas igitur verſatur in legibus humanis, ex quibus aliquæ ſunt non obligantes ſub peccato: & ideò, vt præſens Regula in ſui diſpo-
ſitione locum habeat, oportet doctrinā 3
tradere, per quam certi reddamur, num hęc, vel illa lex obliget, nec ne, ſub culpa; vt inde ſciamus, quādo nam iuramentum ſit obligatorium. Ad hoc verò agnoſcēdum plura tradunt Iuriſtæ, & Canoniſtę, & multa congerit *Suarez de legibus lib. 3. cap. 25. & ſeq. & tom. 2. de Religione, cap. 20. num. 8. Sanchez in decalog. lib.*

3.

Digitized by Google

3. *cap. 9 à num. 34.* & latè exagitat hanc materiam *Merolla in Theolog. moral. to. 2. diſp. 4. cap. 3 dub. 25. 26. & 27.*

3 Vt autem breuiter reducam ad capita determinata, quæ fusè prædicti auctores docent, aio, ad diſcernendum, an lex obliget ſub culpæ reatu, tria hæc diligenter perpendenda eſſe. Primò videnda eſt qualitas materiæ, de qua fertur lex; ſi enim grauis ſit, tunc erit capax culpæ lethalis: ſecus verò ſi eſſet materia obligans tantum ſub veniali. Dixi, ſi materię leuitas præciſè ſpectetur; quia aliquando cõtingit veſtiri talibus extrinſecis circumſtantijs, vt apta reddatur ad grauem culpam cauſſandam, vt rectè animaduertit *Suarez d. capite 25. de legibus num. 4* dicens, euenire poſſe, vt materia ſecundùm ſe leuis in tali occaſione, & in ordine ad
4 talem finem grauis cenſeatur. V. g. collocutio cum monialibus, quamuis de rebus indifferentibus, imò honeſtis, eſt prohibita tum ſæcularibus, tùm regularibus, ſi fiat abſque licentia Ordinarij, de qua prohibitione extant varia ſtatuta in proprijs diœceſibus, & in Regulares eſt decretum Vrb. VIII. in quo non abſolutè, ſed valdè reſtrictè, & quibuſdam poſitis limitationibus, datur Ordinario facultas concedendi Regularibus licentiam loquendi cum conſanguineis monialibus in primo, vel ſecundo gradu: huiuſmodi autem locutio ſi ſecundum ſe ſpectetur, eſt leuis materia; ſed attendendo finem, quo moti ſunt Summi Pontifices, & Epiſcopi ad hanc prohibitionem ſtatuẽdam, cenſetur grauis materia: finis enim fuit, ne moniales ſimilibus collocutionibus diuertantur à diſciplina regulari, & ne periculum incurrant contrahendi turpes, & inhoneſtas familiaritates, & amicitias. Idem quoque aſſero de alijs caſibus, qui licet ſecundum ſe leues ſint, ad remouenda tamen ſcandala, vel animarum pericula, redduntur graues, & proportionati, vt de illis edantur leges ſub graui culpa obligantes. & hæc quoad primum.

5 *S*ecundo conſiderandus eſt finis proximus, & intrinſecus ipſius legis, qui ſanè finis debet eſſe alicuius momenti, & proportionatus ad qualitatem, ſeu grauitatem culpæ, ſub qua lex inſtituitur, & reduci debet ad aliquam ſpeciem virtutis. Dixi, finis proximus, & intrinſecus; nam remotus extrinſecus, & communis tranſcendens per omnes leges eſt facere ſubditos bonos: & hic eſt vltimus effectus legis, vt docet *S. Thomas p. 2. quæſt. 92. ar. 1.* quem ſequitur *Suarez lib. 1. de legibus cap. 13. num. 3.*

Tertiò ſpectanda eſt legiſlatoris intentio; contingit enim interdum, vt quamuis materia ſit grauis, & ſufficiens ad obligandum ſub mortali; nihilominus legiſlator non intendat obligare ſubditos ſub peccato, ſaltem graui. Hæc tria capita, ex quibus diſcerni poteſt num lex grauiter obliget, aſſignantur à *Suarez d. capite 25. cit. de legibus in princ.* Intentio autẽ prædicta ex varijs circumſtantijs deprehendetur, & præſertim ex verbis ipſius legis; verba enim ſunt ſigna mentis: proinde conſiderandum eſt, ſi ſint præceptiua, vel ſi dicatur. *Ordinamus in virtute obedientiæ, vel Spiritus Sancti, vel iuramenti præſtiti*, aut quid ſimile? vel ſi infligantur pœnæ contra tranſgreſſores; poteſt enim ex pœnarum qualitate colligi intentio prædicta. Vide *Merollam tom. 2. diſp. 4. cit. cap. 3. dub. 26. & ſeq.* & plures apud eum, qui examinant modum, quo deduci debet, qualis fuerit legiſlatoris intentio in ordine ad obligandos ſubditos. 6

Hæc quæ dicta ſunt, ſatis cenſeri debẽt pro huius Regulæ notitia, quæ non requirit per ſe, vt declarentur in ſpecie iuramenta contra bonos mores; nam de his, vt initio dixi, agitur in explicatione Decalogi. In hac quidem Regula duo per ſe continentur, vnum explicitum, quod principaliter, & immediatè intenditur, videlicet, iuramentum, quod ſit contra bonos mores, ſeu quod ſine peccato ſeruari nequeat, nullatenus obligare. Aliud verò implicitum contrarias inuoluens conditiones, nempè, iuramentum, quod abſque detrimento æternæ ſalutis ſeruari poſſit, eſſe vtique obligatorium. Scire autem, qualia ſint hæc, aut illa iuramenta, eſt quid extrinſecum intelligentię præſentis Regulę.

Re-

REGVLA LIX.

Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem.

CAPVT VNICVM.

Declarantur nonnulli caſus, ad quos Regula extenditur, eiuſque limitationes afferuntur.

DEſumpta eſt præſens Regula *ex L. in condemnatione. § dolo ff. eo. tit.* vbi eadem omnia ferè verba leguntur. Quod verò attinet ad terminorum explicationem, non eſt hic immorandum; quia terminus ille, *Dolus*, qui aliqua indigeret declaratione, fuit à me fusè expoſitus ſuperiùs *in Reg. 36. Pro poſſeſſore, &c.* vbi huius nominis etymologiam, eiuſque ſpecies aſſignaui: idcircò nil remanet addendum circa vocis ſignificationem; remitto enim lectorem ad ea, quæ in præfata Regula adduxi. Reliqui verò termini, qui in præſenti Regula continentur, ſunt ex ſe manifeſti, & alia explicatione non indigent.

1 Dolus, quamuis in re probari euidenter nequeat, quia, vt animaduertit Gloſſa *in L. Dolum. in expoſitione caſus. C. de dolo malo* ea, quę in animo conſiſtunt, non poſſunt directè probari, ſed ex indicijs perſpicuis probanda ſunt, quod etiam adnotat *Maſcardus de probatione, vol. 1. concl. 53.* initio; attamen coniecturis probari rectè poteſt: quæ ſanè plures, & innumeræ ſunt, de quibus nimis fusè agit *Menoch. lib. 5. præſumpt. 3. per tot. & Maſcard. concl. 531. & 532. per tot.* inter alias verò coniecturas, quæ dolum probant in iure tum ciuili, tum canonico recenſetur petitio alicuius rei facta ab eo, qui debet eamdem rem reſtituere, vt in præſenti Regula aſſeritur: proinde, hoc præſuppoſito applicanda eſt noſtra Regula ijs caſibus, in quibus dolus præſumitur.

2 Aliqui autē caſus in promptu ſeſe offerunt, quorum primus proponitur à Gloſſa de vſurario, qui non poteſt petere vſuras à debitore, ad quas ipſe eidem debitori reſtituendas cogi poſſet *ex cap. nullus 14. q. 4. & cap. debitores de iureiurando.*

3 Quæres hic tamen, an ille, qui ab vſurario pecuniā accepit mutuam ſub vſuris, ſi iurauit illas ſoluere, ad id teneatur? Reſpondetur affirmatiuè, non quidem vi actionis, ſed iuramenti, quod ſine diſpē-dio æternæ ſalutis ſeruari poteſt. Benè verū eſt, quòd, poſtea quā ſoluit, ius habet ad illas repetendas ex condictione indebiti. ita hìc docet *Gloſſa*. Vide tamē *Sanchez*, qui plura circa hoc punctū examinat *lib. 1. de matrim. diſp 32. à num. 7. & in Decalog. lib. 3. cap. 21. per tot.*

Secūdus caſus habetur *in L. Dolo facit.* 4
ff. de Doli mali, & met. except. ſic enim figuratur. Sit hæres à teſtatore prohibitus, ne exigat à debitore hæreditario debitū; ſi, hoc nō obſtante, dictus hæres cogat debitorem ad ſolutionem, repellendus erit doli mali exceptione; quia reſtituere debet acceptum.

Tertius caſus eſt de marito, qui dotem 5
petit à ſocero, vel alio dotante, quando diſſoluto matrimonio aduenit iam tempus reſtitutionis; tunc enim, quia ex dolo id fieri videtur, locus erit huic noſtræ Regulæ.

Extendit præſentis Regulæ diſpoſitio- 6
nem *PecKius ampliat. 4. ex Socino nepote conſ. 88 lib. 1. num. 10.* vt procedat etiā contra cauſſas, & perſonas priuilegiatas, nempè contrà loca pia, Eccleſias, &c. Rurſus eam ampliat, vt non ſolum valeat in petitorijs iudicijs, ſed etiam in iudicijs adipiſcendæ, & retinendę poſſeſſionis *Alciat. conſ. 412. Menoch. de poſſeſſ. adipiſcenda remed. 1. num. 102. Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 687 num. 7. & 8.* & alij, quos citat, & ſequitur idē *PecKius ampliat. 7.* apud quem alias etiā ampliationes videre poteris.

Limitatur tamen primò regula à *Glof-* 7
ſa, & ab alijs, quando res, quę petitur, reſtituenda eſſet alteri à petente, vt ſi commodatarius exigat à fure rem furto ablatam, vt vero domino eamdem reſtituat *Bald. in L. Socer. § Lucius ff. ſoluto matrim. Menoch. de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 3. num 88. Maſcard. de probat. concl. 531. num 8.* & alij.

Limitatur ſecundo, vt non valeat in iu- 8
dicijs recuperandæ poſſeſſionis, in quibus ſpoliatus ante omnia reſtituendus eſt in ſuam poſſeſſionem, quamuis ille, qui excipit, paratus ſit ius ſuum probare *L. Meminerint. verſ. ſin autem. C. Vnde vi. Menoch de recuper. remed. 1. n. 239. & ſeq. PecKius hìc* in reſponſione ad ſecundam obiectionem, & alij apud ipſum.

REGVLA LX.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione
legitima ſe tueri.

EAdem hæc Regula habetur in iure
ciuili *L. Nulla intelligitur. ff. de
reg. iur. vbi Decius*. De moræ autem eſ-
ſentia, deque eius ſpeciebus, & effecti-
bus ſufficienter egi ſuperiùs explicans
Regulam 25. Mora ſua cuilibet, &c. pro-
inde ea, quæ ibi dicta ſunt, hoc loco re-
peti minimè debēt. Addam itaque ſolum
pauca quædam, declarādo qualitatē ex-
ceptionum, quibus mora ipſa tolli ſolet.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex ſit exceptio?

MOra, & exceptio cum ex contrarijs
oriantur principijs ſeſe inuicem
excludunt; principia enim, ex quibus mo-
ra procedit, ſunt dolus, & culpa: excep-
tio verò in æquitate fundatur, ex eaque
prouenit; vtraque igitur, nempe mora,
& exceptio contraria habet principia; nā
æquitas dolo opponitur, & è conuerſo. His
præſuppoſitis.

1 Dicendum eſt primò, exceptionem v-
niuerſaliter ſumptam ſecundùm *Azonem
in ſumma C. eo. tit.* eſſe defenſionem, qua
mediante reus ſe ab actore defendit: licet
non deſint, qui differentiam aliquam
meritò agnoſcant inter defenſionem, &
exceptionem ſtrictè acceptam; videtur
enim defenſio ab exceptione differre, tā-
quam genus à ſua ſpecie; ſed quia diſcri-
men parui momenti eſt, idcircò prædictā
differentiam examinare, minimè curo.
Legātur *Alexander Scot. in vocabulario
vtriuſque iuris, & ſcribentes de excep-
tionibus.* ſatis enim mihi eſt in præſentia,
exceptionem eſſe defenſionem quamdā;
proinde dico, hæc aliquando confundi
ſolere, & pro eodem ſumi. Alijs autem
exceptionem definientibus placuit dicere,
eam eſſe oppoſitionem, quæ fit ad exclu-
dendam actionē: propterea addunt iſti,
quòd oppoſitiones illæ, quæ ad hoc non
tendunt, non ſint exceptiones; ſed hos
refellit ex communi opinione *Tuſcus
concl. 370. lit. E. to. 2.* aſſerens, quòd om-
nis oppoſitio, qua mediante actoris peti-
tio eliditur, ſit vera exceptio, ſiue detur
actio, ſiue non: quod etiam prius docue-
rat *Couar. in par. 1. prælect. cap. poſſeſſor
de reg. iur. §. 1. num. 3. & 4.* Ego vero aio,
inter allatas definitiones nullum in re
diſcrimen haberi, niſi ſecundum expreſ-
ſionem alicuius connotati; cum enim in
in prima definitione dicitur exceptio eſſe
defenſio, exprimitur perſona *Rei*, tanquā
terminus talis defenſionis; cum vero in
ſecunda dicitur eſſe oppoſitio, magis ex-
plicite declaratur perſona Actoris, cuius
petitioni Reus reſiſtit.

Dicendum eſt ſecundo, exceptionem 2
differre ab actione, quatenus illa ex ſe eſt
excluſiua; hæc verò eſt conſecutiua; &
ideò excipiens intendit excludere, actor
autem conſequi illud, quod petit. ita
*Gemin. conſ. 95. nu. 2. Tuſcus lit. E concl.
37.* ex quo inferunt Doctores, quòd, ſi
per aliquod ſtatutum denegatur actori, &
reo audientia in aliquo determinato ca-
ſu, intelligitur denegata tum actori ac-
tio, tum reo exceptio, quamuis per hoc
non intelligatur, quòd Reus non poſſit
negare; differt enim exceptio à negatio-
ne, vt ait *Baldus conſ. 128. num. 2. lib. 5.
Tuſcus concl. cit. num. 2.*

Dicendum eſt tertiò, exceptionem di- 3
uidi in generalem, & particularem; illa
locum habet, quando non ſpecificatur
id, quod petitur, vel quomodo petitur;
hæc vero, quando aliquid ſpeciale ab ac-
tore proponitur. *Alex. conſ. 81. num. 2.
lib. 6. Tuſcus concl. 370. cit. in fin.* Variæ
autem ſunt exceptionum ſpecies, quæ à
Iuriſtis ponuntur, vt dilatoria, quæ cauſ-
ſam differt; declinatoria fori, quæ iudi-
cis incompetentiam allegat; perempto-
ria, quæ extinguit, & perimit actionem,
& intentionem agentis. Item alia excep-
tio eſt perpetua, quia perpetuum habet
effectum; alia verò temporalis, quæ v-
tilis eſt vſque ad certum tempus. Si quis
autem magis in particulari exceptionis
ſpecies ſcire deſiderat, legat ſcribentes de
exceptionibus; meum enim hic non eſt
eas omnes recenſere.

Dicendum quartò, exceptionem, vt 4
releuet, debere eſſe legitimam, nempè
ex iuſta cauſſa; aliter ſe haberet, ac ſi
nulla eſſet. *L. quoties. ff. qui ſatis dare
cogantur.* ideòque, quando aduerſus talē
exceptionem iuſta competit replicatio,
tunc reus, non obſtante propoſita ex-
ceptione, in mora conſtituitur, in quan-
tum ob debilitatem exceptio caret ſuo
effectu. V. g. Titius debebat Sorti decem:
promiſit Sortes illa non petere, ſed id fe-
cte

Digitized by Google

dit per metum, vel tempore furoris; hoc caſu exceptio pacti de non petendo nõ eſt legitima; eliditur .n. replicatione metus.

4 CAPVT II.

Declarantur varia exceptionum genera in materijs ſpecialibus, quoad moræ excluſionem.

5 VT huius regulæ vſus clariùs innoteſcat, nonnullas proponam exceptiones, quæ excipientem a mora liberant. Et primò legitima erit exceptio, ſi Titius v. g. a Caio conueniatur, vt debitum ſoluat, & Titius ipſe ex aduerſo excipiens dicat, debitum adhuc non eſſe liquidum; vt enim debitor in mora conſtitui poſſit, omnia liquida eſſe debent, quia ante liquidationem res eſt incerta.

6 Secundò, quando debitor conuenitur ex facto alieno, videlicèt, quando obligatio proceſſit à defuncto, vel à procuratore, quia tunc eſſe poterit rationabilis ignorantiæ cauſa, quæ moram excludat.

7 Tertiò exceptio, quæ oritur ex magna difficultate, vel ex impoſſibilitate morã impedit, quia ſicuti impoſſibilitas, vel nimia difficultas impedit, ne obligatio naſcatur; ita, ſi ea poſt natam obligationem reſultet, impedire debet nõ obligationẽ, ſed moram.

8 Quartò exceptio parui, ſeu minimi temporis elapſi legitima eſt; exigua enim mora pro mora non habetur, vt rectè aſſerit *Albericus in 1. C. de verb. ſignif. ita PecKius, & Streinius hic*. videndus eſt pro hac re *Tiraquellus lib. de Iud. in reb. exiguis ferendis nu. 68.* quæ autem mora quoad tempus cenſenda ſit notabilis, quæ ue exigua lege apud *Leſſium lib. 2. de iuſt. cap. 10. dub. 15. num. 34.* qui ait, in-
9 teruallum vnius diei, & quandoque vnius hebdomadæ non eſſe ſufficiens ad pœnam conuentionalem incurrendam, quæ in contractu mutui fuit appoſita: idcircò conſequenter loquendo, debet ipſe Leſſius ſuſtinere, quod mutuatarius non conſtituatur in mora ob lapſum ſolum temporis prædicti, quia, ſicuti incurſus in pœnam oritur ex mora notabiliter culpabili, ita negatio incurſus procedere debet ex negatione talis moræ. Sed in hac re tutius mihi videtur notabilitatem, aut exiguitatem moræ determinare ſpectata qualitate negotij, & attentis omnibus circũſtantijs, vt idẽ *Leſſius* ibidẽ animaduertit; poterit .n. contingere, vt aliquod interuallum in his, aut alijs circũſtãtijs exiſtimetur modicũ, quod reſpectu aliarum circumſtantiarum iudicetur notabile.

Plures aliæ aſſignari poſſunt materiæ, ex quibus exceptio oriri poteſt: ſed quia de illis latiſſimè agit peritiſſimus Iuriſcõ- 10
ſultus *Carolus de Graſſis* noſter ſiculus, qui integrum tractatum de re hac edidit, in quo quadraginta tres proponit exceptiones in diuerſis materijs conſtitutas; idcircò eas iure omitto, cum apud eumdẽ auctorem legi poſſint.

REGVLA LXI.

Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.

DEſumitur huius Regulæ diſpoſitio ex iure ciuili L. *Nulla iuris ratio. ff. de legibus, & L. quod fauore. C. eo. tit.* 1
Aequitas autem illius maximè ſuadetur ex eo, quòd naturali ratione valdè conſonum videtur, vt, quod ad alicuius gratificationem conceditur, in eius detrimentum non redundet, ſeu quod beneficium non tendat in maleficium, vt colligitur *ex L. in cõmodato. §. ſicuti in fine. ff. commodati*. quod hoc loco confirmat *PecKius* referens elegantiſſimum teſtimonium Iulij Pauli lib. 36. ad edictum, vbi ait, oportere nos beneficio adiuuari, non autem decipi: deciperemur ſanè, ſi id, quod tanquam gratia, & beneficium, conceſſum eſt, retorqueret in diſpendiũ. hinc Tullius ab eodem PecKio relatus *lib. de offitijs*. ait, beneficia ita conferenda eſſe, ne aut collata accipientem lædãt, aut collatorem ea ſe contuliſſe pœniteat. Ex quibus manifeſtè elucet æquitas præſentis Regulæ, pro cuius pleniori intelligentia neceſſe eſt, vt eius vigorem, & amplitudinem in varijs caſibus oſtendamus: quod quidem in ſequentibus præſtabitur.

CAPVT I.

Nonnulli aſſignãtur caſus, ad quos præſens Regula trahitur.

DIcendum eſt primò, caſum euenire in priuilegijs minorum, de quibus 2
ius diſponit, vt abſque tutoris auctoritate nequeant in iudicio conueniri. ſic habetur *in L. Clarum. C. de præſtanda tutor. auctor.* propterea, ſi in iudicio contra pupillum ſententia feratur, deficiente

turoris authoritate, inualida quidem erit; at verò, ſi in eiuſdem pupilli fauorem ſententia pronunciata ſit, habebitur pro valida, ita diſponitur in L. non eo minus. C. de procurator.

3 Dicendum eſt ſecundò, in gratiam minorum diſpoſitum eſſe, vt poſſint contra venditorem reſtitutionem in integrum petere; at ſi eam minor petierit, ſed noluerit poſtea illa vti, non poterit aduerſarius, inuito ipſo minore, contractum reſcindere, ne illud, quod in gratiam minoris fuit inductum, in eiuſdem detrimentum redundet L. Si iudex. ff. de minor. 25. ann.

4 Dicendum eſt tertiò, quòd profeſſor iuris plebeius, qui annis viginti pro dignitate prælegit, licet de iure communi nobilis efficiatur iuxta diſpoſitionem L. 1. C. de profeſſor. qui in vrb. conſtant. lib. 12. nihilominus non perdit beneficium illud, quod prius, vt popularis habebat: & bonè dignitas, quam ipſe noviter eſt adeptus, contra ipſum retorqueat, ita Peckius num. 3. qui citat Caſtr. in L. nulla ff. de legibus, quam ſententiam nouiſſimè amplectitur Streinius num. 4. Quæ in hac concluſione dicta ſunt, poterunt confirmari, afferendo caſum ſpecialem, qui in Vrbe Meſſana, vel fortaſſe in alio loco euenire poteſt, vbi præcipui ciues in ordine ad conſecutionem publicorum officiorum in duas diuiduntur claſſes; nonnulli enim ſūt adſcripti in albo nobiliū; alij verò in albo popularium: hinc; ſi aliquis ex popularibus, quatenus popularis, aliquod publicum munus, ſeu officium ſibi vtile fuerit conſecutus, cenſeo, illud nequaquam amittere, quamuis eodem tempore ex albo popularium in album nobilium transferatur; quia talis tranſlationis fauor in eius diſpendium minimè debet retorquere: propterea, licet ex populari nobilis ſit effectus, poterit tamen continuare in illo eodem officio, quod antea, vt popularis, obtinuit; idq; ex vi huius regulæ, ne videlicet gratia noviter conceſſa noceat poſſidenti prædictū officium, quod ſibi alias vtilitatem affert. Cæterum hæc aſſerui, ni obſtet praxis fundata, vel in aliqua conſuetudine legitimè introducta, vel in aliquo priuilegio. Aduertendum quoque eſt, me hic non loqui in caſu, quo ciuis popularis, facta tranſlatione ad album nobilium, acquirat aliud officium ſolitum conferri nobilibus; tunc enim videtur amittere debere munus illud, quod prius in ſtatu populari obtinuit, quia per adeptionem officij nobilis ceſſare debet munus populare.

Dicendum eſt quartò, Regulam habere locum, quamuis obſtet in contrarium generalis præſumptio iuris, ita PecKius nu. 6. ampliat. 3. quod tali probat exemplo. Relinquat teſtator vxori ſuæ domum aliquam, quæ v. g. ducentis aureis valere exiſtimetur: huiuſmodi verò legatum inſtituat ſub hac conditione, nempè, quod ſi valor huius domus ſit minor ducētis, hæres defectum ſupplere teneatur: contingit autem, vt domus à peritis æſtimetur pluris: quæritur, an vxor teneatur reſtituere exceſſum pretij ſupra ducentos? & videtur non teneri, quia, cum hæc æſtimatio facta ſit ex voluntate teſtatoris in fauorem, ſeu gratiam vxoris, non debet in eius damnum retorqueri; pro qua opinione ipſe PecKius aliquos citat. Verum contra deciſionem iſtam obſtare videtur ius commune præſumens, teſtatorem voluiſſe hæredem grauare, quàm minimùm fieri poteſt: at non minus, ſed plus certè grauaretur hæres, ſi vxor non deberet ſoluere exceſſum illum pretij ſupra æſtimationem ducentorum aureorum; ergo &c. His tamen minimè obſtantibus, aio, in caſu prædicto nō teneri vxorem reſtituere exceſſum illum: quia habet pro ſe ſpecialem præſumptionem derogantem generali iuris præſumptioni, quia, eo ipſo quod maritus ei legauit totam domum, vt erat in ſe, & nullam poſuit limitationē; cenſetur voluiſſe ſuæ vxori legare domū, quamuis pluris valeret. quo poſito dicendum eſt, regulam ſe extendere ad hūc caſum, in quantum fauor legati non nocet vxori; noceret autem, ſi teneretur exceſſum illum reſtituere.

6 Aduertendum hic eſt, non rectè huius regulæ diſpoſitionem ampliari ad annum nouitiatus, quem nouitij in religionibus peragunt, vt putauit Gloſſa, & ſimiliter PecKius ampliat. 2. num. 6. qui loquentes de nouitijs ingredientibus religionē extra ordinem mendicantium aiunt, poſſe ab ipſis nouitijs integritati huius anni renunciari. Ducuntur ad hoc aſſerendū; quia ſupponunt, talem annum inductum fuiſſe tum in fauorem nouitij, vt priuſquam votis, mediante profeſſione, ſe liget, experiatur onera religionis, & vires proprias ad onera ipſa ſuſtinenda, tū etiam in fauorem religionis, vt experimentum faciat de moribus, & habilita-

te

te nouitij, Hoc autem poſito, aſſerunt, poſſe nouitium integritati huius anni renunciare, & ante cõpletum annum profeſſionem emittere, & à Religione acceptari; alias talis annus, licet in gratiam nouitij, & religionis inductus, in diſpendium redũdaret, quatenus tolleret facultatem emittẽdi profeſſionem ante completum annum. Cæterum hæc opinio (quod etiam adnotauit hic Sereinius ampliat. 3.) hodiè poſt Tridentinum, tãquam falſa, eſt omninò reijcienda; etenim quamuis annus iſte fuerit inductus in fauorem nouitij, & religionis, nihilominus obſtat illi manifeſta determinatio *Conc. Tridentini ſeſſ.* 25. *cap.* 15. vbi abſolutè, & vniuerſaliter ſtatuitur, profeſſionem religioſam non eſſe ante completum probationis annum emittendam; & ſi aliter fiat, eſſe prorſus irritam, atque inualidã. quod ſanè meritò à S. Concilio diſpoſitũ fuit, ad vitandum inconueniens, quod ſæpè contingeret; interdum enim, quia abſque regularium obſeruationum experientia profeſſio fieret, fortè diſpliceret nouitio votis ſe alligaſſe, vitamque idcircò religioſam magna animi amaritudine degeret; idemque aſſero de religione admittente nouitium ad profeſſionẽ ante ſufficientem de moribus, & habilitate ipſius experientiam, ad quam ſanè acquirendam tempus ſaltem vnius integri anni, cenſuit *Tridentinum*, requiri.

CAPVT II.

Huius Regulæ limitationes proponũtur.

VT quãta ſit vis præſentis regulę omnibus pateſiat, eius reſtrictiones, ſeu fallentiæ ſunt aperiendę; in multis enim locum non habet, vt mox videbitur.

7 Primò enim limitatur etiam in ijs, quę ad Eccleſiæ fauorem ſpectant. Propono caſum ſupponendo id, quod certum eſt, nempè, Prælatorum auctoritatem, & dignitatem, in fauorem, & vtilitatem Eccleſiæ fuiſſe conſtitutam. Quo tamen non obſtante, euenire interdum poteſt, vt auctoritas hæc cẽdat in detrimentum ipſius Eccleſiæ: puta, ſi eius emphyteuta non ſoluerit canonem tempore debito, ita vt in caducitatem inciderit, Eccleſia quidẽ ius habet reuocãdi ad ſe rẽ emphyteuticam vigore dominij directi; ſed nihilominus, ſi non obſtante caducitate *Prælatus* recipiat canonem non ſolutum; tunc nõ poterit amplius rem emphyteuticam ad ſe reuocare, vt communiter docent auctores, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in collect. cap. potuit limit.* 18. *num.* 117. *de Locato, & conducto.* poſſe autem Prælatum etiam in præiudicium ſuæ Eccleſię caducitatem remittere, docẽt quamplures, vt *Iaſon. in L. legatum. num.* 16. *ff. de legat.* 1. *Quaranta verb. Alienatio rerum Eccleſiæ nu.* 14. §. 7. *Clarus.* §. *Emphiteuſis quæſt.* 10. *verſ. ſed num quid. Vgolinus de offic. Epiſc. cap.* 14. §. 7. *nu.* 5. *Barboſa de iure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 42. *in fine & de poteſtate Epiſcopi. allegat.* 95. *num.* 64. Ex his patet Regulæ limitatio, quatenus id, quod adinuentum, & inſtitutum eſt in fauorem, & gratiam Eccleſiæ, nempè prælati auctoritas, & gubernium, in quibuſdam tamen caſibus in eiuſdem Eccleſiæ diſpendium vertit. Quod dictum eſt de remiſſione caducitatis, procedit quoque, vt multi ſentiũt, in legato Eccleſiæ relicto, quod antequã Eccleſiæ incorporetur, repudiari poſſe à Prælato, docent multi, quos refert *Barboſa loc. cit. de iure Eccleſ. nu.* 41. & quãuis aliqui apud ipſum Barboſam contrarium defendant, attamen non rectè dicit *BecKius hic num.* 3. oppoſitum eſſe communius; falſum enim id eſt, quia communior eſt prior opinio affirmatiua, vt patet ex multitudine Doctorum, qui illam tuentur.

Aduerte hîc tamen, quòd ea, quę dicta 8
ſunt de facultate Prælati quoad remittẽdam caducitatem, & repudiandum legatum Eccleſiæ relictum, intelligi debent ſolum validè, non autem licitè: interdum enim illicita erit, & peccaminoſa talis remiſſio, & repudiatio, ad cuius honeſtatem cauſſæ attendendæ ſunt, ob quas *Prælatus* ad id faciendum mouetur, quarum examẽ ad præſentem materiam minimè pertinet.

Secundo limitatur in ſolemnitate præ- 9
requiſita ad res Eccleſię alienandas, quæ habetur *in Extrauag. Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien.* vbi Paulus II. Summus Pontifex ſtatuit, vt ad alienanda bona eccleſiaſtica concurrere debeat euidens Eccleſiæ vtilitas, conſulto etiam ipſo Põtifice; & ſi oppoſitum fiat, irritam declarat alienationem, grauiſſimas pariter aduerſus transgreſſorem pœnas imponens: hæc autem ſolemnitas inducta fuit in fauorem Eccleſię, ne videlicet eius bona diſſiparẽtur ob miniſtrorum, vel in curiã

Digitized by Google

vel cupiditatem: fauor tamē iſte in eiuſdem Eccleſiæ incommodū poteſt quādoque retorquere, puta, ſi aliqua ſit alienatio Eccleſiæ valde vtilis, & aſſenſus Pontificis ea non obſtante requiſitus minimè habeatur, tunc prohibetur alienatio, & conſequenter vtilitas illa, quam per alienationem fuiſſet Eccleſia adeptura, deperderetur; ideoque eadem ſolemnitas, quæ eſt gratia, & fauor Eccleſiæ in eius dānum redundaret: proinde in hoc caſu limitanda eſt regula, quam præ manibus habeo.

10 *E*x his patet falſitas illius ſententiæ, quam docet hìc *PecKius* in ſolutione ad quintam obiectionem num 13. circa medium; ait enim veriorem, & cōmuniorem eſſe opinionem, quæ aſſerit, validam eſſe alienationem Eccleſiæ euidenter vtilem, quamuis inconſulto Romano Pontifice facta ſit; quia, vt ipſe affirmat, licet lex videatur vtrumque requirere tū ſcilicet vtilitatem, tum quoque aſſenſum Pontificis, attamen id non requirit neceſſario, ſed per modum conſilij tantùm. Quæ quidem opinio eſt omninò reijcienda tanquam falſa; contradicit enim communi auctorum ſenſui, imo etiam iuri canonico, vt euidenter oſtenditur ex *dicta Extrauag. Ambitioſæ ſupr. cit.* ridiculum autem eſt aſſerere eſſe tantum de conſilio ſolemnitatem illam, cuius contrarium non modo prohibetur ſub grauiſſimis pœnis, ſed ipſo iure nullum, atq; irritum declaratur.

11 Limitatur tertiò in præbendis. V. g. mandat Pontifex Archiepiſcopo Panormitano, vt Titio prouideat de aliqua præbenda non ſacerdotali in Eccleſia Panormitana: euenit, vt vacet præbenda ſacerdotalis; certè ea nequit Titio conferri, vt expreſsè ſtatuitur *in cap. cui. de præb. & dignit. in 6.* ex quo patet limitatio noſtræ Regulæ; vt enim notauit *Gloſſa ibi ver. de non ſacerdotali.* qualitas hæc appoſita eſt à Pontifice in gratiam ipſius Titij, ne aſtringeretur inuitus gradum ſacerdotalem ſumere: & tamen hoc retorqueret in eius damnum, quia, etiam ſi ipſe vellet ſacerdos fieri, non poſſet præbendam illam ſacerdotalem acquirere. ita ex Gloſſa, & ex alijs ſcribentibus in *cap. cit.*

Præterea animaduertunt Doctores, quòd, ſi Pontifex mandat, vt Titio cōferatur præbenda v. g. centum aureorum, non poterit eidem etiam volenti minoris valoris præbenda conferri *Gloſſa in d. cap. cui. in explicatione caſus. Sanchez lib. 8. de matrim. diſput. 21. num. 35. circa medium. Menochius conſ. 72. num. 1. & 14. Barboſa in d. cap. cui. num 4. & alij.* ratio autem eſt, quia mandatum præſertim Apoſtolicum, vt iacet, ſeruandum eſt L. *diligenter ff. mandati.* vndè colligitur noſtræ Regulæ limitatio, in quantum fauor, & gratia conſiſtens in conceſſione præbendæ maioris vertit in diſpendium illius, cui conceſſa eſt, quia impedit collationem præbendæ minoris, caſu quo alia præbenda non ſe offerret, niſi minor.

Limitatur quartò in fauore, quem ius pupillis concedit, ne videlicet abſque tutoris auctoritate contrahant; quia, ſi pupillus hæreditatem valdè pinguem ſibi relictam velit adire, nequit id facere non interueniente tutore; propterea in tali caſu fauor prædictus redundabit in damnum ipſius pupilli, quatenus ſine tutore hæreditatem minimè acquirit, quæ ſibi ad modum vtilis foret: quæ quidem tutoris auctoritas conuenienter à iure requiritur; euenire etenim poteſt, vt pluribus, & magnis oneribus talis hæreditas obnoxia ſit, ita vt pupillus eam adiens nimis grauetur, non valens eius qualitatem examinare, quod benè præſtare poterit tutor. 12

CAPVT III.

An priuilegij vſus vertere aliquando poſſit in grauamen ipſius priuilegiati?

PRo maiori intelligētia limitationum, quæ ad hanc regulam ſpectant, placet præſens proponere, & examinare quæſitum, in cuius ſolutione aliqua eſt dubitatio apud auctores, an ſcilicet priuilegium ſpecialiter alicui conceſſum, quamuis ſit purus fauor, & mera gratia, recipiat interdum limitationem, itaut vertat in grauamen, & incommodum ipſius priuilegiati: quod euenire poſſet, quando fruens priuilegio in aliquo caſu cum ſuo ipſius detrimento cogeretur illo vti. Sermo autem, & difficultas eſt de priuilegio ſpeciali, quod impertitū eſt priuatæ perſonæ, non verò de illo, quod eſt conceſſū alicui ſtatui, aut communitati in eius fauorem, quale eſt priuilegium fori, & canonis, quod habent clerici quòd primò,

&

& per ſe conceſſum eſt ſtatui clericali; ideoque tali occurrente caſu, in quo vtile eſſet clerico non vti priuilegio, non poterit id facere, ſed obligaretur ad illud ſeruandum. idemque aſſero de priuilegijs quibuſdam, quæ pertinent ad bonũ communitatis, cui ſunt primò conceſſa, quibus certe nequeunt priuatæ perſonæ cedere. Loquor igitur de priuilegijs ſpecialibus, quorum vſus dependet a beneplacito ipſius priuilegiati. Quo præſuppoſito deuenio ad examen quæſiti, & pono exemplum, quærendo; ſi Titius habeat priuilegium à Pontifice audiendi ſacrum tempore interdicti, an teneatur die feſtiuo vti tali priuilegio, ita vt nequeat, etiam ſi velit, ſacrum omittere?

13 Plures ſunt auctores, & magni nominis, qui partem affirmatiuam tuentur, videlicet, in caſu prædicto Titium habentẽ huiuſmodi priuilegium teneri ſacrum audire. ita *Medina in ſumma part. 1. cap. 21. §. 19. Sotus in 4. diſt. 3. quæſt. 2. art. 1. Nauarr. in Enchirid. cap. 20. num. 3. Vgolinus de pot. Epiſc. cap. 9. §. 1. Henriquez in ſumma lib. 13. cap. 18. num 3. Suarez in 3. p. tom. 3. diſp. 88 ſect. 6. & de legibus. cap. 23. num. 7. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 6. num. 24. Azor. to. 1. lib. 7 cap. 2. quæſit. 3. Ioannes Sanchez in ſelect. diſp. 13. num. 2. & alij*, quos laudat, & ſequitur *Merolla part. 2. diſp. 6. num. 59.* ratio qua hi *Auctores* nituntur, eſt, quia interdictum in tantum excutiat, in quantum formaliter impedit audire ſacrum; & ideo vi priuilegij ablato impedimento, remanet obligatio ſeruandi præceptum audiendi miſſam. Confirmatur alijs ſimilibus exemplis. V. g. vinculis in carceribus detentus non tenetur ſacro intereſſe, & tamen, ſi permittatur die feſtiuo, vt liber exeat, non excuſabitur, ſi ſacrum omittat.

14 Alij verò ſuſtinent partem negatiuam aſſerẽtes, eum, qui tale habet priuilegiũ, non eſſe obligandum ſacro interuenire. ita *Petrus Ledeſma in ſumma part. 1. tr. de Euchar. cap. 27. Rodriquez par. 1. ſumm. cap. 249. n. 14 Auila de cenſuris, par. 5. diſp. 4. ſect. 2. dub. 6. Alterius de cenſuris tom. 2. diſp. 2. de interdicto. cap. 3. in fin. Coninch. de ſacram diſp. 17. nu. 48. & alij.* fundant principaliter hanc opinionem in eo quòd nemo obligatur vti priuilegio ſibi conceſſo, ne gratia fiat oneroſa, quatenus liberam facultatem vtendi priuilegio in obligationem conuerteret,

15 Dicendum eſt, priorem ſententiam eſſe amplectendam, recta tamen adhibita explicatione, vt mox oſtendã: aio igitur, priuilegiũ in caſu poſito biſariã ſpectari poſſe: primò tãquam id, ex quo formaliter, & per ſe cauſſetur obligatio exercẽdi, vel omittendi talẽ, ſiue talẽ actionẽ cũ onere, & incommodo ipſius priuilegiatij. Secundo poteſt conſiderari quaſi remouens aliquid, ex cuius remotione ſequatur, quòd ex alio principio extrinſeco naſcatur obligatio: ex hoc autem nequit inferri, obligationem cauſſari à priuilegio, ſeu ipſum priuilegiũ vertere in diſpendium, & onus priuilegiati, cum id procedat ab alio extrinſeco principio hic, & nunc coniuncto cum ipſo priuilegio: hac autẽ poſita bimembri diſtinctione, illam applico caſui noſtro, & dico, priuilegium audiendi ſacrum, vigente interdicto, non cauſſare obligationem prædictam, ſed ſolum tollere impedimẽtum, quod procedebat ab ipſo interdicto, cuius ablatio eſt fauor, & gratia: poſito tamen tali fauore, Eccleſia ſua lege vult obligare ipſum priuilegiatum ad ſacrum audiendum; & ſic minuitur, & veluti mortificatur, vt ita dicam, priuilegij fauor. admiſſa itaque huiuſmodi explicatione apparet veritas prioris ſententiæ, quæ hoc pacto declarata, nullum continet inconueniens, & ſaluatur principiũ illud, quo nituntur aduerſarij aſſerentes, neminem obligari ad vtendum ſuo priuilegio, quia gratia fieret oneroſa, & redundaret in diſpendium; ſaluatur, inquam; nam onus non procederet formaliter, & per ſe ex vſu priuilegij, ſed aliunde, videlicet ex præcepto Eccleſiæ; proinde, cũ dicitur, *quia gratia fieret oneroſa*, dictio illa, *quia*, ſi apponatur cauſſatiuè reſpectu priuilegij, erit falſa; & ideo vel abſolutè neganda, vel ſumenda iuxtà aliud ſignificatum, nempè, quatenus idem importat quod dictio, *quando*, ſeu, *cum*; poſſe autem in hac ſignificatione ſumi, docent *Angelus conſ. 393. num. 2. apud Tuſcum lit. D. concl. 352. nu. 3.* & aſſerit *Barboſa de dictionibus dict. 314.* & ſic propoſitio vera eſſe poterit, & ſenſus hic eſt, nempè, Priuilegiatus, quando vtitur priuilegio, aliquod recipit incommodũ non vi priuilegij, vt oſtendimus, ſed vi alterius extrinſeci per accidens adiuncti in vſu priuilegij. Hanc explicationẽ breui-

Digitized by Google

uioribus verbis admittit *Suarez* hunc caſum exagitans *lib. 8. de legibus. cap. 23. n. 6.* circa finem.

Ex his omnibus colligitur, priuilegiū eſſe talem fauorem, & gratiam, vt formaliter, & ex ſe nunquam retorqueat in diſpendium priuilegiati, ſed immobiliter permaneat ſub præſentis Regulæ diſpoſitione, quamuis interdum cum eius vſu coniungatur aliquod incommodum priuilegiati, quod per accidens vi alterius procedit, vt iam declarauimus.

REGVLA LXII.

Nullus ex conſilio, dummodo fraudulētum non fuerit, obligatur.

CAPVT VNICVM.

Comprobatur Regula, & declaratur.

1 DIſpoſitio, quæ in hac regula continetur, vim quoque ſuam habet ex *L. conſilij ff. eo. tit. & L. 2. in fi. ff Mandati* vbi ſtatutum eſt, neminem obligari ob conſilium alteri datum, niſi fuerit cum fraude: rationem huius deciſionis aſſignat *Gloſſa* 1. *Ver Nullus*. quia ſcilicet nemo neceſſitatur ſequi alterius conſilium; ita vt, ſi illud ſequatur, erit ex propria voluntate, ac propterea qui conſilium dedit ad nihil tenebitur, quamuis tali conſilio adhærens damnum aliquod paſſus ſit: quę quidem ratio ad confirmandam noſtrę Regulæ deciſionem cōmuniter recepta rectè probat intentum; licet illam non approbet *Barboſa in explicat. huius Regulæ n. 1.* quia, vt ipſe ait, obligatio cuiuſque non dependet à neceſſitate alijs impoſita, ſed ab illa, quam quiſque ex propria voluntate ſibi ipſi imponit; ideoque rationem prædictam à Gloſſa traditam infringens, aliam aſſignat rationem pro huius regulæ confirmatione; dicit enim, in tantum, qui conſilium dat, non obligari, in quantum cōſilium procedit ex dictamine rationis, & ex iudicio intellectus, vnde ex ſe, ſuaque natura nō habet voluntatis conſenſum, ſine quo obligatio eſſe nequit. Cæterum ratio Gloſſę ritè procedit, ſi bene intelligatur, & impugnatio, quam affert *Barboſa*, nil aduerſus eam probat: fateor enim obligationem non pendere ab aliqua neceſſitate, quę ab alio imponatur, ſed à voluntate illius, qui vult ſe obligare: at verò Gloſſa contrarium non aſſerit, vt patet eius verba conſideranti: neque ratio Barboſę contradicit Gloſſæ; etenim vltrò conceditur, conſilium, vt ſic, & ſecundum ſe ſpectatum non inuoluere conſenſum; quia conſilium eſt actus intellectus, conſenſus verò actus voluntatis trahens obligationem; qui ſanè actus, cum neceſſariam connexionem minimè habeant, ſeparari inuicem poſſunt. Maneat igitur, optimam eſſe rationem à Gloſſa traditam, & rectè probare veritatē præſentis Regulæ.

Aduertendum tamen eſt, quod Regula hęc non eſt intelligenda de conſilio, quod ratione alicuius muneris multi præſtare tenentur, vt ſunt Aduocati, Procuratores, Aſſeſſores, Medici, & ſimiles; hi enim, ſiue ex malitia, ſiue ex imperitia, obligantur reſarcire damna, quæ ex iniquo, vel non recto conſilio patitur ille, cui tale conſilium datum fuit. ita *Abbas Felinus, & alij in cap. tua de Homicid.* quos citat, & ſequitur *Barboſ. hic num. 2. Nauar. in ſumma cap. 25 nu. 25. Streinius in explicat. huius Regulæ. verſ. nota aliter.* 2

Vlterius aduertendum eſt, quod quāuis dans conſilium modo explicato non obligetur ei, cui conſiliū tradidit; nihilominus, ſi conſilium tendit contra alium, qui propter hoc iniuſtè damnum aliquod patiatur, tenebitur ad reſarcienda damna illata: quod etiam notat hic *Streinius ver. quod additur.* 3

REGVLA LXIII.

Exceptionem obijciens non videtur de intentione aduerſarij confiteri.

SVmpta eſt præſens Regula *ex cap. cum venerabilis de except. & ex L. Non vtique ff eo.* eius autem ratio maximè ex eo colligitur, quia, cum exceptio ſit quędam ſpecies defenſionis, per quā Reus ſe ab Actore defendit, vt cum *Azone in ſumma C. eo.* teſtantur communiter Iuriſtæ omnes, & Canoniſtæ, inde eſt, vt excipiens non videatur quicquam admittere, & fateri de actoris intentione, aliter per ſuam defenſionem actionem aduerſarij magis roboraret ſuaque ipſius confeſſio ſuimet excipientis eandem rationem redderet faciliorem. Quamplura 1

va, & varia de hac re paſſim exempla in iure reperiuntur. V. g. Petrus rei vendicatione agit petens à Paulo titulo dominij agrum quemdam: ſi Paulus contra excipiat, ſe agrũ illum habuiſſe ab ipſo Petro titulo venditionis, aut permutationis, ex hac certe exceptione minimè infertur, quod Paulus fateatur, Petrum eſſe dominum agri; quia poterat Petrus illũ vendidiſſe, vel permutaſſe, quamuis legitimus dominus haud quamquam fuiſſet; idcirco probandum eſſet à Petro actore dominium; alias contra ipſum sẽtentia ferenda eſt: quod ſi dominium Petrus probaret, tunc vtique Paulo incumberet onus probandi venditionem, aut
1 permutationem, quam excipiendo allegauit. ita *Couar. lib. 1. var. reſol. cap. 1. n. 3.*
2 Similiter hoc ipſum habetur in contractibus; ſi quis enim alicuius contractus reſciſſionem poſtulet, non inde deducitur, quòd fateatur, validum eſſe; quia reſciſſio poſtulari poteſt ad maiorem cautio-
3 nem. Pręterea allegans in ſuis exceptionibus ſententiam aliquam illegitimam non ideo fatetur, eam fuiſſe de facto latam, vt aſſerunt *Iaſon, & Alex. in L. decet. ff. de verb. oblig.* quos refert *PecKius in explicatione huius Regulæ initio*, & ratio eſt manifeſta; nam duo hæc videlicet, eſſe illegitimam, & defacto eſſe latam, ſunt diuerſa, & non connexa; proinde qui allegat vnum, non conuincitur admittere alterum. Hæc, & multa alia exempla ſimilia apud auctores inueniuntur.

4 Cæterũ pręſens Regula fallit in multis caſibus, vt notat *Felinus in cap. venerabilis de except.* quod tunc euenit, quando excipiens aliquod aſſerit, quod neceſſariò ſupponit id, quod actor intendit. V. g. ſi Titius petat, vt Sortes ei reddat quinquaginta aureos, quos mutuo acceperat; Sortes verò excipiens aſſerat, ſe illos iã reſtituiſſe, vel eos non teneri reddere, quia fuit in contractu mutui appoſitum pactum de non petendo: certè in huiuſmodi exceptionibus continetur aliquid, quod defacto ſupponit Titij actoris intentionem, nempè mutuum; quia redditio pecuniæ mutuo acceptæ, vel pactum de non petendo neceſſariò exigunt, & ſupponunt, contractum mutui iam præceſſiſſe; ideoque reus in excipiendo, alterum ex ijs duobus affirmans, fatetur mutuum recepiſſe, intentionemque aduerſarij cõ-
5 firmat. Idem etiam docet *Bartolus apud Striuium* in caſu, quo opponitur exceptio compenſationis; qui enim compẽſationem excipiendo allegat, nequit nõ approbare, & confiteri, debitum anteceſſiſſe.

Notandum denique eſt, quòd, ſicuti 6
Reus exceptionibus cõtra actorem iuuatur, ita ſimiliter actor replicans iuuatur aduerſus Reum, pro vt expreſsè habetur *in L. Non exceptionibus. C. de except. & præſcrip. vbi Baldus*; proindè Regula hæc vtrique inſeruire poteſt; ſicuti enim Reus non excipit ad fatendum, quod actor intendit; ita nec actoris replicatio intelligitur fateri exceptionem Rei. Exemplũ deſumi poteſt *ex L. cum Mulier ff ſolut. matrim.* vbi habetur quòd, ſi aduerſus vxorem petentem dotium ſuarum reſtitutionem vir excipiat, adulterium ab vxore fuiſſe commiſſum, & ideò ius ei non eſſe dotis repetendæ, & vxor, quæ eſt actrix, replicet excipiendo lenocinium mariti, tunc tali replicatione repellitur maritus. ita *Alex. & alij in d. L. cum mulier.* in quo caſu *PecKius* hic ampliatione prima referens Pacianum aduertit, quòd per ſupradictam replicationem vxor excipiens viri ſui lenocinium, non fatetur, ſe adulterium commiſiſſe; fortaſse etenim euenire potuit, vt lenocinio mariti non conſenſerit.

REGVLA LXIV.

Quę contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.

PRo huius Regulæ intelligentia, & eorum, quæ infra notanda ſunt, tanquam fundamentum omnium dicendorũ præmittendum eſt; tunc aliqua cenſeri contra ius facta, quando acta ſunt contra ipſius iuris formam, & nõ quamcumque, ſed ſubſtantialem, cuius generis eſt præſentia Parochi requiſita in contractione matrimonij, ætas ſedecim annorum in profeſſione religioſa, ſolemnitas in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum, & ſimilia, quæ tanquam formæ ſubſtantiales in ſuis actibus à iure inducta ſunt. Et hęc eſt communis ſententia apud *Iuriſtas*, & Canoniſtas, qui id meritò ſentiũt: forma enim ſubſtantialis dat eſse rei, vt ex diuerſis legibus, & plurium auctoritate confirmat *Bárboſa axiom. 100. num. 1.* propterea deſtructa forma deſtruatur neceſse ęſt res ipſa: ſicuti in naturalibus

forma ſubſtantiali pereunte, compoſitum deſtruitur, quod à tali forma ſuum eſſe recipiebat. His præſuppoſitis, explicanda ſunt nonnulla, quæ ad maiorem prędictę formę notitiam non parùm conducunt, quod capite ſequenti pręſtabimus.

CAPVT I.

Quibus verbis in legibus, & ſtatutis inducta cenſeatur forma ſubſtantialis?

VArij ſunt modi continentes verba, quę formam ſubſtantialem inducũt, & ab auctoribus notantur: pręcipuos ego, magiſque vſitatos ſeligam explicandos.

2 Modus reliquis clarior ille eſt, per quẽ expreſſis verbis legiſlator aſſerit, quod diſpoſitio, tanquam forma, ſeruetur. ita *Rolandus conſ. 72. nu. 61. lib. 3. Gratian. conſ. 16 num. 14. lib. 1. & alij apud Barboſam d axiom. 100. num. 2.*

3 Secundo inducitur forma, quando diſpoſitio eſt conditionalis *Menoch. de arbitr. lib. 1. quæſt. 30. n. 5. Tuſcus concl. pract. concl. 414 num. 10. 13. & 17* & plerique alij: proinde conditio appoſita debet in forma ſpecifica impleri, vt teſtantur paſſim Doctores.

4 Tertiò inducitur forma per appoſitionem temporis determinati. ita *Rolandus conſ. 72. num. 11. lib. 3.* & alij relati à *Barboſa loc. cit.*

5 Quartò Decretum irritans, formam ſubſtantialem importat, adeo vt, ea non ſeruata, actus ipſo iure corruat, prout ferè vnanimi voto aſſerunt auctores, ex quibus plures refert idẽ Barboſa *tract. de clauſ. clauſ. 40. num. 32.*

6 Quintò denique, ſi lex, ſeu ſtatutum præcipiat, vt in actu faciendo iuramentum interueniat, tunc tale iuramentum, vt forma requiritur *Barboſa vbi ſupra.* Alij modi formam inducentes reperiri facilè poſſunt apud auctores de re hac loquentes.

7 Quæres, ſi verbis benè conſideratis omnibuſque perpenſis circumſtantijs dubium ſit, num forma ſubſtantialis, an potius accidentalis inducta ſit, quid faciendum? Eſſe ſubſtantialem, & non accidẽtalem præſumendam putarunt *Matthęſilanus ſing. 130. & 132. Vant. de nullitat. num. 52. Roland. conſ. 43. nu. 13. lib. 3. & conſ. 30. num. 1. conſ. 55. num. 26. apud Barboſam loc. cit.* quibus ipſe adhęret. Probari poteſt hæc ſententia congruenter, quia dum non conſtat ex ijs, quæ in ipſo iure includuntur, aliquid ſe habere accidentaliter, præſumere id debemus in eodem iure ita neceſſario, & ſubſtantialiter ſe habere, vt ad illius integritatem, & perfectionem pertineat, & tota diſpoſitio fuerit à legiſlatore per ſe intenta. ita ſuaderi poſſe videtur hæc ſententia, quãuis, ni fallor, non eſt adeò certa, vt oppoſita ſit manifeſtè falſa.

CAPVT II.

De huius Regulæ ampliationibus, & limitationibus.

8 PLures à commentatoribus ampliationes, & limitationes in hac regula agnoſcuntur; nonnullas ego proponam.

Et primo aio, Regulam locum habere etiam in ſtatutis priuatis, in legibus municipalibus, & in conſuetudinibus. ita *Baldus in L. Non dubium. C. de legibus. Archidiac. in cap. Imperiali 25. quæſt. 2. PecKius hic ampliat. 1. Streinius etiam ampliat. 1.* & alij: ratio enim eadem militat tum in iure communi, tum in municipali; quia fundatur in auctoritate, quã conditor ſtatuti habet in ſubditos, qui ſe conformare tenentur legibus à ſuperiore editis iuxtà formam, qua fuerunt latæ.

9 Contra hoc tamen obijcere quiſquam poteſt. Diſpoſitio huius Regulę eſt pœnalis, quatenus præfinit, inualidum eſſe actum factum non ſeruata legis forma; ergo non eſt amplianda etiam ad ſtatuta municipalia, cum ſatis ſit, vt reſtringatur ad legem communem. Huic tamen obiectioni reſpondet PecKius, negando huius Regulæ conſtitutionem eſſe pœnalem, cum non contineatur in ea alicuius iuris quæſiti diminutio. Ego verò clarius dico, quod præſcribere, & requirere antecedentem formam, qua efficiendus ſit actus, nequit habere rationem pœnæ, cum non coerceat ſubditos ſub punitione cõtrauentionis ad talem actum exercendũ; aliàs omnis lex eſſet in hoc ſenſu pœnalis; ſed ſolum præſcribat, vt, ex ſuppoſitione quod actus eligatur fieri, hoc, vel illo modo efficiatur. Vlterius addo, quod etiam in pœnalibus interdum fit extenſio comprehenſiua, & præſertim, quando inter vnum, & alium caſum eſt identitas rationis, quę iã in caſu præſenti habetur; nam lex ſiue ſit communis ſiue ſpecialis,

non

Digitized by Google

non derogat in aliquo formæ eſſentiali, ſub qua lex edita fuit; ideoque cum dicitur conſtitutio præſentis Regulæ locum etiam habere in legibus municipalibus, id non intelligitur per extenſionem, ſed per incluſionem ratione identitatis, vt dictum eſt.

10 Secundo, Regula hæc procedit, tum in futuris; tum in præteritis *PecKius,* & *Streinius ampliat.* 2. & alij apud ipſos: & quamuis de ratione legis ſit futura reſpicere *L. legati* 2. *C. de legibus, vbi Baldus* hoc tamen intelligi debet quoad ea, quæ tanquam noua conſtituuntur, non autem quoad declarandam mentem antiqui legiſlatoris volentis, inualida, & irrita eſſe, quæ contra ſuarum legum formam fiunt; alias eluderentur leges.

11 Tertio diſpoſitio hæc comprehendit etiam fauorabilia, & pias cauſſas, ita *Tiraquel. de retract. lign. Gloſſa* 21. *nu.* 11. *Roland. conſ.* 72. *num.* 59. *Maſcard de general. ſtatut. interpret. concl.* 9. *num.* 64. & alij, quibus ſubſcribit *Barboſa axiom. cit. num.* 6. Probari hoc poteſt, quia maximè fauor, & pietas requirere debet, vt legis forma ad vnguem ſeruetur. Quin addo, id videri valdè pietati conueniens, de cuius ratione eſt, vt ſubditi in legibus ſeruandis ſuperiori obediant, eiuſque menti ſeſe conforment.

12 Quartò actus, qui fit contra legis formam, quamuis iuramentum accedat, attamen irritus, & nullus cenſetur, dummodo ſit prohibitus, quia eſt contra publicam vtilitatem, vel contra bonos mores, ita *PecKius ampliat* 8. & *Streinius ampliat.* 3 quando vero actus ille primò, & per ſe eſt prohibitus in fauorem priuatæ vtilitatis, & tantum ſecundariò, ſeu conſequenter, & remotè reſpiciat vtilitatem publicam, tunc actus firmatur, & iuramentum ſeruandum eſt, niſi per dolum, aut metum fuerit extortum, vel in alterius præiudicium redundet. *cap. cum contingat de iure iurãdo,* vbi Gloſſa, & ſcribentes.

13 Quintò, quamuis in iure cautum ſit, ne quis contra factum proprium veniat, allegando propriam turpitudinem *L. poſt mortem ff. de Adopt.* & *L. Mercalem C. de cond. ob turpem cauſſam.* nihilominus, ſi actus eſt contra formam legis, poteſt qui huiuſmodi edidit actum, contra factum ſuum venire, quamuis propriam allegare oporteat turpitudinem. *Bartolus in* 2. *L. poſt mortem,* & *Baldus in L. Nõ dubium C. de legibus,* quos laudat, & ſequitur *PecKius ampliat.* 9. & ratio eſt in promptu, quia procedere contra proprium factum allegando turpitudinem ſuam non dat valorem actui contra legem inito, cuius rei exemplum dat ibi PecKius. V. g. ſi Prælatus abſque debita ſolemnitate contra ius rem eccleſiaſticam alienauit, poterit alienationis nullitatem allegare, remque a ſe alienatam repetere.

Sexto, poſita nullitate actus contra legem facti, omnes fructus, etiam ante litis conteſtationem percepti, ſunt reſtituẽdi, vt communiter docent auctores ex *Gloſſa, & Angelo in* §. 1. *Auth. de inceſt. nupt.* quod ſane intelligi debet, niſi fuerint bona fide percepti, & conſumpti alias ſtante bona fide, & ſuppoſito quod ille, qui eos percepit in aliquo locupletior non ſit factus, nulla erit obligatio in foro conſcientiæ huiuſmodi fructus reſtituendi, quod etiam regulariter procedit in foro externo. 14

Prædicta de huius Regulæ amplitudine ſatis ſint. Deuenio nunc ad eius limitationes: & primò aio, Regulam locum nõ habere, quando lex in ſe æquitatem non continet. ita *Suarez de legibus lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 3. *Salas eod. tract. qu.* 96. *tract.* 14. *diſp.* 16. *ſect.* 9 *nu.* 36. *Barboſa axiom. cit. num.* 8. & meritò; æquitas enim eſt quædam iudicij rectitudo naturali rationi conformis, vt inquit *Baldus in L. omnes populi nu.* 29. *ff. de Iuſt.* & *iure. Decianus conſ.* 36. *num.* 42. *lib.* 2. & *alij*: propterea in quacumque lege debet reperiri. 15

Secundo limitatur, quando grauis vrgeat neceſſitas ad vitandũ aliquod magnum damnum, & tempus non permittat, vt ad ſuperiorem recurratur pro petẽda ab ipſo diſpenſatione; in tali enim caſu per omiſſionem formæ non vitiatur actus. *ita Tiraquell. ad leges connub. Gloſ.* 6. *num.* 31. *Maſcard. concl* 9. *cit. num.* 79 *Rolandus conſ.* 81. *num* 25. & *ſeq. Pariſ conſ.* 33. *num.* 29. & 30. *lib.* 2. affero exemplum in alienatione rerum eccleſiaſticarum, ad quam iura requirunt ſolemnitatẽ, tanquã formam ſubſtãtialẽ; quæ ſi omittatur, irrita erit alienatio *cap. ambitioſæ extra de rebus Eccleſ. nõ alien.* & tamen talis neceſſitas poteſt occurrere, vt hic, & nunc valida, & licita reddatur alienatio, etiam omiſſa forma, nẽpè ſolemnitate requiſita: puta, ſi creditores vrgerent, & niſi eis ſatisfieret, adiudicarent ſibi bona monaſterij cũ magno 16

Digitized by Google

ipſius diſpendio, quod ſanè reparari non poſſet, niſi vēdendo aliquod prædium, cuius pretium creditoribus ſoluatur; tunc enim, ſi *Prælatus* ob temporis anguſtiā, & inſtans periculum non valeret recurrere ad Pontificem pro aſſenſu, recte quidem alienatio fieret ex præſumpta eiuſdem Pontificis licentia, & hoc ad damnum imminens euitandum, vt communiter docent auctores in hoc caſu, & in alijs ſimilibus.

REGVLA LXV.

In pari delicto, vel cauſſa potior eſt conditio poſſidentis.

1 DVas præſens Regula cōtinet partes, nempè paritatem quo ad delictū, & paritatem quo ad cauſſam, & determinat, quòd tali extante paritate poſſeſſor ſit anteponendus. Diſpoſitio autem hæc expreſſè habetur in Iure ciuili ſecundùm vtramque partem; quatenus enim ſermo eſt de delicto, deſumitur Regula ex *L. cum par delictum ff. de reg. Iuris.* quatenus verò loquitur de cauſſa, ſumpta eſt *ex L. in pari cauſſa eod. tit.* Ad pleniorem quidem harum regularum intelligentiam, & antequam nonnullis exemplis earum ius manifeſtior appareat, declarare oportet, quomodo inter plures ſignari debeat poſſeſſor, & qua via in dubijs inueniendus ſit? propterea ſupponēdum eſt, poſſeſſionem diuerſimodè ſumi poſſe; aliqua namque eſt naturalis, aliqua ciuilis, altera denique à Iuriſtis appellatur ciuiliſsima: quæ omnia fusè declarat *Molina noſter de iuſt. & iur. diſput.* 12. *Rebell. de obligat. iuſt. lib.* 1. *diſp.* 2. & ego ipſe in tract. de conſcientia *diſcept.* 5. *cap.* 5 *num* 2. & aliqua etiam ſuperius tetigi *in Reg.* 2 *cap.* 1. *nu.* 11. *& ſeq.* Hoc poſito, aio, in dubijs eum cenſendum eſſe poſſeſſorem, pro quo ſtant plures, & efficaciores iuris præſumptiones, præſertim, ſi is transferat onus probandi in aduerſarium, vt latè dixi *in d. tract. de conſcient. diſcept. cit. cap.* 5 *per tot.* ad quem locum remitto lectorem. His præhabitis ad aliqua exempla deuenio, vt vtraque regulæ pars meliùs explanetur, & exordior à paritate delicti.

CAPVT I.

Nonnulli proponuntur caſus, in quibus declaratur, & probatur poſſeſſoris conditionem in pari delicto meliorem eſſe.

AD hoc oſtendendum affero peruulgatum exemplum, quod in praxi 2
ſolet contingere; videlicet, ſi vnus ex litigantibus det Iudici pecuniam, vt in ſui fauorem ſententiam ferat, quamuis iniuſtam, nequit certè in tali caſu pecuniam, aut munus datum repetere; quia ex parte etiam ipſius dantis turpitudo interuenit. *L. vbi autem, tum L. ſequenti ff. de cond. ob turpem cauſſam. cap. non ſanè* 14. *qu.* 5. propterea, cum paritas delicti inueniatur tàm ex parte accipientis, quā ex parte dantis, & accipiens ſit in rei poſſeſſione, tum naturali, quatenus animo, & corpore illam apud ſe detinet, tum etiam ciuili, in quantum eſt à iure inducta, idcircò huiuſce poſſidentis conditio potior cenſeri debet, vt dans repellatur, nec poſſit datam pecuniam repetere.

Sed quid dicendum, ſi Titius v. g. liti- 3
gans cum *Sorte* ex vna parte ſit certus de iuſtitia cauſſæ ex parte ſui; ex alia verò parte certò ſciat, Iudicem à Sorte ſubornandum eſſe, & ſententiam iniuſtam pro eodem *Sorte* laturum, vel ſaltem cauſſæ deciſionem dilaturum; an in tali caſu Titius ad redimendam vexationem dans iudici pecuniam, vt illum inducat ad cauſſam citò terminandam, & ad iuſtum iudicium ferendum, poſſit datam pecuniam repetere, cum nulla fuerit ex parte ipſius turpitudo, ſed ſolum ex parte iudicis accipientis?

Partem affirmatiuam cum multis ſuſtinet *Gloſsa in d. cap. Non ſanè, verbo ille. Abbas in cap. cum ab omni. num.* 8. *de vita, & honeſt. cler. Syluester in ſumma verb.* Iudex 1. *quæſt.* 12. *pronunciato* 6. *Couarr. in Reg. peccatum. p.* 2. *§.* 3 *num.* 1 *Molina tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 88 *num.* 2. *& ſeq. & diſp.* 90. *num.* 11. *Leſſius de iuſt lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 64. *& alij,* quos laudat, & ſequitur *Barboſa in eod. cap. non ſanè num.* 1. ratio autem eſt, quia, cum Titius nullam ex parte ſui turpitudinem committat, dando iudici pecuniā ad repellendam iniuſtam vexationem, meritò iura ei concedunt actionem ad re-

pe-

petendum. *L. 1. in fin. & L. 4. verſ. quoties ff. de cond. ob turp. cauſ.*

4 Inſtare tamen quis poſſet, adducendo textum in contrarium, qui habetur in *L. 2. verſ. ſed ſi dedi. ff. eo.* vbi dicitur, quod ſi ego dederim Iudici munus, vt pro me ſententiam, quamuis iuſtam, pronunciet, nihilominus crimen contraham, quia Iudicem corrumpere videor: & conſequenter datũ repetere nequeo ob turpitudinem à me commiſſam, vt Gloſſa ibi aſſerit.

Reſpondeo, difficultatem ex prædicto textu deſumptam latè examinari, ac ſolui à *Barboſa loc. cit.* qui pro maiori intelligentia quatuor conſiderat caſus. Primò, quando Iudici datur nũ determinatè in fauorem ipſius dãtis, vt litem decidat, ſed indeterminatè vt cauſſam expediat, prout iuſtitia exegerit, vel, vt ſententiæ prolationem iniuſtè non differat. Secundò, ſi Iudici detur, vt pro ipſo dante ſententia iuſta feratur, nulla tamen præcedente noticia, quòd Iudex iniuſtè eſſet pronunciaturus. Tertiò, quando in hac determinata datione ipſe donans certitudinem habet, quòd aliàs à Iudice contraria, & iniqua ſententia ſit ferenda. Quartò, quãdo Iudici datur ſimpliciter, cauſſa talis dationis minimè expreſſa. Has quatuor formas, ſub quibus datio fieri poteſt, expendit Barboſa, vt vera habeatur intelligentia textus adducti in *dicta L. 2.* Quapropter placet allatos caſus, diſtinctè explicare ſolutionem applicando prædicto textui, & adhærendo in multis menti, & doctrinæ eiuſdem Barboſæ.

5 Ad primum igitur reſpondet ipſe, diſtinguendo inter ius antiquum, & ius nouum, & aſſerit, quòd, ſi ſpectemus antiquum contentum in *dicta L. 1. & L. 4. verſ. quoties*, conceditur danti actio repetendi munus Iudici datum, quia in caſu poſito turpitudo ſolùm eſt ex parte recipientis; at ſi attendamus ius nouum expreſſum in *Auth. vt litigantes iurent, & in princ. collat. 9.* oppoſitum eſt dicendum, nempè, repetendi actionem minimè concedi; quia in *Auth. cit.* vniuerſaliter prohibetur quæcumque datio Iudici facienda, niſi iure permittatur; proinde, cum in prædicto caſu datio ſit contra legem, ideircò turpitudinem cõtinere videtur, ita vt ſit danti deneganda actio repetendi. Motiuum autem cuiuſque huiuſmodi dationis improbandæ fuit vitare ſubornationis periculum, ne ſcilicet Iudex munere allectus corrumpatur: & quamuis re ipſa dans non habuerit animum peruertendi Iudicem, & lex quoad finem intentum negatiuè ceſſet, propter hoc tamen non ſequitur, deſinere prohibitionem; quia finis, quem lex ita reſpicit, eſt periculum ſubornationis; quod certè periculum ſemper viget, licet in dante non reperiatur intentio ſubornandi. Ex his autem colligunt nonnulli apud ipſum Barboſam in fine explicationis huius primi caſus, ius antiquum fuiſſe correctum per ius nouum quoad dãdi prohibitionem, & quoad concedendam, aut denegandam actionem repetendi: ego verò cenſeo, hoc non ita facilè admittendum eſſe; quia cum iuris correctio ſit valdè odioſa, vt communiter docent auctores, idcircò, quoad eius fieri poteſt, vitanda eſt: conabor propterea in hac re vtrumque ius conciliare, idque inferius præſtabo.

Ad ſecundum idem Barboſa reſpondens ait, eaſdem rationes, quæ vigent in primo caſu militare etiam in hoc ſecũdo; non modo iuxtà ius nouum, ſed pariter iuxta ius antiquum; ideoque vtrique iuri applicanda erit doctrina prædicta.

Ad tertium inquit, licitam eſſe in tali caſu rationem ex parte dantis, vt ab iniqua vexatione, quam Iudex machinatur, ſe liberet: rationes verò huius aſſertionis inferiùs patebunt.

Ad quartum docet, præſumi contra datorem, quod munus datum fuerit in malum, hoc eſt non pro redimenda iniuſta vexatione, ſed potius pro corrumpendo Iudice; propterea danti negat ipſe actionem repetendi; quia, cum talis datio, & acceptio à iure reprobentur, præſumimus, in dubio fieri contra leges, niſi ratio aliqua appareat, per quam cohoneſtetur, & iuſtificetur datio ipſa, quæ exteriùs cõtra legem eſſe videtur; idque Barboſa nonnullorum auctoritate, & rationibus confirmat.

His omnibus præſuppoſitis, deuenio ad ſolutionem inſtantiæ in contrarium deſumptæ ex *d. L. 2. verſ. ſed ſi dedi*, & aio, ſermonem ibi eſſe, quando datur Iudici determinatè, præſcribendo qualitatem ſententiæ ferendæ in fauorem ipſius dantis; tunc enim ſubornatur Iudex, & crimen interuenit ex parte etiam dantis; ideoque datum repeti nequit: quod certè non ſolum eſt conforme iuri nouo *in* 6

Auth.

Auth. ſuperius cit. verùm etiam antiquo vt apparet *in d. L. 2. verſ. ſed ſi dedi* proinde iura hęc nullatenus ſunt contraria: ex quo apparet, inſtátiam in contrarium adductam non aduerſari ſententiæ, quam ego ſuſtineo.

Poſſet hîc quiſquam inquirere, an quæ
7 in hac ſolutione à me dicta ſunt, locum habeant in vtroque foro interno, & externo? videntur enim pro externo tantũ militare, quatenus in tali foro præſumitur ſubornatio: quæ quidem pręſumptio nequit in foro interno reperiri, in quo rei veritas eſt attendenda, qua adinuenta, ceſſat omnis cõtraria præſumptio; quod equidem habetur in pręſenti caſu, in quo ſupponitur, quòd dans, quamuis determinate donet, vt iudex pro ipſo ſententiam ferat, nihilominus, cum iudici præſcribatur, vt non iniquam, ſed iuſtam pronunciet ſententiam, non videtur donans aliquid rectę rationi contrarium facere.

Vt quæſito ſatisfaciam, duplicem præmitto modum, quo caſus formari poteſt; Primò ſi Titius, qui donat, ſit ſaltem moraliter, & prudenter certus, quod Iudex contra ipſum ſit iniquam ſententiam laturus. Secundò; ſi talem non habeat certitudinem. In priori modo Titius donans nullum in foro conſcientiæ crimen committit; quia ſtante peruerſa iudicij voluntate, & iniqua vexatione poteſt omni iure munus Iudici dare, vt à tali vexatione deſiſtat, quemadmodum ſuperius aſſerui ſequens plurium ſententiam. In poſteriori autem modo dico, non poſſe Titium munera iudici largiri; quia, cum non ſit certus de iniqua vexatione ſibi inferenda, exponeretur periculo ſubornandi iudicem.

Denique, vt antiqua, & noua iura conciliencur, dico, in antiquis Digeſtorum legibus repetitionem donanti concedentibus, nempe *in d. L. 1. & 4.* ſermonem eſſe, quando non eſt turpitudo ex parte ipſius dantis, vt contingit in priori modo relato, qui eſt tertius caſus à *Barboſa* formatus; at verò in iure recenti Authenticorum locutio eſt, quando non interueniunt conditiones in priori modo appoſitæ, vel, ſi adſunt, nequeunt nobis conſtare; hinc ius præſumit iudicis ſubornationem, ad cuius periculum euitandum, à legibus quæcumque datio prohibetur, tanquam turpis: quod tamen locum minimè habet in foro interno, quando nimirum ex parte dantis adeſt certitudo prædicta.

Quæ hactenus dicta ſunt de datione, 8
quæ Iudici fit, quando ex vtraque parte tum dantis, tùm accipientis adeſt turpitudo, applicari poſſunt alijs delictis: puta, ſi quis alteri munus largiatur, vt homicidium furtum, lenocinium, adulterium, &c committat; in his enim, alijſque ſimilibus caſibus turpitudo ſe tenet tum ex parte dantis, tum quoque ex parte recipientis; ideoque potior eſſe debet conditio poſſidentis iuxtà diſpoſitionem præſentis Regulæ.

CAPVT II.

Poſterior Regulæ pars examinatur, videlicet, quandonam poſſidentis conditio potior ſit in pari cauſſa?

EXplicatis ijs, quæ ad primam huius Regulæ partem ſpectare mihi viſa ſunt, ſermonem dirigo ad ſecundam, in qua expendi debet, an, ſicuti ſtante paritate in delicto potior eſt cõditio poſſidentis, ita ſimiliter ſit aſſerendum ſtãte paritate cauſſæ, in qua delictum non interuenit? materia hæc eſt adeo ampla vt eius tractatio integros procul dubio libros replere poſſet: verumtamen de ea latiſſimas inſtitui quæſtiones in tractatu *de conſcientia dubia diſcept. 5. & 6.* in vndecim capita diſtributas; ibi enim ſermonem habui de dubijs in ſingulis materijs, & tanquam baſim, & fundamentum dicendorum præmiſi, quis dicatur poſſidere, & in cuius fauorem, & commodũ ſit indicandũ? poſtea ſigillatim de re hac ſuper omnes materias ad praxim pertinẽtes varia propoſui, & reſolui dubia, nẽpè de Religione, quatenus iuramentũ inuoluit, & votum; de legibus, & præceptis; de ratihabitione, de priuilegijs, de diſpenſationibus, de iuſtitia, de beneficijs eccleſiaſticis, de iure patronatus, de cẽſuris, & irregularitate, de Sacramentis, de vltimis voluntatibus, & legatis, &c. quapropter, cum omnia pro declaratione huius ſecundæ partis in hac regula concẽtæ, & quæ à commentatoribus hic pertractantur, ibi adeò copioſè à me diſcuſſa ſint, non eſt aliud in hoc loco addendum: proinde lectorem remitto ad tractatum illum de conſcientia dubia.

Re-

REGVLA LXVI.

Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.

1 IIſdem ferè verbis ſimiles Regulæ inueniuntur in *L. in iure ciuili ff. eo. tit. & in L. 24. ff. de cond. demonſtr.* & in alijs quoque legibus, quas afferunt *Decius, & Dynus.* habet autem hæc regula locum in vltimis voluntatibus, in contractibus, cæteriſque diſpoſitionibus, quæ pendēt à ſtatutis, vt idem Decius aſſerit, quem in hoc, cenſeo, loquutum fuiſſe demōſtratiuè, ſeu ad exemplū, non verò taxatiuè; quia, vt videbimus, Regula extenditur à Gloſſa ad plura alia præter enumerata, vt ex caſibus ab eadem Gloſſa adductis quilibet videre poteſt. Antequam autem peculiaria exempla examinentur, breuis quædā notitia præmitti debet de natura conditionum, quantum facit ad intelligētiam huius Regulæ.

CAPVT I.

Quid & quotuplex ſit conditio, & quænam faciat ad præſentis regulæ diſpoſitionem.

COnditio in hoc loco non accipitur ſtrictè, quatenus ſignificat dilationem rei in incertum aliquem euentum, vt ſumitur in *L. cum ad præſens, vbi notat Gloſſa ff. ſi cert. petatur.* ſed accipitur latè, nempe quo qualibet pactione, modo, lege, onere, &c. ita *PecKius nu.* 2. & alij.

2 Plures eſſe conditionum ſpecies, manifeſtè patet apud auctores: ego vero, eas conſiderando, pro vt faciunt ad præſens inſtitutum aio, tres eſſe, videlicet, poteſtatiuam, caſualem, & mixtam: *Gomez to. 1. var. reſol. cap. 12. n. 60. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 13. nu.* 13. Poteſtatiua illa appellatur, quæ eſt valde facilis, & a ſola hominis voluntate totaliter dependet, & conſiſtit tum in actione corporali, tum etiam in aliqua alia re exercenda: caſualis conditio ea eſt, quæ ex fortunæ euētu depēdet, vt, ſi hodiè nauis ex Aſia venerit, dabo tibi centū. mixta denique eſt, quæ partim dependet ex voluntate eius, cui imponitur, partim ex voluntate imponētis, vel alterius, ſeu partim à voluntate, partim à caſu. V. g. ſi cum aliquo celebraueris talem contractum, vel, ſi duxeris in vxorem Bertam, &c. hæ namque, & ſimiles conditiones, quatenus pendent à beneplacito onerati, participant rationē poteſtatiuæ; in quantum verò aliunde dependent, participant rationem caſualis.

His declaratis, quæ ad prædictarum conditionum notitiam ſpectant, deuenio ad explicandum, in qua conditione ex enumeratis locum habeat Regula.

3 Dico igitur, non habere locum in poteſtatiua, ita *Puteus d. 32. lib. 1. in correctis*, qui hoc inter alia probat *ex L. Cum ab eo. ff. de contrah. emptione.* & animaduertit etiam *Gloſſa verſ. ſub conditione*. huius autem rei ratio eſt manifeſta, quia, vt ſupra diximus, poteſtatiua valdè leue onus imponit, & à voluntate ſola illius, ad quem pertinet, totaliter dependet: quapropter nequit contingere, vt qui debet illam ponere, impediatur: quoniam, vt ſic, ab eius voluntate executio non dependeret, & conſequenter ipſa conditio deficeret a ratione poteſtatiua, & accederet ad mixtam: cum autem hoc non ita ſe habeat, rectè aſſeritur, quod præſens Regula non procedat in conditione poteſtatiua. & hæc de præſenti diſpoſitione in ordine ad poteſtatiuam conditionē. Loquendo autē de alijs conditionū ſpeciebus, aio, in illis Regulā procedere ſaltē in mixta, vt varijs exēplis, & caſibus capite ſequenti aperiendis fiet manifeſtum. Nolo autem hic præterire animaduerſionem quamdam, de qua agit *PecKius n.* 1. ait enim, à nōnullis improbari lectionem huius regulæ conſtantem verbis negatiuis, quatenus dicitur, *Cum per eum non ſtat*, & ab ijſdem legi affirmatiuè, hoc modo *Cum per eum ſtat*. Ducuntur ad hoc; quia putant, lectionem affirmatiuam eſſe iuri conformiorē: quod probant *ex L. iure ciuili ff. de cond. & demonſtr.* vbi hæc verba leguntur [Iure ciuili receptum eſt, quoties per eum, cuius intereſt conditionem impleri, fit quominus impleatur, perindè eſt, ac ſi impleta fuiſſet.] ita ex PecKio, cui ego adhæreo, in quantum ait, vtramque lectionē affirmatiuam, & negatiuam veram eſſe, & non rectè improbari negatiuam ſatis communiter receptam, præſertim, quatenus terminis negatiuis præſens regula eſt formata: quamuis, vt dixi, vera eſſe poſ-

Digitized by Google

poſſit affirmatiua, quando ſcilicet locutio eſt de illo, in cuius vtilitatem redundare debet conditionis implementum; quia tunc quoad effectum habebitur pro impleta. V. g. ſi teſtator relinquat Titio domum aliquam ſub conditione, vt ipſe legatarius ſoluat hæredi decem, tunc hæredis, ne domum tradat, intereſt, cõditionem non impleri; ideoquè, ſi per ipſum hæredem ſtat, quominus impleatur, forte quia non vult illa decem recipere, quæ Titius pro conditionis ex parte ſua implemento ipſi tradebat, certe cõditio pro impleta habebitur, vt eſt caſus *in d. L. iure ciuili. ff. de cond. & demonſtr. L. fin. C. de cond. inſer. & L. ſtatu liber. ff. de leg. 3. vbi Gloſſa, & Dynus in princip. huius Reg.*

Sed hic ne lector decipiatur aduertendum eſt, in aliquibus Codicibus verbum, *impleri, in L. citata iure ciuili* affirmatiuè poſitum eſſe, hoc modo [Quoties per eum, cuius intereſt conditionem impleri] ſed vera, & recipienda lectio debet eſſe negatiua, & ita de facto habetur in Pandectis florentinis, in quibus verbũ *impleri* eſt cum negatione, & dicitur, *Non impleri*, vt in aliquibus Codicibus notatur in margine dictæ legis: quod pariter aduertit *Gloſſa hic in princip.* & Decius. Quod autem negatiuè legendum ſit, oſtenditur ex ipſo textu, in quo, ſi affirmatiua eſſet lectio, falſum eſſet, conditionem haberi pro impleta, ſi per eum, cuius intereſt impleri, fiat, quo minus impleatur; hæc enim duo inuicem pugnant, videlicet intereſſe impleri à Titio, & ſi Titius nõ impleat, haberi pro impleta reſpectu eiuſdem Titij, cui cum onus conditionis implendæ ſit impoſitũ, vt ex impleméto illius aliquod vtile conſequatur, ſi ipſe, cum poſſit, non impleat, nõ poterit frui beneficio adimpletionis; ac proinde falſum eſſet dicere, conditionẽ haberi pro impleta.

CAPVT II.

Aliqui aperiuntur caſus ſub huius Regulæ diſpoſitione comprehenſi.

4 IN prędictorum caſuum diſcuſſione exordior cum Gloſſa à ſpiritualibus, nimirum à facto illo, de quo fit mentio *in lib. 1. Geneſ. cap. 22.* de Abraham videlicet, cui Deus mandauit immolare filium ſuum Iſaac, non quidem, vt effectus ſequeretur, ſed vt ipſe Abraham inſignẽ obedientię actum exerceret, & mercedem reciperet. Abraham ſanè inchoans iam ſacrificium impeditus fuit ab ipſo Deo, ideoque vlterius non eſt progreſſus: cuius quidem actionis intuitu benedixit illi Deus, eidemque promiſit multiplicare ſemen eius, ſicut ſtellas cæli, & arenam, quę eſt in littore maris, quod verificandum erat ſpiritualiter, nempe 2
de multiplicatione fidelium mediante diuini verbi incarnatione per aſſumptionẽ illius carnis, quę ex ipſo Abraham originẽ traxit. Hoc poſito, videtur cum Gloſſa applicari poſſe diſpoſitio huius regulę huic facto; nam pręmium, quod *Deus* pro Abrahamo parauit, fuit ſub cõditione ſacrificij in perſona Iſaac: cęterũ non ſtetit per Abraham, quin conditio impleretur; idcirco habita fuit pro impleta.

Secundo legatum monaſterio relictũ 5
ſub conditione, quod legans ſepulturam habeat in Eccleſia eiuſdem monaſterij, debetur, etiam ſi legans mortuus fuerit excommunicatione innodatus; ac proinde eccleſiaſtica ſepultura priuatus iuxta diſpoſitionem textus in *cap. ſacris. de ſepulturis, & Clement. 1. eo. tit.* quamuis conditio defeciſſe videatur: & ratio eſt, quia, cum per religioſos illius monaſterij non ſtet, conditionem adimpleri, idcircò haberi debet pro impleta.

Cęterũ ex his inſurgit dubiũ, an ſcilicet 6
ſi Eccleſia in qua Titius legans ſepulturã elegit, tempore mortis Titij inueniatur ſpecialiter interdicta, ita vt tali interdicto durante nequeat in ea aliquis ſepeliri propter iuris prohibitionem, an, inquam, eiuſdem Eccleſię religioſi legatũ conſequi poſſint, ſicuti diximus in caſu precedente? Dubium hoc apud neminem, ne tactum quidem, inuenio; propterea dicam, quid ego ſentiam, ſubijciendo deciſionem iudicio aliorum profeſſorum: aio igitur, in hoc caſu legatum non deberi; quia conditio non habetur pro impleta, cum impedimentum adimplendi proueniat ex parte ipſorum Religioſorum: ex quo patet diſcrimen inter hunc, & precedentem caſum; in illo enim impedimentum implendi conditionem non procedit ex parte religioſorum, ſed ex parte illius, qui ſepulturam elegit; ſecus verò in caſu iſto; ideoque non currit paritas: cenſeo tñ, quod ceſſãte impedimento, ſi cadauer Titij in Eccleſia Monaſterij, quam ipſe elegit ſepelietur, legatum debeatur, quia impleta eſt

con-

conditio,ſub qua fuit relictum.

7 Tertiò,in beneficijs præferẽdus eſt ille, qui primo loco fuit nominatus, ſi per eũ non ſtetit,quominus ipſi beneficium collatum fuerit. puta, vacante beneficio in aliqua vniuerſitate, fuit ad illud nominatus Titius, qui ſuam hanc nominationem inſinuauit illi, à quo beneficiũ erat conferendum infra ſex menſes à die vacationis computandos. *Euenit*,vt collator neglexit, & diſtulit collationem, ita vt Põtifex elapſo ſemeſtri nominauerit Sẽpronium:dubitatum eſt,quis præferẽdus? Dico,præferendum eſſe Titium, qui primo loco fuit nominatus: & ratio eſt,quia per eum non ſtetit,ne collatio ipſi fieret; propterea habetur pro facta à die, quo Titius requiſiuit, vt ipſi beneficium conferretur *Rebuff. tract. de pacif. poſſeſſ. in fin. ver. 6. conditio.* & alij apud *PerKium his ampliat.* 2. *Streinius ampliat.* 3.

8 Quartò Regula procedit in citationibus; propterea, ſi ille, qui citandus erat, & cuius intererat nõ citari, impediuit per alios executorem, ne procederet ad citationem,in tali caſu citatio habetur pro impleta *Streinius nu.* 4.

9 Sed cõtra prædicta vrgere quis poſſet ex textu in *L. legatur. ff. de cond. & L. ſi ſub diuerſis ff. de cond. & demonſtr.* vbi quidã teſtator legauit Caio centũ aureos, ſi Bertam in vxorem duxerit; ſed antequam celebraretur matrimonium, Berta mortua eſt: in hoc autem caſu, quamuis nulla interueniat culpa ex parte Caij, vt conditio impleatur; attamen pro impleta non habebitur: ergo corruit præcipuum fundamentum, quo nituntur caſus prædicti, & alij ſimiles iuxtà diſpoſitionem præſentis regulæ,in qua dicitur,quòd cõditio habetur pro impleta, quando non ſtat per eum,ad quem ſpectat.

Reſpondeo,in ijs,quæ ſunt merè fortuita, & caſualia,nec iuxta curſum naturalẽ humanæ facultati ſubduntur locum non habere noſtram regulam, quæ verificari debet in ijs, quæ aliquo modo pendent à poteſtate, & voluntate humana: cum autem mors ſit merè caſualis, & fortuita, ſi ipſa eueniente, impeditur executio, nequit dici, quod conditio habeatur pro impleta, cum impedimentum ſit ex illis rebus, quarum poſitio eſt à nobis independens. Ad argumentum igitur, nego conſequentiam; quia fundamentum præſentis regulæ procedit in caſibus,quæ humanæ facultati ſubduntur, vt allatis exemplis eſt manifeſtum.

REGVLA LXVII.

Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.

1 VAldè conueniens, rectæque rationi conformis eſt præſentis Regulæ diſpoſitio: quia, ſi illud, quod meo nomine mihi licitum non eſt facere, per interpoſitam perſonam fieri liceret,omnes ferè leges eluderentur, cum aliquid prohibent; quatenus quis facilis negotio poſſet fortè per alium actionem prohibitam exercere. Plures aſſignari ſolent caſus, in quibus diſpoſitio hæc procedit. V. g. extat lex, per quam ſtatuitur, ne tutor emat rem ſui pupilli. *L. pupillus §. idem ſi tutor. ff. de auctor. & adminiſ. tutor.* ideoque, etiam ſi emat mediante alia perſona, emptio erit nullius momenti, vt in eadem lege diſponitur: & hic eſt adæquatus huius Regulæ finis, ac ſcopus.

2 Secundo, qui excommunicatione alligatus eſt, nequit in iudicijs eſſe actor, vt habebitur in *cap. decernimus de ſent. excom. in 6.* propterea nec poteſt per procuratorem, ſeu per aliam interpoſitam perſonam agere. *cap. fin. de procurat.*

3 Tertiò, quia ex iure nequit pater filio ſpurio aliquid relinquere, ideò nec id poteſt per interpoſitam perſonã *L. ſi quis. verſ. Nihil prorſus. C. de inceſtis nuptijs, & L. 1. C. de natural. liber.* quę ſanè ſententia eſt communiter à Iuriſtis, atque ab omnibus Theologis recepta: de qua tamen vide omninò *Sanchez conſ. moral. lib. 4 cap. 3. dub. 19. 20. & ſeq. Delugo de iuſt. diſp. 24. ſect. 6. & 7. per totum.*

Hi, & alij ſimiles caſus poſſent aſſignari, de quibus Iuriſtæ agunt nõ ſolum iuxta ius commune, ſed etiam iuxtà ius municipale cuiuſque regionis. vide *Menoch. de arbitr. Iud. lib. 2. caſu 459.*

4 Cęterũ Regula fallit in aliquo caſu: puta, clericis prohibita eſt negotiatio,lucrãdi cauſa. *Cap. ſecundum inſtituta. Ne clerici, vel monachi.* poteſt tñ,hoc non obſtãte, clericus per interpoſitã perſonã negotiari. *Bellet. diſquiſ. cleric. part. 1. tit. de diſcipl. cleric.* §. 21. & alij apud *Dianam par. 1. tract. 8. de contractibus reſolut.* 72. & hoc, quia tali modo ceſſat illa indecentia, ob quam ipſis clericis immediata negotiatio interdicitur, quæ, cũ ſecundum ſe non ſit illicita, neque pro-

hibita, niſi ratione prędictę indecẽtiæ, idcircò, tali indecentia ceſſante, prohibitionem deficere, neceſſe eſt: De qua re fuſiùs agam infrà in *Regula* 72. *cap.* 12. *per totum*.

REGVLA LXVIII.

Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.

DVcitur Regula hęc *ex L.* 1. §. *deiecisſe. ff de vi, & vi armata*. & ex multis alijs iuribus apud Barboſam hic. Plures, maximique momenti caſus ad praxim pręſertim pertinentes eſſent proponendi, & decidendi; ſed quia de ijs omnibus latiſſimè per duodecim capita inferius ſermonem inſtituo explicando Regulam 72. idcirco placet in eum locum remittere lectorem; commodius enim prędictos omnes caſus ibi examinandos iudico; quia, cum hę duę Regulæ ſint omninò connexę, & de eadem agant materia, ſolumque differant ſecundùm potẽtiam, & actum, hæc enim de potentia, illa verò de actu ſecundo loquitur; propterea congruentiùs videtur caſus expendere, prout ſunt in actu, ſeu effectu talis potentiæ: nam eſſe potentiale magis ad ſpeculationem, quàm ad praxim in hoc tractatu à me intentam pertinet. Hæc autem breuiter inſinuare mihi viſum eſt, vt rationem redderem, quare potius ibi, quàm in hoc loco caſus ſub vtriuſque regulæ diſpoſitione comprehenſos expendere decreuerim.

REGVLA LXIX.

In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari.

COnnectenda eſt præſens Regula cũ alia, quæ habetur *in cap.* In *malis* 22. *quæſt.* 4. vtraque enim in idem tẽdit, videlicèt, in turpibus promiſſis non ſeruandam, ſed reſcindẽdam eſſe fidem. Cęterum in hac propoſitione cum aliqua inuoluatur ambiguitas, oportet ad ęquiuocationem tollendam, verborum ſignificatũ aperire. Aio igitur *ex Dyno*, malum promiſſum bifariam ſumi poſſe; primò, in quantũ eſt de re ſecundùm ſe mala. V. g. de homicidio, furto, adulterio exercẽdo, & ſimilibus. Secundò promiſſum dicitur malum, quatenus eſt malè conceptũ, ſeu quatenus extorquetur per dolum, vel per metum. *Si* de priori ſit ſermo, certũ eſt, fidem non eſſe ſeruandam; quia eius executio eſt peccatum; ideoque promiſſio de his rebus non tenet. Si verò de poſteriori loquamur, poterit promiſſio tenere ſpectando iuris rigorem, ſed nihilominus poteſt promiſſor fidem non ſeruare excipiendo, *L. ſi quis cum alter ff. de verb. oblig*. Hanc diſtinctionem, quam *Dynus* ponit, reijcit *PecKius num.* 2. vt potè imperfectam, & deficientem; quia, vt ipſe inquit, ſtipulationes illæ, in quibus ſolẽnitates à iure præſcriptæ non ſeruantur, appellari poſſunt malæ promiſſiones, & ideò inualidę; quæ tamen non videntur comprehenſæ in membris prædictæ diſtinctionis: Hæc *PecKius* contra *Dynum*. Ego tamen, his non obſtantibus, admittendam cẽſeo diſtinctionem à Dyno excogitatam, ſi ad æquiuocationem de medio tollendam declaremus, de quanam malitia pręſens regula ſit intelligenda. Quapropter dico, eam eſſe malitiam theologalem, & non legalem, vt bene notat *Streinius* in fauorem Dyni: ſtipulationes autem, quibus deſunt iuris ſolemnitates appellantur malæ promiſſiones, quatenus malitiam legalem inuoluunt: niſi per accidens aliqua connecteretur circumſtantia, ratione cuius id, quod prius erat tantùm legaliter, efficiatur etiã theologicè malum. Quod verò ſpectat ad intelligẽtiam huius Regulę, & textus *in d. cap. in malis* dico, in vtroque loco malum promiſſum eſſe ſumendum de malitia, ſeu turpitudine ſe tenente ex parte recipientis, non ex parte promittentis, vt benè animaduertit *Barboſa in cap in malis cit. & in explicatione huius Regulæ num.* 3. quocircà licèt hæ promiſſiones valeant, ſpectando merum ius, vt colligitur *ex inſt. de except.* §. 1. *prope medium*. nihilominus ratione turpitudinis ex parte promiſſarij non eſt ſeruanda fides. Et hæc, quæ pro declaratione huius Regulæ dicta ſunt, ſatis videntur. Verùm quia ipſa regula innititur diſpoſitioni contentæ *in d. cap. in malis*, vbi duæ habentur turpium promiſſionũ claſſes, vna videlicet cõtinens illas, quę Deo, altera eas, quæ hominibus fiunt; placet ideò de vtroque promiſſionum genere aliqua diſcutere, quatenus ad prædictorũ turium perfectiorem notitiam ducunt.

CA-

Digitized by Google

CAPVT I.

Expenditur turpitudo, qua interdum afficiuntur promiſſiones aliquæ Deo facta.

2 VT in hac materia clarius procedatur, & quæ certa ſunt, ab incertis, & dubijs ſeiungantur, dicendum eſt primo, promiſſionem Deo factam de re mala, ſiue lethali, ſiue veniali eſſe turpem, ac proinde irritam, ex quocumque capite proueniat malitia, ſiue ex obiecto formali, v. g. ſi promittatur homicidium, mendacium, &c. ſiue non ex obiecto, ſed ex fine malo, ad quem obtinendum, tanquam medium, ordinatur res ipſa promiſſa V. g. ſi quis erogaret pauperibus eleemoſynã in hunc finem, vt ſcilicet bona aliena ſurripere valeat, tunc promiſſio dandi eleemoſynã eſſet inualida; quia eleemoſynæ erogatio aſſumitur, vt medium; ideoque ſortitur eamdem malitiam, quam habet finis ad quem ordinatur; ſecus verò eſſet, ſi ſurreptio intenta nõ eſſet finis rei promiſſę, nempè erogandę eleemoſynæ, ſed eſſet finis ſolius promiſſionis, ſeu voti facti de ipſa eroganda; quia tunc talis promiſſio, ſeu votum eſſet validum, nec turpitudinem contineret, niſi tantum concomitanter. vide *Sanchez lib. 4. in decal. capite citando in ſequenti concluſione num.* 11. vbi rectè explicat duplicem hanc finis acceptionem.

3 Has autem turpes promiſſiones non eſſe ſeruandas, manifeſtè probatur, quia res, quæ alteri promittitur, debet illi placere, & grata eſſe; ſed res mala eſt Deo ingrata, & odibilis; ergo nequit eſſe materia legitima promiſſionis Deo faciendę: proindè rectè *S. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 88. *ar.* 2. *in corpore* vanam docet eſſe promiſſionem factam ab eo, qui alteri promittit id, quod illi non eſt acceptum; vt enim inquit Iſidorus *in d. cap. in malis.* 22. *qu.* 4. In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum.

4 Dicendum eſt ſecundo. *Promiſſio* rei lethaliter malę inuoluens propoſitũ exequẽdi rem ipſam Deo promiſſam, cõtinet duplicẽ turpitudinẽ, nempè, illã, quę cõmittitur, quando habetur intentio patrãdi opus peccaminoſum, alteram verò, quatenus fit grauis iniuria virtuti Religionis: ſi autem res promiſſa eſt ſolum venialiter mala, erit etiam duplex turpitudo, videlicet, inquantum habetur propoſitum committendi peccatum veniale, & in quantum, qui talẽ rem promitit, iniuriam aliquam ipſi Deo, & virtuti Religionis faceret: quæ quidem iniuria non excedit culpam venialem, ratione leuitatis materiæ. ita *Caietanus in ſumma verbo votum cap.* 2. *Syluester eodem verbo* 1. *quæſt* 4. *Nauar. in manuali cap.* 12. *n.* 28. *&* 35. *Sotus lib.* 6 *de iuſt quæſt.* 3. *Manuel in ſumma tom.* 2. *cap.* 94. *n.* 1. *Toletus in ſumma lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 15. & alij, quos laudat, & ſequitur *Sanchez in decalog lib.* 4. *cap.* 6. *num* 9. Ceterum limitant ſententiam hanc *Sanchez*, & alij, quãdo quis moueretur ad talem promiſſionẽ faciẽdam credens, Deo placere, & gratum eſſe illi offerri peccatum veniale; tunc enim promiſſio lethalẽ blaſphemiam contineret, quatenus Deo attribueretur, quod illi nequit conuenire; ideoque taliter promittẽs eſſet blaſphemus, niſi forſitan ob ignorantiam excuſaretur.

5 Dicẽdum eſt tertio. Promiſſiones de re indifferenti ſunt irritæ; puta, ſi quis promitteret nõ præcidere vngues die Sabbathi in honorem B. Virginis, tũc votũ eſſet inualidum, nõ quia turpitudinem contineret, ſed quia non inuolueret aliquod redundans in obſequiũ Virginis; & ſic de alijs ſimilibus. Secus verò eſt, ſi illa indifferentia tolleretur per adiectionem alicuius honeſtæ circumſtantię, quemadmodum eſſet, ſi promiſſio non præcidendi vngues tali die fieret, ne ipſe promittens retardaretur ab orando, quia tunc ratione talis circumſtantiæ promiſſio nõ eſſet de re indifferenti, ſed de re bona.

6 *Dicendum* quarto. Quando promiſſiones ſunt de re bona, impeditura tamen maius bonum, erunt quidem inualidæ, non ratione turpitudinis, ſed ratione impedimenti, in quantum ſcilicet impediunt, ne executioni mandetur bonum illud, quod magis Deo placet: ex quo illud minus bonum non erit Deo gratum ſuppoſito impedimento prædicto V. g. ſi quis non obligatus aliunde ad matrimonium contrahendum promittat, & voueat abſolutè contrahere matrimonium, tale votum, vt impeditiuum cęlibatus, erit irritum; nam cælibatus, per ſe loquendo, eſt Deo gratior, quàm ſtatus coniugalis; & ſic de alijs ſimilibus.

Digitized by Google

CAPVT LI.

De malis promiſſionibus, quæ homini fiunt.

HActenus loquutus ſum de illis promiſſionibus Deo factis, in quibus turpitudo aliqua inueniatur; nunc verò ſermonem dirigo ad promiſſa, quæ inter homines fiunt, eaque non conſidero, quatenùs ſunt de re bona, ſeu moraliter honeſta; quia, vt ſic, eorum diſcuſſio pertinet ad tractatum de iuſtitia, non autem ad regulam præſentem; ſed quatenus turpitudinem includunt: hoc enim pacto poſſunt ſub præſenti Regula contineri.

7 Dico igitur primò, quando malitia, ſeu turpitudo in promiſſione ſe tenet ex parte vtriuſque, tum ſcilicet ex parte promittentis, tum etiam ex parte promiſſarij, promiſſionem eſſe inualidam. ita ſentiunt communiter Doctores agentes de contractibus, & ſpecialiter de promiſſione. V. g. ſi quis alteri promittat occidere aliquem, furtum committere, &c. huiuſmodi promiſſum eſt omnino irritum; quia nequit abſque peccato ſeruari: quod certè intelligi debet non ſolum de promiſſione mortaliter turpi, ſed etiam de venialiter mala, cuiuſmodi eſſet promiſſio de mentiendo, & ſimiles; in his enim caſibus locum habet præſentis Regulæ diſpoſitio.

8 Dico ſecundo, talem promiſſionem neque validam eſſe, etiam ſi iuramento cõfirmetur; quia, vt communiter docent Theologi, iuramentum nequit eſſe vinculum iniquitatis; ideoque, ſi promiſſio eſt de re mala, etiam iuramentum ſupra eam cadens erit nullum. *Suarez lib. 2. de iuram. cap. 17. Sayrus in Claui regia lib. 5. cap 7. nu. 2. Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 12. dub. 4. num.* 18. *Sanchez in decalog. lib. 3. cap 9 num.* 11. *Delugo de iuſt. diſp.* 23. *ſet.* 8. *num.* 113. & alij communiter de iuramento tractantes.

9 Dico tertio, Si turpitudo promiſſionis eſt ſolum ex parte promiſſarij, tunc deciſio indiget diſtinctione: formo propterea hunc caſum. Titius ob metum iniuſtè illatum cogatur promittere centum Caio metum in hunc finem inferenti; vel hæc promiſſio eſt ſimplex, & tunc erit inualida, ita vt promittens ad nihil teneatur; quia promiſſarius, ſtante iniqua extorſione, nullam acquiſiuit ius ad rem promiſſam *Syluester verbo reſtitutio 2. verſ. 7. Nauarrus in ſumma cap. 17. num.* 30. *Emanuel Sà in Aphor. ver. promiſſio. nu.* 13. *Leſſius de iuſt. cap. 18. dub. 8. num.* 58. & alij laudati à *Bonacina de contract. diſp. 3. qu. 52. pu. 1 num.* 14. vel promiſſio non eſt ſimplex, ſed iuramento vallata, & tũc obligatur promittens ad eam ſeruandam, ſaltem virtute Religionis, & ob reuerentiam *Sacramenti*; non autem ratione iuſtitiæ: & hoc, quia executio promiſſionis non eſt turpis ex parte ipſius promittentis, ſed tantũ ex parte promiſſarij, vt ſimiliter euenit in alio caſu, quando ſcilicet mutuum accipiens iurat, ratione mutui vſuras ſoluere mutuanti, quia tunc obligatur promittens ad vſuras ſoluendas, vel ad aliam rem promiſſam adimplendã: & ratio, vt ſuperius dixi, eſt, quia ex parte ſui in adimpletione promiſſionis nulla eſt turpitudo: propterea, cum ſit iuramẽto alligatus, illud ſeruare tenetur, cum abſque vllo peccato id facere queat: poterit tamen, vt notant Auctores, huiuſce iuramenti relaxationem petere ab habente poteſtatem relaxandi, & ſoluto iuramenti vinculo, ad nihil tenebitur. Dixi, in his caſibus promittentem obligari ſaltem virtute religionis; quia in multis exemplis iuramentum appoſitum, contractum aliàs inualidũ confirmat; quo caſu promittens tum virtute religionis, tum etiam virtute iuſtitiæ tenebitur; quia promiſſarius, ſtante prædicta confirmatione, ius aliquod acquiſiuit: licet is, qui ita promiſit, poſſit per modũ exceptionis in iudicio huiuſmodi contractus reſciſsionem petere. Quando autem per iuramenti appoſitionem confirmetur contractus aliàs inualidus examinãt Doctores, inter quos fusè de hoc agunt *Leſſius lib. 2. cap. 17. dub. 7. Sanchez* multis in locis, præſertim *lib. 1. de matrim. diſp.* 32. *lib. 4. diſp.* 20. *& in decalog. cap. 12. lib. 4.* Ioannes *Delugo de cotract. in genere diſp.* 22. *ſect.* 8. Ego autem punctum hoc expendendum aggredi non curo; quia extrà præſens inſtitutum videtur, in quo ſolum agitur de promiſſionibus malis; non autem de vi, quam habet iuramentum, ad confirmandos aliquando contractus inualidos.

RE-

Digitized by Google

REGVLA LXX.

In alternatiuis electio eſt debitoris, & ſufficit alterum adimpleri.

DVas præſens Regula continet partes, in priori dicitur electio ad debitorem ſpectare, & deſumitur *ex L. Plerumque* 11, *in fine ff de iure dotium. & ex D. ſi in emptione* 34. §. *ſi emptio, & L. ſi ita* 25 *ff. de contrab. empt. iuncta L. ſi quis penult* §. *hinc autem C. de condit. indeb.* In poſteriori autem parte diſponitur, ſufficere in alternatiuis alterum adimpleri, & eruitur *ex L. in eo.* 111. §. *vbi verba. ff. de reg. iur. L. hæredi.* 5. *verſ. ſi diſiunctim ff. de cond. inſt. cap. inter cæteras.* 4. *de reſcriptis.* Quæ quidem duæ partes ſunt ſeparatim conſiderandæ; multi enim ex iis in praxi inferri poſſunt caſus. Exordiũ ego capio à priori, acturus inde de poſteriori.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex ſit alternatiua?

PRo maiori terminorum notitia animaduerto, dictionem hanc, quam nũc frequẽtius Alternatiuam Doctores vocãt, a priſcis Iureconſultis Diſiunctiuam appellari ſolere, ſeu ſubdiſiunctiuam, vt obſeruat *Nebriſſenſis in vocabul. iur. lit. A. in fine huius nominis verſ. Adde.* Hodie tamen vtraque dictio indiſcriminatim ſumitur. Hoc præmiſſo.

Dicendum eſt primò, Alternatiuam eſſe adiectionem plurium in eadem oratione, ſeu propoſitione ita ſe habentium, vt in vno ſaltẽ illorum verificari debeat id; quod exequendum apponitur. V.g. ſi dicatur, Promitto tibi fundum, vel mille aureos; in hac vtique promiſſione adeſt plurium adiectio, nempè fundi, & mille aureorum, itaut in altero ex ipſis verificanda ſit donationis executio. Deſcriptionem prædictam deſumo ex *Nebriſſenſi loco cit.* quamuis ipſe verbis aliquãtulum diuerſis, nec ita claris loquatur. Quam quidem deſcriptionem eſſe congruenter traditã, probari maximè poteſt ex eo, quòd nullus vnica reperiatur terminus, qui alternatiuæ minimè cõueniat; &, vt iacet, nulli, niſi ſoli alternatiuæ competit, ſi rectè, accurateque perpendatur. Et hæc breuiter de natura alternatiuæ. Supereſt, de eius ſpeciebus aliqua innuere.

Dicendum eſt ſecundo. In aſſignandis alternatiuæ ſpeciebus varia auctores ſẽſere quo ad earum numerum; aliquibus enim placuit, ſex, aut ſeptem eas eſſe, pro vt inter alios aſſerit *Iaſon in L. non vtique nu.* 1. *ff. de eo, quod certo loco.* ſed ad quatuor principales omnes reduci debere, melius exiſtimarunt alij, vt *Barboſa n.* 3. *& Streinius n.* 2. *in hac ipſa regula,* quibus ego adhæreo idque ex eo maximè poteſt ſuaderi, quod qualibet ſpecies, quæ allegatur, facili negotio contineri videbitur ſub aliqua ex ſpeciebus mox declarãdis. Dico igitur, primã alternatiuæ ſpeciem eam eſſe, quæ inter perſonas apponitur, de qua alternatione ſermo eſt *in L. cum quidam.* §. *ſit autem* C. *de verb. ſignif.* ſecunda eſt, quæ apponitur inter plures res, vt in *d. L. cum quidam, & L. cum res.* 49. *cit.* tertia, quæ verſatur inter diuerſa loca L. *non vtique ſuperius relata.* quarta denique eſt illa, quæ fit ſecundum diuerſa tempora. *L. ſi ita ſtipulatus* 109 *ff de ver. oblig.* L. *ſi ita relictum* §. *fin. ff. de leg.* 2. Inuenio etiam alternationem non ſolum ſecundum prædictas ſpecies ſeorſim acceptas, ſed etiam mixtas, quas ſanè declarat *Barboſa loc. cit.* id probans nonnullis tum legum, tum Doctorum teſtimonijs.

CAPVT II.

Cur in alternatiuis potius debitori, quàm creditori electio conceditur?

NOnnullos peruoluens auctores in hanc Regulam ſcribentes inueni *Ioannem Monacum, & Auguſtinum Barboſam hic n.* 2. qui breuiſſimè huius rei rationem reddunt; ex eorum autem doctrina ita mihi videtur aſſignanda conueniens ratio. Aio igitur, præcipuum & efficax fundamentum, quo diſpoſitio hæc nititur, eſſe, quia in obligationibus præſumitur, quòd debitor voluerit, quo ad fieri potuit, ad id, quod eſt minus, ſe obligare ideoque, quando ex pluribus in alternatiua poſitis vnum eſt executioni mandandum, ſi electio facienda eſſet à creditore, proculdubio quod eſt ſibi vtilius, eligeret, non obſtante quòd debitori magis damnoſum ſit; quod certè re-

pu-

Digitized by Google

pugnaret intentioni debitoris, quatenus voluiſſe præſumitur ad minus damnoſum ſe aſtringere: quod quidem inconueniens ceſſat, ſi electio detur debitori, qui non præſtaret aliquid ſuæ obligationis meram excedens. & hæc de ratione, qua præſens Regula nititur.

Cæterum Diſpoſitio hæc plures admittit ampliationes, & limitationes, de quibus *PerKius hic* agit, & fuſius *Barboſa à n. 24. & ſeq.* vbi eas examinat, quas ego apud eoſdem videas remitto. Diſcutiendæ nunc remanent aliqua ad poſteriorem Regulę huius partem pertinentia.

CAPVT III.

Quare, & quando in alternatiuis ſufficiat alterum adimpleri?

SEcundum aggredimur præſentis Regulæ membrum, antequam verò illud exemplis confirmemus, aſſignanda eſt ratio prædictæ diſpoſitionis.

Dico igitur, quòd, cum in alternatiuis, vna tantum parte impleta, ſufficienter habeatur veritas propoſitionis, & proprietas verborum rectè ſeruetur, ideo ſatis erit vnius duntaxat partis implementum.

4 Controuerſia tamen eſt inter auctores, an Regula locum habeat tum in alternatiuis affirmantibus, tum in negantibus; an verò in ſolis affirmantibus? V. g. ſi dicas, Promitto tibi centum, ſi infra annum Romam, vel Meſſanam nõ iuero, an in tali alternatiua negante, regula procedat? Aliqui volunt, præſentem diſpoſitionem nõ procedere in negatiuis, ſed tantum in affirmatiuis: idque ſuſtinet *Gloſſa in L. ſi quis ita ſtipulatus. 129 ff verb. oblig* explicando textum, & notatur etiam in margine huius Regulæ. ratio verò deſumitur *ex L. ſi is, qui ducenta. § cum ita, & §. vtrũ. ff. de reb. dub.* Alij verò oppoſitum tuentur, nempe, regulam etiam in negatiuis valere, hoſque laudat, & ſequitur *Barboſa hic num. 29.* vbi exponens textum relatum *in L. ſi is, qui ducenta*: diſtinguit, & ait, quod vel agitur de inducenda obligatione, & committenda ſtipulatione, & tunc ſatis erit in vno fieri implementum, vt colligitur *ex L. cit. ſi quis ita ſtipulatus. verſ. at ſi ſit*. Si autem agatur de obligatione non inducenda, verumque fieri requiritur Pro maiori tamen intelligentia ipſius Barboſæ, & pro Regulæ elucidatione, vtor exemplo ſuperius poſito; puta. Spõdeo tibi centum, ſi infra annum Romã, vel Meſſanam non iuero. Hac promiſſione, & ſtipulatione poſita, tripliciter poterit euenire caſus. Primò, ſi ego infra dictum annum, neque Romam, neque Meſſanam iuerim, & tunc teneor tibi centum ſoluere; quia hoc pacto proceſſit ſtipulatio. Secundo, ſi ego in alteram tantum partem iuerim. v. g. Meſſanam, non autem Romam, & tunc etiam teneor, quoniam, vt ego eximar ab obligatione, vtramque partem verificari oportet. Tertio ſi tum Romam, tum etiam Meſſanam iuerim, & in hoc euentu ad nihil teneor; quia obligatio fuit, ſi conditio negatiuè impleretur. Ex his colligo vetam eſſe doctrinam *Dyni hic nu. 5.* aſſerentis, Regulam militare tum in affirmatiuis, tum in negatiuis, quia idem eſt effectus, ſiue alternatiua ſit affirmans, ſiue negans, quatenus in illis ſufficit, effectum impleri in vno affirmatiuè, in his vero adimpleri in vno negatiuè, vt patet in allato exemplo. Identitas autem effectus conſiſtit in hoc, vt eius adimpletio ſaltẽ in vno ex alternatis reperiatur, ſiue id ſit per affirmationem, ſiue per negationem.

Propterea in exemplo prædicto, ſi ſecundo modo caſus eueniat, ideſt, ſi ex duobus negatiuè poſitis ſub conditione alterum contigiſſe conſtet, nempè, quòd, ego Romam infra annum non perierim, etiam ſi Meſſanam iuerim; adhuc tamen teneor, quia commiſſa iam fuit ſtipulatio: ſufficit enim quod conditio adimpleta ſit in vno negatiuè, ſeu, quod idem eſt, ſufficit, me Romam non iuiſſe, vt teneat ad id, quod promiſi. Et ratio eſt, quia verba illa *Spondeo tibi centum, ſi non iuero, vel Romam, vel Meſſanam*, æquiualent huic alteri propoſitioni, videlicet, *Spondeo tibi centum, ſi alteruter ex his duobus caſibus eueniat, nẽpè, quòd vel ego non eam Romam, vel quod ego non eam Meſſanam*. ſed de facto iam alterutet caſus euenit, quia ego non iui Romam; ergo purificata fuit conditio, & conſequenter iam ex ſtipulatione teneor ad promiſſa: quicquid eueneric de altera parte, nẽpè, ſiue iuerim, ſiue non iuerim Meſſanam; quia ſolum ex vi diſiunctiuæ ſufficit, vnam duntaxat partẽ verificatam eſſe, me ſcilicet Romam non

pe-

Retijſſe. Quod ſanè confirmatur alia ratione; nam, ſi ego, ex eo quia iui Meſſanam, non eſſem obligatus, ſequeretur, quod idem eſſet effectus propoſitionis diſiunctiuæ, ac propoſitionis cõiunctiuæ: quod ſanè quotus quiſque eſt, qui non videat, quam ſit abſurdum? Probatur ſequela. Si ego promittam ſub coniunctione poſita ſub conditione negatiua hoc pacto. *Spondeo tibi centum, ſi non iuero, nec Romam, nec Meſſanam*, certum vtique eſt, quòd, vt ego tenear ſoluere centum, neceſſario ſequitur, vt neutrũ copulatiuè eueniat, ſeu, quod idem eſt, vt vtrumque negatiuè adimpleatur, nempe quòd de facto nec Romam, nec Meſſanam iuerim. Si vero iũ vnam dumtaxat partem iuerim, ad aliam verò minimè, hoc certè ſufficit, vt ego non amplius tenear. Hoc poſito, diuerſo modo ratiocinandum eſt, ſi ſermo fuerit in promiſſione diſiunctiuus; aliter confunderemus propoſitionem diſiunctiuam cum coniunctiua: propterea in exemplo ſuperius poſito, in quo promiſſio fuit alternatiua, & diſiunctiua ſub conditione negante concepta, debemus neceſſario contrariũ dicere, & diuerſũ ab eo, quod diximus de coniunctiua negatiua: igitur, ſicuti in coniunctione negante, eo ipſo quod vnũ ex duobus coniunctis non ſit factum, ſeu ſit negatiuè impletũ; non amplius teneor, ita è contrario in diſiunctione negante, hoc ipſo, quòd vnũ ſit negatiuè verificatum, vtique teneor, aliàs idẽ eſſet effectus coniunctiuæ, ac negatiuæ, quòd eſt abſurdum.

Et hanc doctrinã de alternatiuis negatiuis hoc modo explicatã, licet breuioribus, ſed obſcurioribus verbis, conſtanter tamen ſuſtinent *Imola in fine*. *Decius n.6.& Felinus n.16. in cap. inter cæteras. de reſcriptis*, quos ſequitur *Madeira lib. animaduerſion cap. 24. per tot.* & alij relati à *Barboſa in expoſitione præſentis regulæ n.29.*

Et confirmatur vlterius ex textu expreſſo *in d. L. ſi quis ita ſtipulatus ff. de verb. oblig.* vbi in fine hæc verba leguntur *Dabis, ſi nauis ex Aſia non venerit, aut Titius conſul factus non fuerit?* concludit textus *ſufficit vnum non eſſe factum.* ideſt ſufficit, vt V.g. Titius non fuerit conſul factus ad hoc, vt tenearis ad dandum: quidquid ſit de aduentu nauis ex Aſia.

5 Neque dicas, quòd diſpoſitio textus procedat ſolum in conditione fortuita, & caſuali, ſecus verò in cõditione poteſtatiua, cuiuſmodi eſt conditio non eundi Romam, vel Meſſanam; Reſpondetur enim quòd, (præterquam nulla poteſt aſſignari ſufficiens diſparitas inter conditionem fortuitam, & poteſtatiuam, quantum attinet ad caſum noſtrum) diſpoſitio præſentis Regulæ ſtatuens, in alternatiuis ſufficere, alterum adimpleri, locum habet tum in conditione caſuali, tum etiam in poteſtatiua, vt expreſſè aſſerit *Barboſa hic n.28.*

Aduerto tã, hęc, quę ſunt à me hactenus firmata, & probata de alternatiuis, ſiue negãtibus, ſiue affirmãtibus, procedere, quoties colligimus, mentẽ contrahẽtium per illam dictionem, *Vel*, & ſimilem reuera voluiſſe concipere propoſitionem diſiunctiuam; cæterum, ſi aliunde, forte in talibus determinatis caſibus, apparebit, ſiuè ex coniecturis, ſiuè ex circumſtantijs antecedentibus, aut ſubſequentibus, cõtrahentes, quamuis vſi fuerint dictione, *Vel*, voluiſſe nihilominus nõ diſiunctiuã, ſed cõiunctiuam in ſuo ſenſu concipere, tunc ſtandum eſt menti contrahẽtium, non autem verbis: & ratio eſt, quia dictiones illæ *Vel, Aut*, in iure, quamuis de ſui natura ſint diſiunctiuæ, attamen quandoque equiualent dictioni coniunctiuæ; putà, quando mens diſponentis, aut ſubiecta materia ita ſuaderet, vel aliqua conſurgeret iniquitas, ſi alternatiua in coniunctiuam non reſolueretur; ſicuti expreſſè noſtram Regulam limitat, & aduertit idem *Barboſa plures referẽs n.34.* 6

Ex diſpoſitione huius Regulæ ita explicata multa poſſũt inferri, ex quibus ego aliqua magis præcipua, & ad praxim ſpectantia aperiam, & præſertim in rebus ſpiritualibus.

Et primo infertur, quòd, ſi quis voueat, vel perfectam, abſolutamque caſtitatem, 7 vel ieiunium bis in ſingulis hebdomadis per totum vitæ ſuæ curriculum, poterit beneficio alternatiuæ, quæ in tali vouendi forma habetur, ieiuniũ eligere: neque refert, alteram partem eſſe in materia reſeruata; quia fauor alternatiuæ impedit reſeruationem; ex quo ſeqitur, huiuſmodi votũ poſſe ritè commutari virtute Bullæ Cruciatæ, vt ego ipſe ex cõmuni ſententia oſtendi in expoſitione eiuſdem Bullæ *pa. 2. tract. 7. cap. 2. ſect. 3. §. 1. n. 65.* at ſi votum contineat vtramque partem alternatiuæ in materia reſeruata,

tunc

tunc reſeruatio minimè impeditur, vt ibidem dixi nu. 66.

8 Secũdo quæri poteſt, an facta electione vnius partis, quæ eſt in alternatiua, poſſit ille, qui iam elegit, mutando voluntatem, eligere alterã partem, & prius electam relinquere?

Reſpondeo. *Si* loquamur de ſimplici variatione, quæ iã non eſſet manifeſtata creditori, conueniunt Doctores, poſſe variationem fieri, vt colligitur *ex L. qui ex pluribus. §. tandiu ff. de verb obligationibus, vbi Bartolus, & alij ſcribẽtes, PecKius hic ampliat.* 2. *& Streinius ampl.* 3. idque etiam docent plures Theologi mox citandi: ſi verò ſermo ſit de electione, quæ iam innotuit creditori, grauis eſt difficultas, & controuerſia inter Doctores; plures enim loquentes de voto alternatiuo, cuius vna tantum pars ſit in materia reſeruata, non autẽ altera, vt in exemplo ſuperiùs poſito, quamuis concedant, poſſe vouentem eligere, quam partem velit, ita vt pars reſeruata virtute alternatiuæ non cenſeatur reſeruata, vt dixi; nihilominus aiunt, quòd, facta electione, pars, quę erat in materia reſeruata, ſtatim incidit in reſeruationem, nec commutari ampliùs poterit vigore Cruciatæ: fundant hanc ſententiã in Regula de Alternatiuis, in quibus, licet debitor poſſit eligere, & poſt electionem variare; tamen, ſi electio nota eſt creditori, non poteſt fieri amplius mutatio: & quia in voto alternatiuo electio eſt Deo creditori cognita, idcirco nequit vouens mutare partem reſeruatam in non reſeruatam, ita *ex Regula* 21. *ſupra, Quod ſemel placuit* ſentiunt graues Theologi, vt *Sayrus Sanchez, Azor. Santarellus, & alij*, quos ego in expoſitione Cruciatę *cap. cit.* §. 2. *num.* 68. pro hac opinione adduxi. Verumtamẽ pro oppoſita ſententia non deſunt graues auctores ibidem num. 69. à me citati, quorum ego ſententiam ibi nu. 70. tanquam probabiliorem, ſequutus ſum. Ratio autem eſt, quia ſolum, & nudum propoſitum exequendi alteram partem non importat, nec inducit nouã obligationem; ideoque neque manifeſtatio talis nudi propoſiti obligationem poteſt inducere: & conſequenter in voto pars de materia reſeruata remanet, ſicuti prius, nempè abſque reſeruatione. Quod dicimus de electione, quæ fit in voto alternatiuo, etiam aſſerimus in alijs promiſſionibus alternatiuis, quę fiũt hominibus, videlicet, electionem iam factam poſſe ab eodem promittente, quoties, & quando voluerit variari. *L. qui ex pluribus, & L. cum, qui* 138. §. 1. *ff. de verb. oblig.* idque aſſero, quãuis variatio, & poſterior electio creditori innotuerit, dummodo tamen debitor, quando notitiam dedit, non intenderit nouè ſe obligatione alligare; quia tunc non poterit amplius ad ſui libitum variare. Ad textum verò ab aduerſarijs adductum ex *d. Reg. Quod ſemel placuit, &c.* reſpondi in *explicatione Bullæ.* §. *cit. num.* 71. vbi docui, Regulam prędictam non procedere in caſibus, in quibus ius permittit variationẽ. Alias etiam limitationes ponit *Gloſſa in Reg. cit. Quod ſemel placuit.* quas apud eam videre poteris.

REGVLA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.

CAPVT VNICVM.

Rationibus, & ampliationibus præſens Regula confirmatur.

Expreſſis verbis Regula hæc continetur *in L. inuitus*, 199. *ff. de Reg. Iur.* & confirmatur etiam *ex L.* 1. *verſ. planè ff de ſuperficiebus.* ratio autem, quæ eius diſpoſitio innititur, eſt, quia exceptio facilior eſt, quàm actio, vt in *d. L.* 1. habetur, vbi ſcribentes, & *PecKius hic initio.* multa enim conceduntur excipiẽti, quæ non cõceduntur agenti, vt rectè docet *Aretinus conſ.* 31. *in fine. verſ. quia multa, & Barboſ. in axiom.* 85. *num.* 1. *& alij*. Proinde faciliùs eſt retinendo excipere, quàm agendo petere *Dec. conſ.* 331. *nu.* 3. *Rain. conſ.* 163. *in fin lib.* 2. *Decian. conſ* 69 *num* 51. *lib.* 3. *& alij apud Barboſam loco cit.* Rurſus exceptio non ſolũ eſt actione facilior, ſed etiam fauorabilior, vt apertè ſtatuitur *in L. fauorabiliores* 168. *ff. de reg. iur.* quod ibidem nõnullis exemplis à Gloſſa probatur: & ratio eſt, quia fauorabilior eſſe debet defenſio quam impugnatio.

Extendenda eſt regula hæc, vt locum quoque habeat in retentione reſpectu petitionis; illa enim, vt diuerſis iuribus, aliorũque auctoritate probat *hic PecKius ampliat.* 1. *&* 2. qui id ipſum pariter ex

Imo-

ſe; & *Streinio* ampliat ad repetitionem; fauorabilior eſt, quàm petitio, quando actor ſolum agit petendo illud, quod ſuum non fuit, ſed ſibi deberi intendit. *L. cũ fũdus. ff. ſi cert. pet. & L. filius fam. §. 1. ff. de verb. oblig.* & meritò id à Doctoribus ſuſtinetur, quia ius magis ei fauorẽ præſtat, qui agit pro rei propriæ conſeruatione, quàm illi, qui nouum lucrum prętendit, vt *ex L. fin. C. de codicill. & ex Alciato* confirmat idem *PecKius*.

3 Vlterius extenditur hęc diſpoſitio, vt non modo procedat in perſona principali, ſed etiam in eius procuratore. ita *PecKius ampl. 3 & Strein. ampl. 2.* ratio autem eſt, quia, vt ait *Panormitanus in cap. accedunt num. 4. de procurator.* ſequens opinionem Accurſij *in L. mutus. ff. de procur.* procuratori, cui datur facultas ad agendum, datur conſequenter facultas ad excipiendum; & ad defendendum ſuum principalem dominum, cuius nomine ipſe agit.

Nonnullas alias ampliationes, ſicuti etiam obiectiones, quæ contra hanc regulam fieri poſſent, videndas relinquo apud *PecKium*; quia parum mihi ad praxim conducere viſæ ſunt.

REGVLA LXXII.

Qui per alium facit, eſt perindè, ac ſi faceret per ſe ipſum.

CAPVT I.

Nonnulla ad Regulæ elucidationem præmittuntur.

1 Præſens Regula, ex qua plures deducendæ ſunt quæſtiones, quas examinare debemus, deſumpta eſt ex iure ciuili, nempe ex *L. Quod iuſſu alterius. ff. de regulis iuris*, & quamdam habet affinitatem, & ſimilitudinẽ cum regula 68. prędente, in qua dicitur [Poteſt, quis per alium, quod poteſt per ſe ipſum] differũt tamen per hoc tantum, quod in regula proximè relata ſermo eſt de ſubrogatione ſeu ſubſtitutione vnius perſonæ loco alterius; in hac verò, quæ diſcutienda nũc proponitur, agitur de effectu, qui procedit à perſona ſubrogata: ratione autem affinitatis, quę inter has duas regulas inuenitur, nonnullæ quæſtiones vtrique cõmunes eſſe poſsũt, vt videbitur. Quod vero ſpectat ad explicationem verborum quę in hac regula continentur, non eſt mihi valdè elaborandum, ſi rectè exponatur dictio illa, *Perindè*, quæ, vt colligitur ex *L. ſed & ſi lege. § perindè ff. de petit. hered.* & ex *L. ſacrilegij §. Is autẽ ff. ad leg. Iuliam peculatus* inuoluit impropriam ſignificationẽ, & ita ſumitur in regula, per quamdã videlicet fictionem iuris, & non ſecundùm proprietatem verborum, vt communiter docent Auctores: eius autẽ ſenſus hic eſt. Faciens per alium aliquod opus, videtur quaſi per ſe ipſum facere illud, non quantum ad proprietatem, ſeu veritatem, quia, vt benè animaduertit 2
Dynus in expoſitione regulæ num. 6. id eſt impoſſibile, nempè, vt factum vnius ſit, & dicatur factum alterius; ſed id intelligẽdum eſt per quamdam Iuris interpretationem, vt habetur ex *L. 1. §. Deiiciſſe ff. de vi, & vi arm.* Et hæc ſint ſatis quoad declarationem verborum. Si verò attendere velimus non ſolum ad verba, ſed etiam ad rem ipſam medijs verbis ſignificatã, & de illa quęratur, quãdo regula hæc verificetur, quando verò deficiat? facilis erit reſponſio; ſi loquamur de regula, vt ſic in communi, abſtrahendo à caſibus in ſpecie determinatis, & aio, tunc verificari, quando actus efficiendus, eſt talis naturæ, vt eius effectio in alium tranſmitti poſſit: contra verò deficere, quando tranſmitti nequeat in aliã perſonam, vt ab illa efficiatur; ſed intranſitiuè ſe habeat. Hæc autem duo principia ſufficiunt ad intelligentiam regulæ, vt ſic ſpectatæ. Pro maiori tamẽ claritate, affero duo exempla in materia ſpeciali, de qua nõnulla poteſt eſſe controuerſia, & dubitatio. V. g. ſi quis teneatur alteri ſoluere quamdam pecuniarum ſummam, eam verò ipſe non ſoluat, ſed eius nomine perſoluatur ab alio, tunc ſolutio interpretatione iuris dicitur facta ab ipſomet principali debitore, quia actus ſolutionis eſt transmiſſibilis in alium, & ideo in hoc caſu locum habet regula: contra verò, ſi actus efficiendus v. g. ſit contritio, 3
aut ieiunium, vt afflictiuum carnis, in his regula nequit verificari; quia hi actus non poſſunt ita in alium trãſmitti, ſeu per aliũ fieri, vt dicantur quaſi ab alio facti, neque ſecundum rei veritatem, neque ſecundũ fictionem iuris; nam contritio elicita ab vno numquam eadem numero cẽſeri poterit facta ab alio, & ſimiliter ieiunium, vt cauſſans afflictionem corporis in eo, qui ieiunat, nequit, vt ſic, cauſſare afflicti-

Eee onem

Digitized by Google

onem carnis in alio, & dici ab illo factum; hi enim actus ſunt talis naturæ, vt nequeāt in aliam perſonam transmitti; nam contritio elicita à Petro non poteſt neque ſecundum rei veritatem, neque ſecundum iuris interpretationē, ſeu fictionem exiſtimari quaſi elicita à Paulo; idem dico de ieiunio, quod, licet, vt ſatisfactorium, poſſit fieri per alium, vt communiter docent Auctores; nihilominus, vt afflictiuum, nequit per alium fieri; dum enim corpus Petri ieiunantis affligitur, non dicitur affligi corpus Pauli per ieiunium Petri; & ſic de alijs ſimilibus acti-
2 bus indiuidualiter acceptis, qui appellari ſolent à Doctoribus perſonales, & intranſitiui ratione connexionis, & affixionis, quam habent cum perſona operante; proinde in his locū non habet regula; & hoc eſt ſine controuerſia, cū nulla eſſe poſſit in prædictis aut ratio dubitandi, aut aliqua etiam apparens difficultas; quæ tamen maximè reperitur in quibuſdam alijs actibus, de quibus diſceptatio eſt inter Doctores, an videlicet iuris fictione cenſeri poſſint facti ab alio, ita, vt in ipſis verificetur præſens Regula. *Qui per alium facit, &c.* inſtituo igitur nonnullas quæſtiones de re hac controuerſas apud Auctores.

CAPVT II.

Adſtrictus fidē profiteri, ſi eam per aliū emittat, an perindè ſit, ac ſi per ſeipſum illam profiteretur?

1 SVpponitur in hoc quæſito decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 12. per quod diſponitur, vt obtinentes quæcumque beneficia, in quibus eſt animarum cura, teneantur à die poſſeſſionis obtētæ, intra duos menſes fidei profeſſionem emittere in manibus Epiſcopi, & eo impedito, coram eius Vicario Generali, &c. Quæritur modo, an pro-
2 uiſus de aliquo beneficio coram habente, poſſit hanc fidei profeſſionem facere per alium, nempè per procuratorem ad id ſpecialiter electum? Tres de re hac apud Auctores inuenio ſententias.

Prima affirmat; & eam plures, & graues Doctores admittunt, vt *Nauarr. conſil.* 11. *tit. de iure iurando in ſecunda editione. & in antiqua conſil.* 4. *tit. de ſumma Trinit. &c. Petrus Ledeſma in ſumma. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *concluſ.* 10. *diſput.* 6. *Azor. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæſt.* 6. *Ricciullus de iure perſon. lib.* 1. *cap.* 13. *à n.* 31. *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſ. alleg.* 61. *num.* 20. *Ioan. Mar. Nouar. in practica* 6. *concluſ. de profeſ. fidei concluſ.* 1. *in fine. Caſtropalaus tom.* 2. *tract.* 4. *diſp.* 1. *pu.* 19. *n.* 10. *ver. nihilominus. Riccius in deciſion. par.* 4. *deciſ.* 84. *num.* 2. *& alij.* Hanc eamdem ſententiam tenet *Aſcanius Tamburinus de iure Abbatum. tom.* 1. *diſp.* 8. *quæſt.* 3. *n.*
11. & 12. quamdā adhibens limitationē, 2
quam ponit num. 13. videlicet, ſi id permittatur ab illo, in cuius manibus faciēda eſt profeſſio; nam eo repugnante, teneretur Beneficiatus perſonaliter illam emittere. Rationes, quibus opinio hæc innititur, variæ ſunt, & præcipuè deſumūtur ex hac regula *Qui facit per aliū, &c.* & ex alia ſimili regula. *Qui poteſt per ſeipſum, &c.* quæ regulæ locum habent, niſi detur lex aliqua id prohibens, vel niſi actus ſit talis, vt nequeat tranſire in aliam perſonam, vt ſupra vidimus; at iuramētum emittendum in profeſſione fidei per nullā legem, aut canonem prohibetur fieri per alium, & ſi ſecundum ſe ſpectetur, non repugnat eius naturæ fieri per procuratorem, ſicut & alia iuramenta in alijs materijs; ergo in hoc etiā caſu nil prohibet, quin per procuratorem præſtetur fidei profeſſio.

Secūda ſententia eſt extremè contra-
ria; negat enim fidei profeſſionem emitti 5
poſſe per aliū, ſed ait, eſſe actū perſonalē, & faciendum ab illo, qui ad eam tenetur, in quantum indicare debet actum fidei internæ: ſic *Gonzalez in regula* 8 *Cancellaria* § 7 *prooemiali nu.* 169. *ver. ſimiliter. Vgolinus de poteſt. Epiſc. cap.* 50. § 16. *nu.* 1. *Garzia de benef. par.* 4. *cap.* 3. *n.* 71. *Grattanus in diſceptationis forenſibus, cap.* 166 *num.* 22. *Riccius ſibi contrarius in praxi fori Eccleſiaſt. par.* 8. *reſol.* 195. nam loco ſuperius citato oppoſitam ſēntentiam docuit, *Solorzanus de Indiar. gubernat. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *à num.* 70. vbi fusè hanc quæſtionem examinat *Venerus in examin. Epiſcop. lib* 4. *cap* 44. *n.* 65 *Squillante de obligat. clerie. par.* 1. *n.* 91. *Piaſecius in praxi epiſcopali. editione* 4. *par.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. *num.* 119 *ver. Nec ſufficeret.* Sigiſmundus à *Bononia. tract. de electione, & poteſt. Prælati dub.* 50. *in fine. Zerola in praxi Epiſc. verb. fidei profeſſio verſ. Quartò an iſta,* & alij, qui fundant hanc ſententiam in eo, quòd

emiſ-

emiſſio profeſſionis fidei, eiuſque iuramentum ſit actus perſonalis, & non poſſit ab alio nomine alterius fieri; proinde in illa emittenda aiunt, nõ verificari Regulã hanc: *Qui per aliũ facit, &c.* neque Regulam illam, *Poteſt quis per alium*: & addunt, ita deciſum fuiſſe à ſacra Congregatione Cardinalium.

6 Tertia opinio eſt media, quatenus docet, à *Beneficiatis* fieri poſſe profeſſionem hanc per procuratorem, non autẽ ab illis, qui in Epiſcopos electi ſunt, aut ex *Summi* Pontificis præſcripto ex vno Epiſcopatu in alium tranſlati ſunt: ita *Sanchez in decalog. lib. 2. cap. 5. num. 7.* qui primam partem huius aſſertionis probat, quia in Tridentino nullum reperitur verbum ſignificãs, per propriam perſonam neceſſario faciendam eſſe profeſſionem hanc; ſecundam verò partem, nempè de profeſſione emittenda ab eo, qui eſt electus *Epiſcopus, &c.* probat ex verbis Bullę pontificiæ, per quam determinato Epiſcopo committitur, vt nomine ipſius Pontificis profeſſionem hanc acceptet; & in eiſdem Bullis declarat Pontifex, hoc ab ipſo fieri, vt parcat laboribus, & expenſis, quas ipſe electus pateretur, ſi perſonaliter cogeretur accedere ad ſedem Apoſtolicam, vt profeſſionem emitteret: ex quibus colligit *Sanchez*
11 argumentum pro hac ſententia, dicẽs: ſi per procuratorem hæc præſtari poſſet, non fuiſſet opus laborare, nec parcere expenſis, nec Pontificem vices ſuas alteri committere, vt ſuo nomine profeſſionẽ acceptaret; quia Epiſcopus facilè abſque labore, & expenſis poſſet procuratorem mittere Romam, vt ibi nomine ſuo corã *Summo* Pontifice profeſſionem faceret.

Hæ ſunt ſententiæ, quas inuenio apud Auctores, & omnes tum ratione, tum auctoritate, ſuam habẽt probabilitatem.

Dicendum tamen eſt primò, ſententiã
7 primo relatam magis mihi placere, eamque fortioribus argumentis muniri, eãque ſequenti diſcurſu cenſeo efficaciter probari poſſe. Ex vna parte nulla eſt repugnãtia, neque lex, quæ prohibeat, ne iuramentũ, quod aliquis tenetur emittere, fiat medio procuratore ad hunc finem de-
12 ſtinato, vt patet diſcurrendo per varia cõtractuum genera: & quod magis ad rem præſentem ſpectat, iuramentum fidelitatis, quod vaſſallus ratione feudi præſtare debet, poteſt præſtari per procuratorem, vt ex multis probat *Mutaa in commentarijs ſuper Capitula noſtri Regni Siciliæ tom. 6. cap. 12. Regis Ioannis n. 62. ampliat. 11.* Iuramẽtum autẽ præſtari poſſe per procuratorem probatur ex ſacris iuribus, *cap. fin. de iuramento calumn. in 6. & cap. 15. Verum quando de ſtatu Regularium in 6. Iulius Clarus lib. 4. receptarum. § feudum quæſt. 49 in fine. Mat-* 9
tienſ. lib. 5. recompilationum tit. 10. lib. 6. gloſſ. 2. num 15. Sanchez lib. 3. decalog. n. 1 & ſequent. Auguſtinus Barboſa in collect. in caput illud cit. de ſtatu regul. n. 33. & 34. & hoc ipſum, etiam colligitur ex iure ciuili *L. 1 ff. de Procuratorib. & L. ſed ſi vnius. §. idem Iulianus. ff. iniur. & fam. libel.* Ex alia vero parte loquẽdo de profeſſione fidei, & de iuramẽto, quod illã emittens præſtare debet, nulla reperitur lex, quæ neceſſario præſcribat, id. faciendum eſſe à propria perſona proficiẽtis, nam neque in Tridentino præcipiente profeſſionem hanc, neque in conſtitutionibus Pij IV. præſcribentis formam huius profeſſionis, nempè in conſtitutione 88. quæ incipit, *In Sacroſancta*, & in 89. quæ extant in tom. 2. Bullarij, habetur verbũ aliquod, ex quo colligatur, iuramentum huic profeſſioni annexum, eſſe ita perſonale, vt emitti nequeat per procuratorẽ. Ex hoc autem infertur, regulam hanc veriſicari poſſe in emiſſione profeſſionis, & confirmatur efficaciſſimo argumento deducto ex *cap. ipſatum diſtinct. 100.* vbi refertur, quod noluit Summus Pontifex conferre pallium Vuiliberto *Epiſcopo* Agrippanẽſi, quia in litteris, quas per Nuntium ad Pontificem tranſmiſerat, poſtulans pallium, nihil dixerat de profeſſione fidei, quam profiteri debebat, nec miſerat aliquem, qui ſui ipſius nomine iuramento illam firmaret. *Ex* his vltimis verbis Gloſſ. ibidem, & Turrecremata, ſicut & alij clarè colligũt veritatẽ huius 10
noſtræ ſententiæ, quatenus Pontifex reſpondens ad *Epiſcopũ* oſtendit, eũ ſatisfacturum fuiſſe ſuæ obligationi, ſi alium miſiſſet, qui nomine ipſius hoc munus præſtaret.

Dicendum eſt ſecundo, quæ dicta ſunt 8
in præcedenti concluſione, locũ habere, non ſolum in Beneficiatis, verum etiam in Epiſcopis; proinde limitatio, quam ponit Sanchez, non placet; cenſeo enim eandem eſſe rationem in omnibus, qui obligationẽ habent ad fidei profeſſionem præſtandam. Concluſio hæc ſufficienter probari poteſt non ſolum diſcurſu ſupe-

riū facto, & ex literis Pontificijs ſupra citatis, verum etiā ſolutione illius argumēti, quo *P. Sanchez* ductus fuit ad denegandam Epiſcopis hanc facultatem, quod infra oſtendam ordinatè diluendo argumēta, quæ faciunt contra hanc meā ſententiam.

9 Dicendum eſt tertio. *Si* ille, in cuius manibus profeſſio eſt facienda, nolit illā acceptare factam medio procuratore, & requirat, vt profeſſurus per ſe ipſum illā emittat, tunc qui ad profitendū eſt adſtrictus, tenetur perſonaliter, & immediatè profiteri: ita cēſuit *Aſcanius Tamburinus* loco ſuperius citato, ducens paritate, videlicet, ex eo quod feudatarius tenetur iuramentum fidelitatis per ſe ipſū domino feudi præſtare. Hæc opinio, vt iacet, rigida mihi videtur; nā ex vtroque iure, cum habeamus, poſſe iuramentum fieri per procuratorem (niſi oppoſitum in eodem iure, vel conſuetudine ſit diſpoſitum, quod tamen in caſu noſtro nō habetur, imo contrarium in ipſo iure reperiamus diſpoſitum de iuramento emittēdo in profeſſione fidei, vt patet ex *cap. Optatum* ſupra allato) nulla ſupereſt ratio ad id negandum; & idem aſſero de iuramento fidelitatis præſtando à feudatario: admitto tamen ob aliquam circūſtantiam extrinſecam, poſſe ab eo, in cuius manibus emittenda ſit profeſſio, cogi profeſſurum ad perſonaliter, & immediatè profitendum, ſed quidquid ſit de hac ſententia, quæ vult abſolutè profeſſurum conſtringi poſſe ad perſonaliter emittendā profeſſionē, ſatis mihi erit, profeſſionis validitatē cōſiſtere, ſi fiat per alium, & in hoc caſu præſentem regulam verificari. Et pro maiori huius opinionis firmitate addā aliqua, quæ faciunt ad ſolutionem argumentorum in contrarium.

10 Ad argumentum autem ſententiæ negatiuæ ſecundo loco relatę reſpondetur, licet fides, quatenus dicit actum internum ſit actus perſonalis intranſmiſsibilis, vt ſuprà dixi de actu contritionis; quatenus tamē dicit actum externum ſignificatiuum ipſius fidei interioris, nego, eſſe ita perſonalem, vt non poſſit tranſmitti, & per alium fieri; & talis eſt profeſsio externa fidei, quæ poteſt per procuratorē emitti, & tunc iuriſdictione exiſtimatur perindè, ac ſi fieret ab ipſomet principali.

Ad fundamentum denique, quo nititur *Sanchez* reſtringens ſententiam affirmantem ad ſolos beneficiatos, & negās, ab electo in Epiſcopum fieri poſſe profeſsionem hanc medio procuratore, reſpondetur, quod, quamuis ſatis eſſet ſolutio ſuperius tacta; pro maiori tamen firmitate eiuſdem ſolutionis aio, quòd ex cōmiſsione illa, qua Pontifex delegat facultatem recipiendi profeſsionem faciendā ab Epiſcopo electo, nō colligitur ſimpliciter neceſſitas emittendi illam perſonaliter, itaut nulliter emitteretur per procuratorem; ſed, vt rectè notat *Caſtropalaus* loco citato, colligitur ſolum quædā decentia, quę mouet Pontificē ad requirendum, vt coram ſe ipſo fiat profeſsio hæc; ſed volens benignè indulgere, cōcedit Epiſcopo electo, ad vitandos labores, & expenſas, quę inſumerentur, ſi electus deberet Romam accedere, & ibi profiteri, vt per alium id præſtet; ideoque munus recipiendi profeſsionem delegari ſolet alicui Epiſcopo, quē ipſemet Pontifex deſignat.

CAPVT III.

Num Regula hæc verificetur, ſi religioſa profeſſio per procuratorem emittatur?

Pars negatiua videtur admittenda, ſi doctrinam Gloſſæ ſpectemus, quam in *cap. Sciendum 27. q. 1.* docet, quod quis per aliū vouere nequeat, ſicuti neque per alium pœnitere; quia pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, per quam ipſe dolens punit in ſe, quod dolet commiſiſſe, vt dicitur *in cap. Pœnitentia, diſt. 3. de pœnit.* admittit tamen eadem Gloſſa ibidem, poſſe iuramentum fieri per aliū, ſicuti & matrimonium. Hanc eamdē doctrinam ponit *Turrecremata* in explicatione illius *cap. Sciendum.* cum autem profeſſio religioſa eſſentialiter conſiſtat in emiſſione illorū trium votorū, paupertatis, caſtitatis, & obediētiæ, idcirco ſuppoſita prædicta doctrina, quam tradit Gloſſa, videtur concludendum, profeſſionem hanc fieri non poſſe per procuratorem. Sed his non obſtantibus 11

Dicendum eſt primo, profeſſionem religioſam, abſolutè loquendo, emitti poſſe per procuratorem, & conſequenter malè verificari regulā hanc. Eſt communis ſententia, quam inter alios tuentur *Nauar. de Regular. conſ. 42. Angelus verb.* 12

verb. Religionis num. 29. Roſella verb. Nouitius num. 23. Armilla eodem verb. num. 14. Rodriquez in quaeſt. regul. tom. 3. quaeſt. 17. ar. Syluester in ſumma. verb. Religio. 3. quaeſt. 15. Emmanuel Sà in aporiſm. verb. Religio. num. 14. Miranda in manuali Prelat. lib. 1. quaeſt. 24. art. 1. concl. 3. Azor. in inſtit. mor. lib. par. 1. lib. 12. cap. 5. Suarez tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 12. num. 22. & 23. Sanchez in decalog. lib. 5. cap. 3. num. 7. Pellizzarius in quaeſt. regul. tract. 3. cap. num. 29. Bordonus in conſil. tom. 2. reſolut. 57. quaeſit. 11. num. 132. & 133. Hyacinthus Donatus in praxi quadripartita. tom. 2. tr. 10. quaeſt. 6. num. 6. & 9. Barboſa in collect. regul. Qui poteſt per ſe ipſum de regul. iuris in 6. num. 4. Bartholomaeus à S. Fauſto in Theſauro Relig. lib. 5. qu. 217. & alij.

13 Probatur primo fundamentali ratione, quia nullus datur contractus, qui, ſecluſa iuris prohibitione, nequeat fieri per procuratorem, ſi principalis conſtituens poteſt per ſe ipſum immediatè, contractū illum efficere; ſed profeſſio religioſa eſt quidam contractus inter ipſum profitentem, & religionem, & nulla habetur iuris prohibitio, quin fiat per procuratorē; ergo profeſſio fieri poteſt per procuratorem: maior eſt certa ex vtroque iure, nēpè *ex L. 1. ff. de Procuratoribus, & Gloſ. ibi verb. ſed nolunt. & L. Pomponius eod. tit. & ex cap. Qui ad agendum. de procur. in 6. & etiam ex regula 68. in 6. Poteſt quis per alium, &c.* minor autem ſuadetur ex natura ipſius profeſſionis religioſae, per quam nouitius emittens profeſſionem medijs votis tradit ſe ipſum Religioni, & Prelatus nomine totius Religionis illum recipit, ſe obligans eumdem ſuſtentare iuxta eiuſdem Religionis ſtatuta, & conſuetudines; proindè, cum in hac actione interueniat reciproca obligatio, rectè dicitur habere rationem contractus. *Et* haec quoad primam partem minoris; ſecunda verò oſtenditur, quia nulla aſsignari poteſt lex, quae hoc prohibeat, quod *Suarez*, vt ſupra, rectè cōfirmat argumento negatiuo; nam Gloſs. ſuper regulam praedictam plures excipit caſus, in quibus regula locum non habet, & nihil dicit de profeſſione religioſa, quod ſignum eſt, non eſſe exceptam, ſed comprehenſam ſub communi regulā iuris.

Probatur ſecundo à pari; nam matrimonium contrahi poteſt per procuratorem, vt expreſsè habetur *in cap. fin. de procurat. in 6.* & in alijs iuribus canonicis, & ciuilibus laudatis à *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 11. n. 2.* & hoc verum eſt etiā poſt Tridentinum, in quo non fuit correctum *d. cap. finale de procur. in 6.* vt idem *Sanchez* probat *diſp. cit. num. 20.* & praxis quotidiana id oſtendit; ergo ſimiliter matrimonium ſpirituale, qualis eſt profeſſio religioſa, fieri poterit per procuratorem; valet enim in multis argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale, vt latè probat *Euerardus in topicis*, & ſpecialiter hoc ab ipſo ſupponitur, explicāte decimā aequiparantiam inter vtrumque matrimoniū: quamuis in aliquibus alijs, quae poſtea notantur ab ipſomet Euerardo, diſſtant inuicem.

Dicendum eſt ſecundo, nonnullas requiri conditiones, vt profeſſio validè emittatur medio procuratore. Primo vt mandatum, quod datur procuratori, ſit ſpeciale ad profitendum; nam generalis poteſtas ad omnia negotia ipſius conſtituentis non eſt ſufficiens, vt aduertunt praedicti Auctores; ſicuti etiam aſſerunt loquentes de matrimonio, quando fit per procuratorem; & meritò talis conditio exigitur; quia tum contractio matrimonij, tum profeſſio religioſa ſunt res magni momenti, & arduae, ob ſtrictam obligationem, quam inducunt; & ideò comprehendi non debent ſub generali mandato. Secundo, vt in mandato ad profitendum ſpecificetur determinata religio, in qua conſtituens intendit profiteri. Tertiò, vt eo tempore, quo procurator profeſſionē facit, conſtituens non reuocauerit mandatum, neque exterius, neque ſolo animo interiori, quia ſi illud reuocauit, etiā ſi reuocationem procuratori non intimauerit, irrita erit profeſſio à procuratore emiſſa; & haec conditio poſtulatur ſpecialiter pro matrimonio, & profeſſione; quia, vt rectè cum alijs animaduertit *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 21. num. 6.* in mandato pro expeditione aliorum negotiorum, neceſſe eſt reuocationem mandati intimare ipſi procuratori, aliter geſta per ipſum procuratorē poterunt valida eſſe, quamuis qui procuratorem inſtituit, reuocauerit procurationem, ſi procurator ignorauerit reuocationem: at contractio matrimonij, aut profeſſio re-

Digitized by Google

ligioſa in ſui valore totaliter depēdent ab interno, & libero conſenſu contrahentis; qui ad illum eliciendum, vel non eliciēdum non dependet à iure; & ideo reuocato conſenſu, antequā procurator nomine ipſius conſtituentis profeſſionem emittat, inualida erit ſubſequēs profeſſio. Solent Auctores alias duas conditiones aſſignare, videlicet, vt procurator per ſe ipſum immediatè munus hoc præſtet, & non per aliū à ſe ſubſtitutum; niſi forſitan in procuratione, ſeu mandato facultas ſubſtituēdi fuerit expreſſè conceſſa. Alia conditio eſt, procurationē non debere metu, aut dolo eſſe extortam; quia tunc inualidè procurator munus efficiet. Sed quamuis hæ duæ conditiones ſint ſimpliciter neceſſariæ, nihilominus non ſunt propriæ huius materiæ, de qua agimus, ſed communes etiam alijs materijs; & ideo ſemper in omni procuratione intelligi debent incluſæ.

16 Dicendum eſt tertio, ſententiam hanc affirmatiuam eſſe intelligendam cum limitatione, videlicet, ſi in aliqua religione, ſecundum eius inſtitutum, non ſit conſtitutio, qua poſitiuè præſcribatur, profeſſionem eſſe emittendam immediatè ab ipſomet, qui vult profiteri; tunc enim certum erit, per procuratorem fieri non poſſe, ita animaduertunt *Azor. Suarez, & Pellizzarius locis citatis.*

Ad fundamentum, quo nititur Gloſſa, reſpondeo, procedere ex æquiuocatione termini; nam profiteri ſtat dupliciter. Primo quatenus ſignificat interiorem actum voluntatis, per quam quis promittit aliquid Deo. Secundo quatenus importat manifeſtationem talis voluntatis. Si priori modo ſumatur profeſsio, certiſſimū eſt, eam fieri non poſse per alium, quia eſt actus vitalis immanens in eo, qui ipſum elicit; & talis eſt etiam actus pœnitentiæ; & in hoc partes ſunt: ſi verò profeſsio ſumatur, in quantum dicit manifeſtationem externam, per quam indicatur interior actus, nego, fieri non poſſe per procuratorem; ſicuti fieri poteſt in matrimonio, & reliquis obligationes.

17 Quæres primò, num valida ſit profeſſio, quæ fit per procuratorem, cui à conſtituente datur poteſtas profitendi in aliqua religione, nō ſpecificando religionē determinatam? Reſpondeo opinatum fuiſſe *Suarez eodem num. 13. citato*, quod, quamuis moraliter certum ſit, eſſe neceſſarium exprimere determinatam religionem, nihilominus in rigore, & ſpeculatiuè loquendo, validam fore profeſſionem, ſi mandatum ad profitendum daretur cum tali indifferentia. Verum non eſt recedendum à communi ſenſu Doctorum, qui inter alias conditiones hanc requirunt, vt non ſufficiat mandatum generale, ſed requiri ſpeciale, nimirum profitendi in tali indiuiduali religione: & probatur à pari; nam mandatum, quod procuratori datur ad matrimonium contrahendum debet eſſe ad contrahendum cum determinata perſona, vt ex pluribus Iuriſtis, Canoniſtis, & Theologis probat *Sanchez lib. 2. de matrim. cap. 11. num.* 4. & expreſsè ſtatutum eſt in *L. generali in titio ff. de Ritu nuptiarum*; vbi dicitur generale mandatum de nuptijs contrahendis non ſufficere, niſi perſona demonſtretur, idelt ſignatè determinetur. Probatur ſecundo ex quadam congruentia, quia emittere profeſſionem, & toto vitæ tempore ſe religioni ſubijcere eſt opus magni momenti; proinde electio religionis debet fieri præcedente maturo conſilio, & cognitione inſtituti, cui eligens vult ſe ſubmittere; cum vna religio, & non altera poterit eſſe huic indiuiduali perſonæ conueniens; & idem proportionatè dicendum eſt de electione perſonæ ad contrahendum matrimonium.

Quæres ſecundo, an procurator ad faciendam profeſſionem debeat neceſſariò eſſe eiuſdem ſexus cum conſtituente; ita vt, ſi conſtituens ſit vir, procurator debeat eſſe vir, & non fœmina, & ſi conſtituens ſit fœmina etiam fœmina eligēda ſit procuratrix. 18

Reſpondeo negatiuè; nil enim facit in hoc caſu paritas, aut diuerſitas ſexus: ita *Sanchez in decalog. libro, & capite citato nu.* 9. qui hoc ipſum aſſerit de matrimonio, quando contrahitur per procuratorem, *lib. 2. de matrim. diſp.* 41. *num.* 8. & ſi ille, qui debet profiteri, eſt vir, inſtituere poterit mulierem in procuratricem, vt nomine ipſius profeſſionem emittat; & è conuerſo ſi eſt mulier, poterit inſtituere virum, quod etiam fieri poterit pro matrimonio ineundo.

Quæres tertiò, vtrum requiratur, vt intercedat determinatum tempus inter cōſtitutionē procuratoris, & inter emiſſionem profeſſionis; itaut tali tempore elapſo, nequeat procurator electus validè 19

lidè

ſidē nomine conſtituentis profiteri?

Reſpõdeo per ſe loquẽdo quantũcumq; intercedat tẽpus, valide emitteretur profeſſio à procuratore, ſi conſtituens conſenſum priorem nõ reuocauerit; ita *Sanchez cap. citato n.* 11. nulla enim ſuppetit ratio, qua probetur facultatem conceſſã procuratori expirare vi ſolius temporis elapſi. Dixi *per ſe loquẽdo*, quia longiſſimo tranſacto tempore, & profeſſione non emiſſa rationabiliter poterit dubitari,
19 voluntatem illam profitendi, quæ initio fuit in conſtituẽte, fuiſſe reuocatam; & ideò à Prælatis, à quibus recipienda eſſet profeſſio, erit adhibẽda diligens inquiſitio; num qui eſt profeſſurus, retineat, nec ne, eamdem voluntatem?

Quæres quarto, ſub quibus verbis exprimi debeat profeſſio, cũ à procuratore
20 nomine conſtituentis emittitur.

Reſpondeo, formã, ſub qua fieri poteſt profeſſio à procuratore, exprimi à *Bordono reſol.* 57 *cit. num.* 133. qui ait, duplicem eſſe modum, nempè vel proferendo verba in prima perſona, nomine tamen alterius, hoc vel ſimili modo. *Ego Petrus* conſtitutus Procurator à paulo ad profeſſionem in hac religione nomine illius faciendam eiuſdem Petri nomine voueo, &c. vel in tertia perſona ſic: Petrus vouet in hac religione paupertatẽ, &c. & hoc ſecũdo modo Sanchez loquẽs de matrimonio *diſp. cit. num.* 16. exprimit formam ſub qua à procuratore contrahendum ſit matrimonium, videlicet; Talis e, g. *Petrus* cõſentit in te, vel accipit te in virum, vel vxorem me mediãte: vtroque modo, ſiuè in prima, ſiue in tertia perſona cõgruenter emitti poteſt profeſſio, cum à procuratore emittitur.

CAPVT IV.

An ſatisfactio ſacramentalis poſſit per aliũ impleri?

21 SErmo non eſt de pœnitentia medicinali, & præſeruatiua, quæ imponitur, vt peccata futura vitentur; talis enim pœnitẽtia eſt ita perſonalis, vt alteri cõmitti nequeat. V. g. ſi confeſſarius iudicet, ieiunia aliqua fore neceſſaria, vt pœnitens ſuum corpus macerando, carnis ſtimulis non ſit acriter vexandus; & ſic facilius tentationes prouocantes ad luxuriam ſuperet; certum eſſet pœnitentiã hanc iniunctam ad præſeruandum, alteri committi non poſſe; quia finis à confeſſario intentus non obtineretur: nam maceratio corporis, quam patitur vnus, nequit eſſe maceratio alterius corporis. Sermo igitur eſt de pœnitentia, quæ eſt purè ſatisfactoria, & cõpenſatiua pro pœna, quæ alicui debetur ob præteritas culpas, vi ſacramenti remiſſas. De hac autem pœnitẽtia plura exagitant Auctores; ſed quia aliqua ſunt parui momenti, & ferè certa, ideò illa examinare non intendo, cum potius ſint ſupponenda. V. g. an pœnitẽs ſine licentia confeſſarij poſſit pœnitentiã ſacramentalem alteri faciendam cõmittere? & communiter negant; quia, cum pœnitentia imponatur per modum præcepti, non poteſt pœnitens illam per ſeipſum non implere; concedunt tamen ferè omnes, cum licentia confeſſarij id eſſe licitum, quia eſt in libertate ipſius confeſſarij, conſentiente pœnitente, determinare, & imponere pœnitentiã, relinquẽdo arbitrio pœnitentis, illã fieri ab ipſomet pœnitente, vel ab alio; proinde pœnitens ſi illam alteri committat, abſque dubio ſatisfacit præcepto confeſſarij; requiritur tamen cauſa aliqua, vt confeſſarius licitè id concedat; & nonnulli cẽſent, ſufficere licentiam interpretatiuam; quatenus pœnitens hic, & nunc prudenter iudicet, confeſſarium contentum fore in hoc, vel illo caſu, vt pœnitens per alium id faciat, & impleat. Alij vero negãt, voluntatem interpretatiuam, ſeu ratihabitionem ſatis eſſe, & ideo requirunt voluntatem actualem, & explicitam ipſius Confeſſarij in actu confeſſionis, & quod pœnitens in ipſa confeſſione id accipiet. Hæc autem, cum non ſint, niſi parui momenti, non examino, ſed illa ſuppono, & præſertim eſſe neceſſariam licentiam cõfeſſarij explicitam, eamque eſſe determinandam in ipſo actu confeſſionis, conſentientibus tum confeſſario, tum pœnitente. Difficultas autem maior, à me nũc diſcutienda, conſiſtit in hoc, an ſc. pœnitẽtia, quæ ex licentia confeſſarij impletur ab alio, ſit cenſenda ſacramentalis, ſeu pars Sacramenti; an vero non ſacramentalis? & conſequenter an pœnitens per illam ſatisfaciat ex opere operato, an ex opere operantis? Rurſus, an, poſito, quod ſit ſacramentalis, vim habeat cauſandi aliquem gradum gratiæ in ipſo pœnitente, ſi ſit in ſtatu gratiæ? Hæc omnia ſunt diſcutienda; & quo ad primum, nempè quoad eſſe partem, vel nõ eſſe partem Sacramen-

menti, pono exemplum. Sit Paulus pœnitens, cui post peractam confeſſionem imponitur à confeſſario ieiunium in ſatisfactionem culparum, peragendum tamē ſiuè ab ipſomet Paulo, ſiuè ab alio, & Paulus eligat ieiunium hoc fieri à Petro loco ipſius Pauli: quæritur num ieiunium, quod fit à Petro modo explicato, ſit nec ne pars Sacramenti, ſeù ſatisfactio ſacramētalis, & ex opere operato cauſet effectum, nempè remiſſionem pœnæ, quæ erat Paulo debita, ſiuè ex toto, ſiuè ex parte; an vero ſolū vim habeat remiſſionem hanc cauſſandi ex opere operantis?

52 Prima ſententia negat, eſſe partem huius Sacramenti, & ait, pœnitentem vi illius non ſatisfacere ex opere operato, ſed tantum opere operantis. Hanc ſententiam à fortiori tueri debent illi, qui vniuerſaliter negant, poſſe pœnitentiam iniunctam à Confeſſario pro culpis impleri per alium, etiam ex licentia ipſius Confeſſarij: hos Auctores citat *Leander par. 1. tract. 5. diſp. 9. quæſt. 90.* examinādo, an pœnitentia cum licentia Confeſſarij poſſit impleri ab alio? Auctores verò huius primæ ſententiæ negatiuæ (ex ijs, qui ſentiunt id fieri poſſe ex cauſa, & negant eſſe partem Sacramenti, docentes, partem ipſius Sacramenti eſſe dumtaxat actum illum, quo Paulus pœnitens non curat, vt Petrus ſatisfaciat ieiunans) non pauci habentur, inter quos eſt *Vaſquez in 3. par. quæſt. 94. art. 2. dub. 1. num. 11. Coninch diſp. 10. n. 8 concl. 3. Layman tract. 6. cap. 8. num. 20. in fine. Bonacina diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. pu. 4. nu. 10. Megalius in inſtitut Confeſſariorum pa. 1. lib. 6 cap 3 n 9 Gaſpar Hurtado diſput. 14. diff. 5. Franciſcus Amico diſp. 16. ſect. 5. dub. 12. Cardinalis Delugo diſp. 25 ſect. 9. n. 62. Antonius de Eſcobar in Theolog. morali tom 2. lib. 17. cap. 17 ſect. 2. problem 12. Carolus Malletus in Auro morali Theologia tom. 1. Malleation. 54. Bract. 17.* Ratio præcipua, & fundamentalis pro hac ſententia deſumitur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij IV. & ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap 3.* in quibus locis pro materia Sacramēti aſſignatur actus ipſiuſmet pœnitentis; ſed ieiunium ab alio exhibitum non eſt actus pœnitentis; ergo neque eſt materia ſacramenti, & conſequenter nequit ex opere operato cauſare ſatisfactionem in pœnitente, ſed tantum ex opere operantis, poſitis requiſitis ad ſatisfaciendū pro alio. Probatur autem ſecundo eadē ſententia alio argumento in hunc modū. Illud opus poteſt habere rationem pœnitentiæ ſacramētalis, quod fit ex præcepto Confeſſarij, ſed prædictum ieiunium non fit à Petro vi præcepti impoſiti à Confeſſario, vt patet; ſed vi pacti initi cum Paulo, ſeu ex liberalitate: ergo non poteſt habere rationem pœnitentiæ ſacramentalis.

Secunda ſententia eſt oppoſita, docēs, actionem ab alio præſtitam nomine pœnitentis modo prædicto, eſſe materiam Sacramenti; & ſatisfacere ex opere operato. Solent pro hac opinione citari *S. Thomas*, & nonnulli alij graues, & antiquiores, quos tamen non adduco, quia ni fallor, non loquūtur ita clarè, vt poſſint pro hac ſententia laudari; nam, licet doceant, poſſe vnum ſatisfacere pro alio, quod eſt certum, & aliqui id dicant de ſatisfactione ſacramentali; nihilominus non ſe apertè declarant; an ſatisfactio hæc ſit ſolum ad implendum præceptum iniunctum à Confeſſario (quod communior ſententia concedit, vt initio huius quæſtionis ſuppoſui) an vero ita ſit ad implendum præceptum hoc, vt etiam vim habeat ad ſatisfaciendum ex opere operato, & ſit verè pars ſacramentalis? de quo in præſentia procedit quæſtio; & ideò omittendo illos antiquiores afferā alios, qui clarè venientes ad punctum huius difficultatis, affirmatiuè reſpondent, inter quos eſt *Suarez tom. 4. in 3. par. de pœnitentia diſp. 38 ſect. 9 num. 3. Fagundez de precep. 2. Eccleſiæ lib 9. cap. 4. num. 12. Ioannes Prepoſitus quæſt. 12. dub. 6. num 86. Fillucius. tom. 1. tract. 8. cap. 2. quæſt. 10. in fine. Aegidius Trullench lib. 4. cap. 7. n. 17. Antonius Fernādez de Moure in examine Theologia moralis par. 3 cap. 7. S. 7. num. 8.* Probatur hæc ſententia; quia ieiunium V. g. quod fit ab alio nomine pœnitentis, quatenus peragitur ex petitione ipſius pœnitentis, cēſetur eſſe illius; & conſequenter habere poteſt rationem ſacramētalis ſatisfactionis, & ex opere operato ſuum proprium effectum cauſare.

Inter has ſententias, non eſt ita facile iudicium ferre, quænam ſit probabilior; nam vtraque, & rationibus, & auctoritate eſt ſatis ſuffulta: nihilominus omnibus perpenſis, hanc ſecūdam amplector, eamque ſic probo. Satisfactio, quatenus ex licētia Cōfeſſarij fit ab alio, qui gerit

vicem pœnitentis,& ſtat loco illius,& ad
eius petitionẽ,inuoluit ſpecialem habi-
tudinem ad ſacramentum pœnitentiæ:
ergo eſt ſacramẽtalis,& ex opere opera-
to cauſſare poteſt proprium effectum, tũ
antecedens, tum conſequens eſt probã-
dum; illud autem ſic oſtendo. Satisfactio
hæc, v.g. ieiunium, aſſumitur peragenda
à Petro non quomodocumque, ſed, vt ſe
ipſum ſubrogante loco Pauli pœnitentis:
ergo inuoluit ſpecialem habitudinem
ad Sacramentum pœnitentiç: ſpecialitas
autem hęc prouenit ex ſubrogatione,
qua Petrus ſe offert ſubire pœnitentiam
iniunctam à Confeſſario; ſubrogatum
autem, regulariter loquendo, ſapit natu-
ram illius, in cuius locum ſubrogatur, vt
eſt commune axioma in iure receptum
à Iuriſtis, & Canoniſtis, de quo latè agit
Tuſcus litera S. per multas concluſiones,
& pręſertim prout facit ad rem præſen-
tem concluſ. 757. & ideo cum Petrus ſub-
roget ſe loco *Pauli* pœnitentis, ſequitur,
quod tum ipſe, tum ipſius opus, nempè
ieiunium, vt ab ipſo *Petro* tamquã ſub
rogato procedens, ſpecialem habitudi-
nem inuoluat ad Sacramentum pœnitẽ-
tiæ; nam ieiunare ſub tali formalitate eſt
quid ſpeciale: & sic ſatis probatũ manet
antecedẽs. Supereſt, vt ex hoc antecedẽ-
te oſtendatur illud conſequens, videlicet
ex hac ſpeciali habitudine reſultare in
ieiunio rationem Sacramentalis ſatisfa-
ctionis: quod ſic probatur. Satisfactio
hęc, quę eſt intrinſeca ieiunio, vt ſic,
& abſtrahit a Sacramentali, & non Sa-
cramẽtali, vi prædictę habitudinis quã-
dam aliam diuerſam ſortitur moralitatẽ
intra genus ſatisfactionis, ſed non aliam,
niſi Sacramentalem; ergo ieiuniũ, qua-
tenus fit à *Petro* gerente vicẽ Pauli pœ-
nitentis, modo explicato, erit ſatisfactio
ſacramẽtalis: patet cõſequentia; antece-
dẽs ſuaderi poteſt ex eo, quod nulla alia
diuerſa moralitas pręter allatam, quę
25 faciat ad rem, eſt aſſignabilis.

Dices. Moralitas hęc, quæ de nouo ie-
iunium afficit, eſt, ipſum ieiunium eſſe
adimpletiuũ præcepti, quod à Confeſſa-
rio fuit impoſitũ Paulo pœnitẽti; idq; eſt
procurare, vt *Petrus* ieiunet loco ipſius
Pauli: ergo nõ eſt moralitas cõſtitutiua
in ratione ſatisfactionis Sacramentalis.

Contra eſt, quia pręceptum iniunctũ
à Confeſſario, videlicet, procurare ieiu-
nium, non eſt ſub quocumque fine, ſed
ſub tali determinato, nimirum, vt ſubſti-
tutum loco ieiunij pœnitentialis, quod
erat peragendum à *Paulo*; nam ſicuti vna
perſona poteſt loco alterius perſonæ
ſubſtitui, ita vna res, ſeu actio, loco alte-
rius rei, ſeu actionis, vt rectè animaduer-
tit *Tuſcus concluſ. cit. initio*. confirmã-
tur autem hæc omnia ſolutione argu-
mentorũ, quæ ſunt pro prima ſententia.

Ad primũ deſũptũ ex Cõcilijs Florẽti- 26
no, & Tridentino, cũ dicitur, materiam
ſacramenti pœnitentiæ eſſe actus pœni-
tentis, Reſpondent Auctores huius ſecũ-
dæ ſententiæ, in tantũ aſſignari hos actus,
in quantum per ſe loquendo ſatisfactio
ſacramentalis debet impleri ab ipſomet
pœnitente, & poteſtas iudiciaria, quæ
in inſtitutione huius ſacramenti à Chri-
ſto Domino collata eſt Confeſſarijs, fuit
primo, & per ſe in ordine ad imponen-
dam pœnitentiam pro culpis præteritis
exequendam ab ipſo reo, nempè à pœni-
tente; nõ tamen ex hoc tolli, quin poſſit
Confeſſarius, vt Iudex, cauſa iuſta con-
currente iniungere pœnitenti, quod alius
loco ipſiusmet pœnitentis pœnitentiam
peragat: ſicuti in iudicijs humanis Iudex
ex aliqua cauſſa poteſt admittere, vt pœ-
na, quæ à delinquẽte eſſet facienda, fiat
ab alio. V.g. ſi delictum mereatur pœnam
ad triremes, & loco delinquentis alius
ſubſtituatur, poterit Iudex ſaltem ſupre-
mus, cum aliqua cauſſa id concedere: &
ideo, cum hoc ſacramentum ſit inſtitutũ
per modum iudicij ordinarij, eodẽ modo
pœnitentia iniungenda poteſt fieri ab a-
lio ex cauſſa rationabili, & nulla appa-
ret ratio ſufficiens, qua dicamus, ablatã
fuiſſe facultatem hanc à Chriſto Domi-
no Confeſſarijs, qui ſunt Iudices ordina-
rij in hoc ſacramento. Huic ſolutioni
poteſt alia addi, dicendo, quod ieiunium
quod fit à Petro vice *Pauli*, licet ſecun-
dum eſſe phyſicum ſit actus *Petri*, & non
Pauli, nihilominus ſi conſideretur, vt ac-
tus ſubrogatus loco illius, qui erat faci-
endus à *Paulo* pœnitente, cenſetur mo-
raliter, & iuris fictione actus Pauli, & ita
explicari poſſunt concilia aſſerentia, ma-
teriã huius ſacramẽti eſſe actus pœnitẽ-
tis, tũ ſcilicet primò, & per ſe, vt actus pœ-
nitẽtis phyſice ſpectatos, tum ſecundariò
& per accidens ſecundum eſſe morale,
nempè, vt ſubrogatos. Ex hac ſolutione
poteſt reſponderi ad argumentum factũ
à *Cardinali de Lugo* loco citato, vbi con-
ſiderans in ieiunio prędicto duplicem
moralitatem, vnam, quę habetur à volũ-

tate Pauli, alteram à voluntate Petri ieiunantis, inquit, quod, ſi ieiunium ſpectetur priori modo, poteſt dici eſſe actus Pauli; at ſi ſpectetur poſteriori modo, nēpè ſecundùm moralitatem, quam habet à voluntate Petri, nequit dici actus Pauli. Cæterum non admitto doctrinam hāc, quia ieiunium hoc, etiā prout procedit à voluntate Petri, ſortitur talem moralitatem, ratione cuius dici poteſt actus Pauli; & hoc in quantū voluntas Petri ſubſtitura eſt loco Pauli, & vult ieiunium, quatenus ſubſtituta; & ideo ieiunium, vt procedēs à volūtate ſic ſubſtituta, cenſetur moraliter procedere a voluntate illius, loco cuius facta eſt ſubſtitutio; ſicut id, quod fit à procuratore nomine principalis, conſtituentis & quòd exequitur ſeruus iuſſu Domini, cenſetur fieri ab ipſo principali, & à Domino; & conſequenter, ratione ſubſtitutionis, actus procedens à procuratore dicitur actus perſonæ principalis, & actus factus à ſeruo, actus Domini; propterea Auctores cōſequenter aiunt, non eſſe neceſſarium, vt omnes actus, qui ſpectant, vt pars, ad hoc ſacramentum, ſint ita perſonales, vt immediatè, & per ſe ipſum exerceantur à pœnitente. ita *Suarez* loco citato, & alij.

Ad ſecundum argumētum diſtinguo maiorem. Illud opus habet rationem ſatisfactionis ſacramentalis, quod fit ſiue immediatè, ſiue mediatè vi præcepti, &c. concedo maiorem: quod fit tantū immediatè, nego maiorem; & diſtinguo minorem: prædictum ieiunium non fit à Petro vi precepti, &c. immediate iniuncti ipſi Petro, concedo; mediatè, nempè, iniuncti ipſi Paulo pœnitenti, cuius vicem gerit Petrus, nego minorem, & conſequentiā.

97 Sed vrgebis, inferēdo abſurdū ex data doctrina ſic: ergo, ſi Petrus nō ieiunet, dici poſset mediatè peccare: probatur hæc cōſequentia, quia tranſgreſſio præcepti eo modo imputabitur, quomodo præceptū afficit tranſgreſſores; ſed præceptum hoc mediatè afficit Petrum, ergo Petrus non ieiunans dici poterit mediatè peccare contra præceptum Confeſsarij: quod tamen nemo aſſerere audebit.

Reſpōdeo primo, Si Petrus nō ieiunet peccabit vtique, quatenus nō ſeruat pactum initum cum Paulo pœnitente, cui ieiunare promiſit; ſed quia arguens ſuo argumento tendit ad probandū, ex mea doctrina allata ſequi Petrum peccare vi præcepti, quod Confeſſarius Paulo pœnitenti impoſuit faciendum modo explicato, idcirco reſpondeo ſecundo, negando conſequentiam illatam; quia præceptum illud Sacramentale quoad obligationem terminatur ad ipſum ſolū Paulum pœnitentē, quatenus vi illius tenetur curare, vt de facto tale ieiunium fiat ſiue à Petro, ſiue ab alio, ſiue demum à ſe ipſo; & ideo, ſi ſciat Petrum non ieiunaſſe, neque fore ieiunaturum, tunc executionem negligens grauiter peccabit.

Ad probationem verò prædictæ conſequentiæ, Reſpondeo, concedendo maiorem; ad minorem autem, antequam directè, & in forma reſpondeā, aperienda eſt æquiuocatio latēs in illo verbo, *afficit*, quod dupliciter intelligi poteſt; primo, quatenus ſignificat, Petrum aſtringi ad ieiunium, obligatione propria reſultante ex præcepto Confeſſarij; ſecundo in quātū ſignificat aſtringi ad ieiunium, obligatione proueniente ex alia actione diſtincta ab ipſo præcepto, quæ tamen originem trahat a præcepto, quæ in caſu noſtro eſt conuentio illa inter Petrum, & Paulum, per quam Petrus ad petitionem Pauli contentus fuit ſubire onus pœnitentiæ, nempè ieiunij iniuncti à Confeſſario in foro ſacramentali ipſi Paulo pœnitenti. Quod autem Petrus non obligetur vi præcepti, eſt manifeſtum, quia Confeſſarius nullā in Petrum iuriſdictionem habet, & conſequenter præceptum illi imponere nequit; nam iuriſdictio Confeſſarij non egreditur limites Confeſſionis ſacramentalis, & ſolū erga pœnitentes illam exercere poteſt; inde eſt, vt completo iudicio ſacramentali cū prædicto onere ieiunandi, liberè poterat Petrus non acceptare onus ieiunij; ergo euidens eſt, nullā in Petro reſultare obligationem vi præcepti, quod Confeſſarius Paulo impoſuit de ieiunio faciēdo, disiunctiuè, vel ab ipſomet Paulo pœnitēte, vel ab alio, loco ipſius; proinde obligatio in Petro ſolum habetur ex vi conuentionis initæ inter ipſum Paulum, & Petrum. His poſitis redeo ad argumētum, diſtinguendo minorem tali pacto: præceptum hoc mediate afficit Petrum transfundendo in illum obligationem propriam ipſius præcepti, nego minorem: afficit Petrum trahendo aliam actionem, ex qua reſultat alia, & diuerſa obligatio in Petro, concedo minorē, & nego conſequentiam: diſtinctionis huius intelli-

gen-

gentia patet ex doctrina præſuppoſita.

28 Dices: ſi ſatisfactio iniuncta a Confeſſario poſſet eſſe ſacramentalis, ſeu pars ſacramenti, ſequeretur, quod dolor requiſitus ad eſſentiam ſacramenti pœnitentiæ poſſet fieri per alium, & eſſe ſacramentalis, ſeu pars huius ſacramenti; at hoc aſſerere eſſet manifeſtus error; ergo neque ſatisfactio, vt ſacramẽtalis, poterit fieri ab alio. Idem poſſet dici de confeſſione, nempè, fieri poſſe per alium, quod videtur contra Concilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi declarans, actus pœnitentis eſſe quaſi materiam huius Sacramenti, ait, eſſe cotritionẽ cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem.

Reſpondeo; & primo, quod attinet ad dolorem, eſt aperta diſparitas; in quantũ ad rationẽ huius Sacramenti requiritur, vt accedens ad illud, doleat de culpis commiſſis, eaſque deteſtetur, quod haberi nequit per dolorem, ſeu deteſtationem, quę eſt in alio. Reſpõdeo ſecundo, & quod ſpectat ad confeſſionem, aio, per ſe loquendo, faciendam eſſe ore proprio ipſius pœnitentis: ſed talis confeſſio non eſt ita neceſſaria, vt in multis caſibus, quos declarant Auctores, confeſſio ſacramentalis nequeat fieri per nutus, & ſigna, imo per alium, nempè per interpretem; nam materia eſſentialis, quæ eſt pars in hoc Sacramento, eſt dolor internus, & ſignum ſenſibile externum, quo pœnitẽs manifeſtat Confeſſario, ſe dolere, & deteſtari ſua peccata; hæc autem confeſſio, quando ob impotentiam pœnitentis ad loquendum, proprio ore fieri non poteſt, eſt ſufficiens ad habendam abſolutionem, & ad perficiendum Sacramentum. Et hæc ſatis ſint, quo ad vim ſatisfaciẽdi per alium, etiam ex opere operato, in ordine ad remiſſionem pœnæ. Supereſſet diſcurrere, num ſatisfactio hæc producat aliquem gradum gratię ſanctificantis? de qua re apud Auctores eſt cõtrouerſia, & aliqui affirmant, aliqui verò negant; quam controuerſiam exagitat *Suarez to. 4. de pœnitentia diſp. 38 ſec. 2. n. 3.* & ex recentioribus *Arriaga to. 8 tract. de pœnit. diſp. 47. ſec. 1. & diſp. 48 ſec. 3.* apud quos videri poteſt; ego enim quæſtionem hanc nolo in præſentia examinare, & definire, cum ſit potius ſpeculatiua, quam practica, & magis ſpectet ad tractatum de Sacramento pœnitentię, quam ad præſens inſtitutum, præſertim, quia ſatis eſt, aliqua, quæ videri poterunt ſpeculatiua, diſcuſſa fuiſſe in ordine ad remiſſionem pœnę ex opere operato; & ideo ad alia, quæ ſunt magis neceſſaria ad praxim, ſermonem dirigo.

CAPVT V.

An votum emittens poſſit illud per alium implere?

29 VT ad difficultatem, quam proponere, & examinare intendo, deueniã, ſupponi debent ea, quæ ab Auctoribus tamquam certa recipiuntur: diſtinguũt autem votum in varia genera; nam aliud eſt mere perſonale coſiſtens in actionibus exercendis ab ipſomet vouẽte, vt ieiunare, orare, flagellis ſe verberare, & alię ſimiles; aliud votum eſt totum reale, vt eleemoſynas erogare; aliud verò mixtũ, nempè partim perſonale, & partim reale, & hoc ſubdiſtinguitur in duo genera, nã aliquod æquè primo eſt perſonale, & reale, vt ſi quis voueat peregrinationem ad viſitandam aliquam Eccleſiam v.g Lauretanam, & eodem actu voueat erogare eleemoſynam eidem Eccleſiæ in honorem B. Virginis, votum hoc eſt mixtum ex perſonali, & reali; & tã actio perſonæ, nempe peregrinatio, quàm erogatio eleemoſynæ, principaliter ſe habent: aliud genus voti mixti eſt, quando vna pars ſe habet principaliter, alia vero acceſſoriè; vt, ſi votum ſit peregrinandi, in qua peregrinatione aliquæ ſint faciendæ expenſæ; actio corporalis, idest peregrinatio, eſt pars principalis, ſumptus vero, acceſſoriè ſe habet: poteſt etiam in aliquo voto actio corporalis ſe habere acceſſoriè, & id, quod eſt reale, ſe habere principaliter, vt eſt in voto, quo quis promittit Deo eleemoſynã ſuis manibus erogare pauperibus: actio .n. hæc corporalis ſe habet acceſſoriè, & præſtatio eleemoſynæ principaliter. Hæc dicunt Auctores diuidentes votum in perſonale, & reale. Rurſus inquiunt, votum reale impleri poſſe per alium, imo, & teneri vouentem ad implendum per alium, quando nequit per ſe ipſum; contra vero, ſi eſt perſonale, non teneri, ſi ipſe vouens factus ſit impotens, niſi in emiſſione voti id promiſiſſet, nempè implere votũ v.g. ieiunium, per alium, ſi ipſe tempore, quo debet votum exequi, inueniretur impotens: plura etiam alia dicunt de voto mixto, quæ nũc ſuppono, & videri poſſũt apud

pud Auctores infra citandos: difficultas autem, quam proponere, & examinare intendo, conſiſtit in hoc; an votum merè perſonale, v. g. votum recitandi officium poſſit impleri per alium, qui loco vouentis illud recitet, ita vt ipſe vouens liber maneat? pro huius quæſiti deciſione, ſi Auctores legamus, procul dubio partem negatiuam ab ipſis communiter receptã inueniemus; ſed quia rationes, quę vidẽtur partem affirmatiuam ſuadere, non examinant, imo ſub ſilentio illas prætereunt, ideo operæ pretium duco, eas proponere, & diſcutere, expectando tamen earumdem ſolutionem ab alijs profeſſoribus; quia, vt verum fateor, ego eam nõ inuenio. Ad id autẽ efficacius pręſtãdum cenſeo, nonnulla eſſe præmittenda quę ab omnibus, vel vt certa, vel vt fere certa recipiuntur, ex quibus vim deſumunt rationes probantes partem, quę aſſerit votum perſonale emiſſum in Dei cultu, poſſe per alium ſubſtitutum, loco vouentis, validè, & licitè impleri.

30 Primo igitur ſupponendum eſt, non eſſe ſermonem de voto perſonali, quod fit intuitu obtinendi, illo mediante, aliquem effectum, qui immanens eſt in ipſomet vouente; vt eſt v. g. corporis proprij afflictatio ad reprimendos deordinatos motus ſenſualitatis, ſi in hunc finem fit votũ ieiunandi, ſeſe flagris diuerberandi, & ſimilia; talia enim vota ſunt ita perſonalia, vt nequeant ratione effectus, qui obtineri intenditur, impleri per aliam perſonã; nam afflictatio, quę eſt in corpore alterius, non reprimit motus deordinatos ipſius vouentis, vt de ſe patet, & in ſimili diximus quæſtione pręcedente, loquendo de ſatisfactione Sacramentali facienda per alium. Sermo autem pręſens eſt de voto perſonali, quod emittitur ad acquirendũ effectum aliquem ipſi vouenti extrinſecum, vt eſt purus Dei cultus, vel aliquod donum acquirendum in alio homine, vt eſſet E. G. ſanitas corporis, vel aliud bonũ temporale, vel denique ſatisfactio pro animabus *Purgatorij*, &c. & in hunc finẽ voueat, quis ieiunare, ſacras preces profũdere, & alias facere ſimiles actiones: hi autẽ fines nõ exigũt, vt de ſe patet, exercitium voti in ipſo vouente, ſed indifferẽter ſe habent, ſiue votum adimpleatur ab ipſomet vouente, ſiue ab alio, dũmodo id fiat conſenſu, & nomine ipſius vouentis.

31 Secundo ſuppono ex communiſſima ſententia, votum commutari poſſe in euidenter melius auctoritate ſola ipſius vouentis, & ſecundum probabilem opinionem multorum in euidenter ęquale; niſi votum ſit in materia Pontifici reſeruata, de quo in pręſentia non loquor.

Tertio ſuppono, votũ reale poſſe cõmutari in perſonale, & perſonale in reale, vt aſſerit *Suarez lib. 6. de voto cap. 19. n. 16. & ſeq. Sanch. lib. 4. cit. cap. 56. n. 24.* & alij antiquiores, & recentiores, quos ipſi laudãt quibus addo *Caſtropalañ to. 3. tr. 16. diſp. 2. punct. 16. n. 4.* vbi addit, conuenięs eſſe, vt quantum fieri poſſit, vota perſonalia in alia perſonalia, & vota realia in alia realia commutentur.

Quarto denique ſuppono, quòd opus, in quod fit commutatio, ſi penſatis omnibus erit melius, conſequẽter erit Deo gratius, ita communiter aſſerunt Doctores citati, & definitur à Gregorio III. ſummo Pontifice in *cap. peruenit 2. de iure iurãdo* his verbis [Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat] hunc textum erudite declarat *Barboſa* in collectaneis; & rectè notat, quod, cum *Deus* ob votum ab aliquo emiſſum, ſit effectus creditor modo ſpeciali, libenter acceptabit rem meliorem, quam ſit illa, quę fuit ſpecificè promiſſa; imò idem Auctor ex *Antonio de Fuertes canon. lect. 2. cap. 2.* ait, quod ſi pinguior ſatisfactio redditur, prius votum non mutatur, niſi tantum per accidens, nẽpè quoad accidentalia, de quibus nõ eſt habẽda conſideratio.

His omnibus pręmiſſis ponamus, quod 32
Titius intuitu tantum diuini cultus vouerit recitare ſemel officium diuinum; ſubſtituat autem Sortem Sacerdotem, vt loco officij ab ipſo Titio recitandi celebret Sacrũ in honorẽ Dei; certum enim eſt, Sacrum eſſe opus longè excellentius & Deo gratius, quam ſit vnica officij recitatio: probo igitur, votum recitandi officium impleri poſſe per aliũ, ita vt Titius, qui votum emiſit, liber maneat à recitãdo: ſic ideò formo argumentum Sacrum oblatum a Sorte loco diuini officij, quod Titius ex voto recitare promiſit, eſt lõgè excellẽtius, & gratius ipſi Deo, quã ſit recitatio officij immediatè pręſtãda a Titio; ergo votum perſonale per aliũ impleri poteſt. Conſequẽtia hæc certa eſſe debet, ſi verum eſt antecedens, de quo ſecundũ aliquos nemo dubitare poteſt, nempe ſacrum eſſe incomparabiliter obſequium

præ-

præſtantius, & magis gratũ,& acceptum ipſi Deo, quã ſit recitatio officij; & ideo, ſi nihil aliud ſupereſſet probandum, argumentum euidenter concluderet pro parte affirmatiua. Sed poſſet quis reſpondere diſtinguendo antecedens, hoc pacto, Sacrum oblatum eſt gratius, quam ſit recitatio diuini officij abſolutè, & ſimpliciter ſpectando vtramque oblationẽ ſecundum ipſarum intrinſecas rationes, & conceditur; illas verò ſpectando in ordine ad Titiũ aſtrictum voto recitandi diuinum officiũ negatur antecedens, quia facta promiſſione de recitando officio, gratius erit Deo, vt Titius actionem promiſſam impleat, quã, ſi ea relicta, diuersũ obſequium ab alio exhibeatur; & ideo iuxta hanc ſecundam acceptionem negatur antecedens, & pariter neganda eſt conſequentia.

Sed ſolutio hæc facilè, & efficaciter impugnari poterit, quia gratis, & abſque ſufficienti ratione aſſumitur, tanquam quid certum, in caſu poſito magis gratã Deo fore recitationem officij promiſſam, & præſtandam à Titio, qui illam promiſit, quam ſacrum exhibendum à Sorte ſubſtituto pro Titio; quis enim hoc reuelauit? vel qua ratione ex natura rei id probatur? nulla ſanè ratione id oſtendi poterit; cum pro contraria opinione, quæ ſuſtinet, votum etiam perſonale impleri poſſe per aliũ, quam plurimæ ſe offerant, efficaces rationes deductæ ex principijs præſuppoſitis. Quin etiã præter argumẽtum ſuperius allatum.

Secundo argumẽtor ex analogia rerũ humanarum, in quibus aliquod ſimile habemus. V.g. ſi vir nobilitate conſpicuus, qui ob recepta beneficia a Rege eidem ſe obligauerit, ad ſtandum coram eo, & ita aſſiſtendum publico iudicio, capite tamen cooperto, ſubſtituat virum alium æquè nobilem, imo nobiliorem, vt aſſiſtat etiam ſtans, ſed capite diſcooperto; nemo dubitare poterit, tale obſequium eſſe præſtantius; & cum redundet in maiorem honorem Regiæ dignitatis, gratius erit ipſi Regi, libẽtique animo actionem hanc accipiet loco alterius actionis, perſonalis, quæ ex obligatione erat exhibenda ab illo alio viro, & erat minus honorifica; & ſic in pluribus alijs ſimilibus hoc ipſum inueniemus: ergo etiam in actionibus, & obſequijs perſonalibus, quæ Deo per votum promittuntur, non video, cur aliquod ſimile reperiri nequeat.

Tertiò probatur, quia poteſt vnuſquiſque propria auctoritate ſuum votum commutare in aliud opus euidenter melius, & Deo creditori gratius, & votum perſonale in reale, & è contra, vt eſt cõmunis ferè omnium ſententia; ergo poterit ſuum votũ perſonale commutare in reale implendum ab alio: declaro & probo conſequẽtiam hanc, aſſignando exemplum ſupra poſitũ, videlicet, Titius emiſit votum recitãdi diuinum officium, & volens à tali onere ſe eximere, per cõmutationem in aliud opus Deo gratius, iudicat, quod erogare v. g. decem aureos in eleemoſynam ſit opus longe melius, & deprecetur Sortẽ, vt nomine ipſius Titij prædictam ſoluat eleemoſynam, & Sortes id exequatur; tunc non remanebit Titius aſtrictus ad ſeruãdum votum perſonale ab ipſo emiſſum de recitando diuino officio. Quod autem eleemoſyna erogetur pecunijs Sortis, & non Titij, qui votum emiſit, & vult per commutationẽ ſe liberare, non obſtat; quia ſatis eſt, vt nomine ipſius Titij ſit ſoluta; & in hunc finem, vt in eodem Titio extinguatur obligatio voti, vt bene probat *Sanchez in ſumma. lib. 4. cap. 15. num. 6. & 7. Bonacina in decal diſp. 4. quæſt. 2 p. 5. §. 3. num. 4. & alij*. imo addunt, quod quamuis Sortes ſoluat pecuniam in prædictum finem, inſcio Titio vouente, ſatis erit, ſi poſtea Titius hoc ratum habeat. Ex hac doctrina cõmuniter recepta colligo, votum perſonale, poſſe aliquo modo impleri per alium, qui loco talis voti, ponat aliud opus perſonale melius, & Deo gratius: & ratio eſt, quia in tantum votum reale poteſt impleri per alium, in quantum opus ſubrogatum, ſaltem continet meliorem bonitatem moralem, per quam magis Deo placet; ratio autem hæc ſicuti inueniri poterit in opere reali, ita etiam in opere perſonali, & nullum apparet fũdamentum aſſerendi oppoſitum.

Hæc mihi occurrunt proponenda, quę meum intellectum conuincunt, vt defẽdam, quod, ſicuti votum reale poteſt per alium impleri, ſic etiam & aliquod perſonale, videlicet illud, quod à vouente emittitur ad obtinendum à Deo effectum extrinſecum ipſi vouẽti, vt declaratũ eſt; ſecus autem aio de illo, cuius effectus, ob quem emittitur, eſt immanens, & intrinſecus eidem vouenti. Cæterum, ne videar diſcedere à communi loquendi modo Auctorum, peto ſolutionem prædictarũ

ra-

rationum, paratus aliorum potius, quam propriam ſententiam tueri.

CAPVT VI.

Si quis per alium patret delictum, an iuridicè interrogatus poſſit iurare, ſe illud non feciſſe?

CAſus tali pacto eſt formãdus. Titius v.g. mandauit Sorti, vt Caium interficeret, vel vt hoc, aut illud furtum committeret, & ſequutus eſt effectus, nẽpè Sortes iuſſu Titij interfecit Caium, vel furtum patrauit; poſtea verò contingat, delictũ deferri ad legitimũ Iudicẽ, & reſtes deponant contra Titiũ, à quo, ordine iuris ſeruato, Iudex interrogãs iuramẽtũ petat, vt veritatem manifeſtet, ſc. an Caiũ interfecerit? Quæritur, nũ Titius, abſque periurio, poſſit reſpondere Iudici interrogãti, ſe non interfeciſſe Caium.

33 Videtur affirmatiuè reſpõdendum; & ratio eſt, quia iuramentum interpretari debet iuxta communem, & naturalem verborum ſignificationem, & maxime in odioſis, in quibus verba non ſunt accipienda iuxtà amplã, ſed iuxtà ſtrictam, & rigoroſam ſignificationem; & ideo, cum Titius phyſicè non occiderit Caium, poterit cum veritate reſpõdere, ab ipſo non fuiſſe Caium interfectum, & conſequenter ita intelligendo verba, ſi iuramento id confirmet, non erit cẽſendus periurus. Et confirmari poterit ex alio caſu ſimili, ſequendo ſententiam multorum, qui agentes de immunitate Eccleſiæ dicunt, eũ, qui mandat, vt aliquis intra ipsã Eccleſiam occidatur, ſequuta occiſione, gaudere immunitate, & ſic ſaluet in Eccleſia; & hoc, quia cõſtitutio Gregorij XIV. de hac materia, declarans, quod committens homicidium in Eccleſia priuetur immunitate, non eſt amplianda ad mandantem; nam aliud eſt mandare occiſionẽ, aliud vero occidere; mandans autem iurisfictione, & ſecundum latam ſignificationẽ appellatur occiſor, propriè tamen non eſt; ille enim dicitur agere, qui exercet actionẽ, non qui illam iubet exerceri ab alio; idcirco ſecundum hanc opinionem mandans frui debet immunitate: ſic in caſu noſtro, qui iuſſit occidere, cum nõ exercuerit actionem occidendi Caium, non erit homicida, licet quo ad culpam contrahat malitiam homicidij; & ideo abſque falſitate iurare poterit, ſe non occidiſſe. Neque obſtat præſens regula, nempe: Qui facit per alium perinde eſt, ac ſi faceret per ſe ipſum; quia verum eſt quo ad culpam, & ſecundum iurisfictionem, & non ſecundum rei veritatem iuris autem fictio in hoc caſu nõ videtur admittẽda ob rationem ſuperius tactam, videlicet, quia locum nõ habet in odioſis & pœnalibus. His rationibus videtur alicui ſuaderi poſſe hæc opinio.

Sed contrariam ſententiam, cenſeo, eſſe amplectendam, nempè poſita legitima interrogatione iuxtà ordinem iuris, non poſſe abſque falſitate à Titio iurari, ſe non interfeciſſe Caium. ita expreſſe docet hãc ſententiam *Azorius in inſtit. moral. part. 1. lib. 11. cap. 8. quæſt. 2. Portellius in dubijs regul. verb. Iuramentum. nu. 20.* & omnes illi Auctores eamdem ſententiam ſequi debent, ſi coharẽter loqui velint, qui aſſerunt, verè delictum committi ab illo, qui illud mandat fieri: & rectè ita loquuntur; quia hoc fũdatur in vtroque iure ciuili, & canonico. nonnullos affero textus: & quoad ius ciuile habetur *Lex 1. §. Deiecisse ff. de vi, & vi armata.* vbi ſtatuitur, quòd ſi quis mandauerit, vt aliquis per vim deijciatur de loco, quem poſſidet, non ſolum mãdatarius, qui id exequitur, dicitur deijcere, ſed etiam ipſe mandans. Rurſus extat textus *in L. Non ſolum. ff. eo. tit.* vbi plenè, hoc ipſum animaduertitur, & *L. item. §. Sed quid*, circa medium, vbi dicitur, quòd conuicium cenſetur factũ non ſolum ab illo, qui illud profert; verũ etiam ab eo, qui alium cõcitauit; & ideò inferius in eadem *Lege §. Abduxiſſe.* habentur hæc formalia verba [Abduxiſse autem non ſolum is videtur, qui per vim abduxit, verum is quoque, qui perſuaſit comiti, vt eam defereret] loquitur enim lex de illo, qui virginem comitans eam deſeruit, & ad illam deſerendam fuit perſuaſus ab alio. Ex his iuribus, & alijs, quæ adduci poſsent, colligimus in iure ciuili, quod actio, quę fit iuſsu alterius, non ſolum tribuatur exequutori, ſed etiam mandanti, & ab vtroque iuxtà ſenſum legalem dicatũr fieri. Confirmatur etiam ex iure canonico *Cap. Mulieres. §. Illi verò, de ſentent. excommun.* vbi apertè habetur, quod mandãs, vt clericus percutiatur, dicitur delictũ percuſſionis committere.

His omnibus prehabitis, deduco rationem 35

nem fundamentalem pro concluſione firmanda, ſic argumentando. Iudex ſeruato iuris ordine, interrogans Titium, an Caium interfecerit, ſumit verbum, *Interficere*, iuxtà ſenſum legalem, qui præcipuè in cauſſis iudicialibus intendi debet; ergo Titius negans cum iuramento veritatem conformem ſenſui legali, falſum aſſerit, & periurus erit: conſequentia eſt certa, ſi verum eſt antecedens, quod ſic probo. Iura tum ciuilia, tum canonica, tribuunt, vt vidimus, actionem, non ſolum illi, qui eam phyſicè exercet, verũ etiam illi, cuius auctoritate exercetur, qualis eſt mandans; Iudex autem debet in cauſſis iudicialibus vti verbis iuxta ſignificationem à Iuribus præſcriptam, quia leges iſtæ, vt ſupponi debet, ſunt iuſtæ, & ordinatæ in bonum commune; ergo iudex, ſeruato iuris ordine interrogãs Titium, an Caium interfecerit, ſumit verbum, *interficere*, iuxtà ſenſum legalẽ; & conſequenter intendit comprehendere ſub eodem verbo non ſolum executorem, ſed etiam mandantem, cui principaliter tribui debet actio.

Et hęc dicta ſint ſpectando ius commune, ſecundum quod Iudex interrogando reum de aliquo crimine ab eodẽ reo exigit, vt ſub iuramento cum veritate manifeſtet, num delictum, de quo interrogatur, patrauerit. In hoc autem Siciliæ Regno ſecundum propria iura, ſeruatur alia forma, vt quantum fieri poteſt vitetur periurium, in quod reus, ſi cogeretur fateri delictum à ſe commiſſum, facile labi poſſet; & ideò iudex eum interrogando, petit ab illo iuramẽtum ſub hac forma, vt iuret veritatem dicere cũ iuramento ſuper non tangentibus ipsũ, & ſuper tangentibus ſine: ſenſus huius formulæ eſt, vt iuret veritatem fateri ſuper illis rebus, quę non ſpectant ad ipsũ reum, ſeu quę non ſunt contra ipſum, quę forſitan acciderint tempore, quo delictum fuit commiſſum, & ſunt contra alios; ſuper his verò, quæ ſunt contra ipſum reũ aperiat veritatem, ſed ſine iuramento: hæc eſt forma, quæ ſecundum iura huius Regni ſeruatur, & aduerto, quod quamuis reus legitimè interrogatus, tacendo veritatem, & fatendo oppoſitum, quod faceret contra ipsũ, non ſit periurus, quia non petitur, vt iuret; tenetur tamen veritatem Iudici aperire, & non aperiẽs peccabit contra iuſtitiam legalem, non autem contra Religionem,

36 Hæc antẽ obiter dicta ſint; nã ſermo in hoc quæſito eſt, quãdo abſolutè petitur à Iudice, vt reus iuret, an crimen, de quo procedit interrogatio, commiſerit, nec ne: & de tali reo dicimus, quod ſi iuret, ſe delictum illud non patraſſe, cum autem ſua auctoritate, & mãdato fuerit factum, & iurando intelligat realiter, & phiſicè illud non commiſiſſe, ille talis erit periurus, quia falſum aſſereret, ſi iuramento illud confirmaret; nam mandans comprehenditur in iure ſub faciẽte delictũ, quãuis ſolum moraliter, & iuriſfictione dicatur actor illius delicti: & ſub hac ſignificatione, vt dixi in cauſſis iudicialibus, præcipuè ſumuntur verba: quæ doctrina etiam ſeruari debet in hoc regno, in quo, licet ſuper delictis ſpectantibus ad Reum non exigatur, vt ipſe iuret, & ſic negando nõ eſſet periurus, peccaret tamẽ negãdo veritatem, quã tenetur Iudici legitimè interroganti manifeſtare, niſi caſu, quo interrogatio non haberet conditiones in iure requiſitas, vel concurreret rationabilis cauſſa, ob quam Reus poſſit celare veritatem, etiam ſi Iudex, quãtum eſt ex ſe, legitimè interroget; tũc enim legitimè Reus æquiuocare poterit: cauſſę autem, quæ ab Auctoribus aſſignantur ſunt plures, & de hoc fusè agit *Delugo tract. de Iuſtitia diſput.* 40 *sect.* 1.4. *num.* 14. & apud eũdem legi poſſunt aliquæ cauſſę, quæ ſolent afferri ad excuſandum Reũ: in pręſentia tamen non ſpectat ad quęſitum determinare, quando nam Reus licitè veritatem celet, quia in hac quæſtione loquor ſolum in eo caſu, in quo Reus tenetur veritatem aperire etiam contra ſe: & dico, quod ſi homicidium mandauit, & ſuo nomine fuit patratum, adhibita legitima, & iuridica interrogatione, nequibit negare, ſe illud non feciſſe, intelligẽdo phiſicè, & hoc ob rationes dictas: & conſequenter, ſi iuret, peccabit contra iuſtitiam legalem, & contra religionem; & ſi neget ſine iuramento, delinquet ſolum contra iuſtitiam legalem, vt euenire poteſt in hoc Regno Siciliæ, poſita forma illa interrogandi, de qua ſuperius loquutus ſum. Remanet autem, vt argumenta concluſioni contraria diluantur.

37 Ad primum. Reſpondeo, verba, quæ à Iudice proferuntur interrogando Reum non eſſe interpretanda ſecundum ipſorũ naturalem ſignificationem abſolutè, & vt ſic ſpectatam, ſed vt modificatam iuxta diſpoſitionem Iuris, ſeu iuxta ſenſum,

quem

Digitized by Google

quem ipſis verbis dant *Leges* ciuiles, & canonicę; & ideo quia Iura interdum actionem tribuere ſolent non ſolum executori, verum etiam imperanti, nequit Reus, qui imperauit, negare, ſe actionem illam non feciſſe, & id iuramento confirmare. Ad illud vero, quod additur, ſcilicet in odioſis, & pœnalibus verba non eſſe interpretanda iuxta ampiam ſignificationem, ſed reſtrictam, Reſpondeo, id verũ eſſe; ſed non poſſe verba ſumi in tali ſtricta ſignificatione, vt deſtruatur eorumdē verborum ſignificatio, ſiue ex toto, ſiue ex parte, quando talis ſignificatio hic, & nunc eſt attendenda; in cauſſis autem pertinentibus ad iudicia forenſia, verba pręter ſignificationem naturalem habēt legalem, quæ principaliter attenditur, & ſecundum quam Iudex interrogans intēdit, vt ſibi à Reo reſpondeatur: quapropter Reus ſumens verba ſolum iuxta ſensũ naturalem, qui extra iudicium attenditur, & relinquens ſenſum legalem, deſtruit illum ſenſum, quem verba habēt in iudiciis, & conſequenter cum iuramento aſſerens aliquod contrarium, falſum pronuntiabit, & periurium committet.

38 *Ad* ſecundum argumentum deſumptũ ex immunitate *Eccleſiaſtica* reſpondeo primo, nullam in eo eſſe vim, in ſententia eorum, qui ſuſtinent, quod ille, qui mādat occidere, aliquem in Eccleſia, nequaquā fruatur *Eccleſiaſtica* immunitate: & ideo iuxta opinionem hanc, quæ à multis defēditur, & de qua inferius erit ſermo cap. 11. argumentum prædictum nihil probat, quia huius ſententiæ Auctores volũt mandantem cenſeri homicidam; ſed quoniam alij oppoſitum ſentiunt; idcirco Reſpondeo ſecundo aliam afferendo ſolutionem, quæ ſatis eſt ad argumentum diluendum quacunque poſita ſententia ex duabus prædictis, circa priuilegiũ immunitatis: aio igitur, diſparem eſſe rationem inter vnum, & alium caſum; nam quādo agitur de immunitate Eccleſiæ, debemus ſequi opinionem fauorabiliorē ipſi Eccleſiæ; & ideo, ſi verba legis poſſũt admittere ſenſum, qui magis faueat Eccleſiæ, alius verò contrarietur, tunc verba ſunt interpretanda iuxta priorem, & non poſteriorem ſenſum; cum igitur mādans homicidium peragendum ab alio, dicatur homicida moraliter, ſeu per fictionem iuris, non autem phyſicè, & realiter, in fauorem Eccleſię dictio illa, *homicida*, eſt ſumenda in ſenſu proprio, & phyſico, non verò morali. Iura autē non fingũt ſignificationes verborum in præiudiciũ Eccleſiæ: contra vero in caſu noſtro, cũ non agatur de immunitate Eccleſię, ſed de aperienda veritate ob bonum cõmune, & vt delicta puniãtur, proinde Iudex interrogando Reum, nomen illud *homicida*, ampliat ad ſenſum moralem, ſeu legalem, ſub quo venit ipſe mandans, cui magis principaliter tribuitur occiſio, quā tribuatur executori; ideo præſens regula, nēpè *Qui facit per alium perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum*, debet locum habere in caſu, de quo agitur; & ſaltem quo ad culpam eſt certum, vt fatentur expreſſe nonnulli ex Auctoribus, qui dicunt, mandantem non eſſe priuandum immunitate, ſi ipſius iuſſu committitur homicidium in Eccleſia, ita *Auila* exponit regulam prædictam *tract. de cenſuris par. 2. cap. 5. diſp. 3. dub. 2. Diana par. 1. tract. 3. de immun. Eccleſiar. reſol.* 10. *in fine. Thomas Delbene de immunit. & iuris dict. Eccl cap. 16. ſect.* 8. & alij, cum ergo in hac quæſtione ſermo ſit de culpa homicidij, vim habet regula; & cõſequēter iudice interrogāte Reũ de ipſo homicidio, ſub nomine occiſionis debet comprehendi Reus, cuius iuſſu delictum fuit commiſſũ, & hoc non per extenſionem verborum, ſed per iuridicam, & legitimam legum interpretationem.

CAPVT VII.

An fidelis licitè poſſit diebus feſtiuis per ſeruum infidelem ſeruilia opera exercere?

DVo ſupponi debent pro completa intelligentia, & deciſione huius quæſiti; primo dari præceptum *Eccleſiæ*, per quod fideles prohibentur die feſtiuo opera ſeruilia exercere; ſecundo Infideles huic præcepto non ſubijci, ſicuti neque alijs præceptis, quæ ſũt merè Eccleſiaſtica, & ſuos tantũ ſubditos reſpiciunt; infideles autē non ſunt ſubditi *Eccleſiæ*. His tanquam certis præſuppoſitis, ſic formo caſum. Titius fidelis habens mancipium, ſeu ſeruum infidelem V. g. Iudęum, Maurum, & c. occurente die dominico, vel alio feſtiuo imperat prædicto ſeruo, vt opus ſeruile exerceat. E. G. vt terram fodiat, vel fabricet murum, aut quid ſimile; quæritur, nũ *Titius* licitè

impo-

Digitized by Google

imponat, & præcipiat tale opus exercendum per ſeruum?

39 Prima ſententia affirmat id licere. ita *Ianuarius in ſuis deciſionibus par. 1. decis 57. num. 10 Diana par. 5. tract. 14. reſolut. 7. Zaccharias Paſqualigus in deciſ. moralibus deciſ. 320. Leander in quinque præcepta Eccleſiæ tract. 1 diſp. 5. quæſt. 54* & in eadem ſententia debet eſſe *Laym in theologia morali lib. 4. tract. 4. cap. 10 num.* 3. vbi cum doceat, poſſe à nobis imponi exercitium operum ſeruilium die feſtiuo infantibus, & amentibus, quia legibus *Eccleſiæ* non ligantur, videtur hoc etiam velle de infidelibus; cum & perpetuo amentes, & infideles eiſdem legibus non obligentur: imo maior ratio ſit de infidelibus, qui nullo pacto comprehenduntur ſub legibus Eccleſiæ; amẽtes vero ſunt cõprehenſi licet ob amentiam à tranſgreſſione præcepti excuſẽtur. Ratio, qua hanc ſententiam probant, eſt; quia cum infidelibus non ſit prohibitum exercere opera ſeruilia in diebus feſtiuis, Dominus tale exercitium illis imperãdo, non imperat actionem moraliter malã; & ideo ſicuti infidelis ea opera exercẽdo non peccat, neque peccabit Dominus illa imperando.

40 *Secunda* ſententia oppoſitum tuetur, videlicet non poſſe à Domino fideli imperari exercitium operum ſeruilium diebus feſtiuis ſeruo infideli, quando nulla cocurrit cauſſa excuſans, per quam fideli licitè ea opera exercere poſſit: citatur pro hac opinione à Diana *Antonius Fernandez in inſtruct. Confeſſar. par. 3 precep. 3. num.* 13. ex noſtra Societate, quem tamẽ ego præ manibus habere non potui: obiter autem admoneo lectorem, à *Leandro* citari Antonium Fernandez de Moure *3 par. in inſtruct. Cõfeſſar. præcep. 3. num.* 16. ſed non rectè, quia Antonius Fernandez de Moure, cuius opus intitulatur Examen theologiæ moralis, complectens medullam omnium caſuum conſcientiæ nihil de hac re agit; & ideo, vt reor, in citatione fuit error; quatenus vnus Antonius Fernandez ſumitur pro alio: aperte hanc opinionem defendit *Carolus Baucius in tractatu de miſcellaneis pertinentibus ad munus Confeſſarij quæſit.* 10. licet poſtea *in miſcellaneis prædictis quæſit.* 133. priori ſententię videatur adhærere. Noſter P. Tamburinus *in decal. lib. 4. cap. 3. §. 1. num.* 16. in eamdem ſententiam videtur inclinare cũ *Sanchez in ſumma lib. 1 cap. 12 num.* 18 iuxta ponderationem, quã de eius diſcurſu facit *Merolla tom. 2 diſp. 4 cap. 3. dub. 40. num* 467. & pariter in eam inclinat ipſemet *Merolla* ibidem; quatenus rationes pro hac parte negatiua confirmat, ſoluens oppoſitas: licet in fine cõcludat, omnia dicta à ſe fuiſſe nõ omnino affirmante, ſed potius dubitante, & deciſionem alijs relinquente: Fundamentũ huius ſententiæ deſumi poteſt ex hac regula; quamuis enim ſeruus infidelis exercens ſeruilia in ſuum commodum, & non ex iuſſu ſui Domini, non peccet, cũ non operetur in tali caſu, vt inſtrumentum illius, (& ideo poterit vnuſquiſque fidelis ſuadere exercitium operum ſeruilium ipſi infideli) nihilominus quando exercet illa, vt inſtrumentum fidelis, perinde eſt, ac ſi ipſe fidelis ea exerceat; & ſic Dominus iniungens illa ſuo ſeruo fideli, lethaliter peccabit. hoc eſt fundamentum, quo nituntur huius ſententiæ Auctores: ſupereſt, vt quid de his opinionibus ipſe ſentiam, in medium afferam.

Dicendum eſt, hanc ſecundam ſententiam probabiliorem mihi videri: & ad eã amplectẽdã ducor ratione ſuperius allata in eius fauorem, quam placet paulo fuſius explicare, vt eius efficacia melius appareat. Aio igitur, quod, ſicuti ſtante lege *Eccleſiaſtica* non eſt licitum ijs, qui ſacro fonte ſunt ablati, ſeruilia operari in diebus feſtiuis, ita etiam non licebit eiſdem illa ſuo nomine per alium facere: ergo nequit fidelis diebus feſtiuis per ſeruum infidelẽ opera ſeruilia exercere. Euidens eſt conſequentia, ſi verum eſſet antecedens, quod ſuaderi poteſt argumento deſumpto ex hac regula, quę in hoc caſu locum habere debet, & nullã ſufficiens ratio in contrarium ſe offert: quod manifeſtũ fiet impugnãdo nonnullas reſponſiones, quas dant aduerſarij, & ſoluendo pariter eorumdem rationes. 41

Reſpondent igitur aliqui tali pacto. *Poteſt* fidelis licitè præcipere, ſeu imponere ſeruo fideli comeſtionem carnium in diebus apud nos vetitis; ergo etiã poterit licitè præcipere, ſeu eidem imponere exercitium operum ſeruilium in diebus apud nos vetitis; vtrobique enim videtur eadem eſſe ratio. ſic diſcurrit *Ianuarius loco cit.* proinde ſi regula Iuris *Qui facit per alium*, non vrget in caſu comeſtionis, neque vrgebit in caſu, quo exercentur ſeruilia.

Google

Contra eſt, quia vt rectè notat *Merolla*, comeſtio illa carniũ nequit tribui domino præcipienti, ſecus autem exercitiũ operum, quod adſcribitur domino, tamquam cauſſæ principali.

42 Sed contra diſparitatem hanc vrget *Ianuarius n.* 10. ſic arguendo contra Merollam. Vel ſermo eſt de cauſſa morali principali, vel de cauſſa physica; ſi primũ, tam dominus præcipiens ſeruo comeſtionem carnium, quam præcipiẽs v.g. arare vineam, fodere terram, &c. dicitur cauſſa principalis moralis: nam cauſſa moralis cenſetur illa, quæ licet ad effectum phyſicè non concurrat; nihilominus ſecundum hominum æſtimationem, illi tribuitur effectus, & in caſu noſtro tã tribuitur domino, vt cauſſę morali comeſtio carnis, quam aratio vineæ, quia vtrobique concurrens per mandatum erit cauſſa principalis iuxtà hominum æſtimationem; ſi vero ſermo ſit de cauſſa phyſica, tam procedit à ſeruo, & nullo pacto à domino, comeſtio carnium, quam aratio terræ; nam dominus, vt ſupponitur, non cõcurrit phyſicè, neque ad comeſtionem, neque ad arationem; & ideo poteſt dici comedere, & arare mediante ſeruo, & ſeruum eſſe, & dici in vtroque caſu inſtrumentum morale ſui Domini; & fallitur, ſi quis in fauorem Merollę reſpondeat, accipiendo comeſtionem ſecundum rationem phyſicam, & arationem ſecũdum rationem moralem; fallitur, inquã, & doctrina *M*erollę nihil probabit, & paritatem inter vtrumque caſum non ſoluet; cum paritas procedat à morali ad moralem, & à phyſico ad phyſicum; ſolutio autẽ procedat à morali ad phyſicũ, ſic diſcurrit *Ianuarius* contra Merollam putãs, diſparitatẽ eius eneruare. Sed non itae ſt, quia diſparitas allata inter comeſtionem, & ſeruilem laborem optima eſt, & ratiocinatio Ianuarij facile admittit ſolutionẽ. Vt autem illã aperiam, ſupponi omnino debet in hac materia, tũ rationes, tũ argumentorũ oppoſitorum ſolutiones non aliunde, niſi intra genus moris eſſe excogitandas. Rurſus ſupponendum eſt, cauſſã meram eſſe in multiplici differẽtia, vt omnes Auctores docent; nam alia eſt per modum imperij, alia per modũ ſuadentis, ſeu hortantis, alia denique per modum merentis, ſeu impetrantis; loquendo autem de effectu, qui procedit per influxum moralẽ ab his cauſſis, ſignũ inter illas eſſe diſcrimen; nam interdum effectus eſt talis naturæ, vt more humano, & ſecundum hominum æſtimationẽ tribuatur alicui cauſſæ morali, ac ſi ab illa realiter, & phyſicè proueniret; imo aliquãdo principalius adſcribi ſolet cauſſæ morali, quàm cauſſæ phyſicæ, vt patet ex illo axiomate communiter recepto videlicet. Actus tribuitur ordinanti, & non exequenti, vt colligitur ex textu *in L. Item eorũ* §. *ſi decuriones ff. Quod cuiuſque vniuer. & Cap. cum aliquibus de Reſcrip. in* 6. & ex alijs iuribus, quæ citãtur *à Surdo de alim. tit.* 8 *priuil.* 56. *num.* 88. *& priuil.* 65. *num.* 47.

Denique ſupponendum omnino eſt, aliquos actus eſſe ita perſonales, vt etiam 43
in genere moris, ſpectata exiſtimatione hominum, nequeant denominare, niſi ipſum, à quo exercentur; proinde intrãſitiuè ſe habent quo ad denominãdum: alios vero actus non ita ſe habere, & poſſe tranſitiuè alium denominare, licet ab illo phyſicè non exerceantur: exempla vtriuſque generis actuum ſunt plura; nonnulla aſſignabo. Actus primi generis ſunt, V.g. diſcurrere, videre, audire, dormire, comedere, bibere, &c. certum enim eſt, hos, aut ſimiles actus ita eſſe addictos perſonæ, à qua phyſicè procedunt, vt intranſitiuè ſe habeant quo ad denominandum, vt ſupra in quæſtione VI. adnotauimus aliam controuerſiam examinantes; & ideo etiam in genere moris, quãdo quis mandatum dat alteri, vt diſcurrat circa aliquam materiam, vel vt audiat, comedat, ſomnum capiat, nequit ipſe, qui cõſilium, aut mandatum præbuit, denominari diſcurrens, audiens, comedens, dormiẽs, &c. & ſic in alijs ſimilibus. Actus verò ſecundi generis ſunt etiã plures, & ſolent tẽdere in externam materiam, V.g. ſeminare agros, fodere terram, ædificare palatium, plantare vineam; &c; hi autem actus quamuis phyſicè procedant ab vno, ſe habent tamen tranſitiuè quo ad denominandum moraliter illum, qui exercet ipſos actus; & ideo dominus, licet ſeminet agros, ædificet, & plantet vineam per famulos; nihilominus, iuxta communem loquendi modum nobis conſuetum dicitur ipſe ſeminaſſe ſuos agros, ædificaſſe, plantaſſe vineã, &c. His præmiſſis, ſtatim apparet imbecillitas argumenti, quo Ianuarius putat eneruare diſparitatẽ datam à Merolla inter comeſtionem, & exercitium operis ſeruilis. Ad argumẽtum nunc reſpondeo in forma, & dico, ſermo-

nem eſſe de cauſſa morali: & addo, diſcrimen manifeſtum reperiri; quamuis enim Dominus concurrat, vt cauſſa moralis, tum præcipiendo comeſtionem, tum opus ſeruile; nihilominus comeſtio eſt de illis actibus ita perſonalibus, vt nequeat denominare comedentem, niſi illum, qui verè, & realiter comedit; ſecus plantatio vineæ, quæ principaliter poteſt denominare ipſum dominum imperantem, vt ſupra dictum eſt; & ideo viget diſparitas tradita, & corruit oppoſitum argumentū Ianuarij, cuius nonnulla alia argumenta ſunt proponenda, & diluenda: quod præſtabo per ſubſequentes obiectiones.

44 Obijcies primo. Opus ſeruile præcipitur, prout procedit à ſeruo infideli; ergo poteſt licitè præcipi: antecedens patet ex ſuppoſitione caſus: conſequentia verò ſic probatur: opus illud, prout procedit à ſeruo infideli, non eſt peccatum, ergo licitè præcipi poteſt.

Reſpondeo primo, non valere vniuerſaliter hanc conſequentiam: Actio, prout procedit ab aliquo, non eſt peccatum, ergo neque erit peccatum reſpectu alterius cooperantis. V. g. Si quis ſuadeat amenti, aut ebrio homicidium, furtum, vel quid ſimile, hæ actiones, prout procedūt ab amente, vel ebrio, non ſunt formaliter peccata, quæ tamen talia ſunt reſpectu ſuadentis, ſeù cooperantis.

Reſp. ſecundo diſtinguēdo antecedēs præcipitur, prout procedit à ſeruo infideli operante, vt inſtrumento Domini, concedo; vt cauſſa principali, nego antecedēs, & conſequentiam: actio autem adſcribi debet potius cauſſæ principali, quā inſtrumentali; nam illa, vt primum mouens, ſe habet ad operandum, hæc verò operatur, vt mota.

Dices. Attributio iſta nequit conferre malitiam operi, ſi opus ante ipſam attributionem malitia caret; ſed antecedenter nulla reperitur in opere malitia faciens ad rem noſtram, nempè in ordine ad præcipientem; ergo ipſa attributio eſt tranſlatiua operis malitia carentis.

Reſpondeo negando maiorem; quia opus conſtituitur formaliter malum in genere moris per habitudinem ad ipſum dominum iubentem, quatenus exercetur à ſeruo, vt inſtrumento ipſius domini; & ideo, ſi ſeruus tale opus exerceret in ſuo commodum, & placitum, & non, vt mādatarius domini, opus careret malitia, quæ reperitur in trāſgreſſione huius præcepti eccleſiaſtici; proinde ante attributionem non intelligitur affectū malitia prædicta, quam formaliter ſortitur per ipſam attributionem.

Sed iterū quis vrgebit hoc pacto. Si dominus præcipiens mācipio infideli opera ſeruilia peccaret, in quantum ſeruus cenſetur laborare, vt inſtrumentū ipſius domini, ſequeretur etiā peccare applicando animal irrationale ad laborandum, v. g. ad molendinum in piſtrino, quia animal illud exiſtimaretur molere, vt inſtrumentum ipſius domini; conſequēs eſt falſum, ergo & antecedens.

Reſpondeo. Si in applicatione animalis deberet dominus, ſiue alius, nimium laborare, verum erit, id abſque peccato fieri non poſſe in omnium ſententia, niſi excuſaret neceſſitas: ſi verò paruus labor in prædicta applicatione eſſet inſumendus, & breuiſſimo tempore, tunc dominus neque reſpectu applicationis, neque reſpectu actionis ab animali exercitæ peccatum committeret. His poſitis ad argumentum neganda eſt ſequela; eſt enim aperta diſparitas inter mancipium, & animal irrationale, & diſparitas fundatur in hoc, quod mancipium in caſu poſito moueretur ad operandum vi imperij, quo dominus mandauit exercitium operum ſeruilium, & ideo illud exequeretur tanquam inſtrumentum domini, non tantum phyſicum, ſed etiam morale; animal verò dum in piſtrino circumuoluitur non ſe habet propriè, vt inſtrumentum neque phyſicum, quia ſua intrinſeca virtute ſe mouet ad operandum, neque morale, quia non vi alicuius imperij, ſed vi propriæ apprehenſionis, & interni appetitus mouetur ad operandum; Bruta enim non ſunt capacia imperij, neque actiuè, neque paſſiuè, & in operando ſe habent, vt cauſſa principalis naturalis; impropriè tamē, & largè dici poſſunt inſtrumenta ratione applicationis factæ ab homine. Alias etiam diſparitates tradunt Authores, ſed prædicta videtur ſufficiens.

Obijcies ſecundo. Consilium dans infideli exercendi opera ſeruilia die feſtiuo non peccat, ergo neque peccabit præcipiens: antecedens eſt certum in omnium ſententia; conſequentia verò probatur ab ipſomet *Ianuario reſol. cit. nu. 8.* hoc pacto; æquè, vel magis influit, qui dat conſilium, quàm qui dat mandatum, vt multi aiunt; quia mandans, ſi reuocet mandatum, non cenſetur influere in ac- 45

tionem illam, quam prius mandauit; non ita ille, qui conſilium præbet, quia, licet reuocet conſilium, ſi tamen ſequatur effectus malus, de quo fuerat conſilium, adhuc cenſetur influere in prauum illum effectum; ergo dans conſilium magis iudicatur influere in effectū, quàm mandās, & conſequenter, ſi ſuadens infideli exercitium operis ſeruilis die feſtiuo nō peccat, multo magis non peccabit mandans.

Reſpōdeo concedendo primū antecedens principale, & nego conſequentiā, ad cuius probationem dico, quod facta cōparatione inter eum, qui dat conſiliū, & inter mādantē quoad magis, & minus influendum, ſub vna ratione magis influit mādans, ſub alia verò magis dans conſilium: declaratur diſtinctio, & aio, quod, ſi conſideretur effectus quoad dependentiam, lōge maior veluti intenſiuè erit influxus mandantis, quàm hortantis; nam effectus ita depēdet à mandante, vt illi magis principaliter adſcribatur, quàm reliquis cauſis: imo, ſi mandatum reuocetur, perit omnino influxus mandantis. Si verò effectus ſpectetur quoad dependentiam veluti extenſiuam, contingere interdum poterit, vt magis dependeat à ſuadente, quàm à mandante: & hoc, quia conſiliū, licet reuocatum, adhuc poterit relinquere aliquid loco ſui, nempè motionem quamdam, ſeu excitationem in voluntate illius, cui datum fuit ipſum conſiliū; ex quo fit, vt non obſtante retractatione, ſuadens cenſeatur influere; non ſic eſt mandatum; quia ſi reuocetur, re adhuc integra, nihil cenſetur manere, vi cuius mandans cenſeatur influere; & ſic influxus hortantis non intenſiuè, ſed extenſiuè tantum videtur maior. *Dixi*, interdū id contingere, quia non omne conſilium ita ſe habet; aliquid enim petitur pro veritate ſcienda; proinde ſi dans conſiliū fingit falſum, & poſtea re integra aperiat veritatem, non dicitur influere in effectū, vt docēt Theologi in tractatu de Iuſtitia.

Hac poſita doctrina, quæ certiſſima eſt, dico, in hac materia, nempè quoad peccatum, vel eius negationem, non eſſe attendendum magis, aut minus, ſeu influxum extenſiuum, vt ſic; ſed potius dependentiam, quam habet actio illa ſeruilis, quando exercetur ab infideli; quæ quando fit vi mandati, cenſetur fictione iuris fieri ab ipſo mandante; quando verò vi ſolius conſilii non iudicatur fieri à conſilium dante, ſed tantum exhibito ipſius operantis, qui non dicitur, neque exiſtimatur operari nomine conſilium dantis: at operās vi præcepti, reputatur operari nomine præcipientis.

Obiicies tertiò. Si quis emiſit votum non ludendi, & poſtea pecuniam alteri tradat, vt ludat nomine ipſius vouentis, non facit contra votum; & tamen qui ludo pecuniam accepit, ludit, vt inſtrumentum ipſius vouentis; ergo à pari, etiamſi ſeruus infidelis exerceat opus ſeruile, vt inſtrumentum domini præcipientis, dominus non peccabit contra legem eccleſiaſticam. 46

Reſpondeo, votum non ludendi fieri poſſe, vel ex motiuo non terendi tempus, vel ex motiuo non exponendi pecuniam periculo amiſſionis; ſi priori modo fuerit emiſſum, tunc tradens pecuniam, vt alter ludat, non cenſetur facere contra votum, quia ſic ob ludum alterius, ipſe vouens tempus non terit; ſi vero poſteriori modo fuerit emiſſum votū, tunc vouens faceret peccatum; quia periculum perdendi pecuniam, quod fuit motiuum vouendi, æquè ſe habet, ſiuè ludat ipſe vouens, ſiue alius nomine ipſius.

Quæres an eadem ratio ſit de amētibus fidelibus, ac de infidelibus, ita quod ſicuti dās nequit his imponere, vt ſeruilia exerceant, ita nequeat illis? Reſpondeo, in mea ſententia eamdē eſſe rationem quo ad impoſitionem operum ſeruilium; quia peccabit dominus fidelis iniungens opera ſeruilia mancipio, aut famulo fideli amenti, ſiue infideli; quia vterque operatur vt inſtrumentum ipſius Domini præcipientis; cæterum in alia ſententia contraria eſt diſtinguendum iuxtà diuerſitatē opinionum de amentibus; nam Auctores illi, qui docent, totaliter amētes, licet excuſentur à legis traſgreſſione, eſſe tamen eidem legi ſubiectos, ſi nō fuerint amētes à natiuitate, conſequenter debent dicere, quod poſt vſum rationis obligatio, quæ in ipſis incępit, perſeuerabit poſt lapſum in amentiam, & quod ſolum per accidens excuſentur à culpa ratione amentiæ: & ideo transgreſſio erit in illis materialis: iuxtà autem hanc ſententiam diuerſa erit ratio de infideli, & de talibus amentibus; & ideo imponere his amentibus exercitium operis ſeruilis die feſtiuo, erit peccatum, ratione obligationis ad legem perſeuerantem in amente, non autem erit peccatum idem exercitium imponere infidelibus, qui ſunt omnino exempti à legibus 47

gibus Eccleſiæ, & nulla eſt in illis obligatio ad obſeruationem harum legũ. Quænam autem ex his duabus ſẽtentijs eſſet recipienda, ſi ego ſuſtinerem licitum eſſe imponere infidelibus opera ſeruilia, non eſt huius loci determinare; quoniam poſita mea ſententia eadem, vt dixi, eſt ratio de infideli, & de fideli amente; in vtroque enim caſu illicita erit impoſitio operum ſeruilium ob rationem aſſignatã.

CAPVT VIII.

An lectionem libri prohibiti alio legente audiens cenſeatur per ſe ipſum legere, itaut in cẽſuram contra hos libros legentem incurrat?

48 SOlet præſens quæſtio ab Auctoribus examinari agentibus de cenſuris, quæ in bulla cœnæ continentur; quamuis ab alijs etiã agitetur in tractatu de fide, ſermonem inſtituentibus de hæreticorũ pœnis, inter quas eſt prohibitio legendi libros ab eiſdem hæreticis editos in quibus de hæreſi, vel de religione tractatur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt habetur in primo canone dictæ bullæ. Pro maiori autem huius quæſiti intelligẽtia, ita caſus formari poterit. Sit liber ab hæretico compoſitus, in quo agatur de hæreſi eiuſdem Auctoris, & Titius hoc ſciat, & librum non legat, ſed illum tradat Sotio, eumque legentem audiat; quæritur num Titius in hoc caſu audiens tantum, & non legens, cẽſeatur tranſgreſſor legis Pontificiæ, & in excõmunicationem, quæ lata eſt contra legẽtes, incidat? tres de re hac ſententias inuenio.

Prima enim abſolutè docet, Titium in caſu poſito affici excõmunicatione, quia legens alio mediãte, cenſetur per ſe ipsũ legere. Hanc opinionem tuetur *Suarez tract. de fide diſp. 20. ſect. 3. n. 19. quam ſequitur Rataful. in praxi morali par. 3. lib. 3 cap. 8. dub. 14. & in eadem ſententia videtur eſſe P. Andreas Mendo in ſelectis quæſt. de iure Academico lib. 2. quæſt. 15. n. 159.* Probatur autẽ à ſuis ſectatoribus primò, quia lectio cõſtat ex prolatione, & perceptione, quæ fit per auditum, & ideo audiens legentem præſtat vltimũ cõplementũ lectionis, & conſequenter perficit actionem legendi, quæ principaliter conſiſtit in perceptione; nã ſi quis legẽdo non intelligeret ea, quę legit, non incurreret in cenſurã, vt communiter fatẽtur Auctores; ergò ſignum eſt, principaliter, & veluti formaliter actionem legẽdi conſiſtere in præceptione.

Secundò probatur, quia non minus eſt ſenſus capax diſciplinę auditus, quam viſus; ergo, ſi prohibetur lectio talium librorum per ſolum viſum, ne legens erroribus falſæ doctrinę inficiatur, nulla eſt ratio, quare etiam nõ prohibeatur per auditum eiuſdem doctrinæ perceptio; periculum enim peruerſionis tam in legente, quam in audiente inuenitur; & ideo in vtroque locum habet finis, quem lex, & legiſlatoris intentio reſpiciunt: imo quodammodo maius inuenitur periculum in eo, qui audit alium legentem, quam ſi quis legat per ſe ipſum, quia modus ille legendi per alium eſt facilior; proinde, niſi prohiberetur, vana redderetur lex illa. Ita Suarez hanc ſuam ſententiam defendit.

Secũda opinio limitat prędictam, quatenus vult, hunc audientem incurrere in cenſuram, quando inducit alium, vt legat, ſiuè id faciat ſuadendo, ſeu conſiliũ dando, ſiue præcipiendo, aut alio quocumque modo, non autem incurrere in cenſuram, ſi nullum habeat influxum in lectionem, & ſolum audiat alium propria voluntate legentem, ita quamplures docent vt *Sayrus de cenſur. lib. 3. cap. 5. nu. 14. Graffius in decis. tom. 1. lib. 4. cap. 68. num. 34. in fine. Azor. in inſtit. moral. tom. 1. lib. 8 cap. 16. quæſito 4. Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 9. num. 25. Alterius de cenſ. tom. 1. lib. 5 diſp. 6. cap. 6. dubit. 2. Bonacina in quæſt. regul par. 4. verb. Liber num. 21. Layman in theolog. morali lib. 2. tract. 1. cap. 15. num. 6. Baldellus in theolog. morali lib. 2. diſp. 46. num. 14.* 12
Rodericus Arriaga tract. de fide. tom. 5. diſput. 3. ſect. 4. ſubſec. 2. nu. 31. Leander par. 4 de cenſuris in bullam Cœnæ tract. 3. diſp. 1. quæſt. 38. & alij. Probant autem hanc ſententiam, quia reuera iſte talis, qui induxit alium ad legendum, vt audiret ab illo lectionem, perindè eſt, ac ſi ipſe met immediatè legeret.

50 Tertia ſententia omnino oppoſita ſuſtinet, quòd qui alium inducit ad legendum, etiamſi ipſe peccet cooperando lectioni, non incurrat tamen in cenſuram, quia excommunicatio lata eſt contra legentes, & non contra audientes, & cum

materia ſit odioſa, non debent verba extendi; audiens enim ſolum iuriſfictione, & completiuè dicitur legens: ſic docet quamplures, vt *Vgolinus de caſibus Pōtifici reſeruatis par. 2. exponens primum Canonem bullæ cœnæ. §. 1. num. 4. ver. Ac eorumdem libros. Souſa in aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. num. 21. cap. 12. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 10. num. 48. Scortia in bullas pontifie. epit. 166 theorem. 410. Duardus in bullam cœnæ. canone 1. quæſt. 48. num. 5. Bonacina de cenſ. in bull. cœnæ. diſp. 2. quæſt. 5. pu. 4. nu. 12. Santarellus tract. de hereſi. cap. 14. dub. unico n. 8. Filliucius tract. 16. cap. 2. num. 41. Caſtropalaus tom. 1. tract. 4. diſp. 2. pu. 4. §. 2. num. 4. Portellius in annot. ad dubia regul. verb. libri prohibiti num. 15. Trulleneh. in decal. lib. 1. cap. 3. dub. 9. num. 5. & num. 24 Fagundez in decal. lib. 1. cap. 14 n. 27. Ioannes Delugo tract. de fide. diſp. 21. ſect. 2. § 3. num. 74. & ſequent. Merolla in theolog. morali tom. 1. diſp. 1. cap. 2. nu. 384. Sebaſtianus Salelles de materijs Tribun. S. Inquiſit. lib. 3. cap. 9 reg. 142. num. 105. Bordonus de ſacro Tribunali. cap. 14. num. 74. Ioannes Alberghinus in manuali qualificatorum* S. *Inquiſit. cap. 32. num. 11.* Aegidius verò *Coninch. diſp. 18. de fide. dub. 11. num. 178. in fine.* referens opinionem Patris *Sanchez*, & rationem, in qua præcipuè fundatur, videlicet verba pœnalia ſtrictè eſſe accipienda, ait, eos non legere, qui audiunt legentem, quem rogarunt, vt legeret; & hoc aſſerit non eſſe omninò improbabile, & certum putat, quando audiens non eſt cauſſa lectionis.

Hæ ſunt ſententiæ; quas apud Auctores inuenio, & omnes, tū rationibus, tum auctoritate, negare non poſſum, probabiles eſſe.

51 Dico tamen, inter illas probabiliorem mihi videri ſecundam, quam ſequenti diſcurſu in forma argumenti redacto efficaciter probo.

Inducens alium ad librum prohibitum legendum, in hunc finem, vt ipſemet inducens audiat, quæ in tali libro continētur, dicitur legere in ſenſu comprehenſo ſub prohibitione; ergo ita audiens incurrit cenſuram excōmunicationis impoſitam contra legētes libros hæreticorum: tota difficultas huius argumenti conſiſtit in antecedente; nam eo poſito euidens eſt conſequentia; ex ſuppoſitione enim, quod, quis prædicto modo audiens legentem, contineatur ſub ſenſu verborum huius legis prohibentis, certū eſt, affici pœnis per eamdem legē iniūctis: ſic igitur probo antecedens: In caſu poſito ille, qui iuſſu alterius legit, cenſetur legere, vt miniſter, ſeu vt inſtrumentum ſeparatum ipſius audientis, vt rectè animaduertit *Baldellus loco citato*; ergo ita iubens dicitur legere in ſenſu comprehenſo ſub prohibitione: hoc vltimum antecedens patet, quia alius legit, vt pareat iubenti, & vt eius miniſter, cuius actio denominat ipſum iubentem; ſicuti in alijs ſimilibus, dominus v.g. dicitur conſtruere palatium, plantare vineam, quamuis alius, vt miniſter, has actiones phyſicè exerceat: patet igitur hoc vltimum antecedens; conſequentia vero ex illo deducta probatur; quia prohibitio, quæ in hac bulla extat, fertur formaliter contra ita legentes, vt percipiāt hæreticorum doctrinam, quę in dictis libris cōtinetur, ſiue perceptio hęc habeatur percurrendo librum proprijs oculis, ſiue alienis nomine ipſius percipientis: & merito; nam lectio ſimiliū librorum inhibetur in ordine ad perceptionē, quæ eſt veluti cōplementū lectionis, & eius vltimum perfectiuum; & ideo perceptione ablata, legens ſi non intelligat quæ legit, non incurrit cenſuram, vt probabilior vult opinio apud *Sanchez in decal. lib. 2. cap. 10. n. 51. Suarez diſp. 20 cit. ſec. 2. n. 15. Dianam par. 1. tract. 11 reſol. 36.* quod ſignū eſt, lectionem hanc non eſſe per ſe prohibitam, niſi in ordine ad perceptionem, ſeu intelligentiam rerum, quæ leguntur; & conſequenter materialiter ſe habere reſpectu perceptionis; ergo iubens dicitur legere in ſenſu comprehenſo ſub prohibitione, quæ erat vltima conſequentia probanda, & deducta ex vltimo antecedente; quo probato, remanet manifeſtum primum, & principale illud antecedens, in quo dicebatur, quod inducens alium ad legendum in hunc finem, vt ipſe inducens audiat, dicatur legere in ſenſu intento per legem prohibentem: & quamuis in hac locatione aliqua iuriſfictio immiſceatur, quæ in pœnalibus non videtur admittenda, quia verba ſunt explicanda in ſenſu proprio, & reali, non autem ficto, & ideo in caſu noſtro legens ſumi debeat pro illo, qui, verè, & phyſicè legit, & non pro illo, qui legit per alium; nihilominus iuriſfictio nō eſt ſemper in pœnalibus abijcienda;

nam

nam aliquando eſt neceſſario admittēda, vt docent plures Canoniſtæ, quos citat, & ſequitur *Suarez lib. 6. de legib. cap. 2. num. 7.* videlicet, quando iuriſdictione non admiſſa, intentio legiſlatoris ſuo fine fruſtraretur, & lex redderetur illuſoria, & vana; & hoc accideret in caſu noſtro, ſi nomine legentis non intelligeretur etiam ille, qui legit per alium, tanquam per ſuum inſtrumentum; nam poſſet quis impunè legere omnes libros hæreticorū mediante aliquo, & percipere omnia, quæ in libris illis continentur, & imbui eorumdem hæreticorum erroribus; ad quod inconueniens euitandum lex prædicta prohibet horum librorum lectionē; debent igitur verba huius legis accipi in ea ſignificatione, quæ eſt ſecundum intentionem legiſlatoris, & ſic nomine legentis intelligi tum illum, qui per ſe, & immediate legit, tum etiam illum, qui legit per alium, vt audiat, &c. alitèr, vt dixi, illuſoria eſſet lex iſta; quia vnuſquiſque poſſet, & minori defatigatione per alium omnes hos libros legere. Neque valet dicere, legem hanc prohibentē non reddi vanam, quia haberet effectum in eo, qui per ſe immediatè legit. Contra enim eſt, quia poſſet quis in fraudem legis aſſumere aliquem ad legendum, qui legens idioma non intelligeret; ille enim talis, vt ſupra diximus, ſub hac lege nō comprehēditur; & ita ille alius audiens poſſet hoc pacto omnes libros prohibitos legere; vnde lex nullum haberet effectum, & ſine intento fruſtraretur.

52 Dices: ſi doctrina prædicta eſſet vera, quatenus aſſerit, completiuum, & perfectiuum lectionis eſſe perceptionem, ſequeretur, quòd inducens alium ad memoriter recitandum, quæ in libro prohibito habentur, ita vt ipſe inducens audiat, & percipiat, incurreret in cenſurā, quia poneret completiuū lectionis; hoc autē communiter negant Auctores, quos laudat *Sanchez cap. 10. cit. num 47. Suarez diſp. illa 20 ſect. 2. num. 18 Duardus in bullam cœnæ lib. 2. can. 1. quæſt. 48. n. 10. & alij.*

Reſpondeo negando ſequelam, quia recitare, vt ſic, non eſt legere, neque propriè, neque fictè; legere autem eſt oculis perſpicere characteres ſcriptos, vt inquit *Iuriſconſultus L. 1. §. legi ff. de his quæ in teſtam* & notat *Rebuf. in L. Mulieris ff. de verb. & rer ſignif. §. res abeſſe. pag. mihi 76. in fine.* & merito; quia nomine lectionis intelligitur actus quidē externus quo characteres, ſeu ſigna ſcripta oculis vſurpantur; recitatio vero nullo pacto nuncupari poteſt lectio; quia non fit medio ante oculorum proſpectu; ac proinde, cū in hac bulla prohibeatur lectio, verba non ſunt extendenda ad recitationem, quæ ſub nulla ſignificatione ſiue propria, ſiue impropria venit nomine lectionis; & quamuis neque auditio ſignificari poſſit per lectionem, & conſequenter audiens non afficietur hac cenſura, quia non dicitur legere; attamen non ratione puræ auditionis, vt ſic, audiens dicitur legere in caſu noſtro, ſed quatenus facit vnum cum illo, qui legit, vt inſtrumentum ipſius audiētis, modo explicato; & ideo auditio, & perceptio prohibentur, quatenus faciunt vnum cum lectione, & indiuiſibiliter ſumuntur; & vt ſic, lectio, qua alius legit, moraliter adſcribitur audienti, cuius inſtrumentum, vt dixi, eſt ille, qui phyſicè legit. Vlterius addo, quod licet audiens, & percipiens ſenſum verborum, quæ ab alio memoriter recitantur, poſſit conſtitui in periculo labendi in errores hæreticorum; nihilominus, cū perrarò contingat, vt quis memoriter habeat partem aliquā notabilem eorum, quæ in his libris continentur, & è contra facillimè, & frequentiſſimè homines legere queant, ac ſoleant notabilē partem, inde eſt, vt Pontifex noluerit legem hanc extendere ad caſum recitationis. Hæc autē omnia melius confirmabuntur, ſoluendo rationes, quibus aduerſarij ſuas probant ſententias.

Ad primum autem argumentum ſoluendum, quo Suarez ſuam ſententiā probat, nonnulla ſunt animaduertēda; primo ſermonem eſſe de lectione, prout eſt apta denominare legentem, illum, qui audit, & ideo lectionem ſub hac ratione moraliter eſſe ſumendam; nam, ſi phyſicè loquamur, lectio non denominat, niſi dumtaxat illum, vel qui verba profert perſpiciendo characteres ſcriptos, vel ſi non profert, oculis percurrit characteres; vtroque enim modo eſt vera, & propria lectio denominans ipſum, à quo procedit, quamuis nemo ſit, qui audiat: & in hoc ſenſu locutos fuiſſe Suarez, & alios Auctores primæ ſententiæ, vt certum & de ſe euidens, omnino ſupponi debet. 53

Secundo eſt animaduertendum, quod, vt audiēs dicatur moraliter legere, oportet, vt lectio etiam moraliter concipiatur

nua

tur

tur, tanquam forma actu afficiens ipſum audientem; ſicuti, vt phyſicè aliquis denominetur legere, neceſſe eſt, vt lectio, veluti forma, phyſicè inhæreat in ipſo, qui denominandus eſt legẽs; quomodocũq; autẽ lectio ſumatur, vt denominet, debet complete exiſtere, & in genere moris cẽſetur cõpleta, quãdo eſt prolatio ex parte vnius phyſicè legentis, & perceptio ex parte audientis, eo modo, quo mox declarabitur: & in hoc aſſentior doctrinæ *P. Suarez* aſſerentis, lectionem, pro vt de illa loquimur, nempè moraliter, conſtare ex prolatione, & perceptione; & ideo alterutra ex his deficiente, non erit lectio moraliter denominans audiẽtem: hæc autem in ſentẽtia, etiam aduerſariorum, negari nequeunt.

Tertio, quòd magis facit ad rem, & controuerti poterit; eſt modus, quo prædicta duo ſe habere debeant, ad hoc vt cõſtituant lectionem in genere moris aptam denominare audientem; & aio, non eſſe illa duo ſumenda quomodocumque, ſed inuicẽ connexa, ita vt vtraque attribui poſſint ipſi audienti, & de perceptione non eſt difficultas, quia tota ſe tenet ex parte ipſius audientis, cũ ſit actus ab ipſomet audiente elicitus: difficultas autem eſt de prolatione, quam volo, talem eſſe, vt dicatur fieri ab ipſo audiente: quod euenit, quando alius legit, & profert, vt inſtrumentum ipſius audientis; & ideo, vt ſupra oſtendimus, ad hanc denominationem non eſt ſatis haberi hæc duo ſine prædicta cõnexione, vt vult Suarez exiſtimans, ſatis eſſe dari prolationẽ,
53 cui tãquam complementum lectionis addatur perceptio ex parte audientis, etiã ſi audiens nullum habeat influxum in prolationem; hoc enim non placet, quia prolatio hoc modo nõ adſcriberetur audienti, & per conſequens neque lectio, cuius pars eſſentialis eſt ipſa prolatio, in ſententia ipſius Suarij: debet igitur prolatio dependere tãquam effectus moralis ab ipſomet audiente, & tunc lectio moraliter erit apta denominare ipſum audientem. His omnibus præhabitis, reſpondeo ad argumentũ Suarij, diſtinguẽdo antecedens, nempè, lectionem haud conſtare ex prolatione, & perceptione, vt dependentibus ab ipſo audiente eo modo, quo explicuimus, concedo antecedens; nego autem illud, ſi prolatio nõ ſit dependens ab audiente; & hãc ſolutionem ſuperius aſſignatam, & eadem

modo diſtinguo vltimum conſequens; propterea priori modo ſi intelligatur cõſequentia, illam concedo; in poſteriori autem modo, vt de facto intelligitur ab aduerſarijs, illam nego.

Ad ſecũdum concedo, non minus capacem eſſe diſciplinæ ſenſum auditus, quã ſit ſenſus viſus; ex hoc tamen nil inferri poteſt, quod probet, eum, qui ſolum audit alium, qui legit librum prohibitum, & nullum habet influxum in prolationem, incurrere in cenſuram contra legentes libros prohibitos; & hoc ob rationes dictas: quod verò dicitur de periculo, cui videtur exponi audiens lectionem talium librorum, quod periculum effugiendum fuit finis, quem habuit legiſlator, nil obſtat; quia, ſi quis audiat memoriter recitantem errores hæreticorum, quos prius legerat, in hoc caſu idem viget periculũ; & tamen neque recitans, neque audiens incurrit cenſurã, vt expreſsè docẽt aliqui ex aduerſarijs, nempè Vgolinus, & Duardus locis citatis; nã recitare non eſt legere: ad incurrendas autem pœnas impoſitas requiritur actio illa, de qua loquitur lex; hæc autem actio eſt legere, ſiue phyſicè, ſiue moraliter, eo modo, quo declaratũ eſt: noluit tamen per has leges Pontifex prohibere omnem actionem, cui ſubeſt periculum labendi in errorem, ſed ſolum illam, quæ frequentiùs, & facilius accidit, qualis eſt lectio, vt in probatione meæ ſententiæ, ſoluendo inſtantiam cõtrariam ſufficienter expoſui; recitatio autem cum ſupponat laborem aliquem, qui reperitur in illa praui actione, qua legẽs memoriæ mandat ea, quę legit, idcircò non eſt ita frequens ratione difficultatis.

Progredior nunc ad diluendam rationem fundamentalem pro tertia ſententia, quæ aſſerit, audicãtes, etiam ſi induxerint alium ad legendum, non incurrere in cenſuram; quia in pœnalibus debemus 54
verba legis ſtrictè interpretari, cum ſint odioſa; & ideò cum cenſura hęc ſit impoſita contra legentes, & non contra mandantes, vel ſuadentes, non debet ſub hac lege comprehendi audiens, quamuis alium induxerit ad legendum. Ad hanc autem rationem infringẽdam, reſpondeo 55
pri nò, poſſe forſitan ſuſtineri, legem hãc non eſſe odioſam, ſed fauorabilem, vt probat *Suarez* contra *Sanchez ſect.* 11. *cit. num.* 10. quia, licet pœnam iniungat, nihilominus, cum principaliter ſit edita in fauorem fidei, & fidelium defenſionẽ,

nō eſt cenſenda odioſa; & ideò eius verba potius ſunt amplianda, quam limitanda. Reſpondeo ſecundo quòd, quamuis daretur, legem hanc eſſe odioſam ratione pœnæ, quam continet; ſub nomine tamen legentis comprehendi debet tum ille, qui phyſicè legit, tum ille, qui ſolum moraliter dicitur legere: & ratio fundamentalis ea eſt, quam ſuperius poſui, nēpè in pœnalibus verba eſſe extendenda etiam ad ſignificatum improprium, quādo extenſione non facta lex redderetur illuſoria, vt expreſsè ſtatuitur *in cap. Si ciuitas. de ſententia excomm in 6.* loquēdo de interdicto, quo ciuitas interdicitur, vbi *Pontifex* animaduertit, quod, quamuis nomine ciuitatis, iuxta propriā ſignificationem, veniant ędificia murorum ambitu terminata, & non ſuburbia; nihilominus, ne interdictū vilipendatur, eſt facienda latior interpretatio, ampliādo nomē ciuitatis ad ipſa ſuburbia: & meritò; ne lex imponens interdictū illuſoria reddatur: & hoc ipsū confirmant cōmuniter ibi ſcribētes, & alij; & tū lex iſta interdicti eſt pœnalis: & ideò in caſu noſtro lex imponens cenſurā excōmunicationis cōtra legentes libros prohibitos, inutilis, & vana redderetur, ſi nomine legentis reſtringeretur ſolū ad eum, qui propriè, & phyſicè legit, & non ampliaretur ad eum, qui dicitur moraliter legere, vt in præcedentibus demonſtraui.

CAPVT IX.

Alloquens monialem alio mediante, an cenſeatur illam per ſe ipſum alloqui, & pœnas in iure poſitas incurrere?

55 SVpponit præſens quæſtio vniuerſalem prohibitionem loquendi cum monialibus, quę non ſolum habetur in iure cōmuni, videlicet *in Cap. Periculoſo de ſtatu Regul. in 6. & cap. Monaſteria de vita, & honeſt. Cleric.* ſed etiam in alijs iuribus, & decretis editis à ſacra Congregatione iuſſu diuerſorum Pontificum, quę referuntur ab *Aſcanio Tamburino de iure Abbatiſſ. & monialium. diſp. 25. quæſito 1. & 4. & à Bonacina tr. de clauſura quæſt. 3. pu. 2. 3. & 4. Lezana in ſumma quæſt. reg. verbo. moniales. à nu. 18.* & in eiſdem iuribus variæ imponuntur pœnæ contra tranſgreſſores: quæ quidē omnia in præſentia ſupponi debent in hac quęſtione, quam declaro, ita caſum formando. Sit v. g. Titius, ſiue laicus, ſiue clericus, aut regularis, accedens ad monaſterium monialium, & nulla habita licētia, nullaque exiſtente neceſſitate in caſibus à iure permiſſis, loquatur cum alio, nempè cum Sorte, & monialis ſit pręſens & audiat Titium cum *Sorte* loquentem, ſed ipſa monialis nihil reſpondeat: quæritur, num in caſu iſto Titius perindè ſe habeat, ac ſi per ſe ipſum immediatè cū moniali loqueretur?

Prima ſententia ea eſt, quam docet *Marcus Vidal in arca vitali moralis theologiæ. tit. de monialibus. Inquiſ. 4. nu. 25.* videlicet in caſu poſito non fieri contra prohibitionem, ſi monialis nil reſpondeat, ſed tantum audiat; & huic ſententiæ videtur adhærere *Pellizarius tract. de Moniali cap. 5. ſect. 3. quæſito. 17. num 217.* Probant ſentētiam hanc ex eo, quod in decreto S. Congregationis cenſura lata eſt contra colloquentes cum Monialibus, & non contra loquentes; quando autem aliquis loquitur, Moniali non reſpondente, nequit dici colloqui; nam collocutio ſignificat locutionem ex parte vtriuſque, & cū prohibitio habens pœnam annexam ſit odioſa, idcirco eius verba ſtrictè ſunt interpretanda, & conſequenter nomine collocutionis intelligi debet reciproca locutio.

Secunda ſententia affirmat hunc talē incurrere in cēſuram, aliaſque pœnas impoſitas, contra colloquentes. *ita Graff. in cōſil. tom. 1. de ſenten excom conſil. 22. n. 15. 21. Merolla in theol. moral tom 1. diſp. 2. cap. 2 num. 589. Diana par. 2. tract. 2. reſol. 48. initio. & par. 10. tract. 14 reſol. 49. Ver. ſed ego, & alij*; & ratio, qua ducuntur eſt euerſio fundamenti oppoſitæ ſententiæ, quæ nititur in verbo illo, *colloqui*, quod importat ſimul loqui: hanc autē rationem reiiciunt *Auctores* huius ſecūdæ opinionis, vſurpantes verba illa, colloqui, & alloqui, ſeu, loqui, tanquam ſynonima, & idem ſignificantia: & licet ſpectando proprium ſignificatum ſint diuerſa; nihilominus cōmunis vſus loquēdi idem importat: communis autem vſus eſt præferendus proprio, & verbali ſignificato, vt expreſſè habetur *in L. Labeo ff. de ſupellec. lega. & docent ibi ſcribentes, & plures alij Canoniſtæ*; ideoque dum prohibetur collocutio cum 87

Hhh Mo-

Monialibus, cenſeri debet prohibita ſimplex locutio: & quamuis detur, legem hanc, quatenus annexam habet cenſurã, eſſe pœnalem, & verba eſſe reſtringẽda, hoc tamen nõ obſtante verba, vt ipſi aiunt, explicari debent ſecundũ vſitatam ſignificationem. Confirmat hanc eamdẽ opinionem *P. Diana par.* 10. *rſol citata.* animaduertens in ſecundo decreto, quod tempore Vrbano VIII. emanauit à Sacra Congregatione, loco illius verbi, colloqui appoſitum fuiſſe verbum, alloqui, quod ſignum eſt, Sacram Congregationẽ indifferenter, & vt ſynonimis vſam fuiſſe illis vocibus: vnde ait, non ſolum cenſẽdam eſſe prohibitam collocutionẽ, verũ etiam locutionem ex parte vnius; licet monialis non reſpondeat: quin addunt iidem Auctores, quòd ſi prohibitio non intelligeretur hoc pacto, lex redderetur inutilis, & fruſtaretur mens legiſlatoris, quia aperietur via, qua paſſim poſſent omnes laici, & regulares accedere ad Monaſteria, & alloqui cum Monialibus, parum curantes, ſi ipſæ nequaquã reſpõdeant. He ſunt ſententiæ, quas apud Auctores reperio: quid autem ipſe ſentiã, ſequentibus concluſionibus aperiam.

57 Dicendum eſt primo, ſi quis abſque licentia cum moniali loquatur per aliũ. V. g. ſi *Petrus* cum *Paulo* colloquatur ea intentione, vt cum *Paulo* colloquentem, monialis, quæ præſens adeſt audiat, & intelligat, certum eſſe, eum ita loquentem, affici cẽſuris, & pœnis per legem poſitis; verè enim, & abſque fictione diceretur loqui cum moniali; probatur, quia, loqui propriiſſimè nil aliud eſt, niſi vocibus exprimere internos mẽtis conceptus; & loqui cũ tali, vel tali determinata perſona eſt dirigere ad illam voces externas, vt percipiat conceptus interiores ipſius loquentis medijs vocibus expreſſos; Petrus autem in caſu iſto ita ſe gerit; ergo dicere rationabiliter debemus, loqutionẽ prędictam eſſe contra legem, & eſſe grauem culpam; niſi paruitas materiæ quoad temporis breuitatem, & verborum paucitatem excuſet ipſum Petrum à culpa graui.

58 Dicendum eſt ſecundo, ſi Petrus alloquatur per alium, ſed tali idiomate, vt monialis audiens, illud non intelligat, non transgreditur decretum *Sacrę* Congregationis, aut aliam ſimilem legem, per quam allocutio cũ monialibus prohibetur. ita *Pelliza. cap.* 5. *cit. ſect.* 5. *quæſito.* 16 *n* 216 *Merolla cap.* 2. *cit. n* 608. *Diana par.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 49. *Ver. ſed hic obiter. Vidal. in arca theol. moral. tit. de monial. inquiſ.* 4. *n.* 94. qui ſententiam hanc probant à pari; nam ſicuti legens librum ab hæretico compoſitum ea lingua editum, vt ipſe legens eam non intelligat non incurrit in cenſuram latam contra legentes huiuſmodi libros, vt quæſtione præcedẽti adnotaui; ita à pari, ſi monialis audiens Petrum alloquentem, illum non intelligat, perinde eſt, ac ſi Petrus cũ ipſa moniali non alloquatur, quia ceſſat adæquatus finis loquutionis cõſiſtens in hoc, vt audiens percipiat internos conceptus alloquentis, qui ſanè percipi nequeunt idiomate non intellecto.

Si autem eo tempore, quo Petrus cũ 59
Paulo loquitur, ſit præſens monialis, audiens quidem verba, ſed idoma nõ intelligens, poſtea verò Paulus eidem moniali ſenſũ verborum declaret, eſt controuerſia inter Auctores, an in tali caſu dici poſſit Petrus monialem alloqui, & conſequenter incidere in pœnas poſitas cõtra loquentes cum monialibus. Partem affirmatiuam tuetur *Graff de caſibus reſeruatis lib.* 2 *cap.* 5. *n.* 34 *Lezana in quæſt. regul. tom.* 4 *verbo moniales. n.* 20. *circa medium. Merolla loco cit. num.* 595. Sed partem negatiuam ſuſtinet *Diana par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 48. *notando* 4. & *par.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 49. *ver. Sed hic obiter. Pellizzarius ſect.* 5. *cit. quæſito* 15. *num* 215. Mihi autẽ videtur hoc pacto eſſe diſtinguendum: Si *Petrus* alloqueretur Paulũ tali intentione, vt Paulus poſtea explicet moniali, quę erat præſens, verba prolata ab ipſo *Petro* præſente, tunc cenſeo, Petrum eſſe legis trãſgreſſorem, pœnaſque incurrere; quia exiſtimatur, ac ſi per ſe ipſum immediatè loquatur cũ moniali, quod probari poteſt à pari; nã ſicuti ille, qui per interpretem ſacramentaliter cõfitetur præſenti Cõfeſſario, audienti verba, ſed non intelligenti idioma, cẽſetur loqui cum ipſo Confeſſario, ſic & in caſu noſtro: & in hoc ſenſu accepta controuerſia conuenio cum Auctoribus primæ ſententię; ſed ſi *Petrus* loquatur cum Paulo, non tamen ea intentione, vt moniali præſenti declaret verba, tunc quãuis Paulus poſtea ex ſuo placito verba moniali exponeret, non diceretur Petrus loqui cum moniali; & in hoc aſſentior Auctoribus ſecundæ opinionis: Ratio autem eſt, quia in tali caſu Petrus, vt ſuppo-

po:

ponitur immediatè cum moniali non loquitur, neque loquitur per alium ſibi ſubſtitutum; nam Paulus loquitur cum moniali declarans verba Petri ex ſuo placito, & non vt miniſter Petri. Hinc addo, quod, quamuis loquatur cum Paulo in hunc finem, vt poſtea Paulus, ipſo Petro abſente, ſenſus verborum declaret moniali, non cenſebitur Petrus operari contra legem, quæ locutionem prohibet, quia in tali caſu Paulus ſe habebit, vt nuntius ipſius Petri; & loqui cum monialibus per nuntium non eſt in prædictis conſtitutionibus inhibitum; & hanc ſententiam ſequitur *Aſcanius Tamburinus de iure Abbatiſſarum diſp. 23. quæſt. 8. § ad primum Diana par. 3. reſol. 48. notando 2. Pellizzarius ſect. 5. cit. quæſito 45. n. 115.* Aduerto tamen, Paulum poſſe cum moniali illa colloqui, vel quia eſt eius Confeſſarius, vel conſanguineus in primo, aut ſecundo gradu, & licētiam habuit ab Ordinario iuxtà declarationem S. Congregationis concedentis, vt conſanguinei in aliquo gradu ex prædictis loqui poſſint cum monialibus quatuor vicibus quolibet anno, nonnullis adhibitis conditionibus, & limitationibus in eo decreto contentis; & ideo ſuppono licitā eſſe hic, & nunc locutionem reſpectu Pauli; nā ſi abſque licētia alloqueretur, faceret cōtra legem, & incideret in pœnas impoſitas; ſicuti etiam Petrus grauiter cooperando, aut inducendo Paulum ad loquendum.

60 Dicendum eſt tertio, Qui per ſigna, ſeu nutus moniali ſuos internos conceptus manifeſtat, cenſetur alloqui cum illa, & irretiri pœnis à lege poſitis. ita *Graff. loco cit. num. 34 Merolla cap. 2 cit. diff. 3. n. 391. Diana par. 3. reſol. 48. vbi ſupra notando 2 Ioſeph de Ianuario de caſibus reſeru. reſol. 34. num 49 Pellizarius ſect. illa 5. num. 115. in fine.* eſt cōtra aliquos recentiores, quos tacito nomine laudāt Merolla, & Diana; ſed efficaciter probatur concluſio; quia locutio non exigit eſſentialiter fieri per voces, ſed poteſt fieri etiam per nutus, & ſigna, quæ ſunt inſtituta ad ſignificandos internos conceptus; & ideo Angeli inter ſe verè, & propriè loquuntur, vt docent Patres, & Theologi, iuxtà illud Diui Pauli prima ad Corint. cap. 13. dicentis [Si linguis hominū loquar, & Angelorum] & tamen locutio Angelica non conſiſtit in verbis vocalibus.

Sed Obijcies; qui ſcribit epiſtolam ad monialem, non cenſetur operari contra legem hanc; quamuis reū eſſectu monialis epiſtolam illam recipiat, & legat; & tamen ſcribens per epiſtolam manifeſtat moniali ſuos internos conceptus; ergo loqui per nutus aptos ad aperiendos cōceptus mentis non erit contra legem. 61

Antecedens à pluribus admittitur, quos laudat *Diana reſolutione illa 49. cit. in 3. notando*; conſequentia autem probatur; quia non minus characteres ſcripti ſignificant internos conceptus, quam nutus; nam, & illi, & iſti ad placitum, ex hominū inſtitutione ſignificant. Et cōfirmatur concluſio argumento deducto ex prohibitione, qua fidelibus interdicitur communicare cum excommunicatis non toleratis; prohibetur enim fidelibus non ſolum loqui per ſe ipſos cum excommunicatis; ſed etiam per nuntium, vel per litteras, vt expreſſè docet *Gloſſ. in cap. conſtitutionem, verbo Participatione de ſent. ēt excomm. in 6. & Gloſ. in Clement. vltima. verbo litteris. eod. tit. & alibi*; ergo, cum prohibeatur communicare cū monialibus, intelligi etiam debet prohiberi quamcumque manifeſtationem, ſiue fiat per verā locutionem vocalem, ſiue per nutus, ſiue per litteras; & ſi hæc non eſt prohibita, neque debet eſſe illa, quæ fit per nutus, & ſigna; cum ſit eadē paritas.

Reſpondeo, ſcriptionem hanc duplici modo contingere poſſe; primò, ſi fiat præſente moniali, cui ſcribens conſignet ſcriptum, in quo ſuos conceptus aperit ipſi moniali recipienti, & legenti ſcriptū, illudque intelligenti. Secundo modo fieri poterit, ſi quis abſente moniali, ad illā ſcriptum mittat. Si priori modo caſus cōtingat, reſpondeo, eamdem eſſe rationē de nutibus, & de ſcriptione, vt rectè probat argumentum; & ideò ſcribens incurrit pœnas impoſitas contra alloquentes; Si autem poſteriori modo figuretur caſus, nego paritatem; quia ſcribere, vt ſic, niſi alia circumſtantia veſtiatur, non eſt loqui, neque propriè, neque iuriſfictione; loquor autem ſiſtēdo in iure communi, in quo prohibetur locutio, & nō ſcriptio propriè dicta; nam, ſi in aliquo loco ſit lex prohibens ſcribere, & mittere litteras ad moniales, vt de facto in quibuſdam diœceſibus prohibetur, tunc certum erit, quod ſcribens, & mittens litteras tranſgrederetur legem; non quia ſcriptio, vt

ſic ſit locutio, ſed quia ipſa ſecundum ſe, & vt cōtradiſtincta à locutione eſſet prohibita. Ad argumentum autem adhibita prædicta diſtinctione in antecedente, neganda eſt conſequentia.

61 Verum ſi quis vlterius inſtabit, probando eamdem videri paritatem inter nutus & inter ſcriptionem etiā poſteriori modo euenientem, quia finis, quem habuit legiſlator condens legem hanc, locum habet tum in nutibus, tum in litteris; in vtriſque enim manifeſtantur interni cōceptus; & ideò non eſt ratio, cur potius vnum, quàm aliud intelligatur ſub lege comprehenſum.

Reſpondeo, licet arguenti concedam, finem huius prohibitionis æque militare in vtroque caſu; nihilominus, quia lex dependet à voluntate legiſlatoris, poterit legiſlator condens legem potius vnum caſum, quàm alium attendere ob aliquem extrinſecum reſpectum, ſeu accidentalē circumſtantiam; quamuis in ordine ad finem legis eadē videatur ratio; vt multis exemplis oſtendi ſuperius, declarando Regulam 15. *Odia ſunt reſtringenda, &c. quæſt.* 4. *&* 5. per totam; & quæ ibi dicuntur ad hoc punctum ſpectantia ſūt omnino videnda.

Reſpondeo ſecundò, negando, eamdē eſſe rationem de nutibus, & ſcriptione accepta in ſecundo caſu: vt autem diſcrimen meliùs appareat, ſupponendus eſt finis, ob quem Summi Pōtifices ducti ſunt ad varias condendas conſtitutiones, per quas prohibuerunt alloquutiones prædictas cum monialibus: finis autem fuit ad vitandas collocutiones, per quas ipſæ moniales diuerterentur a diuinis officijs, & tempus inutiliter conſumerent, & interdum ad peccatum allicerentur; vt rectè notat *Barboſa de officio, & poteſtate Epiſcopi, part.* 2. *allegat.* 102. *num.* 81. longè autem faciliùs inconuenientia hæc, & ſimilia contingere poſſunt in priuatis colloquijs, quā in litterarū miſſione; ſicuti etiam, ſi quis intenderet ad turpē amorē allicere monialē aliquā, facilius ad id perpetrandum eam induceret colloquendo priuatim, quam ſcribendo; retraheretur enim fortaſſe à ſcriptione, timens periculum, ne ſcriptum huiuſmodi continens obſcœna deperdatur; vel alia occaſione inueniatur ab alio: hoc verò periculum ceſſat, ſi obſcœna in verbis tantum conſiſtant: non eſt igitur eadem ratio de ſcriptura miſſa ad monialem, ac de nutibus, & ſignis, quæ quantùm ad hoc æquiualent verbis.

Ad confirmationem autem principalis argumēti nego paritatem inter excommunicatos non toleratos, & moniales; quia lex prohibet participationem habendam cū excommunicatis, & non ſolam allocutionem, vt patet in illis iuribus citatis; participatio enim eſt quid vniuerſalius, & ſub ſe comprehendit locutionem ſiuè per ſe, ſiue per alium, nempe per nūtium, & etiam miſſionem litterarum, quas ſcribere nequimus excomunicatis nō toleratis; quoad moniales verò non omnis, ſed ſolùs determinata participatio prohibetur, nempè allocutio, ſiue propria, quę fit per verba vocalia, ſiue illa, quæ eſt æquiualens, vt per nutus, & ſigna; ſub ſignis autem comprehendimus ſcripturā, quæ datur moniali præſenti, eamque legenti ab ipſomet ſcribente, vt ſupra declarauimus.

C A P V T X.

An ille, cui per literas Apoſtolicas commiſſum fuit, vt prævio examine habilitatem alicuius inquireret, validè poſſit munus examinādi per alium ob- ire.

63 NOn in vna tantum materia, ſed in pluribus, & diuerſis preſens quęſitū locum habere poteſt, videlicèt in collatione beneficiorū, & officiorum; in diſpenſationibus, & præſertim ad ineundum matrimonium vi reſcripti Pontificij; & demū in varijs delegationibus ad multiplices materias ſpectantibus: proinde quæ exagitabuntur, & decidentur in vno caſu gratia exempli poſito, eadem erunt alijs caſibus applicanda, & ſi aliqua interuenerit diuerſitas ratione materiæ, declarabitur. Formo igitur caſum ſic. Vacat beneficium curatum, & prouiſio pertineat ad *Papam*, & ideo committat Pontifex per litteras Apoſtolicas Archiepiſcopo *Panormitano*, in cuius diœceſi reperitur beneficium, vel eius Generali Vicario, vt præuio examine inquirat, an Petrus ſufficientē habeat doctrinam, iuxta qualitatem Beneficij; & ſi illum idoneum inuenerit, conferat eidem ipſum beneficium: quæritur, an delegatus iſte poſſit validè ſubdelegare alteri munus examinandi Petrum, & de eius-

eiuſdem habilitate fidem habere ſubdelegato?

Pro completa autem ſolutione huius quæſtionis præſupponendũ eſt, in his cõmiſſionibus, ſeu delegationibus attendi poſſe aliqua ex parte materiæ, de qua fit commiſſio; aliqua verò ex parte formæ, ſeu modi, ſub quo fit ipſa commiſſio; & hæc ſunt diſcutienda, vt plenè quæſitum enodetur. Exordior autem à rebus, circa quas delegatio verſatur; & aio, quæ in hac materia committuntur, eſſe in triplici differẽtia. Primò enim eſſe poterit nudum miniſterium, vt conferre beneficium, aut officium, diſpenſare, abſoluere, & ſimilia. Secundò ſunt actus iuriſdictionales, vt capere informationes iuridicè, examinare teſtes, aut Reum, inquirere, & examinare habilitatem illius, cui eſt conferendum, & ſimilia. Tertiò poſſunt hæc copulatiuè delegari; vt ſi committatur inquiſitio veritatis, & ea reperta conferre beneficium, vel diſpenſare, vt aliqui, qui impedimentum habeant, matrimonio coniungantur, &c. & hæc quoad materiam delegationis.

64 Quoad formam verò, ſub qua Põtifex reſcriptum concedit, eſt attendendum, an num talia verba contineat, vt commiſſio cenſeri debeat perſonalis, ſeu reſpiciat determinatam perſonã, cui fit commiſſio; aut è contra nõ ſit tali determinatæ perſonæ affixum? His omnibus præmiſſis, deciſionem quæſtionis aggredior.

Dico Primò, nudum miniſteriũ abſque iuriſdictione alicui explicitè commiſſum, ſubdelegari nõ poſſe. Concluſio hæc, vt iacet, eſt communis, & definita *in cap. fin. § cæterũ de offic. Iud. deleg & ibi ſcribẽtes, Gloſſa ibi in eodem § & verb. commiſſum & præſertim Panorm. n. 6. Felinus notabili 2. & ſequent. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp 27 n. 43 circa medium*, latè *Menochius conſil. 17 tom. 1. à num. 6. Riccius in praxi aurea reſol. 122. num. 3, Merolla in ſua Theologia morali tom 2, diſp 4. cap 6. dub. 34 num. 619. & tom. 3, diſp. 7. cap. 4. dub. 17. initio; & alij* Ratio autẽ quare nudum miniſterium ſubdelegari nequeat, quamuis ab Auctoribus paſſim non aſſignetur; mihi tamen videtur eſſe ea, quã breuiter indicat *Merolla in 2. tom. cap. illo 6. n. 624.* videlicet per commiſſionem nudi miniſterij cẽſeri electam induſtriam perſonæ: & addo, quod in commiſſione nudi miniſterij, ſi nulla ſimul concedatur iuriſdictio, eidem perſonæ ſubdelegari non poterit, quia ſubdelegare importat actum iuriſdictionis, quæ cum non reperiatur, vt ſupponimus, in ipſa perſona electa, conſequenter dicimus, delegatum non poſſe nudum miniſterium ſibi commiſſum alteri committere; & ideo ſe habet tanquam ſimplex, & merus executor, vt ait *Gloſſa ver. illo commiſſum* Limitatur concluſio hæc in eo caſu, quo commiſſio facta fuerit Legato *Sedis Apoſtolicæ*, ob auctoritatem, quam habet, vt expreſſè dicitur in eodem *§ finali*, & docet *Couar. lib. 3. var. reſol. cap. 20. num 5. Molina tract. 5. de iuſt. diſp. 28. n. 3. & alij apud ipſum.* Limitatur, etiam quando poteſtas delegandi nudum miniſterium ſit perpetuò affixa alicui dignitati, vel officio; tunc enim eſſet poteſtas ordinaria, vi cuius fieri poſſit talis delegatio: ita docet *Sãchez* ex multis *lib. 3. de matrim. diſp. 40. num. 14.* & ideo *Epiſcopus* reſpectu rerũ, de quibus ordinariam habet poteſtatem, poteſt nudum miniſterium alteri delegare.

Dico ſecundo, delegatum Principis ſubdelegare poſſe articulum iuriſdictionalem, vt apertè declaratur in *cap. illo fin. §. 1. de offic. Iud. delegati*, & notat *Molina tract. illo 5. diſp. 15. verb. excipitur, & Barboſa in collect. cap. fin. cit. nu* [illegible] 65

Dico tertio eum, qui non fuit delegatus à principe, ſed ab aliquo inferiore nõ poſſe ſubdelegare articulũ, qui iuriſdictionem contineat. ita expreſſè habetur in *L. à Iudice Cod de Iudicijs*, & docent Canoniſtæ, quos laudat, & ſequitur *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 31. num. 10. Merolla tom. 3 diſp. 7. cap. 4. dub. 6.* & ratio eſt, quia, cum talis delegatus delegationem non habeat à iure, ſicuti illam habet delegatus à principe ſupremo, vel delegatus ad vniuerſitatem cauſarum; hinc eſt, vt non habeat aliam poteſtatem præter eam, quæ illi eſt conceſſa ab homine; & ideo cum conceſſa non ſit facultas ſubdelegandi iuriſdictionem, non poterit illam alteri ſubdelegare. 66

*D*ico quarto, huiuſmodi delegatum inferiorem, cui commiſſa eſt aliqua cauſſa continens articulum iuriſdictionalem, & etiam articulum nudi miniſterij, non poſſe priorem articulum, ſed poſteriorem ſubdelegare. ita docet ex multis *Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 31. nu. 10.* Huic ſentẽtiæ videtur contradicere alia, quam ipſe- 67

met

met tuetur *lib. 8 de matr. diſp. 27. nu. 43.* vbi expreſsè inquit, quòd, quando officiali *Epiſcopi* per reſcriptum apoſtolicũ delegatur facultas diſpenſandi in aliquo impedimento matrimonij, ſi preces veritate nitantur, non poſſit ipſe nudũ miniſterium ſubdelegare, benè tamen iuriſdictionem; & ideò poterit ſubdelegare examen precum non autem executionẽ diſpenſationis. In his duobus locis videtur contradictoria ſapientiſſimus vir edocere; fateor imperitiam meam, quæ per multos dies detinuit me laborantem in prædictis ſententijs conciliandis, & plures peruoluentem Auctores; & inter alios occurrit mihi *Franciſcus Merolla*, qui *tom. 3. diſp. 7. cap. 4. dub. 6. num. 52.* docens hoc ipſum, quod tradit Sanchez, poſtea num 57. quamdam ponit limitationem; ait enim, quod, quando dicitur, à delegato ordinarij poſſe ſubdelegari nudum miniſterium, intelligi debet de nudo miniſterio, quod implicitè continetur in cauſſa delegata; non autem de nudo miniſterio explicitè commiſſo: & ponit exemplum, videlicet: Pontifex deleget Vicario Generali alicuius Diœceſis facultatem diſpenſandi in tali impedimento matrimonij; ſi capta informatione inueniat veras fuiſſe preces ipſi Pontifici porrectas, in hoc caſu poterit Vicarius alteri committere informationem teſtium etiam cum delatione iuramenti, quia hic actus eſt iuriſdictionalis, & Vicarius, vt delegatus Principis, poteſt iuriſdictionem ſibi commiſſam ſubdelegare, non autem poterit ſubdelegare actũ diſpenſandi, qui eſt nudum miniſterium explicitè commiſſum; imò ſi eſſet delegatus alicuius Principe inferioris, neque poſſet ſubdelegare iuridicam teſtium receptionem; quamuis poſt receptum iuramentum ſimplicem teſtium examinationem alteri committere poſſit; quia tale examen non eſt actus iuriſdictionis, ſed nudi miniſterij implicitè incluſi in commiſſione informationis capiendæ de veritate precum. ita Merolla, a quo probanda fuiſſet veritas allatæ diſtinctionis; cur ſcilicet nudum miniſterium implicitè incluſum in cauſſa delegata poſſit ſubdelegari; non autem explicitè commiſſum? huius quidem duplicis miniſterij diſcrimen quoad ſubdelegationem non probat, ſed ſupponit ipſe Merolla: alia igitur via eſt incedendum ad vtramque ſententiam conciliandam; qua propter placet aliquantulum digredi pleniùs explicando rationem nudi miniſterij, prout de illo in præſentia loquimur.

BREVIS DIGRESSIO

Quid, & quotuplex ſit nudum miniſterium?

68 VT à nomine exordiar, aio, miniſterium, quamuis plures admittat ſignificationes, vt declarat *Rebuffus in L. cenſoria circa finem. ver. Interdum ff. de verb. ſignif.* nunc tamẽ accipi quatenus importat officium, ſeu operationẽ, quæ voluntate alterius executioni mandatur. Appellatur autem nudum, quando caret qualitate aliqua ſpectante ad illam materiam, circa quam ipſum miniſterium verſatur, quam ſi haberet, diceretur veſtitum, ſeu plenum.

69 Miniſteria verò, ſeu officia, plura, & varia ſunt iuxtà diuerſitatem materiarũ; & pariter plures ſunt qualitates, reſpectu quarum nudum, aut veſtitum miniſteriũ nuncupatur; & ideò interdum accidit, vt in ordine ad vnam materiam miniſteriũ vocetur nudum, quatenus caret qualitate pertinente ad eamdem materiam, & dicatur veſtitum, quatenus eſt affectũ alia qualitate, quæ ſpectat ad diuerſam materiam.

70 Plura miniſteriorum genera proponit, & declarat *Rebuffus in L. Herennius ait. ver. Plenius. ff. de verb. ſignif* poſtquam enim explicauit quid ſignificet dictio illa, *Plenius*, applicata diuerſis rebus, tranſit ad declarandum, quid importet dictio hæc, *Nudum*: aliqua autem ex exemplis ab eodem Auctore allatis aperiam. V. g. pactum dicitur nudum, quando eſt pura promiſſio abſque ſtipulatione, quam ſi haberet, appellaretur veſtitũ: Rurſus beneficium nominatur nudum, ſi conferatur retentis fructibus; & proprietas vocatur nuda, ſi eſt ſine vſu fructu, ſicuti vſus de re aliqua ſine proprietate dicitur nudus, & ita in multis alijs. Deueniendo autem ad rem noſtram, dico, miniſterium in ſubiecta materia appellari nudum, aut veſtitum in ordine ad diſcuſſionem iuridicam cauſſæ delegatæ; ſi enim committatur cauſſa expedienda, & ſimul inquiſitio, quæ præexigitur ad expeditionem, tunc miniſterium conſiſtẽs in executione erit veſtitum, quatenus annexam habet cognitionem legalem cauſ-

cauſſæ, & delegatus, cui cauſſa committitur diceretur non ſimplex, ſed mixtus executor; contra verò, ſi committatur ipſum miniſterium nudum, nempè abſq; cauſæ cognitione, appellaretur merus, & ſimplex executor, vt mox declarabitur. Præterea eſt animaduertendum in re hac nudum non ſemper deſumi in ordine ad carentiam totalis, & omnimodæ iuriſdictionis; quia aliquando ipſum miniſterium formaliter eſt iuriſdictionale; ſed interdum deſumi in ordine ad actus iudiciales in foro externo, quos ipſum miniſterium præexigit ad ſui executionem; licet ipſum ſit formaliter iuriſdictionale: quæ duo, ſi in commiſſione inuicem delegante ſeparentur, in quantum vni delegatur miniſterium, ſeu operationis executio, & alteri inquiſitio iuridica conſiſtens in actibus iuriſdictionalibus, tunc miniſterium, vt ſic delegatum, remaneret nudum, vt multis exemplis oſtenditur. E. g. excommunicare, abſoluere, diſpēſare, prouidere de aliquo officio, aut beneficio, &c. ſunt miniſteria quædam, vt omnes fatentur, & formaliter ſunt actus iuriſdictionales, vt de ſe patet; quæ, ſi alicui committantur exequenda, ita vt ipſi Commiſſario non committatur cognitio cauſæ, nempè inquiſitio cognitionum, quas delegans prærequirit ante exequutionem operis, videlicet, antequā delegatus excommunicet, abſoluat, diſpenſet, &c. tunc huic delegato, diceretur commiſſum nudum miniſterium, & eſſet ſimplex executor, quia ad ipſum nō pertineret iuridica, & legalis cognitio cauſæ. Interdum verò datur miniſteriū, quod non ſit formaliter iuriſdictionale, niſi præſuppoſitiuè, inquantum committitur ab habēte iuriſdictionem illud delegandi. V. g. recipere teſtes ad veritatē aliquam inueſtigandam, eiſque deferre iuramentum eſt formaliſſimè actus iuriſdictionis; ſed interdum poteſt committi ſpoliatum, & denudatum iuriſdictione; vt contingeret ſi Pontifex committeret E. g. Ordinario loci munus diſpenſandi in aliquo impedimento, vt duo matrimonium ineant, & apponat ſolitam clauſulam, videlicet, ſi preces veritate nitantur; Ordinarius verò committat alteri purum examen teſtium, ſeu eorumdem receptionem, etc. tunc purum illud examen, et mera illa teſtium receptio non eſſet actus iuriſdictionalis, ſed nudum miniſterium, vt doceat communiter Doctores, inter quos latè *Farinacius de oppoſit. contra examen teſtium. quaeſt. 77. cap. 3. à num. 153 Cardinalis Zabarella in clement. vnica de off. Iud. deleg. Sanchez lib. 3. de matrim. diſput. 31. cit. nu.* 10. et ex communi Doctorum conſenſu etiam fatetur *Merolla tom. 3. diſp. 7. cap. 4 dub. 6 num. 56. & alij.*

His omnibus præmiſſis in concordiam 71
redigo duas illas ſententias, quæ videntur contradictoriæ, et traduntur à Sanchez, Merolla, et alijs. Dicor igitur in priori loco, vbi Sanchez docet articulū nudi miniſterij ſubdelegari poſſe, manifeſtè loqui de nudo miniſterio ſecundi generis, nempè de illo, quod formaliter non eſt iuriſdictionale, vt eſt ſimplex examen teſtium; in poſteriori verò loco negans nudum miniſterium ſubdelegari poſſe, loquitur de nudo miniſterio prioris generis, ſcilicet de miniſterio iuriſdictionali, cuiuſmodi eſt executio diſpenſationis, quæ ſubdelegari nequit ob rationes aſſignatas; & ſic in illis duabus ſententis nulla inuoluitur contradictio. Multa etiā alia, quæ faciunt ad rem hanc, nempè ad ſubdelegationē, fuſe pertractant *Cardinalis Zabarella & Farinatius locis citatis* apud quos legi poſſunt.

Ex his omnibus decidi poteſt præſens 72
quæſitum; dico igitur, poſſe ab eo, qui eſt delegatus Pōtificis committi alteri iuridicum examē de habilitate alicuius, quod exercetur adhibitis ſolemnitatibus Iuris, & eſt actus iuriſdictionis, quia poteſt Delegatus Principis, vt habemus ex iuribus citatis in ſecunda concluſione ſubdelegare actum iurdictionis; & ideo in hoc caſu aio, verificari regulam, quam in præſentia examinamus, videlicet, *Qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi per ipſum faceret.*

Quæres primo. Si Ordinarius cōmittat 73
alicui v. g. Prælato Religionis, vt examinet Titium Sacerdotem ad fidelium confeſſiones excipiendas, eumque exponat, ſi idoneum inueniat; an Prælatus poſſit alteri examen Titij committere?

Reſpondeo, per ſe loquendo nō poſſe,
quia hæ commiſſiones ſolent fieri eligēdo 74
induſtriam perſonæ, ideoque ſunt perſonales. Dixi per ſe loquendo, nam interdum in delegatione huius poteſtatis apponuntur talia verba, quæ indicant non eſſe electam induſtriam perſonæ, vt delegatus per ſe ipſum immediatè, & non per alium ſibi ſubſtitutum, & bene viſum

in-

Digitized by Google

inquirat, mediante examine, habilitatē Sacerdotis: debemus igitur in ſingulis caſibus diligenter attendere verba commiſſionis.

74 Quæres ſecundo, vtrum ſufficiat ad validè contraheodum matrimonium, ſi Parochus per ſolum interpretem mutuum contrahentium conſenſum intelligat?

Reſpōdeo: de opinione affirmatiua ſe dubitare inquit *Baſilius Pontius lib. 5 de matrim. cap. 12. nu. 10.* & partem oppoſitā probat ex fine, quem habuit Eccleſia ſtatuens, matrimonium eſſe contrahendū coram Parocho, & teſtibus; finis autem fuit, vt Parochus certus redderetur de matrimonio cōtracto; at ſi ipſe Parochus, & teſtes per ſolū interpretē intelligerent quod agitur, neque ipſi, neque Eccleſia certitudinem haberent de matrimonio inito; & ſic pateret aditus ad innumeras lites; nam ſi vnus ex contrahentibus negaret, ſe præbuiſſe conſenſum, & diceret, interpretem fuiſſe mentitum, tunc non eſſet adhibēda fides ipſi interpreti, quamuis iuramento ſuum dictum teſtaretur, quia eſſet vnicus teſtis, & vnius teſtimonio non creditur, vt dicitur *in L. iuriſiurandi C. de Teſtibus.* proſequitur etiam Baſilius hoc ipſum ſuadere alijs Iuribus, varias ex illis deſumens rationes, quæ ſolum tendunt ad probandum, interpretem in hoc caſu non eſſe ſufficientem teſtem, & Parochum ex vi aſſertionis eiuſdem interpretis nō poſſe eſſe certum de conſenſu contrahentiū, & conſequenter neque Eccleſiam certam de valore illius matrimonij. Huic ſententiæ ex parte adhæret *Leander de ſacramentis. tract. 9. diſp. 7. quæſt. 36.* ait enim, non ſufficere, quod Parochus intelligat conſenſum cōtrahentium præcisè per interpretem: & in hoc conuenit cum Baſilio: ſed addit limitationem dicens, valere matrimonium, ſi aſſertioni interpretis addantur à cōtrahentibus aliqua ſigna, quæ moraliter exprimant conſenſum ipſorum contrahentium; quia poſitis his ſignis poteſt Parochus certius fieri de eorumdem contrahentium voluntate.

75 Sed his minimè obſtantibus, abſolutè cenſeo, in caſu prædicto ſufficere præcisè interpretis dictum, per quod teſtificetur conſenſus cōtrahētium, ita *Gloſſa cap. ex litteris 1 verb. intellexerit. de ſponſal. & matrimon. Ioannes Andreas ibi num. 5. Abbas num. 3. Couarr. de Sponſal. par. 2. cap. 4. §. 1. n. 3. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 39. num. 3. Barboſa in collectan. cap. Ex litteris cit. n. 6. Diana par 10. tract. 13. reſol. 17.* & alij antiqui, & recentiores, quos ipſi laudant.

Probatur primo hæc ſententia argumento fundamentali deſumpto ex iure communi, nempe ex *L. 1. § eadem, an alia ff. de verb. oblig.* vbi ſtatuitur, per diuerſitatem linguarum non vitiari ſtipulationem, ſi contrahentes ſe inuicem intelligant, ſiue per ſe, ſiue interpretem, & hoc notatur ibi à Bartolo; ergo etiam hoc valebit in contractione matrimonij; textus n. citatus loquitur vniuerſaliter; & ſufficiens diſparitas aſſignari nequit. Secundo probatur hac ratione: Ad validè ineundum matrimonium ſatis eſt, vt conſenſus eorum, qui contrahunt, fiat manifeſtus, ſiue per ipſos contrahentes immediatè, ſiue per alium: ergo in caſu, de quo agitur, ſatis eſt, vt alter coniux intelligat per verba, aut ſigna conſenſū præſtitum ab altero coniuge; per accidēs enim eſt, talem manifeſtationem fieri per ſe, aut per alium.

Ad rationes autem Baſilij reſpondeo, & dico, ſatis eſſe certitudinem, quam Parochus recipit ex dicto interpretis; neque in hac re requiritur metaphyſica certitudo, ſeu phyſica euidentia; ſicuti neque requiritur, quando medio procuratore celebratur matrimonium, neque quando per interpretem fit confeſſio ſacramentalis; tunc enim Confeſſarius fidē præſtat interpreti declaranti voluntatē, & diſpoſitionem pœnitentis: habita autē morali certitudine, poterit Parochus prudenter teſtificari adfuiſſe conſenſum requiſitum; & in foro externo ſtandum erit aſſertioni Parochi: & ſic inconueniens illud de aditu ad lites, quæ aliquando inſurgerent, eſſet omnino per accidens: & vt benè animaduertit *Sanchez diſp cit. num. 5* ideò in hoc caſu dicto ſolius interpretis eſſet credendum, quia non concurrit, vt teſtis, ſed vt manifeſtator conſenſus, & electus ex communi accordio ipſorum contrahentium. ſic plures apud eumdem Sanchez.

Ad ſententiam, quam cum illa limitatione tuetur *Leander*, reſponſio clarè ex dictis colligitur; nam ſigna illa ſignificātia conſenſum non ſunt neceſſaria ad valorem matrimonij, cum abſque illis ſufficienter per interpretem conſenſus explicetur.

Ex hac ſententia à fortiori colligitur 76

tur

tur, ſatis eſſe ad valorem matrimonij, vt eueniente caſu, in quo *Parochus* (& idem dico de teſtibus) non intelligat coniugũ idioma, eorum conſenſum mediante interprete recipiat. Dixi, id colligi à fortiori cũ *Sanchez loc.cit. & alijs*; quia magis videtur pertinere ad eſſentiam huius Sacramenti, vt ipſimet contrahẽtes intelligant mutuum ipſorum conſenſum, quàm vt intelligatur à Parocho; nã illud prius eſt de *Iure* diuino, & naturali; hoc autem poſterius de *Iure* tantùm Eccleſiaſtico. Hanc etiam ſententiam tuetur *Caſtropalaus tom. 5. de ſponſalibus diſp. 2. p. 9. n. 6. in ſolut. ad primum, & Bauſius in ſelectis quaeſt. 209.* & confirmatur etiam à fortiori; nam in Sacramento pœnitentiæ poteſt confeſſio fieri per interpretem occurrente neceſſitate, vt omnes fatentur; ergo multò magis poterit Parocho manifeſtari conſenſus coniugum per interpretem.

CAPVT XI.

Mandans, aliquem occidi in Eccleſia, ſi ſequatur mors, an cenſeatur illum per ſe ipſum occidiſſe, ideoque ſit eccleſiaſtica immunitate priuandus?

Difficultas, quæ examinanda proponitur, locum præſertim habet ex ſuppoſitione conſtitutionis editæ à Gregorio XIV. de *Eccleſiarum* immunitate, 76 in qua conſtitutione declarat, & excipit Pontifex, nonnullos caſus, in quibus delinquentes poſt patratum delictum confugientes ad Eccleſias, vel ad alia loca ſacra, priuilegio tamen immunitatis nequaquam fruuntur; inter hos autem caſus exceptos ponit homicidium, & mutilationes membrorum, quæ in eiſdem locis committuntur. Hac autem lege præſuppoſita controuertitur apud Doctores, num eadem ſit ratio de mandante, & mandatario; videlicet, an ſicuti mandatarius occidens in Eccleſia priuatur immunitate locali, ita etiam, & mandans? Duas de re hac inuenio ſententias.

77 Prima enim ſuſtinet mandantem non eſſe excludẽdum, ne gaudeat immunitate; quamuis executor, nempè mandatarius illa minimè fruatur. Ita docent nõnulli, vt *Megalius 9. par. lib. 4. cap. 1. quaeſito 2. num. 13. Bonacina de legibus. diſp. 3. quaeſt. 7. §. 4. num. 11. Caſtropalaus tom. 2. tract. 11. diſp. vnica p. 4. n. 17. & ſequ. Diana par. 1. tract. 1. reſol. 10. Lezana in quaeſt. regular. tom. 4. verb.* Immunitas *num. 21. circa medium*, & nouiſſime *Thomas Delbene tract. de immunit. Eccleſiarum tom. 2.* Fundamentalis, & vnica ratio pro hac ſententia eſt; quia caſus exceptus in conſtitutione Gregorij eſt actio ipſa occidendi, quæ propriè loquẽdo eſt à Mandatario; mandans verò non dicitur, niſi fictione iuris, & impropriè occidere; & ideo lex iſta Pontificia ex hac parte, quatenus priuat immunitate, cum ſit pœnalis, comprehendit illũ tantum, qui propriè, & realiter occidit; ſicuti cenſura impoſita contra aliquid facientem, nõ ligat mandantem, niſi in lege exprimatur.

Secunda autem ſententia oppoſitum docet, eamque quãplures Doctores magni nominis, tum ante, tum poſt bullam Gregorij apertè defendunt; vt *Decianus in tract. crimin. lib. 6. cap. 28. num. 7. Remigius de Gonni. in tractatibus tom. 13. par. 1. fallen. 4. in fine; & expreſſius fallent. 7. Farinacius in append. de immun. Eccleſ. cap. 16. num. 230. Ioannes de Henia in curia philippica par. 3. §. 12. nu. 23. Marius Italia de immun. Eccleſiæ. lib. 1. cap. 5. §. 3. nu. 49. Gambacurta in conſtit. Gregorij* XIV. *de immunit. lib. 5. cap. 25. n. 6. Suarez tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 16. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 6.* & id probant, ſumentes argumentum ex hac regula, nempè qui facit per aliũ, &c. & hanc opinionem cogũtur tueri omnes illi, qui à fortiori docent, eſſe hac immunitate priuandum eum, qui exiſtens in *Eccleſia*, mandat homicidiũ committi extra illam; vt *Nauarrus in Enchirid. cap. 29. num. 2. Barboſa de Iure Eccleſ. lib. 2. cap. 3. n. 116. & in collect. cap. fin. de immun. n. 9. Guttierez in quaeſt. pract. lib. 3. quaeſt. 2. à n. 15. Ambroſinus de immun. cap. 5. num. 7. Ioannes Viſcis de Immunitate in tractatibus. tom. 13. pa. 1. n. 6. Duardus in bullam cœnæ lib. 2. canon. 15. quaeſt. 16. nu. 23. Marta de Iuriſdictione par. 2. cap. 31. n. 27. Portellius in dubijs regul. ver. Eccleſiæ immunitas. nu. 15.* & plures, qui ſuſtinent hanc opinionem, ex eo, quod ratione mãdati delictum ſumit initium in ipſa *Eccleſia*. Hæ ſunt ſententiæ de re hac; quænam autem ex illis ſit admittenda, mox aperiam.

Dicendum eſt, hanc ſecundam mihi probabiliorem videri; ducor ad illã amplectendam, non ſolum ob auctoritatem eorum, qui illam tuentur; ſed etiã quia eã- 79

cenſeo iuri canonico, eiuſque principijs conformiorem, vt nũc oſtendam: probatur autem paritate quadam ex alio caſu ſimili; de quo agitur in *cap. Mulieres, §. illi vero de ſenten. excomm.* vbi Alexander III. ſummus Pontifex ſtatuit, quod mandans clericum percutere, ſecuta percuſſione, incidat in excommunicationẽ, ſicuti ipſe, qui realiter clericum percutit; ergo à pari eſt dicendum in præſenti caſu, nempè mandatarium, & mandantem in eamdem pœnam incidere, & vtrumque eſſe immunitate priuandum. Nec aliquis reſpondeat, à diuerſis, & præſertim in pœnalibus, & odioſis, non fieri illationem *L. vltima in fine. ff. de calumniator.* quod etiam animaduertunt Iuriſtæ; proinde cum in re præſenti delicta pateat eſſe diſſimilia, & diuerſa, ex hoc antecedente, nimirum, quod Pontifex ſtatuit, eum, qui mandat percutere Clericum, incidere in eamdem cenſuram excommunicationis, in quam incidit percutiens, nequit inferri, quòd mandans occidi aliquem in *Eccleſia* incurrat in eamdem priuationem immunitatis, in quam mandatarius incurrit: ſi quis, inquam, hoc modo reſpondeat,

80 Contra eſt, quia, licet axioma prædictũ verificetur in ijs, quæ ſunt omnino diuerſa, ita vt ex vno ad aliud nõ valeat illatio; nihilominus, quando ratio legis locum habet in vtroque diuerſo, tunc non obſtante diuerſitate, vtrumque comprehẽditur in lege; ſeu, vt alij dicunt, & in idem recidit, quando eſt non ſola, & pura ſimilitudo, ſed identitas rationis, tunc quod in lege eſt diſpoſitum de vno ex diuerſis, cenſetur diſpoſitum de altero, & extenſio, quæ fit ex vno ad aliud, quãuis in lege non expreſſum, non eſt pura extenſio; ſed comprehenſio, vt ex multis Auctoribus rectè probat *Suarez lib. 6. de legib. cap. 3. n. 16.* & ideo rectè aſſeritur à Iuriſtis, & Canoniſtis, poſita identitate rationis, legem eſſe ampliandam, & extendendam iuxta limites rationis, quæ in ipſamet lege aſſignatur; ita vt comprendantur ſub eadem lege omnes illi caſus, in quibus eadem ratio viget, quamuis hi caſus ſub verbis, quæ habentur in lege, minimè contineantur; quod ſanè procedit etiã in materia odioſa, vt docent *Panorm. cap. fin. n. 10. & ſeq. de reſcript. Molina de primog. lib. 1. cap. 5. n. 10. Gomez 1. var. cap. 5. n. 11. Guttierrez in qu. canon. lib. 1. cap. 10. n. 3. Syluest. verb. lex qu. 10. Couar. in c. alma mater. 2. p. §. 4. n. 7. verſ. ſecundo. Tiraquel tract. ceſſante cauſſa par. 1. n. 158. Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 43. n. 4. Menoch. conſil. 1. n. 10. & 19. Barboſa in collect. Clẽ. 1. ver. eligatur. de elect. Gloſ. ibi. ver. eligant*; applicando autem prædictam doctrinam caſui noſtro, dico, quod mandatum percuſſionis exercendæ in Clericum, & mandatum homicidij patrandi in Eccleſia, licet ſint diuerſa mãdata, & conſequenter diſpoſitio, quæ fit de vno mandato, nõ videatur extẽdenda ad aliud mandatum; attamen, ſi ratio diſpoſitionis, quæ fuit de vno mandato, viget in alio; tunc diſpoſitio cenſebitur comprehendere vtrumque, & ita euenit in caſu noſtro; nam Pontifex declarans, quod mandans percutere clericum incidat in eamdem excommunicationem, in quam incurrit ipſe percutiens, aſſignat rationem quamdam vniuerſalem, inquiens, quod is verè delictum committit, cuius auctoritate, vel mandato delictum committitur; hoc autem axioma non habet veritatem reſtrictam ad hunc caſum ſpecialem, videlicet ad mandatum, quo iubetur percuſſio clerici; ſed habet veritatẽ ſuam reſpectu cuiuſcumque mandati, quo præcipitur quodcũque aliud delictũ; & ideò mandãs occidi aliũ in *Eccleſia* cẽſetur interpretatione iuris ipſã occiſionẽ committere; & conſequenter priuari debet Eccleſię immunitate, ſicut priuatur mandatarius, qui homicidium patrauit.

Et confirmari poterit ſententia hæc ex doctrina, qua Iuriſtę loquentes in vniuerſum de mandante delictum (de quo fusè agit *Decianus in tract. criminali lib. 8. cap. 32. per totum.*) aiunt, quod pœna, quæ iure communi eſt impoſita contra delinquentem, cenſeatur indicta mandanti, vt fusè probat ex varijs Iuribus, & multorum auctoritate *Menochius de arbitr. cent. 4. lib. 2. caſu 353. à num. 1. Carolus de Graſſis tract. de effectibus clerie. effect. 9. num. 16. pag. mihi 368.* Ad hoc autem aſſerendum fundãtur hi Auctores in hac regula, videlicet, Qui facit per alium, &c. quam quidem doctrinam oſtendit *Menochius num. 43. ex Saliceto in L. non ideo minus. num. 16. cap. de accuſat.* vt procedat, etiam ſi ſtatutum loquatur verbis exprimentibus perſonã, quæ delictum committit; puta, ſi dicat, Si quis fecerit, vel ſuis manibus perpetrauerit; tunc enim etiam docet, vadere pœnam ... ad mandatarium, & 81

man-

Digitized by Google

mandantem; & hoc, quia in illis verbis interpretatiuè comprehendi debet mandans, qui eſt cauſa principalis. Huic vniuerſali doctrinæ nonnullas addit limitationes idem Menochius; ſed cum ad rem noſtram non faciant, eas omitto.

81 Sed inſtabis in contrarium, non valere argumentum in pœnalibus à caſu vero ad fictum iurisfictione, vt euenit in re, de qua agitur; nam mandatarius eſt verè, & realiter occiſor in Eccleſia; & mandans dicitur occiſor per quandam iurisfictionē, quatenus ius ipſum fingit, à mandāte patratum fuiſſe homicidium: ergo non rectè quis argumentaretur à mandatario ad mandātem in ordine ad priuationem immunitatis.

Reſpondeo, quòd quamuis in odioſis, & pœnalibus non debeat, vt plurimum fieri extenſio de caſu verò ad fictum; nihilominus regula hæc interdum deficit, vt communiter notāt Doctores, animaduertentes in nonnullis caſibus extenſionem hanc fieri; vnum, aut alterum affero exemplum, & primum ſit illud, quod deſumitur ex æquiparatione; quando enim ius æquiparat caſum fictum caſui vero, tunc fit extenſio de vero ad fictum; ita *Abbas Cap. Ad audientiam num. 2. de cleric. non reſident. Imola ibid. num. 3. Maſcardus de probation. concl. 1141. n. 7. in fine. Gironda de priuil. explicat. nu. 823. & alij* & ideo non obſtante ſtatuto diſponente, quod Canonici, vt lucrentur fructus præbendarum, debeant reſidere in ſua Eccleſia, & eſſe præſentes; nihilominus, ſi duo Canonici ſint abſentes pro ſeruitio Epiſcopi, lucrantur fructus, vt cap. cit. determinatur, quatenus fictione iuris prædicti duo canonici cēſentur præſentes; & in hoc caſu talis abſentia æquiparatur præſentiæ. Alterum exemplum eſt, quando in lege odioſa, in qua eſt ſermo de caſu vero, exprimitur talis ratio diſpoſitionis, quæ militet etiam in caſu ficto, vt contingit, quando diſpoſitio loquens de morte naturali, aſſignat rationem, quæ viget etiam in morte ciuili, quæ appellatur mors fictione iuris; tunc enim
82 vna mors alteri æquiparantur: ita *Menochius conſil. 388. num. 22. Farinacius in fragm. criminal. par. 2. lit. M. num. 368.* & quam plures alij, quos laudat, & ſequitur *Barboſa in ſuis varijs tract. de appellat. verb. 130 num. 3.* & ideò, vbi idē ſtat eadem ratio, fieri poteſt extenſio de morte vera, & naturali ad mortem fictā, & ciuilem.

Confirmatur vlterius hæc eadem ſententia ex quadā congruentia, & naturali æquitate; nam ex contraria ſententia interdum ſequeretur, mandantem fore liberandum, mandatarium vero condemnandum ob idem delictum, quod videtur rectę rationi diſſentaneum; nempè, liberari eum, qui eſt cauſa principalis, & cōdemnari eum, qui eſt cauſa minus principalis, nempè inſtrumentalis: probatur autem id ſequi fingendo hunc caſum. Ponamus, quod ſecuto homicidio in Eccleſia, mandans, & mandatarius ad illam cōfugiant, tunc nequeunt extrahi à Iudice Laico, ſed ab Eccleſiaſtico, iuxta citatā conſtitutionem; cum declarare, an prædicti delinquētes gaudere, nec ne, debeāt immunitate, ſpectet ad Iudicem Eccleſiaſticum; hoc poſito, ſi vera eſſet contraria opinio, Iudex Eccleſiaſticus inhærens conſtitutioni Pontificiæ, deberet declarare, mandatarium non gaudere, & conſequenter conſignandum Iudici laico, à quo ſecundum iura eſſet morte puniendus; contra vero declararet, mandantē eſſet liberādum, vel in loco tuto ponēdum in ſua libertate, non obſtante, quod ipſe mandans plus deliquerit, quā mandatarius; cum non ſolum ipſe deliquerit, ſed aliū quoq; ad delictum committendū induxerit, vt notat *Gloſ. L. Athletas §. cū qui in ſeruitute ff. de his, qui notantur infamia.* & ex Decio, & alijs aſſerit *Menochius caſu cit. num. 4. & 7.* hoc autem videtur inconueniens, & contra rectam rationem. 83

84 Ex his omnibus, quæ hactenus dicta, & examinata ſunt, manifeſtè colligitur ſoliditas huius ſententiæ, & quam ſit principijs iuris conſentanea.

CAPVT XII.

An Clericus, ſi per alium negotietur, perinde ſit, ac per ſe ipſum id faciat, ita vt talis negotiatio ſit iure prohibita?

VT ſtatus quęſtionis, de qua eſt ſermo, percipiatur, ſupponēdum eſt, ſub nomine Clericorū in præsēria à nobis intelligi non ſolum conſtitutos in ſacros, ſed etiā Religioſos, & Beneficiarios, etiam in minoribus; nam de his iura loquuntur, cum negotiationem Clericis prohibent, quamuis de beneficiarijs in minoribus aliqui dubitent, an eis ſit licitum per ſe ipſos im-

immediatè negotiationem exercere. His præhabitis.

84 Prima ſententia eſt eorum, qui aſſerunt, neque per alios Clericis eſſe licitam negotiationem, & in iure prohibente comprehendi etiam hunc caſum. ita ſentiunt *Vgolinus de poteſt. Epiſc cap. 13 § 17. n. 1. Aloyſius Riccius in praxi fori Eccleſ. par. 3. reſol. 205. Megalius in 2. par ſuarum inſtitut. lib. 2. cap. 15 quæſt 157. Lopez del Salcedo in annotat ad praxim criminal. Diaz quæſt. 57 Proſper de Auguſtino in addit ad ſum. Bull ver. Vectigal. § Secū dò amplia. Genuenſis in praxi Epiſc. cap. 62. n. 6.* Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia Clericus exercēs per alios negotiationem videtur eam per ſeipſum exercere; qui enim facit per alium eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum, vt ſtatuitur in hac Regula, & ſupra in *Reg. 67. vbi* quod alicui ſuo nō licet nomine, nec alieno licebit.

Rurſus motiuum, quo iura ducuntur ad interdicendam Clericis negotiationē per ſeipſos immediatè exercendam, eſt ad cohibendam lucri cupiditatem, quæ eſt omnium malorum radix. Hoc autem inconueniens nō euitatur, etiam ſi per alios negotiatio exerceatur; ergo manet motiuum, quod iura habuerunt ad prohibendam Clericis negotiationem; proinde prohibitio extenditur ad caſum noſtrum; nempe ad negotiationē per interpoſitas perſonas.

85 Secūda opinio extremè oppoſita vult, nō prohiberi per ſacros canones negotiationem faciendam à Clericis per mediatas perſonas, ita *Ioannes Medina cum de Reſt. & qu. 30. in explicat ſecunda cauſſæ, ex qua illicita redditur negotiatio. Rebellius de oblig. Iuſt par. 2 lib. 9 quæſt. vltima ſec. 1. n 8. Fernandez de Moure in examine theologico par. 4 cap 5 § 8. n. 6. Valent. in 2. 2. diſp 5. de empt. quæſt. 20. p. 5. ver. addit etiam. Turrianus de Iuſt. & iure diſp. 59. dub. 2. n. 3. Fagundez de cōtract. lib. 5. cap. 12. n. 1. Salas de cōtract. tract. de empt. dub. 2. n. 15.* Fundant hanc ſententiam, quia in iure ſolū negotiatio immediata, & perſonalis interdicitur, cū enim prohibetur, ne Clericus exerceat officium carnificum, ſeu maccliariorum, aut tabernariorum, apponitur dictio illa, *Perſonaliter*; proinde videtur non prohiberi, ſi omnia prædicta per alios, & nō perſonaliter exerceant; aliter non fuiſſet apponenda dictio illa reſtrictiua, ſed fuiſſet dicendum, non exerceant neque per ſe ipſos, neque per alios, aut ſaltem abſolutè ſine limitatione. Propterea *in cap ſign ficātæ de apell* permittitur Canonicis habere ſtallas publicas, in quibus carnes vendantur; & quamuis in ſacris canonibus, in quibus Clericis negotiatio interdicitur, ſermo ſit abſolutus, & non fiat prædicta limitatio, nempè per ſe ipſos, nihilominus, vt fusè probat *Medina*, & dicunt Auctores huius ſententiæ, leges illæ prohibētes ſunt explicandæ de negotiatione immediata, & perſonaliter facienda ab ipſis Clericis; quia, vt oſtendit idem Auctor, ceſſant incōuenientia, cum negotiatio fit per medias perſonas: quod etiam confirmatur ex Iuribus citatis, in quibus ſola perſonalis negotiatio prohibetur; & ideo ex his reſpondent ad fundamenta aduerſariorum. Et ad primum dicunt, nō quodlibet lucrum eſſe Clericis interdictū, nam poſſūt licitè appetere lucrum honeſtum, illud in bonum finem ordinando; & ideo, quamuis demus, motiuum prohibitionis fuiſſe cohibere lucri cupiditatem; hæc tamen ita non cadit ſub præceptum illud Eccleſiæ; ſicut quando Eccleſia præcipit ieiunium ad carnem macerandam, & prohibet opera ſeruilia in die feſto, vt fideles diuino cultui vacent, nihilominus ſi quis aliquis comedat, dummodo ſeruet formam ieiunij, nō peccabit cōtra præceptum Eccleſiæ: & etiam ſi in die feſto Deo minimè vacet, & ſe abſtineat ab operibus ſeruilibus, neque peccabit contra præceptum poſitiuū Eccleſiæ, & ſic in multis alijs; ita in caſu noſtro, quamuis demus, finē prohibitionis fuiſſe reprimere cupiditatem lucrādi, quæ inueniri etiam poteſt in negotiatione mediata, ex hoc tamen non fit contra illam prohibitionem: quin addo, motiuū etiam fuiſſe, ne Clerici ob diſtractionem, quæ reperitur in negotiatione, impediantur à diuinis; at quando eſt per medias perſonas, regulariter ceſſant occaſiones harum diſtractionum; & licet, quandoque inueniantur, id tamen erit per accidens, & illis caret, & non eſt finis cadens ſub præceptum.

Tertia ſentētia temperat aliquo modo ſupradictam, licet illam abſolutè non amplectatur; ait enim, ad cohoneſtandā hanc mediatam negotiationem requiri aliquam cauſſam honeſtā, & iuſtā, & quia etiā videtur parum decens ſtatui Eccleſiaſtico, ideo inquit ad eſſe peccatum veniale, ita *Bartholomæus à S. Fauſto in* 86

[illegible]

ſpeculo confeſſ. diſp.6 qu.103. & in eadē ſententia puto, eſſe *Molinam to.2. de iuſt. diſp 342.n.13.* quem ſequuntur *Leſſius lib.2. cap.21.dub.1 in fine. Malderus in 2.2.tr. 3. de empt.cap.2.dub.4.§.4 Barboſa de Iure Eccleſ.cap.41.n.12.* qui ſanè improbantes, & damnantes ſub peccato mortali negotiationem exercitam à clericis per ſeipſos, addunt, id fieri poſſe, ſi negotientur per alios, & quia dicunt, eſſe indecorum ſtatui, poſtulāt cauſſam iuſtā, ſi autē ipſi poſtularent cauſſam iuſtam; ad vitādum peccatum mortale, non debuiſſent diſcrimen ponere inter vtramque negotiationem immediatam, & mediatam, ſed debuiſſent abſolutè vtramque ſub graui damnare culpa, & vtramque ex cauſa rationabili excuſare à culpa, quod cum nō faciant, ſignum eſt, quod cum requirunt cauſam iuſtam ad exercendam negociacionem mediatam, eam requirant ad fugiendam culpam venialem: ſolū de *Barboſa* vereor, qui licet initio illius numeri videatur, loqui cum prædictis auctoribus, in fide tamen ſe remittit ad ea, quæ dixerat cap præcedente n. 67. 68. vbi abſolutè ait, ſine iuſta culpa clericum neque per ſe, neque per alium negotiari poſſe, & confirmat hoc eiſdem rationibus, quibus vtuntur auctores primæ ſententiæ id abſolutè negantes; propterea cenſeo, Barboſam magis adhærere primæ, quam ſecundæ ſententiæ. *Ex* his omnibus, quæ apud auctores inuenire potui, deuenio ad propriam aperiendam ſententiam.

87 Dico igitur, licitum eſſe clericis per alios negotiari, dūmodò negotiatio ſit ex ſe honeſta, & id fiat non lucri cupiditate, ſed aliquo honeſto fine, & in hoc exiſtimo, nullam neque venialem interuenire culpam. Cōcluſio ſuaderi poteſt argumētis ſecundæ ſententiæ.

Aduerto tamen ex doctoribus citatis, cum dicitur, eſſe licitam clericis negotiationē per alios, id eſſe, ita intelligendum, nempe, vt clericus, qui hoc modo vult illam exercere, non ſolum det alicui tertiæ perſonæ pecuniam negotio applicandā, ſed eidem relinquat curā, & ſollicitudinē circa exigendam rationem dati, & accepti, vt notat *Rebellius loco citato*; alias, ſi ille tertius ſuo nomine exponat pecuniam, & de cætero tota adminiſtratio remanea apud Clericū, mihi videtur periti de eſſe, ac ſi ipſe clericus negotium per ſe ipſum exerceret & non poſſet ob varias diſtractiones diuinis vacare, ad quod vitandum ſacri canones interdixerunt clericis immediatam, & perſonalem negotiationem. Et hæc eſt mea ſententia, quam aliorum iudicio ſubmitto.

REGVLA LXXIII.

Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari.

CAPVT VNICVM.

Elucidatur Regula, & confirmatur.

QVæ legitimè facta ſunt, permanere debent, quamuis poſtea caſus eueniat, qui ſi ab initio contigiſſet, eorum factionem impediſſet; ita ſtatuitur non ſolum in hac Regula, ſed etiam in iure ciuili *L. in ambiguis. ff. de Reg. Iur.* idque communiter docent ſcribentes *Baldus in L. Si Gaudentius. C. de contrah. empt. Bart. in L. pluribus. §. & ſi placet. ff. de verb. oblig.* vbi plures congerit diſtinctiones *Tiraquel. in tract. Ceſſante cauſſa, limit. 1.2. à num. 15. Couarr. in cap. quamuis pactum, p. 2. §. 1. num. 7. verſ. 4. aliiſque recentiores.* 1

Dicitur autem aliquid legitimè factū, quando eſt iuxta legum præſcripta. Contrà verò illegitimè factū diceretur, quod aducrſus ea, quę à lege ſunt præfinita, peractum eſt. 2

Ad huius Regulæ confirmationē multa afferre ſolent auctores exempla ex varijs iuribus deſumpta: puta, ſi quis ſanæ mentis matrimonium contrahat, quamuis poſtea in amentiam incidat, validū certè permanet matrimonium; quod ab initio legitimè fuit contractum: proindè caſus ſubſequens, nempè amentia, quāuis matrimonij contractionem impedire antea potuiſſet, poſtea tamen eius legitimè initi valorem nequaquam tollere poteſt. *L. Patre furioſo. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris,* vbi etiam ſtatuitur, quod filij ex legitimo matrimonio nati, quamuis furor Patri ſuperueniat, non idcircò exeunt à patria poteſtate: quod ibidem confirmatur à *Bartolo*; & procedit iuxta diſpoſitionē præſentis Regulæ; idemque pariter aſſero de teſtamento facto ante inſaniā; quia, ea poſtea ſuperueniente, validum perſiſtit *L. in eo ff. de teſtam.* 3

Vlterius, ſi quis à legitimo patrono 3

præ-

præſētatus ad aliquam *Eccleſiam* fuerit ab *Epiſcopo* inſtitutus, quamuis exinde contingat, vt patronus, qui eum præſētauit, amittat ius patronatus, forte quia aduerſarius in iudicio contra ipſum ſententiam obtinuit; hoc non obſtante ab inſtitutione iam legitimè facta remouendus non eſt, *Cap conſultationibus. de de Iure patrõ.* vbi plures apud Barboſam.

5 Sed dices. *Electus* ad eccleſiaſticã Prælaturam, qui, orta lite, antequam confirmatus fuiſſet, iurauit de calumnia, ſi poſtea duas inter ſe contrarias reſponſiones proponit aduerſus obiectiones, quæ contra ipſum factæ ſunt, tanquam periurus debet repelli, nec confirmari, vt ſtatuitur in *cap final de iure iur. in 6.* ergo in hoc caſu videtur non procedere huius Regulæ diſpoſitio, quia iam electio fuit legitimè facta, & ob superueniens periurium retractari videtur.

Ad hanc obiectionem diluendam duas inuenio reſponſiones ab auctoribus traditas, quarum prima datur *à PecKio bienum 4.* reſpondente ad ſecundam dubitationem, vbi ait, factum legitimum, nempè electionem ad prælaturam, in caſu poſito retractari ex ſuperueniente crimine in pœnam delinquentis, qui non meretur huius Regulæ beneficium; nam publicus Eccleſiæ fauor expoſcit, non tolerari nefarios paſtores cum aliorum ſcãdalo. ita reſpondet *PecKius*: eius tamen ſolutionem reijcit, & impugnat *Streinius*, dicens vim prædictæ reſponſionis maiorẽ eſſe, quam expediat; quia, ſi propter delictum retractari debet id, quod legitimè factum eſt, cur beneficio ſuo non priuatur concubinarius, & cur animarũ cura paſtori ſcandaloſè viuenti relinquitur? hinc ipſe *Streinius* reiecta PecKij ſolutione ſuam tradit, negans, in caſu poſito retractandam eſſe electionem legitimè factam, ſed ob crimen periurij, ait, negandam eſſe confirmationem, ſine qua nullum electio ſortitur effectum.

6 Ego verò melius, ni fallor, reſpondeo primò, electionem illam in caſu *d. cap. finalis* non retractari, ſed electum duntaxat in pœnam periurij priuari; nam ipſe electus propter tale crimen non ſolum eſt à confirmatione repellẽdus, vt ſtatuitur *in d. cap final.* ſed etiam remouendus eſſet ab electione iam confirmata, & à poſſeſſione beneficij, ſi in periurium incidiſſe deprehenderetur. ita habetur *in cap. querelã de iure iur.* Ad id verò, quod aſſerit *Streinius* volens PecKium impugnare, aio, Beneficiarium, ſeu illum, qui ad animarum curam fuit electus, poſſe adeò graue delictum patrare, & ita ſcandaloſè viuere, vt tali beneficio, & animarum regimine priuandus ſit.

Reſpondeo ſecundo, quod rigoroſè loquẽdo *in d. cap fin.* non agitur de retractatione legitimæ electionis iam factæ, ſed de pœna priuationis ob crimẽ periurij ipſi electo infligenda: hæc autem, duo, nempè electionem retractari, & electum priuari ſunt inter ſe lõgè diuerſa: propterea diſpoſitio *d. cap. fin.* non eſt noſtræ regulæ contraria, vbi ſolum agitur de retractatione actus ab initio legitimè facti.

REGVLA LXXIV.

Quod alicui gratioſè conceditur trahi nõ debet ab alijs in exemplum?

HVius Regulæ diſpoſitio difficultate caret; ideoque ſcribentes breuiter ab eius declaratione ſeſe expediunt, vt videre eſt apud *Dynum, PecKium, Barboſam,* & alios. Quapropter ſatis mihi erit clarius eius intelligentiam aperire, & nonnullis exemplis breuiter confirmare.

Dico igitur, ex hac regula deduci locũ negatiuè arguendi à Iure, ſeu caſu ſpeciali hoc pacto. Quæ procedunt à Iure ſpeciali in conſideratione minimè habẽtur. 1 *E.g.* ſi *Pontifex* gratioſè concedat alicui habenti beneficium curatum, vt poſſit aliud curatum beneficium ſimul retinere, aut ſi cõcedat Archiepiſcopo geſtare pallium: item, ſi quis eximatur à ſolutione decimarum, vectigalium, aliorumue publicorum onerum, certè huiuſmodi, aliaque ſimilia priuilegia nõ debent trahi in exemplum; ſed ſeruandum erit cum alijs perſonis ius commune. Cõgrua antè, & fundamentalis ratio eſt, quia gratiæ, priuilegia, & diſpenſationes non conceduntur, niſi præuio examine, ſeu cauſſæ diſcuſſione, & ſolum in ijs ad ſpecialem, & præſentaneum caſũ habetur reſpectus; proinde ad ſimilia trahi nequaquam debent; quia vi talis conceſſionis non cõſtituitur ius commune, ſed ſingulare. vt notat *Gloſſa in L. ius ſingulare ff. de legibus.* idcirco facienda non eſt extenſio ad caſus ſimiles.

RE-

IN REGVLAM LXXV.

Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.

CAPVT VNICVM.

Aliquibus exemplis confirmatur Regula, & ampliatur.

1 NIhil adeo humanæ fidei congruum, quam ea ſeruare, de quibus pacto cum alijs conuenimus *L. 1. ubi non ff de pactis.* Pactum verò a pactione dicitur, vnde etiam nomen pacis profectum eſt, vt in *L.* cit. habetur: pax enim maximè cuſtoditur ſeruando fidem præſtitam; proinde fidem frangere grauiſſimum malū eſt, vt dicitur *in L. 1. de rerum permut.* ita vt infamis à Iure cenſeatur, qui præſtitæ fidei nequaquam ſtetit *L. ſi quis maior. C. de tranſact.*

2 Nonnulla hic à Gloſſa, atque ab alijs ſcribentibus afferuntur exempla ad præſentis Regulæ confirmationem; inquiunt enim, Vaſallū fidelē eſſe debere domino ſuo iuxta modum, qui præſcribitur *in cap. de forma 22. quæſt. 5.* & è conuerſo dominus fideliter ſe gerere cum vaſallo; ideoque, ſicuti feudatarius negans domino fidelitatem debitam feudo ipſo in pœnam priuandus eſt, ita ſi dominus cum vaſallis ſuis fidelis non ſit, eos iniuſtè, & grauiter opprimens, poteſt ſuperioritate de rigore iuris priuari; in hoc enim caſu ſupremus Princeps, qui auctoritatem habet in dominum opprimentem, poteſt ſubditum oppreſſum ab eius iuriſdictione eximere.

3 Similiter, ſi Titius v. g. cum Sorte tranſegit ſub conditione, vt Sortes infra annum ipſi centum aureos ſoluere deberet, poterit vtique elapſo anno, & centum aureis non ſolutis, à tranſactione recedere, & litem contra Sortem mouere, vel proſequi, ita ex diſpoſitione huius Regulæ aſſerit *Gloſſa ver. idem poteſt.* idque etiam dici debet in alijs ſimilibus exemplis, in quibus à pari diſpoſitio præſentis regulæ militare oporteret.

4 Ampliatur autem primò Regula hæc à pluribus Canoniſtis, quos laudat, & ſequitur *Barboſa axiom. 98. num. 8.* quatenus in eo nimirum capitulo fides non ſeruetur; propterea, ſi emptor non integrum pretium, ſed partem venditori offerat, nō tenebitur venditor rem venditam tradere, ſed poterit illam ſibi retinere *L. Iulianus § offerri ff de act. empt.*

Ampliatur ſecūdo iuxta mentem *Iaſonis conſ. 41. lib. 3.* etiam ſi alter contrahens velit per æquipollens ſuæ obligationi ſatiſfacere; ex quo infert *Streinius hic amplat. 2.* quod emptor, qui ſe ex conuentione obligauit pretium deponere apud Petrum, ſi illud deponat apud Paulum æquè idoneum, deficiet à pacto; quia perſonam reciproca conuentione electā variauit abſque alterius contrahentis conſenſu, & conſequenter videtur à pacto receſſiſſe. 5

Ampliatur tertiò, vt, qui ex parte ſua fidem, ſeu conuentionem non ſeruat, non ſolum aliquid ab altero contrahente exigere, ſed nec propriam liberationem cōducere, nec ſyngrapham in iudicio repetere poſſit; alias eſſet in ipſius poteſtate ſeſe, etiā inuito creditore, ab obligatione liberare; quod eſt inconueniens, & contrariū diſpoſitioni. *L. ſi non. C. de Iur. & fact. ignor. Pachineus controuerſ. Iur. lib. 2. cap. 4. & Streinius hic ampl. 6.* 6

Ampliatur quartò, vt prædicta omnia procedant, quamuis iuramentum interuenerit; quia hoc non obſtante, non tenebitur quis fidem ſeruare ei, qui fidelis non fuit, etiam ſi extra iuramētum appoſita, quamquā fuerit clauſula hæc [Rato manente pacto &c.] *Barboſa axiom. cit. n. 10.* & plures apud ipſum. 7

Limitatur tamen diſpoſitio præſentis Regulæ, quando fauore ætatis diſpar eſt vtriuſque contrahentis conditio, prout accidere poteſt in pupillo, qui ſine tutoris auctoritate alicui ſe obligauit; quia, licet ætate maior, qui cum pupillo ſine tutoris conſenſu contraxit, eidem obligetur; nihilominus è conuerſo pupillus ex priuilegio ratione ætatis ſibi à Iure conceſſo illi minimè tenetur *L. Iulianus § ſi quis cum pupillo ff de act. empt.* quam ſententiam docet hic *PecKius*, in ſolutione primæ obiectionis n. 6. quicquid in contrarium afferat *Streinius* in hac ipſa regula reſpondens primæ obiectioni. 8

RE-

REGVLA LXXVI.

Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

CAPVT VNICVM.

Nonnulla traduntur exempla pro Regula dilucidatione.

NOmine perſonę, cuius delictum Eccleſię nequaquam nocet non modo veniũt inferiores miniſtri, & officiales; 1
ſed etiã illi, qui ſunt in altiori gradu cõſtituti, vt Abbates, Epiſcopi, aliȷque Prælati, & e. ratio autem præſentis diſpoſiti- 2
onis eſt, quia Prælatus, quiuis ſupremus, non eſt abſolutè dominus, ſed procurator, ſeu adminiſtrator bonorum Eccleſiæ; idcirco conſeruare tenetur Eccleſiæ conditionem, imò data opportunitate meliorẽ eam reddere, non autem deteriorem.

Ex hac regula multa ab auctoribus inferuntur.

Et primo adducitur caſus, qui habetur
3 in *cap. ſi Epiſcopum 16. quaeſt.* 2. vbi ſum-
mus Pontifex præcipit quod, cum Epiſcopus quidam, qui depoſitus, priuatuſque fuerat ob graue delictum, bonis quoque ſuę Eccleſię fuiſſet ſpoliatus, ſi eum certo conſtiterit deliquiſſe, depoſitio confirmetur; res verò Eccleſię, eidem Eccleſię omnes reſtituã ur, & ratio ibi aſſignatur, quia delictum perſonæ in Eccleſię detri-
3 mentum non eſt conuertendum.

Secundò ſi Religioſus, quamuis in ſua
3 Religione Prælatus, damnum aliquod in bonis temporalibus alteri inferat, monaſterium non tenebitur tale damnum reſarcire: & hoc iuxta præſentis regulæ diſpoſitionem.

Tertio neque monaſterium tenetur de
4. depoſito culpabiliter deperdito, quod vel religioſus cũ licentia ſui Prælati, vel ipſemet Prælatus apud ſe retinẽdum ſuſcepit, ita docet *Molina tract. 2. de iuſt. diſput.* 525 *n.* 3. & 4. *Leſſius lib.* 2 *de iuſt. cap.* 27. *dub.* 3. *n.* 12. aliȷque communiter: quia viget in hoc caſu noſtrę Regulę diſpoſitio.

Limitatur tamen à Doctoribus ſententia hęc, quando depoſitum amiſſum in monaſterij vtilitatem verſum ſit, vel ex eo monaſterium factum ſit aliquo modo locupletius; tunc enim tenebitur de eo, in quo ditius factum exiſtimabitur.

REGVLA LXXVII.

Rationi congruit, vt ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

QVæ ad hanc regulam dilucidandam ſpectare videntur ſunt etiam materia Regulæ quinquageſimæ quintæ, in qua dicitur, *Qui ſentit onus, debet ſentire commodum, & è contra.* 1
Vtraque enim regula ad eumdem tendit effectum, vt animaduertit *hic Dyn.*: proindè, quæ ibi dicta ſunt, applicari huic Re- 2
gulæ poſſunt. Addam tamen exempla aliqua, quæ à Gloſſa hic proponuntur, videlicet Filius ſuccedens, tanquam hæres, in ius patronatus, quod honorem importat, ſuccedere etiam debet in onus, hoc eſt in obligationem defendendi Eccleſiam illam, cuius patronatus annexũ
eſt: Prælatus pariter, qui in honorem 3
prælaturæ ſuccedit, tenetur ſoluere debita à Prælato anteceſſore in vtilitatem
Eccleſiæ contracta, & ita de ſimilibus 4
dicendum erit. Congruum enim, maximèque rationi conſentaneum eſt, vt cõmodum ſentiens ſuſtineat etiam incommodum; ſicuti è conuerſo grauamen perferens debet honorem eidem grauamini connexum obtinere. ex quibus patet ſimilitudo, ſeu, vt melius dicam, identitas inter præſentem regulam, & quinquageſimam quintam.

REGVLA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

CAPVT VNICVM.

Quęnam in iure effectus operetur neceſſitas? 1

DEſumpta fuit præſens regula ex *L. quæ propter neceſſitatem ff. de reg. iur.* 1
neceſſitas quidem adeo potens eſt, vt merito ex communi axiomate dicatur
Rauis: quod neceſſitas legem non habeat, ſed ipſa ſibi legẽ faciat *cap. nemini ſſ. in*
nem 1 *quaeſt.* 1 ideoque lex potius neceſſitati ſubiicit; non è conuerſo *L. vt gra-* 2
dutim. §. *quoties ff. de muner. & honoribus*, ex quo ſatis rectè deducitur, quod neceſſitas licitum faciat, quod alias illicitũ eſſet.

Tria

Tria autem ad præſentem regulam eo: honeſtandam: animaduerti debent, vt obſeruant Doctores. Primò cum aſſeritur, id, quod eſt illicitum, vrgente neceſſitate licitum fieri, non debet hoc intelligi de omni, & quocumque illicito; nam iuxta veram, communiterque receptam doctrinã aliqua ſunt illicita, quia intrinſecè mala, cuiuſmodi eſt periurium, blaſphemia, adulterium, & ſimilia, quæ à theologis declarari ſolent; alia verò ſunt illicita,
2 non quia intrinſecè mala, ſed quia prohibita, vt eſt v.g. exercere opera ſeruilia diebus feſtiuis, comedere carnes tempore ab Eccleſia vetito, & pleraque alia, quæ iure poſitiuo ſunt prohibita: cũ autem dicimus, neceſſitate occurrente fieri licitum, quod erat illicitum, certò ſermo eſt non de illicito prioris generis, quia quod eſt ob intrinſecam malitiam illicitũ, nulla prorſus neceſſitate cohoneſtari poteſt; vt eſt communis ſententia apud theologos; ſed de illicito poſterioris generis, quod, verum eſt, poſſe ex neceſſitate licitum reddi.

3 Secundò etiam loquendò de illicitis ſecundi generis aduertendum eſt, nõ ſatis eſſe quamcumque neceſſitatem, & quaſcumque circumſtantias ad reddendum licitum, quod alias non liceret; ſed hoc prudentum arbitrio decernendũ erit ſpectatis omnibus conditionibus, & rei qualitatibus, loco, tempore, & c.

4 Tertiò notandum eſt, prædicta procedere durante neceſſitate; ea enim ceſſante, ſi res maneat integra, ſtatim deſinit ratio admittendi id, quod eſt illicitum, vt hic obſeruat *Dynus n. 3. ex cap. cum ceſſante cauſſa de apell.*

5 His præmiſſis quamplura tradi poſſet exempla; quibus oſtendatur, propter neceſſitatem licere id, quod alias illicitũ eſſet. Qua de cauſſa, ſi teſtis v. g. ad capiẽdam de aliquo graui negotio informationem examinandus, reperiatur in extremo vitæ conſtitutus, & iudex, ad quem ſpectat tale examen committere, longe abeſſet, itaut propter negotij vrgentiam periculum eſſet in mora; poterit quidem ritè examinari à notario abſque alia licẽtia, ſeu commiſſione; nam, & ſi neceſſitate periculi non vrgente id ſit illicitum, ea tamen occurrente iure licebit talis examinatio, & aliqualem faciet in iudicio probationem *Iaſon. & Romanus*, quos citat, & ſequitur M. *Antonius Roueſcallenſis in nuperrimis additionibus ad Decium de Regulis iuris. verſ. hinc primò. L. quæ propter neceſſitatem.*

Rurſus, quamuis ad teſtamenti confectionem ſeptem requirantur teſtes, vrgẽte tamen peſte, minor numerus ſufficit, vt communiter aiunt *Doctores in L. fin. C. de teſt.* & licet neceſſe ſit de iure, vt teſtes videant proprijs oculis teſtatorem, vt fraus euitetur; nihilominus hæc ſolemnitas relaxatur, quando teſtamentum conderetur à perſona contagioſa in loco infecto. *PetKius hic num. 5. ampliat. 2.* & ratio eſt, quia, quando neceſſitas cum iuris ſolemnitatibus nõ ſe cõpatitur, tunc eæ omitti poſſunt; ſecus verò, quando neceſſitas ſtare ſimul poteſt cum ſolemnitatibus, quia tunc non ſunt omittendæ. 6

Eodem pacto dico, quòd, quamuis de iure diuino pœnitens debeat omnia, & ſingula ſua peccata mortalia confiteri, attamen, ſi eſt in articulo mortis, itaut periculum ſit in mora, poterit eum confeſſarius abſoluere paucis ſolum auditis peccatis; nam talis neceſſitas facit licitam huiuſmodi dimidiatam confeſſionẽ. 7

Complura alia congerit exempla citatus *M. Antonius Roueſcallenſis* in additionibus ad Decium de Regulis Iuris loco cit. Caue tamen lector à ſecundo caſu, quem ipſe recenſet dicens, poſſe à laico abſolui moribundum, ſi mortis periculũ inſtet; ea enim opinio ſic abſolutè prolata poteſt eſſe cauſſa erroris, quatenus poſſet quis iudicare, licitum eſſe, abſolutionem ſacramentalem à laico dari in articulo mortis: quod ſanè erroneum eſt, atque à catholicis doctoribus vnanimitèr improbatum; niſi dicatur quod Auctor iſte loquatur in terminis, in quibus loquitur Gloſſa ab eo citata *in cap. paſtoralis de off. ordin.* nempè quod ſolum poſſit laicus abſoluere aliquem in mortis articulo ab excommunicatione: quę quidem opinio à nonnullis probabiliter ſuſtinetur; vel quod laicus poſſit peccata moribundi audire, ſed non ab illis abſoluere ſacramentaliter, vt animaduertit Apoſtilla ad eamdem Gloſſam in margine. Refert etiam præfatus auctor pro ſe *Ripam in tract. de peſte tit. de priuileg. Iud. num. 46* quem ego præ manibus habere non potui. 8

Quæres hoc loco, an quæ dicta ſunt de neceſſitate, locum etiam habeant in euidenti vtilitate? Reſp. affirmatiuè cum *PetKio hic num. 5. ampl. 2. & Streinio* 9

Digitized by Google

ampliat. 2. ratio eſt, quia cauſſa neceſſitatis, et euidentis vtilitatis in iure æquiparantur. *Cap. fin. de Eccleſ. ædific.* & aſſerit *Panorm. in cap. vt ſuper. num.* 15. *de reb. Eccleſ. non alien.*

REGVLA LXXIX.

Nemo poteſt plus iuris trãsferre in aliũ, quam ſibi competere dignoſcatur.

1 VIm ſuam habet præſens Regula ex celebri illo, ſatiſque peruulgato axiomate, videlicet, Nemo dat, quod non habet, *L. traditio. ff. de acquir. rer. dominio. & L. nemo plus, hoc tit.* vbi *Decius, Cagnolus, Maynertus*, cæterique ſcribentes: & in iure canonico ortum habet *ex cap. quod autem in fin. de iure patronatus.* & confirmatur quoque ex alio communi principio, nempè, Nullum, quod eſt, nullum producit effectum. His præſuppoſitis ad nonnullos aperiendos caſus deuenio, vt, quæ in præſenti Regula diſpoſitio continetur, melius innoteſcat.

CAPVT I.

De varijs caſibus, in quibus Regula militat.

PLures ſunt caſus, ad quos Regula ſe extendit, & qui à Iuriſtis examinãtur: principaliores ego proponam.

2 *Primò*, feudatarius nequit plus iuriſdictionis in feudo habere, quam habet dominus, qui ipſum inueſtiuit. *Surd. cõſ.* 194. *num.* 17. & alibi. *Tuſcus lit. D. cõcl.* 17. & plures, quos refert *Barboſa axiom.* 64 *nu.* 3. idque ob diſpoſitionem huius Regulæ, iuxtà quam idem eſt aſſerendum de defuncto, qui hæredi ſuo nequit maius commodum relinquere quàm ipſe habebat, cum vitam ageret.

3 *Secundo* vendens, & tradens alteri rẽ aliquam, illud tantum ius in emptorem transfert, quod habet in ſe ipſo; ideoque, ſi ipſe venditor erat directus dominus, in emptorem directum dominiũ transfert; Si verò vtile habeat, hoc certè ſolũ emptori communicabit. *Dyuus hic num.* 1. rectè ſubdens, quòd, ſi aliqua ſeruitute res vendita affecta ſit, cum eadem ad emptorem tranſibit.

4 Tertiò præſens diſpoſitio locum habet etiam, quando is, qui rem transfert, illã mala fide poſſideat, quia fortè aliena eſt, vel furto ſublata, ille verò, in quem trãſfertur, bona fide accipiat; in hoc enim caſu is, qui bona fide eam accipit, nullũ in ea ius poteſt acquirere, neque per vſucapionem; quia ad eum tranſijt vitio prædicto infecta: ex quo infertur, quod verus dominus illam ſibi vindicare poſſit, nec contra ipſum valebit exceptio vſucapionis. *§. res furtiuæ inſt. de vſucap. L. in ciuilem. C. de furt. PecKius ampliat.* 2.

5 Quarto procedit nõ ſolum quoad ius, ſed etiam quoad tempus, quatenus ſcilicet nequit trãſlator rem transferre citius, quàm ipſe eam habebit: hinc ciuitas non poteſt magiſtratus creare, antequam à Principe talem creandi poteſtatem obtineat. *PecKius ampliat.* 4.

6 Quinto adeo vera eſt noſtræ regulæ diſpoſitio, vt, ſi ius trãſlatum poſt factam translationem reſoluitur pœnes translatorem, debeat etiam reſolui penes eum, in quem eius translatio facta eſt. V.g. Vẽdat, quis alicui fundum ſub conditione, vt emptor tali die ſoluat centum, ita vt his non ſolutis fundus redeat ad ipſum venditorem, certè elapſo die præfixo, & nondum ſolutis venditori centum aureis, ſi forte emptor medio illo tempore fundũ alteri hypothecauit, reſoluitur omne ius pignoris, & hypothecæ: nam fuit etiam reſolutum ius emptoris, à quo propter nõ ſolutam die debito pecuniam fundus ad vendentem tranſire debuit: & ratio eſt, quia reſoluto iure datoris, reſoluitur ius acceptoris. *L. lex vectigali. ff. de pignor. Tiraquel. de retract. conuent. §.* 3. *Gloſ. vnica n.* 9. & communiter doctores.

7 *Sexto* Regula intelligitur, vt nemo plus iuris in alium transferat, quam ipſe habet, ſiue verè, ſiue interpretatiuè, & ex legis fictione, ſiue actu, ſiue in potentia v. g. poſſideat quis pro hærede rẽ alienã, poſteaque deueniat in cognitionem veri domini, à quo illam precariò roget, & obtineat; in hoc caſu, quamuis à vero domino videatur data roganti poſſeſſio, quam ipſemet dominus antea non habebat. *L. interdum ff. de acquir. poſſeſſione*; nihilominus fingit ius, rem illã breui manu trãſijſſe ad verum dominum, & ab hoc tranſmiſſam eſſe in eum, qui ipſam precariò detinet; argumento textus in *L. ſingularia ff. ſi cert. pet.* & ibi communiter doctores *PecKius hic nu. Strainius obiect.* 3. vbi alios refert. Quæ diſtinctio, ſeu duplex Regulæ intelligentia applicari etiam poterit

terit

terit alijs ſimilibus caſibus *Decius in L. nemo plus ff. de Reg. Iur. in 6.*

CAPVT II.

1 ***Diluuntur nonnullæ obiectiones, quæ contra huius Regulæ diſpoſitionem fieri poſſunt.***

ARgumenta, quę adduci ſolent, videntur prima facie Regulā limitare, ſed reuera, ſi rectè conſiderentur, illam non limitant, vt in ſequentibus patebit.

3 Dices primò, Titius habens dominium fundi, quamuis vſufructu careat, quia res ſua nemini ſeruire poteſt *L. vti frui ff. ſi vſusfructus petatur*; attamen eiuſdem fundi vſum fructum poteſt in alium trāſferre; ergo vera vniuerſaliter non eſt præſentis Regulæ diſpoſitio.

2 Pro ſolutione ſupponendum eſt, vſumfructum nil aliud eſſe, niſi ius vtendi fruendi alienis rebus ſalua earum ſubſtantia *L. 1. ff. de vſuf. & inſt. de vſuf. in princ.* Rurſus ſupponi debet, vſumfructum duplicem eſſe, cauſalem vnum, formalem alterum; formalis, cui proprie competit prædicta definitio, eſt ſpecies ſeruitutis realis, vt patet per tex. in *dicta L. vti frui & L. in re communi ff. de ſeruit. vrb. præd.* ita vocatus, quia locū habet, quādo forma eſt ſeparata à proprietate, quod cōtingit, cum penes vnum eſt ius vtēdi fruendi, & penes alterum eſt nuda proprietas. Cauſalis autem ille dicitur, qui cum cauſa, ideſt cū proprietate coniunctus eſt, vt euenit, quando penes eum, qui dominium habet, reperitur etiam commoditas percipiendi fructus; & hic non eſt ſpecies ſeruitutis; quia in rem propriam non cadit ſeruitus, vt in *d. L. vtifrui* His poſitis directè reſpondeo, quod, quāuis in domino non ſit vſusfructus formalis, eſt tamen cauſalis; & ideo transferens vſumfructum non transfert plus eo, quod habet, ſolumque vt hic num. 4. aduertit *Dynus* variatur ſpecies vſusfructus ob diuerſitatem perſonarum diuerſo modo inter hac ſe habentium, & propterea in prędicto argumento nihil eſt contra præſentem Regulam.

9 Dices ſecūdo, Locator poteſtatem nō habet expellendi colonum, ſeu inquilinū, & tamen in emptorem rei locatæ talem poteſtatem transferre poteſt *L. emptorē. C. de locato, & conducto*, ergo videtur poſſe plus iuris in alium transferre, quam ipſe habet.

Reſpōdet *PetKlius* ad obiectionem hanc *n. 6.* ſoluens quartam dubitationem, & ait, quòd venditor, locando rem ipſam, ante venditionem obligauit conductori ſuam dumtaxat perſonam, non autem rem locatā; hinc poſtea emptor, effectus dominus talis rei, poteſt conductorem, qui nullum ius habet in rem abſque difficultate expellere; nec ideo ſequitur aliquid contra noſtram Regulam. Conceditur tamen inquilino actio contra venditorem, à quo ſibi domus locata fuit, pro eo, quod ipſi intererit *L. ſi filiofā. §. ſi vir. ff. ſol. matrim.* Ego verò addā, quòd facultas iſta, quam emptor habet expellendi conductorem, non eſt ipſi trāſfuſa à venditore, qui primò locauit; ſed à lege, qui talem facultatē nouo emptori concedit; ac proinde nequit dici, quòd venditor transferat in emptorem aliquā poteſtatem, quam non habet. 11

Dices tertio. Tutor, vel curator ex cauſſa poſſunt alienare bona pupilli, vel adulti; ſimiliter iudex poteſt tranſmittere in Titium dominium, quod habet Caius; & tamen neque tutor, neque curator, neque Iudex habent rei tranſlatæ dominiū; ergo in hoc caſu regula fallere videtur. 10

Reſpondet hic *Dynus* concedens fallentiam in prædicto caſu; ſed melius, ni fallor, ego dicam, præſentis Regulæ diſpoſitionem non fallere, quia tutor, & curator, cum dominium transferunt, repræſentant perſonam pupilli, & adulti, à quibus reuera dominium in aliam perſonā tranſit miniſterio tutoris, & curatoris; itaque regula intelligitur, vt nemo det quod nō habet, ſiue nomine proprio, ſiue alieno; cum igitur tutores, & curatores dominium habeant nomine pupillorum, & adultorum, quorum negotia gerunt, ideo ipſi, quemadmodum etiā procuratores, ritè transferunt, quod illorum nomine habent. Iudex item, cum dominium vnius alteri adiudicat, id nomine veri domini facit, quia factū iudicis reputatur factum partis, quæ, licèt inuita ſit, tenetur nihilominus iudiciali ſententiæ parere; nil enim intereſt, vtrum ipſe dominus per ſe alicui rem tradat, an alius voluntate, ſeu nomine ipſius *L. nihil ff. de acquir. rer. dō.* idemque aio de creditore, qui pignus vendit; quia cenſetur id facere nomine debitoris; & de Prælato rem Eccleſiæ cum debitis ſolemnitatibus, alienante; quia id eiuſdem Eccleſiæ nomine facere cenſetur.

11 Dices quarto. Patrono laico datur, in
iure quadrimeſtre tempus ad præſentan-
dum; patrono autem Eccleſiaſtico con-
ceditur ſemeſtre *cap. unico § fin. de iure*
patron. in 6. & nihilominus, ſi ipſe patro-
nus laicus beneficium, in quo ius pa-
tronatus habet, monaſterio, vel Eccleſiæ
conferat, tunc Eccleſia, vel monaſteriũ
habebit tempus ſemeſtre ad præſentan-
dum, vt dicitur *in cap. cit.* ergo patronus
laicus tranſtulit plus iuris, quàm habe-
bat.

Reſpondeo in caſu prædicto, licet Ec-
cleſia, quatenus tale beneficium poſſidēs,
habeat ius, & cauſſam à laico, attamen
quoad modum, & tempus præſentandi
habet ius ſpeciale ſibi conceſſum à iure
canonico in dicto *cap. unico § fin.*

12 Dices quinto. *A*rchiepiſcopus nō dum
pallio accepto nequit ſuffraganeum ſuum
conſecrare, & tamen ſi eſt electus, & cō-
firmatus, poteſt ſuffraganeis committere,
vt Epiſcopum cōſecrent *cap. ſuffraganeis*
de elect. igitur plus transfert, quam habet.

Reſpondeo, id, quod ab Archiepiſcopo
ſuffraganeis committitur, nempè poteſtas
conſecrandi Epiſcopum, iam reperiri in
ipſo Archiepiſcopo, quamuis ob carentiā
pallij eam exercere nequeat; Regula autē
noſtra intelligi ita debet, vt procedat,
quando quis in alium tranſmittit id, quod
nullo modo habet; quod non euenit in
caſu noſtro: & quamuis ante ſuſceptionē
pallij Archiepiſcopus talis conſecrationis
exercitium non habeat; nihilominus illud
poſtea *E*piſcopis, quibus ea poteſtas trāſ-
lata fuit, impertitur à Iure, vt patet in
dicto *cap. ſuffraganeis.* Vide *Panorm.*
apud *PecKium hic n. 6. in ſolutione ad* 8.
dubitationem.

REGVLA LXXX.

In toto non eſt dubium partem cō-tineri.

PLura extāt iura hìc à Gloſſa adducta,
in quibus de materia huius legis ſer-
mo habetur; præſertim *L. in eo, quod*
plus L. *in toto ff. hoc tit.* & *Cap. ſeu Reg.*
plus ſemper 35. de qua nos ſupra fusè e-
gimus; ibique multa, quæ in expoſitionē
præſentis Regulæ dici poſſunt, magna
ex parte diſcuſſimus. Addam hic ſolum
quædam alia, quæ ad maiorem huiuſce
diſpoſitionis intelligentiam facere mihi
viſa ſunt.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex ſit totum, & quid eius partes?

MVlti fariàm apud Iuriſtas accipi ſo- 1
let hoc nomen, *Totum*, ideoque in
varias illud ſpecies diuidunt; loquēdo au-
tē de Toto, vt ſic, prout à ſuis ſpeciebus
præſcindit, ita poſſet deſcribi. Totū eſt di-
ctio quędam vniuerſalis ſignificans tota-
litatem circa eamdē rem, id eſt coniūctio-
nē plurium in ordine ad vnū aliquo mo- 2
do componēdum, & conſtituēdū. Colli-
gitur ex *L. ſi mihi Mauia verſ. his verbis*
ff. de leg. 3. Bart. in L. ſi vnum. § pactum ff.
de pactis. Corneus conſ. 45. n. 11. vol. 3. Ga-
zadinus conſ. 47. n. 6. Barboſ. in axiom.
diction. 407. initio.

Placet quidem hoc in loco animad- 3
uertere quod notat Rebuffus in *L. nomi-*
nis appellatio ver. Hæc dictio pag. mihi
49. 6 ff. de verb. ſignif. duas ſcilicet haſce
dictiones *Omnis, & Totum* inter ſe differ-
re. *Omnis* enim ad numerum refertur, vt
ibidem varijs iuribus ipſemet Rebuffus
confirmat. *Totum* vero *vnum corpus in-*
tegrum importat, vnamque reſpicit rem,
vt totum fundum, totum locum, &c. &
hæc quoad huius nominis definitionē.
Totum autem diuerſas ſub ſe continet
ſpecies, aliud enim dicitur totum nume-
rale, quod in numero conſiſtit, cuiuſ-
modi eſt quodlibet rerum, vel binarium,
vel ternarium, vel centenarium, &c.
aliud vero eſt totum integrale, quod ad
aliorum differentiam appellari poſſet le-
gale, ſeu ciuile, vt v. g. totus fundus, cuius
partes integrantes ſunt arbores, vinea,
hortus: ſimiliter domus, quæ, tanquam
ex partibus, conſtat ex parietibus, tecto,
pauimento, quorum remoto aliquo prin-
cipali, deſinit totum, in ratione totius in-
tegri, vt hic obſeruat *PecKius n. 2. ex 7.*
plures ff. de dam. infect. Denique datur
aliud totum, nempè philoſophicum, quod
diuiditur in phyſicum conſtans ex parti-
bus realiter diſtinctis, & vnione, ſicuti e-
lementa ex forma ſubſtātiali, & materia;
itemque viuentia, & animalia ex anima,
& corpore; & in metaphyſicum conſtans 4
ex genere, & differentia, cuiuſmodi eſt
quodlibet ens, v. g. homo, qui conſtat ex
animalitate, quæ eſt genus, & rationali-
tate, quæ eſt differentia ſpecifica. Genus
autem, quod eſt quid totum, diuiditur
quo-

quoque in ſuas ſpecies, tamquam in partes, quæ dicuntur partes ſubiectiuæ, quatenus de illis, vt quid totum, prædicatur genus, in quo ipſæ veluti eius partes non actu, ſed potētia continētur modo, quo à philoſophis explicatur: & ſic quo ad modum continendi partes differt totū metaphyſicum ab alijs totis, in quibus actu, & diſtinctè partes continētur, vt ex dictis manifeſtum eſt.

3 Hæc quoad totum: deuenio nunc ad explicandum, quid ſit pars, & aſſero ſententiam *Rebuffi in L. nomen filiarum* 164. *§. portio bis ff. de verb. ſignif. pag. mihi* 205. *verſ ratio patet*: vbi ait, quod pars dicitur a pari, quatenus partes ipſæ ſimul cōiunctæ pares ſunt, & toti æquales; præterea dici poteſt pars, in quantum à toto procedit, & quaſi parta eſt: in quo ſenſu Etymon ſumit, & originatur à verbo pario, vt idem Rebuffus notat ex *Iſidoro lib* 17. *etymol. in fin.* Cæterum deſcriptio hæc mihi videtur, ni fallor aliquantulum obſcura; qua propter expeditiùs, & clariùs dicendum cenſeo, quòd pars ſit quædam portio, quæ non ſola, ſed ſimul cum alijs conſtituit ſuum totum. Partium verò tot dantur ſpecies, quot ſunt ſpecies totius, quod ipſæ componunt.

CAPVT II.

Ad quas materias Regula ſe extendat?

EX pluribus ampliationibus, quæ à Iuriſtis proponuntur, & præſertim à *PecKio*, aliqua ego breuiter ſeligam, quæ mihi videntur magis ad praxim facere.

4 Dico igitur primò, præſentē Regulam verificari non ſolum in partibus originalibus, & ſubſtantialibus, ſed etiam in partibus voluntarijs, & accidentalibus, ita *PecKius ampl.* 2. qui licet non explicet, ſed ſupponere videatur, quænam ſint partes originales, & ſubſtantiales, nihilominus ego cenſeo, eas eſſe, quæ ſimul cum ipſo toto, quod componunt, exortæ ſunt, & appellari poſſunt originales, quatenus initium, & originem traxerunt ſimul, & ſemel cum ſuo toto, & dicuntur etiam ſubſtantiales, in quantum conſtant perfectè ipſum totum, quod ſine eis minimè conſiſteret, V. g. quando domus aliqua extruitur, ad hoc vt habeat rationē totius, & talis totius, neceſſe eſt conſtare ex pauimento, tecto, & parietibus, tanquam ex partibus ſubſtantialibus. Atſi poſtea nouus aliquis paries ædificatur, & primo iam perfecto ædificio addatur, certè non eſſet pars ſubſtantialis requiſita ad conſtandam domum, ſed diceretur pars voluntaria, & accidentalis, quia ex libito, & non ex neceſſitate, & exigentia totius adiunctus nouus hic paries fuiſſet: idemque aſſero in alijs ſimilibus, puta in Ciuitate, Regno, & c. proportionaliter loquendo.

Dico ſecundo, Regulam procedere tum in rebus corporalibus, tū etiam in incorporalibus. V. g. petēs totam iuriſdictionem, vel vſum fructum fundi, ſi in hac ſua petitione ſuccumbat, nequit poſtea partem aliquam iuriſdictionis, vel vſus fructus petere *ex L. ſi quis initio ff. de except. rei iudic.* vbi pro ratione aſſignatur diſpoſitio huius regulæ: idemque docet *Paulus de Caſtro* citatus in ſummario dictæ legis: & quamuis vſus fructus ſit quid indiuiduum, nihilominus, vt notat *PecKius ampliat.* 4. quoad vtilitatem, & commoditatē recipit diuiſionem, & cōſequenter eſt veluti partes habens, ad quas regula præſens ſe extendit: proinde petens, & ſuccūbens quoad totum nequit partem petere: quod tamen intellige ob eamdem cauſſam; ſecus ob diuerſam, vt dicitur in ſummario prædictæ *L. ſi quis.* 5

Dico tertio, ampliandam eſſe Regulam tùm ad odioſa, tùm ad fauorabilia. V. g. Titius ſurripiat ancillam Sortis prægnantem, conceptus, ſicuti & partus, furtiuus cenſetur *L. qui vas. §. ancilla ff. de furtis*, quia fœtus ille dicitur contineri in genitrice, tanquam pars viſcerum eius. 6

Dico quarto, Regulā extendi non ſolū ad affirmatiua, ſed etiam ad negatiua; vnde excluſus à teſtamento, cenſetur etiā prohibitus à qualibet eius parte: ſicuti etiā alienare prohibitus cēſetur excluſus à qualibet veræ alienationis ſpecie, vt ait *Streinius hic.* 7

Inſtabis, ſi Titius à Iudice ſit per ſententiam abſolutus ab actu, quem Caius ſibi deberi intendit, non inde ſequitur abſolutum eſſe ab itinere *L. ſi mater. §. ſi quis ita, ff. de except. rei iudici.* & tamen iter eſt pars actus, quia in actu continetur *L. 1. §. actus ff. de ſeruit. ruſt prædior. & §. actus inſt. de ſeruit.* 8

Pro reſpōſione animaduerto; ſeruitutem actus differre, & diſtinctam eſſe à ſeruitute itineris; iter enim eſt ius, quo quis tantum ire, & ambulare perſonaliter poteſt, ſiue eques, ſiue pedes, non autē

Digitized by Google

poteſt iumenta, & vehiculum ducere. Actus verò eſt, iuſquo alicui licet non ſolùm ire, & ambulare ſiue pedes ſiue eques per fundum alterius, ſed etiam armenta, & vehiculum trahere *d. L. 1. §. actus, & L. inter actum ff. de ſeruit. ruſt. præd.* Ex quo apparet, iter nõ quatenus eſt ſeruitus, ſed quatenus eſt commoditas quædam, contineri poteſtatiuè ſub actu; quia ſi ego tibi concedo ſeruitutem actus, intelligitur ex hoc tibi conceſſum quoddã ius, quo poteſtatem, & commoditatem habes non ſolum ducendi iumenta, & vehiculum, ſed etiam perſonaliter eundi, & ambulandi per fundum meum *d. L. 1. §. Actus*. Rurſus apparet, dari etiam poſſe aliud iter non comprehẽſum ſub actu, & hoc eſt vera, & diſtincta ſeruitus; vt habetur *in d. L. inter actũ*. hinc, ſi tibi venderem ſeruitutem itineris, intelligitur tibi dũtaxàt venditum ius eundi, & ambulandi, non autem armenta, & vehiculum trahendi, & conſequenter dari poteſt ſeruitus itineris diſtincta ab actu. His poſitis aio, quod, ſi loquamur de itinere poteſtatiuè comprehenſo ſub actu, certum eſt, id contineri, tanquam partem in ſeruitute actus; propterea abſolutus ab actu neceſſario eſt abſolutus ab hoc itinere, nempè a commoditate illa eundi comprehenſa eſſentialiter ſub actu illo, de quo quæſtio, & lis verſatur; ſi verò loquamur de itinere, prout eſt diſtincta ſeruitus ab actu, dico, quòd abſolutus ab actu non intelligitur abſolutus ab huiuſmodi itinere, quia tale iter nullo modo continetur ſub actu, ſed eſt diuerſa ratio ſeruitutis: puta, ego vendidi tibi ſeruitutem itineris tantum, & poſtea aliquo elapſo tempore conceſſi tibi ſeruitutem actus, ſi tu me coram iudice conuenias, vt tibi præſtem ſeruitutem actus, ego vero contra excipiam, me eam non debere propter aliquam peculiarem cauſationem, qua motus iudex me ab actu abſoluat; certè per hanc iudicis ſententiã non intelligor abſolutus ab ea ſeruitute itineris primo loco tibi diſtinctè vendita; proinde ad eam petendam poteris diſtincto iudicio me conuenire, nec obſtabit exceptio rei iudicatæ: & hoc modo intelligẽdus eſt textus *d. L. 1. §. actus. & tex. in L. 1. ff. de adim. legat.* vbi, ſi quis, legata ſeruitute actus, iter poſtea adimit; ademptio nulla eſt: intelligitur enim de itinere, quatenus eſt commoditas eũdi, & ambulandi comprehenſa ſubſtantialiter, & eſſentialiter ſub actu legato, quæ certè commoditas adimi nequit; quia eſt pars ſubſtantialis actus: partis autem ſubſtantialis, ſeu eſſentialis ademptio nulla eſt; quia ſequeretur, quod remaneret, poſſet actus ſine commoditate eundi, quod eſt abſurdum; & deſtruit naturam actus.

Quæres hic, an fideiuſſor obligatus pro maiori ſumma cenſeatur obligatus pro minori, in qua ſolum eſt obligatus debitor principalis. v. g. ſi, cum deberes mihi centum, dediſti fideiuſſorem pro ducentis, an talis fideiuſſor teneatur pro centũ à te debitis? Reſpondeo negatiuè, & cõſequenter aio, in hoc caſu Regulam noſtram fallere L. *Græcè §. illud. vbi Gloſſa ff. de fideiuſſ.* vide tamen *Decium in L. in eo quod plus num. 10. & ſeq. ff. de Reg. Iuris.*

Alia quæ circa præſentis Regulæ diſpoſitionem dici poſſent diſcuſſa à me fuerũt ſuperius *in Reg. 35. Plus ſemper in ſe. &c.* ad quem locum remitto lectorem.

REGVLA LXXXI.

In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet verìſimiliter in ſpecie conceſ-

PRæcipua in hac præſenti Regula difficultas conſiſtit in declarando, vndènam deprehendere poſſimus, quòd verìſimiliter quis ſit, aut non ſit conceſſurus rem aliquam ſpecialem ſub generali cõtentam: quam ſanè difficultatem ſequẽti capite elucidabimus.

CAPVT VNICVM.

Ex quibus coniecturis colligenda ſit verìſimilis intentio concedentis?

PRincipaliores referam, vt præſentis Regulæ diſpoſitio melius firmetur.

Dico igitur primò. Quando ex conceſſione rei ſpecialis ſequitur iniuſtitia, ſeu præiudicium contra aliquem, tunc præſumimus, noluiſſe concedentem comprehẽdere rem illam; quia nemo, etiam ſi princeps ſit, præſumitur velle præiudicium alteri inferre, vt deducitur *ex L. nulla Iuris ratio ff. de legibus, & L. 2. ff. Ne quid in loco publ. Suarez de legib. lib. 6. cap. 1. num. 57. Azor. to. 1. lib. 5. cap. 2. &*

quaſt.

Digitized by Google

quæſt. 9. Salas de legib. diſp. 21 ſect. 3. n. 4. ideoque filius illegitimus, ſi reſcripto principis legitimetur, per generalia tātum verba in tali reſcripto appoſita non intelligitur legitimatus quoad ſucceſſionē feudalem, quia de iure communi feudorum filius per reſcriptum legitimatus non ſuccedit in feudum *cap. naturales. ſi de feud. fuer. controu.* & hoc, quia inferretur præiudicium filijs legitimis, & naturalibus: quod tamen procedit, niſi de hoc ſit facta expreſſa mentio in reſcripto, vel niſi adſit contraria loci conſuetudo, qua filius legitimatus reddatur capax ad feudi ſucceſſionem.

2 Dico ſecũdò: Si res ſpecialis, de qua dubitatur, an ſub verbis generalibus comprehenſa fuerit à concedente, ſit ex illis, quæ de facto à Iure improbatæ ſint, tunc præſumi debet, comprehenſam non fuiſſe, & conſequenter in caſu hoc præſentem Regulā procedere: propterea, ſi princeps dat communitati facultatem condendi ſtatuta non intelligitur ſub hac generalitate conceſſa poteſtas faciendi ſpecialia ſtatuta derogantia.

3 Dico tertiò, non præſumi conceſſos caſus, qui iuxta ſtylū curiæ, vel conſuetudinem non ſolent concedi ſub generalibus verbis, quamuis interdū verba illa generalia ſpectādo eorum proprietatem comprehēdere videātur tales caſus ſpeciales: & ratio eſt, quia proprietas ſignificationis reſtringitur vi contrariæ conſuetudinis: quamplures autem à doctoribus censētur huiuſmodi caſus, quos declarat, & pluriū authoritate probat *Barboſ. de clauſ. vſu frequen. clauſ. 35. à n. 16. & de off. & pot. Epiſc. alleg. 54. n. 89 & ſeq.* & colliguntur ex *cap. generaliter de procur. in 6.* ex quibus ego aliquos exempli gratia proponā.

4 Et primò, Cōcedatur Vicario generali à Prælato ampla poteſtas, nō exprimēdo tamen aliquos caſus, qui iuxta ſtylum curiæ concedi non ſolent, niſi ſub verbis ſpecialibus, & expreſſis; certè eiuſmodi caſus minimè cenſentur in generali conceſſione incluſi, & hoc propter diſpoſitionem præſentis Regulæ; propterea ampla facultas communicata Vicario generali à ſuo Epiſcopo non comprehendit ea, quæ pertinent ad munus Epiſcopale, etiam ſi Vicarius eſſet Epiſcopus alterius diœceſis, quia hoc non obſtante in diœceſi, in qua ipſe eſt Vicarius, non poterit exercere munera Epiſcopalia, & conſequenter non poterit conferre ordines ſacros, neque benedicere, aut reconciliare Eccleſias, nec beneficia cōferre, &c. ita *Rebuff. ſus in praxi tit. de Vicario n. 33. 168. & ſeq. Franciſcus Leo in theſaur. for. eccleſ. par. 1. cap. 10 n. 12. Azor. par. 2. lib. 3. cap. 45. quæſit. 9 & cap. 56. quæſit. 1. verſ. confirmationes conſecrationes*, aliique apud *Barboſam alleg. cit. n. 82.*

Præterea in facultate, qua Epiſcopus, ſiue alius Prælatus concedit alicui, vt poſſit eligere quemcūque ſacerdotem idoneum, cui ſacramentaliter ſua peccata aperiat, & ab eodem abſolutionem obtineat, non intelligitur conceſſa poteſtas abſoluendi à caſibus reſeruatis ipſi prælato; quia talis commiſſio ſpecialibus verbis debet communicari: ita communiter doctores & expreſſè ſtatuitur in *cap. 2. de pœnit. & remiſſ. in 6.* niſi tamen in conceſſione ipſa apponatur talis clauſula, quæ ſignificet, intentionem *Prælati* etiam ſe extendiſſe ad reſeruata; quia tunc clauſula hæc extraordinaria mihi videtur æquiualere ſpeciali conceſſioni. 5

Denique in facultate abſoluendi à cenſuris, & irregularitate pœnali non venit irregularitas, quæ contrahitur ex defectu lenitatis, ſeu ex indecentia, neque irregularitas mixta, quæ eſt virtualiter duplex, nempè tum ex defectu, tum ex delicto, præſertim ea, quæ oritur ex homicidio voluntario: nam ob eius enormitatem ſub verbis generalibus non intelligitur comprehēſa: ideoque *ego ipſe in explic. Bullæ Cruc. p. 1. tract. 6. cap. 7 ſect. 4.* tum in prima, tum in ſecunda editione examinans, an ex vi Bullæ poſſit quis abſolui ab irregularitate ex delicto, antequam varias ſententias referrem, & meam aperirem, ſuppoſui, quæſitum procedere non de irregularitate, quæ oritur ex indecentia, & defectu, nec de irregularitate mixta tum ex defectu, tum ex delicto, quæ requirit ſpecialem diſpēſationem, ſed ſolum de irregularitate proueniente ex mera culpa, quapropter in facultate generali abſoluēdi ab irregularitate, ſeu diſpenſandi, non continetur prædictæ irregularitates, ſed ſolum ea, quæ eſt ex culpa, vt rectè notauit *Gibellinus de irregul. cap. 6. q. 5. in fine citans etiam Homobonum de exam. eccleſ. par. 1. tract. 5. cap. 6. quæſt. 36 ſub fine.* 6

RE-

REGVLA LXXXII.

Qui contra iura mercatur, bonam fidem non præſumitur habere.

DIligens, accurataque huius Regulæ explicatio magna ex parte conſiſtit in oſtendendo, quænam eſſe ſoleant indicia, ex quibus mala fides colligitur; cum enim quilibet præſumi debeat bonus, oportet, vt ex pluribus, iiſque efficacibus argumentis contrarium colligi, & ſuaderi poſſit; ſed quia de iis latè agit *Alciatus tract. de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 5. n. 15. & ſeq. & Menoch. eodem tract. pluribus in locis, & præſertim lib. 5. præſūpt. 130. n. 35. & ſeq.* ideo pauca ego hic ſolum attingam; ſi quidem reliqua apud prædictos auctores videri poterunt.

CAPVT I.

De conuenientia huius Regulæ, eiuſque ampliationibus.

1 COngrua præſentis Regulæ ratio valde efficax eſt, & habetur in *cap. 1. de conſtit.* fundatur enim in obligatione, quā quiſque habet, ſeruandi leges, credendique, eas fuiſſe rectè, & iuſtè conditas; quod certè ad Eminentiſſ. S. R. E. Cardinales extendi etiam aſſerit *Azorius in ſuis moral. inſt. p. 1. lib. 5. cap. 11. quæſt. 5. Barboſa in cap. cit. n. 3. & alij.* cum igitur vnuſquiſque ſeruandorum iurium obligatione aſtrictus ſit, eaque iuſte lata fuiſſe, credere debeat, rectè præſumitur mala fide procedere, ſi quidquam contra iura emat. Hoc poſito, vt magis huius regulæ conuenientia eluceſcat, ad nonnulles eius declarandas ampliationes deuenio.

2 Ampliatur itaque primò præſentis Regulæ diſpoſitio, vt non ſolum procedat, quando quis agit contra ius naturæ, ſed etiam quando facit contra ius ciuile, ſeu humanū. ita *PecKius hic ampl. 1. & Streinius etiam ampl. 1.* qui hoc etiam extendit ad ſtatuta, & conſuetudines, itaut ſi quis prætendet, id per ignorantiam feciſſe, debeat probare: aliàs mala fides in eo præſumi debet.

3 Ampliatur ſecundo etiam in ordine ad præſcriptionē, & vſucapionē. V. g. ſi quis erret in iure aliquo, forte quia cenſeat, ſe poſſe cum pupillo contrahere, & de facto emat ab illo rem aliquā ſine tutoris auctoritate, tunc certè in ipſo emēte mala fides præſumitur; quatenus contra iura mercatur; quapropter præſcribere nequit *L. nunquam ff. de vſucap. vbi Gloſſa in expreſſis caſus. & Paulus de Caſtro,* & ratio eſt, quia error iuris circa tituli validitatem malam, & non bonam fidem inducit in vſucapionibus, & præſcriptionibus longi temporis, vt ait *Paulus de Caſtro loc. cit.* eamque ſententiā docet *Streinius ampliat. 1. & PecKius hic ampl. 3.* quam varijs rationibus confirmat. ſecus verò eſt, quando quis emit ſine tutoris auctoritate à pupillo, putans ex errore, eum eſſe puberem; quia tunc poteſt vſucapere *L. 2. §. ſi à pupillo ff. pro emptore.*

Ampliatur tertiò, quamuis in aliquo caſu quis emat putans, emptionem eſſe contra ius, cū reuera non ſit; tunc enim leges præſcriptionū illi non proſunt, vt expreſsè ſtatuitur *in L. ſi fur. §. ſi quis ff. de vſucap. & cap. fin. de præſcript.* vbi hoc extenditur non ſolum ad ius ciuile, ſed etiam ad canonicum, & ad forum conſcientiæ: ideoque ibidem concluditur, quòd oportet, vt præſcribens in nulla temporis parte conſcientiam habeat rei alienæ, ſed in omnibus bona fide procedat. 4

CAPVT II.

Huius Regulæ limitationes declarantur.

EX plurimis limitationibus, quas doctores examinant, & præſertim *Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 130.* aliquas ego afferam ordine ſequenti.

Primò limitanda eſt Regula, quando agitur de puero, aut ruſtico, aut muliere, in quibus perſonis potius ignorantia, quā mala fides eſt præſumenda in contractibus, quos ineunt, iure prohibitis: ita *Pariſius in cap. ſi diligenti de præſcript.* quem affert *Menochius loc. cit. n. 43.* 5

Secundò limita, quando quis operatur cōtra ius, quod eſt dubium, & nō certum, vt docent auctores: & ratio eſt, quia in præfato caſu non poteſt quis dici contra iura mercari: ius enim dubium non eſt ſubſiſtens, imo contingere poterit, vt tale ius faueat potiùs, quàm noceat ementi. 6

Tertiò limita, quoties in contractu emptionis iure vetito conſtet, iuſtum inter- 7

tementi de pretium; tunc enim non præſumitur mala fides in ipſo emente. *Pariſ. conſ. 13. num. 69. lib. 1. Menoch. ibidem num. 10.* vbi ſimilem caſum refert ex *Baldo in l. ab Anaſtaſio C. Mandati*, ratio autem huius limitationis eſt, quia, cum iuſtum in emptione interuenerit pretium, emptor aliquod indebitum commodum non habuit; & ideo dolus in ipſo eſſe non potuit. *l. & eleganter. §. vlt. ff. de dolo. Ruinus conſ. 8. in fine. lib. 4.*

8 Quartò fallit Regula in ſucceſſore illius, qui contra iura emit. *Ruinus cõſ. 69. verſ. præterea lib. 3. Menoch. præſumpt. cit. num. 46.* & ratio videtur eſſe, quia nemo præſumitur malus, ſed potius bonus, quando nullæ adſunt circumſtantiæ cauſantes ſuſpicionem, & præſumptionem malitiæ; idcircò, cum in ſucceſſore, vt ſupponimus, tales circumſtantiæ non interueniant, præſumptio malæ fidei extinguetur in præceſſore, & ad ſucceſſorem minimè tranſibit.

9 Quintò fallit, quando quis probabili errore captus contractum emptionis aliàs iure prohibitum celebrat, cuius generis eſt is, qui exempli gratia emeret à pupillo ſine tutoris auctoritate, credens eum eſſe puberē, vt ſupra dixi, ita docet *Streinius hic in fine ex Bartolo in L. non fatetur ff. de confeſſ. Gratian. de ſcept. for. tom. 1. cap. 496. & alij apud eundem Streinium*, & ratio eſt, quia tunc non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam bona ſua fide defenditur.

10 Sextò denique Regula non procedit, quando ſimpliciter non videatur ementi aſſiſtere, tamen expreſſè non reſiſtit; tunc enim dolus nequaquam præſumendus eſt *Alciat. de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 20. Rip. in cap. cum Eccleſia num. 94. verſ. intellige iſtum de cauſa poſſ. & propriet. Menoch. loco ſupra cit. num. 45.*

REGVLA LXXXIII.

Bona fides non patitur, vt ſemel exactum iterum exigatur.

1 EAdem eſt hæc Regula cum ea, quæ habetur in iure ciuili *L. Bona fides. 99. ff. de Reg. iur.* cuius diſpoſitio eſt valdè æquæ rationi conformis, adeoque clara videtur, vt nulla ferè egeat declaratione; nemo enim dubitare poterit, quin nequeat quiſpiam iterum illud ipſum exigere, quod iam exegit, eſſet enim hec manifeſta iniuſtitia; quia per ſolutionem eius, quod debetur, omnis prorſus extincta eſt obligatio: propterea dolo facit, qui ſcienter repetit, quod iam in iudicio, vel extra ſolutum ei fuit à debitore, ſiue per ſe, ſiue per alium, ſiue per actualē pecuniæ numerationem; ſiue compenſationem, ſiue per ceſſionem in ſolutum iam acceptatam, ſiue denique alio quocumque modo. Quæ autem de materia huiuſce legis dici poſſent, faciliſſima videntur, ideoque legenda remitto, tum apud *PecKii, & Streinium hic*, tum etiam apud alios iuriſtas in *d. L. Bona fides*.

REGVLA LXXXIV.

Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti.

CAPVT I.

Præmittuntur aliqua ad Regulæ notionem, & nonnulli explicantur caſus, in quibus præſens diſpoſitio procedit.

IN omni diſpoſitione verba cedere debent menti legiſlatoris, & non è con- 2
uerſo; idcircò rectè in præſenti Regula ſtatuitur, quod vna via prohibitum cenſeatur, alia via non eſſe permiſſum. *L. eam quã. C. ſi mancipium*; facilè enim fraus committeretur, ſi quod eſt vna via interdictum alijs vijs tentari, & ſub velamine aliquo obtineri poſſit: quod ſanè nonnullis proponendis caſibus, & exemplis dilucidabitur.

Duo autem ad maiorem Regulæ intelligentiam ſunt obſeruanda, & diligenter animaduertenda. Primò videlicet, quòd vno prohibito cēſentur conſequēter prohibita ea, quę ad rem principaliter vetitam conducunt, ſeu per quę ad illam peruenitur, loquendo tamen de iis, per quę neceſſario ad rem per ſe, & primariò inhibitam deuenitur, non autem de illis, per quę ſolum contingenter, ſeu poſſibiliter, ita *Auguſtinus Barboſa* ex pluribus Canoniſtis, quos refert *axiom. 193. num. 4.*

Secundo animaduertendum eſt, non 3
poſſe fieri indirectè, quod eſt directè prohibitum, vt aſſerit idem *Barboſa* multos citans ibidem *num. 5.* & meritò, quia aliàs fraus minimè vitaretur, & facilè contra legiſlatoris mentem fieri poſſet, vt in ſe-

3 ſequenti capite videbimus.

His præmiſſis ad particulares caſus deuenio.

Et primò dico, quod ſi à matre in teſtamento prohibitum ſit, ne pater adminiſtret tanquam pater bona, quæ filijs ipſa relinquit, volens, eos eſse emancipatos, certè neque poterit pater adminiſtrationem prædictam ſuſcipere, tanquam curator *L. Scire oportet. § ſi mater ff. de tutor. & curator. datis ab his. Dynus hic in princ. num. 1. & Streinius ver. idem in Patre.* & ratio eſt, quia, quod vna via prohibetur, ſuſcipi alia nequit.

4 Dico ſecundo. Ex Senatus conſulto Macedoniano interdicitur cuique, ne pecuniam creditam det filio familias; ſi autem loco pecuniæ darentur ei alia bona pecunijs æſtimabilia, vt triticum, oleũ, vinum, & ſimilia, ad hoc vt ijs venditis pecunia vtatur, eamque loco mutui accipiat, in fraudem legis, & contra diſpoſitionem præſentis Regulæ fieret. *L. ſed Iulianus §. mutui ff. S. C. Macedon.*

5 Dico tertio, Regulam locum habere in cauſſis fauorabilibus, & in vltimis voluntatibus: exemplum affert *PecKius hic num. 4. ampl.* 1. de Religioſis, quibus interdictum eſt ſuſcipere abſque legitimi ſuperioris licentia munus exequendi extremas voluntates *ex Clem. exiui. § Proinde cum vir ſanctus. de verb. ſignificatione*. hæc autem prohibitio non ſolum intelligendam eſse de directa, ſed etiam de indirecta executione, docet idem *PecKius*: & appellat indirectam, quando teſtator vult, vt executores ſuam ipſius voluntatem expleant, adhibito prius cõſilio Religioſi viri; tale enim munus, vt ipſe ait, tunc per obliquum fieret, & ſacris iuribus, & præſentis Regulæ diſpoſitioni contraueniretur.

Cæterum, quãuis aſſentiar tanquam rei certæ, non poſſe religioſum abſque ſui Prælati licentia executoris teſtamentarij munus ſuſcipere, nihilominus, loquendo indirectè, exemplum, quod affertur, non placet; quia dare executoribus conſilium non eſt Religioſis in iure prohibitum, imò permiſſum ex d. Clem. exiui. & fusè id probat *Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 11. n. 18. & ſeq.*

6 Dico quartò, quod, ſicuti Prælatus, vel beneficiarius electus, antequam ſit cõfirmatus, nequit directè bona Eccleſiæ adminiſtrare, ita neque id poterit facere, vt procurator, ſeu receptor, & œconomus nec ſub alio quæſito colore, in totum, vel in partem: ita vt, ſi ſecus faciat, eo ipſo priuetur omni iure acquiſito per electionem: & ratio eſt, quia exerceret indirectè, quod ei directa via prohibetur contra expreſſam diſpoſitionem textus *in cap. auaritiæ de elect. in 6.* vbi communiter ſcribentes *Gonzales ad Reg. 8. Cãcell. Gloſ. 15. n. 52. Flamin. de reſign. lib. 12. quæſt. 3. n. 26.* Quod tamen intelligitur, quando interuenerit fraus, & dolus ex parte electi, vt deprehenditur ex verbis textus *in d. cap. auaritiæ*, ibi *exquiſitis fraudibus.* ſecus verò eſt, quando dolus abſit; quia inſtitutio etiã nulla ex errore facti excuſat ab illius pœna; vt ait *Barboſa in d. cap. auaritiæ n. 3.* allegans *Rotã in vna caſſalenſi Parochialis* 22. *Maij.* 1587. *coram Robuſterio.* Præterea id non intelligitur de prouiſionibus Apoſtolicis, quæ vnico actu expediuntur; quia in eis electio, & confirmatio ſimul, & ſimul procedunt *Barboſa, vbi plures loc. cit. n. 4.*

Quæres tamen hic, num ſi electus antecedenter ad electionem fuerat procurator, ſeu œconomus, poſſit poſt electionem, ſed ante confirmationem, proſequi officium œconomi, quod iam habeat? puta Titius fuit ab Epiſcopo inſtitutus œconomus ob mortem anteceſſoris, vel ob diſcordiam patronorũ, &c. poſtea verò facto concurſu poſt examen dignior inuenitur, & eligitur, nec ideo ceſſat adminiſtrare, & fructus percipere; an iure id facere queat?

Affirmatiuã ſententiam modicùs defendit contra communem *Caſtropalaus par. 2 tract. 13. diſp. 3. p. 2. n. 5* putãs, quod textus *in d. cap. auaritiæ.* loquatur de illis, qui ratione electionis, & iure ſibi ex electione competente bona Eccleſiæ ante confirmationem adminiſtrant, non autẽ de ijs, qui fuerant iam deſignati ab Ordinario ad talem adminiſtrationem: idque nonnullis alijs rationibus cõfirmat, cuius ſententiam amplexus eſt eruditiſſimus *P. Franciſcus Muſſaria* noſtræ Soc. in quodam ſuo manuſcripto, vbi eam fuſè probat.

Veruntamen communis opinio aſſerit *ex d. cap. auaritiæ*, nõ poſſe prædicto modo inſtitutum œconomum poſt electionẽ adminiſtrare, ita vt aliter faciens reddatur inhabilis ad beneficium & hanc ſententiam ſequuntur *Barboſa de off. & pot. Epiſc. p. 3. alleg. 57. n. 224. & in Conc. Trident. ſeſs. 24. de reform. cap. 18. n. 45.*

Gar-

Garzia de Benef p.9.cap.2.n.25.& ſeq. Lunanous in lucubrat tract. de elect. to.1. tit.4 ſup.a5.n.7.& alij.

Sed hac communi ſententia non refra-
6 gante negari nequit, quin opinio Caſtro-palai ſit probabilis propter efficaces rationes ab eo allatas, & canonũ de re hac loquentiu interpretationes, quas apud eũ videndas relinquo; Aduerto eũ camdẽ opinionem Caſtropalai valde cõformem eſſe verbis, quæ habentur in declarationibus *Conc. Trid. ſuper ſeſſ. 24. C. 18. de*
7 *reformati. nu. 38. §. vltimo pag. mihi* 509. vbi ſic legitur [Qui cum non ſit examinatus, obtinet *Parochialem*, in qua virtute huius Cõcilij nullum ius habet, ſi examini ſe ſubijcere vult, audiendus eſt, & idoneus repertus, admittendus, & cõfirmandus.] Quid melius?

8 Nolo tamẽ hoc loco omittere optimã doctrinam, quam tradit *Maſiobrius in praxi habendi cõcurſ. requiſit. 1. dub. 25. per. tot.* vbi diſtinguit, quod ſi electus ante electionem erat ſimplex procurator, ſeu œconomus deſtinatus dumtaxat ad exigentiam, & cuſtodiam fructuum Eccleſiæ, tunc poſt electionẽ, & ante confirmationem poteſt iure adminiſtrationem proſequi, & exercere; ſecus vero, ſi erat inſtitutus œconomus cum poteſtate percipiendi fructus; quia tunc ſequens ipſe opinionem Barboſæ Garziæ, & Lauorij à me paulo ante allatam affirmat procedere diſpoſitionem *tex. in d cap. Auaritia.*

CAPVT II.

De reſtrictionibus, à quas præſens Regula patitur.

9 ADuertendum eſt primò, Regulam mitare in eo caſu, in quo ius reſiſtit in odium rei prohibitæ: cæterum, ſi ius ratione alicuius defectus cõtingentis aſſiſtit, tunc fallit diſpoſitio hæc, & contraria habet locum, ita *Dynus* hic in fine.

10 Secundo, licet vi huius Regulæ prohibito directò, ſeu principali ſit etiam prohibitum, quod ſe habet conſequenter, & indirectè, vt diximus capite præcedẽti, nihilominus id limitatur, quando eſt diuerſa ratio, vt notat hic *PecKius nu 4. ampl. 3. in fi.* quia tunc cenſetur indirectè permiſſum, quod directè prohibetur.

11 Tertiò, quando aliquid vetitum eſt, tũc niſi aliud conſtet, intelligitur prohibitum dumtaxat quoad id, quod vel principaliter, vel conſequenter ſe habet, non autẽ quoad viam, medium, aut modum V. g. illegitimus eligi nequit in *Prælatum*, ſed tamẽ poteſt à Pontifice poſtulari *Cap. innotuit de elect.* quia poſtulatio non ſe habet, neque principaliter, neque conſequenter ad electionem, ſed eſt via modus, ſeu medium, quo petitur à Pontifice diſpenſatio in impedimento *Streinius hic num. 2.*

Quartò ſi quis legatũ Titio relinquat eum rogans, vt emancipet Sortem filium ſuum, quamuis filius petere nequeat ſui emancipationem à Titio patre, qui legatum agnouit, attamen nil prohibet, quo minus alia via eam petere poſſit, nempè officiò Iudicis *L. ſi cui ff. de cond. & demonſtr. Dynus hic nu. 13.* 12

Quintò ille, cui duplici iure defertur hæreditas, quãuis vna via ſuccedere prohibeatur, poteſt tamen alia via non prohibita ad hæreditatis ſucceſſionem admitti *tex. in L. ſuum hæredem. C. de Iur. delibet. L. quoties duplici. obi ſcribentes ff. de reg. Iur.* 13

Sextò Iudex, qui alias ſuper cognitione directa alicuius cauſſæ eſſet incompetens, & ius dicere nõ poſſet, poterit quandoque in tali cauſſa incidenter, & indirectè iudicare, & fieri competens propter peculiarem, congruamque rationem à Iure adductam, nempè, ne continentia cauſſæ diuidatur, neue actor, & reus coram diuerſis iudicibus eodem tempore propter incidentem quæſtionem litigare cogantur cum ingenti, & inutili ſumptuum iactura *L. nulli C. de Iudicijs, & cap. pen de reſt in integr. Streinius obiect. 2. & PecKius nu. 7. in reſponſione ad 3. dub.* ex quo fit v. g. vt Iudex *Eccleſiaſticus*, qui de cauſſa matrimoniali principaliter cognoſcit, poſſit etiam de cauſſa dotis incidenter cognoſcere, licet enim reſpectu cauſſæ dotalis incompetens ſit, per accidẽs tamẽ talis iuriſdictionis capax redditur, vt ego ipſe latè probaui ſupra in *Reg. 42. Acceſſorium cap. 16 per. tot.* quid autẽ & quotuplex ſit hæc cauſſæ continentia, vide apud *Andream Gallium lib. 1 obſer. 32. nu. 1. & ſeq.* Ego autem materiam hãc de cauſſæ continentia, vtpote nimis amplam, multasque cum ampliationes, tum reſtrictiones admittentem, penes doctores tractantes de Iudicijs, & foro competenti videndam relinquo. 14

Septimo Beneficiarijs, & *Prælatis* in- 15

dictum eſt teſtari de bonis eccleſiaſticis *Cap. ad hæc Cap, relatũ de teſtam.* hæc tamen diſpoſitio non procedit in prouentibus beneficiorum, quos ſubduxerunt ipſorum congruæ ſuſtentationi, vt cõmuniter docẽt auctores *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 19. dub. 4. n. 41. & ego ipſe in ſelectis lib. 3 quæſt. 10 ſect. 2. n. 17.* de ijs enim bonis non eſt prohibitum teſtari, & donationem alijs inter viuos facere de qua re vide *Streinium in hac Regula obiect. 2. Molin. tract. 2. de iuſt. diſp. 146. n. 2. & 3.*
21 *Sot. de iuſt. lib. 10. qu. 4. nu. 3. Molina de primog. cap. 12. n. 50. Fillиucius tract. 43. cap. 3. n. 6. Bonac. var. quæſt. diſp. 4. p. 3 n. 4. & alibi Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 3. cap. 17. n. 77. Salern. conſ. 50. n. 1. & alij ab eiſdem relati*, Quod verò ſpectat ad prouentus, qui congruam beneficiarij portionem excedunt certum vtique eſt, veti-
22 tum eſſe regulariter de ijs teſtari, vt patet ex citatis iuribus, at nihilominus aſſerit idem *Leſſius dubit. cit. n. 42.* ex cõſuetudine quibuſdam in locis recepta beneficiarios de his fructibus ad opera pia donare, & teſtari poſſe, & colligitur ex *Tridentino ſeſſ. 25. de refor. cap. 1. Barboſa de*
23 *iur. Eccleſ. lib. 3. cap. 17. n. 21. Nauar. de redd. eccleſ. quæſt. 1 monito 34. Molina de Iuſt. tract. 2. diſp. 148. concl. 4.*

REGVLA LXXXV.

Contractus ex conuentione legem accipiunt.

CAPVT VNICVM.

Quo pacto Regula intelligatur?

HVius Regulæ diſpoſitio eruitur ex varijs legibus in iure ciuili contẽtis, quas hic ſcribentes afferunt. *Ego* verò in eius explicatione non nimis immorabor; parum enim in ea difficultatis reperitur. *Solum* igitur pauca, quæ ad maiorem ipſius notitiam faciunt, breuiter aperiam.

1 Dico igitur, quod cõtractus legem accipiunt, quatenus determinatam formam ex partium conuentione ſortiuntur. Nomine autem cõuentionis intelligitur pactum, quod fit ex contrahentium conſenſu, quod quidem pactum dicitur pars cõtractus. *PecKius n. 4. ampl. 1. ex L. Iuris gentium §. quin imò. ff. de pactis.* & meritò
2 id aſſeritur, quia conuentio ad eamdem rem tendit, quam contractus continet; idcircò ob rei vnitatem eodem vtuntur iure, ac proptereà læſio vnius cenſetur læſio alterius partis *L. ſi duorum ff. de. act. empti.*

3 Animaduertunt hic Auctores, conuentionem, de qua loquimur, fieri poſſe, ſiue illam exprimẽdo in ipſomet contractu, ſiue incontinenti poſt contractum; conuentiones enim, quæ incõtinenti adijciuntur, perinde ſunt, ac ſi vnico contextu, vnicone actu factæ ſint *Doctores in L. lecta ff. ſi cert. petatur. PecKius hic ampl. 3.*

4 Incontinenti autem fieri dicitur conuentio, ſeu pactũ, etiamſi contractui adijciatur nõ ad punctũ, ſeu momentũ, ſed vel antequam partes ad extraneos actus deueniant, vel antequam contractus pro perfecto habeatur, licet interim alia pacta fierent; quia incontinenti fieri dicitur, quod durante adhuc negotio fit; ly enim, *incontinenti*, debet ſumi non mathematicè, ſed ciuiliter, vt ait *PecKius ibidem n. 3. & Streinius ſub n. 2. ampl. 1.*

REGVLA LXXXVI.

Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non alijs imputari.

CAPVT VNICVM.

Traditur Regulæ explicatio, & nonnulli caſus in ea comprehenſi afferuntur.

1 DIſpoſitio, quæ in præſenti Regula continetur, verbis idem ſignificãtibus habetur *in L. 204. ff. de Reg. Iur.* vbi ſic dicitur [Quod quis ex ſua culpa damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire] explicatur autem propoſitio hæc per iuris interpretationem, vt ait *Streinius hic in princ.* quatenus videlicet ius culpam committenti patrocinium minimè præſtat: ideoque ſtatuitur damnum ipſi reo; non autem alteri imputandum. Plura à ſcribentibus circà hanc Regulam recenſentur exempla, quæ procedere poſſunt in contractibus, in teſtamentis, in iudicijs, in pœnis, & in delictis, vt mox declarabitur.

2 Et primò locũ habet Regula in contractibus, exempli cauſſa, ſi quis parum diligentem ſocium aſſumit, ſibi imputet *§. fin. inſt. de Societ.*

Secundò in teſtamentis: puta, qui minus cautè, & abſque inuentarij beneficio damno;

noſcat, adit hæreditatem; ſuæ id ſtultitiæ referat; propterea vltra hæreditatis vires tenebitur *L. fin. C. de Iure deliber.*

3 Tertiò in Iudicijs V.g. qui arbitrum elegit, à quo ſententiam iniquam tulit, ſibi ipſi debet imputare, qui malã fecit electionem *L. diem ſtare ff. de recept. arbitris.*

4 Quartò in pœnis, & delictis: hinc procurator repetere non poteſt à domino pœnam pecuniariam, quã ex ſuo delicto paſſus eſt *L. qui proprio. §. item. de procur.* ſimiliter fideiuſſor, qui ſoluit vſuras, ad quas ex vi contractus non tenebatur, eas à principali debitore recuperare nequit *Streinius in explicatione huius Regulæ, & PecKius à n. 2.* vbi hæc, & ſimilia exempla recenſet.

5 Quintò militat Regula, etiamſi nullus dolus, aut delictum commiſſum ſit, vt aſſerunt *Streinius ampl. 1. & PecKius ampl. 3.*

6 Sextò non ſolum, qui damnum facit, ſibi ipſi debet imputare, ſed etiam quandoque de crimine ſuſpectus eſſe poteſt; cuiuſmodi eſt hæres, vel tutor, qui inuentarium non fecit. *§. Si verò non feceris. auth. de hæred. & Falcidia L. Tutor. qui. ff. de adminiſtr. tutorum.*

7 Septimò præſens diſpoſitio vim habet non modo in damno alicui propria culpa emergente, ſed etiam in lucro ceſſante. V. g. ſi quis, cum deberet ſcribi hæres, culpa propria non ſcribitur, certè de ſe ipſo, non de ſcripto hærede quæri debet.

Denique pro complemento huius Regulæ animaduerto, prædicta omnia, quæ in allatis exemplis aſſerui, procedere etiam in alijs ſimilibus, in quibus eodem modo eſt philoſophandum.

REGVLA LXXXVII.

Infamibus non pateant portæ dignitatum.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex ſit infamia, & quare à dignitatibus excludat?

EXacta infamiæ diſcuſſio non ita propria præſentis Regulæ videtur, vt non pertineat magis ad alias materias; puta ad tractatum de Irregularitate, de Beneficiis eccleſiaſticis, & c. quibus in locis ſolent doctores, præſertim Canoniſtæ, de infamia pertractare. Veruntamen, ne nos omninò in hac re ieiunè loquamur; placet ſanè pauca quædam de infamia attingere.

Exordium autem ſumo ab eius definitione, quæ communiter ſic tradi ſolet. Eſt læſæ dignitatis ſtatus legibus, & moribus reprobatus, vt ex *Bar. ad L. p. ff. ex quibus cauſis infam. irrogatur*, ait PecKius *in hac regula nu. 3.* ſeu, vt aſſerit *Sanchez tom. 5. in 3. p. dub. 4.* eſt quædam bonæ famæ priuatio, ſeu diminutio; ſicuti è conuerſo bona fama eſt illæſæ dignitatis ſtatus vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus. *L. cognitionem. ff. de var. & extraord. crim.* 1

Diuiditur autem potiſſimum infamia in infamiam iuris, & infamiam facti, de qua diuiſione fit mentio in iure ciuili; de priori quidem in *L. p. 2. & 3. ff. de his, qui not. infam.* de poſteriori vero in *cap. licet de probat.* Iuris infamia ea dicitur, quæ ipſo iure, vel per ſententiã irrogatur in caſibus, ſeu criminibus illis, in quibus ipſum ius ſtatuit, Reum ob tale, & tale crimen, de quo legitimè conſtat, infamem eſſe, crimina autem, quibus ius infamiam adnectit, recẽſentur in *L. 1. cit. ff. de his, qui not infam. & cap infamis 6 quæſt. 1* Infamia facti appellatur illa, quæ facto ipſo incurritur, quoties apud plures, eoſque graues, probatoſque viros bona fama diminuitur, ac deprimitur ratione alicuius prauæ actionis, qua notatur ille, qui infamis exiſtimatur. Cõditiones autẽ ad facti infamiam incurrendam requiſitę explicantur à *Sanchez d. cap. 3. dub. 4. cit.* 2

Præter haſce duas infamiæ ſpecies, quæ primariæ ſunt, aliæ à doctoribus ſub ijs contentæ enumerantur, pluresque hinc fiunt infamiæ diuiſiones, quas fusè affert *Suarez d. ſect. 1 per tot.* Sanchez tamen *dub. cit.* triplicẽ docet eſſe infamiã Prima eſt infamia facti iam ſuperius explicata. Secunda infamia iuris, quæ ſanè à iure ciuili prouenienſ, ipſo iure, ſeu per ſentẽtiam irrogatur. Tertia autem eſt infamia, quã vocat iuris canonici, quatenus, quis vi alicuius Pontificij decreti infamię damnatur. At verò res hęc eſt parui momenti; 3 quia ſi nomine iuris intelligatur ius dũtaxat ciuile, vt videtur velle *Sanchez* in ſua diuiſione, tunc debet infamia primario diuidi in triplex membrum, ne excludatur aliqua non excludenda; ſi autem ſub nomine iuris includatur tum ius ciuile, tum canonicum, ſufficienter diuiditur in illud duplex membrum, videlicet in in-

fa-

famiam iuris, & infamiam facti, & talis modus est apud Auctores vsitatior.

4 His præmissis deuenio ad præsentis Regulæ dispositionem, & dico, infamem quacunque infamię specie ex allatis notatū excludi à dignitatibus: nomine autem dignitatis in præsenti non solum intelligitur excellentia illa, quæ iurisdictionem, & administrationem inuoluit, & propriè, seu strictè loquendo, est dignitas; sed etiam quælibet alia excellentia, & honoris prerogatiua latè sumpta.

5 Ratio autem, quare infamibus dignitatum portę claudantur, diuerso modo assignatur; nam *PecKius hic num.* 8 inquit,
6 quod potestas, quæ malitię coniuncta est, robur, & vires addit; proinde talem conuenit impedire coniunctionem. Sed rationem hanc vniuersaliter non admittit *Streinius nu.* 2. vult enim, eā pertinere solū ad illos, quorū dignitas viribus constat, & veluti armatā sit: idcircò aliā ipse assignat rationē dicens, id oriri ex quadā indecentia, propter quam in hominum animis vilis existimatio, & contemptus generatur, & in confirmationē affert auctoritatem *Caramuelis in Theol. fundamentali n.* 153. vbi ait, portas dignitatum ideo infamibus claudi, quia per tales promotiones nō tam honorarentur infames, quàm infamarentur honores: breuiter autem sensus est, portas dignitatū infamibus obseruari, ne dignitates vilescerēt.

CAPVT II.

1 *De nonnullis infamiæ effectibus, quatenus attinet ad præsētis Regulæ extensionem.*

2 PLures in iure numerantur infamiæ effectus, vt patet *ex L. vnic. C. de infamibus lib.* 10. *L.* 2. *C. de dignit. lib.* 12. vbi scribentes, & alij laudati à *Sanchez lib.* 6. *conf. cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 6. inter quos quidem præcipuus effectus est repellere tū ab Ecclesiasticis, tum a sęcularibus dignitatibus, vt in præsenti Regula disponitur.

3 Verum, quia celebris est controuersia apud auctores, an videlicet infamia iuris nō solum repellat infamem à consecutione dignitatis, sed etiam priuet ipso iure dignitatibus iā obtētis, & acquisitis, idcircò placet hoc loco eā breuiter attingere. Aduerto tamen, quæsitum nō procedere de infamia facti; quia communis est doctorum opinio, quod ea, licet infamem reddat incapacē ad obtinēdas dignitates, non tamen priuet iam obtentis, vt asserit *Barbosa in explic. huius Regulæ n.* 4. vbi alios refert: controuersia ergo habetur in hac re de infamia iuris. 4

Prima sentētia affirmat cum limitatione mox afferenda, & ait, infamiam iuris 5 ipso iure priuare etiam dignitatibus obtentis, ita *ex L.* 1. *Similer C. de his, qui not. infam. vbi Glossa, Panorm. in cap. querelā de Iure iur. Tabiena, verbo Infamia n.* 4. 6 *Angelus in summa ibidem n.* 5 *Syluester eodem verbo quæst.* 10. *& alij*. limitant verò prædicti auctores hanc opinionem, vt non intelligatur de Beneficio ante infamiam obtento; quamuis nonnulli vniuersaliter loquentes hanc limitationem non admittant, vt docet *Couarr. lib.* 2. *variar. resol. cap.* 8. *n.* 4. *Diaz pract. crim. cap.* 7 106. *Simancas lib. instit. in nouo tit.* 46. *n.* 63. *Barbosa in cap. ad abolendam de Hæreticis n.* 5. *& seq.* & alij apud *Couar. loc. cit.*

Secunda sententia est contraria: vult 8 enim infamia iuris affectum non esse ipso iure priuatum dignitatibus, & beneficijs antecedenter acquisitis; ideoque asserit, ad hoc, vt infamis remoueatur ab obtētis, debere per sententiam condemnari à Iudice. ita docet *Sanchez lib.* 6. *conf. cap.* 3. 9 *dub.* 5. *cit. n.* 9. *ex* Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione. cap.* 9. *S. altera est adhuc*. Probatur autem hæc sententia ex *cap. ad abolendam. § præsenti de Hæreticis*, vbi textus loquens de hęretico ait [Totius ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur.] non inquit autem, esse ipso facto nudatum, significans, esse per sententiam spoliandum; quod certè etiam absolutè videtur docere *Barbosa in explicatione huius Regulæ num.* 5. de quibuslibet infamię iuris effectibus, dum ait, eos non haberi, nisi infamis sit in iudicio de crimine confessus, & conuictus, ac per sententiam declaratoriā condemnatus. Notat tamen hoc loco Sanchez; quod quāuis admitteretur prior opinio, non teneretur tamen hęreticus ante sententiam declaratoriam criminis resignare dignitatem, aut beneficium, etiam si in lege diceretur, quod ita delinquens sit ipso facto priuatus, quia, hoc non obstante, asserit ipse Sanchez, requiri saltem in hoc casu sententiam declaratoriam delicti, ad hoc vt huiusmodi infamis ipso facto à legē priuatus dignitates, beneficiaue resignet, non autem condemnatoriam.

Pras

Preter ſupradictum effectum alij aſſignari ſolent, quos ex varijs doctoribus explicat *Sanchez dub. cit. num.* 12. videlicet, infamē repelli ab accuſatione, poſtulatione, & teſtificatione in criminalibus, & grauioribus cauſis: rurſus ab exercendo officio tutoris legitimi, vel datiui,
11 non autem teſtamentarij: quę ſanè omnia, aliaque eiuſdem generis ad effectus infamiæ pertinentia vide apud *Sanchez loc. cit.*

12 Pergo nunc ad aperiendas nonnullas extēſiones, quæ huic regulæ tribui ſolent propterea dico primò, infamiā nō ſolū in loco, in quo fuit cōtracta, aut per ſententiā irrogata afficere infamē, ſed etiam in quocumque alio loco. *Bartol. in L. ex eo. ff. de poſtul. Caſtr. in L. prima ff. de his, qui not. infam. PeeKius hic nu.* 5. *ampl.* 1. *Streinius num.* 3. *ampliat.* 1. qui autores ad id probandum afferunt paritatē de lepra, alijſque infirmitatibus corporis; etenim quemadmodum lepra leproſum ſequitur quocunque ierit, ita infamia ſuos comitatur quocūque ſe verterint.

13 Dico ſecundo, Regulam extendi etiā ſublata cauſa infamiæ, & peracta iam pro crimine pœnitentia; adhuc enim infamia remanet; proinde, ſi quiſpiam incurrit, & poſtea ipſum criminis illius pœnituit, propter quod fuit illata, nequit vtique in iudicio teſtis idoneus eſſe. *cap. teſtimonium* 54. *de teſtibus*, vbi *Abbas*, &
14 *alij*. Limitatur tamē hoc, quando teſtium inopia adeſſet, & res ſuapte natura difficilis ſit probationis; quia tunc infamis pœnitens ad teſtificandū admittitur *Barboſa in d. cap teſtimonium*. Præterea limi-
15 tatur quoties infamia eſt facti, quæ per pœnitentiam omninò tollitur, idoneuſque reddit viros ad obtinendas dignitates, vt multi opinantur, inter quos vide *Streinium hic ampl.* 2. vbi citat *Tamburinum de Iur. Abb. to.* 1. *diſp.* 5. *qu.* 2. *n.* 6.

16 *Dico* tertiò, præſentē diſpoſitionē ampliari, vt neque infamis admittatur ad teſtanda in iudicio ea, quæ vidit, antequā infamiam incurrerit: & ratio eſt, quia non attenditur tempus præteritum, ſed præſens, quo quis per actualem infamiā fide indignus reputatur *Streinius ampl.* 3. ſufficit enim, vt quis infamis reperiatur tempore depoſitionis *PeeKij ampl.* 4.

REGVLA LXXXVIII.

Certum eſt, quòd is committit in legem, qui verba legis complectens contra eius nititur voluntatem.

CAPVT I.

Dilucidatur præſentis Regulæ diſpoſitio.

VErba eadem continentur *in L. non dubium. C. de legibus*. Congrua autem huius Regulæ ratio manifeſta eſt, 1
quia magis mens, quā verba ſunt attendēda; ratio enim, & mens ſeſe habet, vt ſpiritus, & anima; verba verò, vt corpus talis animæ *Sanchez lib.* 8 *de matrim. diſp.* 1. *n.* 11. *Gonzalez ad reg.* 8. *cancell. Gloſ.* 4. *n.* 56.

Pro maiori tamen præſentis diſpoſitionis intelligētia prænotandum eſt primò, 2
mentem legis, tunc dici certam, & euidentē, cum vel in ipſa lege clarè exprimitur, vel in vnica tantum ratione fundatur, ita vt nulla alia afferri queat, vel cum per argumentum inductiuum neceſſario, & concludenter deprehenditur, ita legiſlatorem ſenſiſſe, *Felin. in cap. ad noſtra de reſcript. Alciatus ad L. nominis §. fin ff. de verb. ſignif. apud PeeKium hic n.* 1.

Prænotandum eſt ſecundò, quòd caſu, 3
quo mens, & ratio legis clarè non liqueat, tunc colligenda eſt data congrua interpretatione; in interpretando autem tribuere debemus ſenſum, qui vitio careat; propterea reſpiciendum eſt, ne ex tali explicatione ſequatur aliquod abſurdū, ne detur delinquendi occaſio, ne quis cum aliena iactura locupletetur, & denique ne communis loquendi vſus violetur *Caſtrenſ. in L. ſcire ff. de legibus*.

Prænotandum tertiò, diuerſa eſſe hæc 4
duo, nempè contra legem agere, & in legē committere, ſeu fraudem legi ſtruere; is enim dicitur contra legem facere, qui contra id agit, quod expreſſè lex prohibet *L. contra ff. de legibus*: fraudem verò ille committit, qui verba quidem legis ſeruat, ſed mentem circumuenit, id faciendo, quod lex fieri noluit, ſed non vetuit *L. fraus ff de legibus*. licet, quantum ad effectum, & quod attinet ad præſentis regulæ diſpoſitionem, minimè differre videantur, cum in vtroque caſu tranſgreſſor pœna ſit dignus.

pre-

5 Prænotandum quartò, quod, ſicuti fraudem legi facit ille, qui verba legis amplectens contra eius nititur voluntatem, ita qui ordinem verba tantum ſequens mentem legislatoris nō ſeruat, *PetKius, & Streinius ampl. 2. referentes Barbatium, & Felinum in cap. cauſſam, quæ de reſcriptis.*

6 Prænotandum quinto, quod multipliciter fraus in legē committi poteſt. Septē ego principales modos recenſeam; cæteri enim ad hos reduci poſſent. Primo de re ad rem. Secundo de perſona ad perſonam. Tertio de vno contractu ad alium diuerſum contractum. Quarto de eodem contractu ad eumdem met contractum, diuerſo quidem modo conſideratum, & formatum. Quinto de loco ad locū. Sexto de tempore ad tempus. Septimo denique de nomine ad nomen. Quicquid in contrarium afferat Dynus putans, hos vltimos tres modos eſſe in effectu reducibiles ad primos quatuor, quod mihi diſcutere vanum eſſet; quæſtionem namque inſtituerem de ſolo vocabulo; ſolum itaque prædictos ſeptem modos iam aſſignatos determinatis exemplis demonſtrabo.

7 Et primò fit fraus legi de re ad rem, v. g. prohibita per legem frumenti extractione, ſi quis farinam extraheret, vtique ſecundum probabiliorem opinionem contra legē faceret, vt ego ipſe ſuſtinui ſuperius *Reg. 25. Odia, &c. cap. 1. per tot.* vbi etiam cap. 10. ob eaſdem rationes idē docui de exportatione muſti, ſtante ſtatuto prohibente extrahi vinum.

8 Secundo de perſona ad perſonā; quando videlicet quis per interpoſitam perſonam facit, quod per ſe facere a lege prohibetur ex *tex. in L. 2. §. 1. ff. de adminiſ. rerum ad ciuit. pertinent. & L. pupillus §. fin. ff. per interpoſitam ff. de autoritate,* & ego dixi ſupra in *reg. 67. quod alicui ſuo, & reg. 68. poteſt quis per alium, & c. & reg. 72. qui per alium,* quibus in locis exempla de hac re videri poſſunt.

9 Tertiò de vno contractu ad alium contractum, vt cum maritus, qui donationē vxori ſuæ facere nequit, eī res ſuas vēdit, & pretiū remittit, tunc enim fraudē legi faceret, quatenus ſub quæſito venditionis colore eadem donationem exerceret a lege prohibitam.

10 Quarto de eodem contractu ad eumdem contractum, v. g. mulier nequit pro alio intercedere, ſeu fideiubere, tamen ſi fideiubeat, aduerſus ſuam promiſſam fideiuſſionē beneficio S. C. i Velleiani iuuatur; ſi autem in eodem contractu ſingat, ſe non acceſſoriè, ſed principaliter, & directè obligare, in legem vtique committeret, & Senatus conſulti mentem violaret *L. quamuis §. cum eſſet ff. ad S. C. Velleianum.*

Quinto de loco ad locum v. g. ancilla fuit vendita, cum pacto ne proſtitueretur, certè non poterit in taberna poni ſub ſpecie ibi miniſtrandi, vt ſic proſtituatur *L. fin. C. ſi mancipium veneat.* 11

Sextò de tempore ad tempus: pone enim, quod proceſſus ſit formatus contra impuberem, & minorem; ſententia verò feratur contra maiorem, fieret vtique fraus contra legem quoad tempus ætatis *PetKius hic ſub n. 4.* 12

Septimo denique de nomine ad nomē, vt cum Beneficiarius, vel Prælatus electus, qui ante confirmationem adminiſtrare nequit, ſub quæſito tamē œconomi colore, & titulo adminiſtrare procurat; repugnat enim id ſacrorū canonū menti, vt patet *per tex. in cap. auaritiæ de elect. in 6.* de qua re ſuperius dixi in *Reg. 84. cap. 1. n. 6.* 13

Quāplures alij modi, quibus contra legis mentē fieri, & fraus in illā committi poteſt, aſſeruntur ab *Alberico in L. contra legem ff. de legibus,* quos ſanè apud eumdem videſi iubet.

Petes hic, an liceat verba legis violare ſeruata eius mente? Reſpondeo cum *Dyno hic n. 11. & ſeq.* quod, vbi conſtat de ratione, ſeu mente legis verbis contraria, tunc licet verba offendere, ad hoc vt mēs ſeruetur; & ratio eſt, quia verba magis ad mentem trahenda ſunt, quā mens ad verba. 14

C A P V T II.

Vtrum in legem committere dici poſſit, qui ſcienter contra legem nondum promulgatam aliquid operatur?

Q Væri hic poſſet pro complemento huius vltimæ Regulæ, an præſens diſpoſitio de fraude in legem nō committenda procedat non ſolum de lege iam lata, & publicata; ſed etiam de quamprimum ferenda, & promulganda? Puta, Titius ſciebat ſtatutum aliquod, vel edictum ei principe emanatum fuiſſe iam iam publicandum, & ante publi- 15

blicationem aliquod contra tale ſtatutum, ſeu edictum commiſit; an legis transgreſſor exiſtimandus ſit?

16 Reſpondent aliqui, inter quos eſt *Pekius, & Streinius ampl.* 1. Regulam ampliari etiam ad hunc caſum, & exemplum afferunt de eo, qui, cum ſciret iam iam publicandum edictum, quo V.g. pretium frumenti minuendum eſſet, attamen ante talem promulgationem frumentum pluris vendidit, eo ſcilicet pretio, quo tunc vendebatur. Rurſus exemplũ tradunt de eo, qui ſuis creditoribus ſoluit in ea moneta, cuius valorem quamprimum minuendum ſciebat: ſiue de eo, qui certo ſciens, bona ſua proſcribenda eſſe, ea tamen antea in fraudem fiſci vendidit.

17 Ego vero rẽ hanc diſtinctione adhibita reſoluendam eſſe cenſeo, & aio, quod aut loquimur in ſoro externo, aut in foro cõſcientiæ. In foro externo certum videtur, quod ſcienter vendens frumentum pretio currente, quo ante edicti promulgationem valebat, licitè id faciat: idemque dico de alijs ſimilibus caſibus; & ratio eſt, quia lex non obligat ante legitimam promulgationem, quamuis eius emanatio, aliunde certò ſciatur *L. leg. C. de legibus.* vndè docent communiter auctores, quod ij, qui, dum lex conderetur, interfuerunt publico Regis conſilio, vel ſenatorio cætui, non obligentur ad legem ſeruandam, antequam eiuſdem legis promulgatio fiat: & hoc propter prædictam rationem, nimirum, quia de forma legis eſt publicatio. Ita in terminis docet *Suarez lib 6. de legibus cap.* 11. *& lib.*3. *cap.* 16 *num.* 12. *& ſeq. Salas de legibus diſp.* 12. *ſect.* 1. *num.*1. *Bonacina de legibus diſp.* 1. *qu.* 1 *pu.*4. *nu.* 10. *& alij.*

In foro autem conſcientiæ controuer-
18 ſia eſſe poteſt, an ſcienter committens in legem nõ adhuc promulgatam, in caſibus poſitis, & ſimilibus, peccet contra iuſtitiam, vel ſaltem contra charitatem? Aſſerunt aliqui peccare cõtra iuſtitiam, quos affert *Molina de iuſt. diſp:* 354. *in princ. & alij.* Sed contra eos viget communis opinio, quam tenent cum D. Thoma idẽ *Molina loc. cit. Rebellius, Leſſius, Diana,* & plures alij relati à *Delugo de iuſt. tom.* 2. *diſp.* 26 *ſect.* 8. *S.* 2. *per tot. à nu.* 139. quẽ nouiſſimè ſequitur amiciſſimus meus, ac vtriuſque Theologiæ peritiſſimus *Thomas Tamburinus in decalogum lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 7. *S.* 4. *à num.* 21. *& ſeq.* Vir ſanè inter probatiſſimos quoſque noſtri ſæculi ſcriptores non vulgari ingenij præſtantia decoratus, atque in enienendis ſimul ſcribendi perſpicuitate, elegãtia, ac breuitate nemini ſecundus: & huic ego ſententiæ tanquam communiori adhæreo. Moneor autem, quia, vt prædicti auctores aſſerunt, tanti iuſtè res venditur, & emitur, quanti nunc valet, nec ſcientia priuata debet ſcienti nocere. Quæ quidem opinio procedit quoque in eo, qui notitiam habuit à Magiſtratibus, & Senatoribus de pretio rei, vel monetæ valore iam iam diminuendo: imò etiam in ipſo Principe, & in Conſiliarijs, qui legi condendæ interfuerunt, ſuumque pro talis legis editione votum dederunt, vt contra nonnullos ſuſtinet *Delugo loc. cit. nu.* 140. Dummodò tamen Princeps, & Conſiliarij prędicti non differant ex industria legis promulgationem, vt interim carius vendant, vel vilius emant, vel aliquid aliud contra legem, vel edictum promulgandum exerceant; id enim facere ex iuſtitia nequeunt, vt locis citatis animaduertunt *Delugo, & Tamburinus.*

An autem ſit ſaltem peccatum contra 19
charitatem ſcienter operari contra legẽ promulgandam in ijſdem, vel ſimilibus caſibus, dubium eſt inter auctores; aliqui enim id affirmare videntur, eoſque adducit *Salas de legibus* relatus à *Delugo ibidem num.* 147. Sed contraria opinio communior eſt, & fundatur, quia non peccat contra charitatem, qui vtitur iure ſuo; vnuſquiſque enim quoquo ſibi vtiliori modo poteſt rebus ſuis ritè conſulere, etiamſi æquale damnum proximo ſequatur. Aduertunt tamen iure optimo citati auctores, hanc ſententiam non procedere, quoties proximus notabile aliquod damnum pateretur, grauiſſimãque neceſſitatem incurreret; quia talem proximi iacturam quilibet etiam cũ proprio damno euitare ex charitate tenetur.

De hac autem materia varios caſus ſimiles, atque ad praxim ſpectantes refert, & examinat per plures numeros *Eminentiſſimus Delugo à S* 2. quem, ſi placuerit, conſule.

Hæc in omnes, quæ in ſextò volumine continentur, iuris canonici Regulas pro mearum virium tenuitate expenſa ſufficiant ad laudem, & gloriam Dei, & B. Virginis ſine originali labe conceptæ, ac SS, Ignatij, & Xauerij.

F I N I S.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVAE IN HOC TRACTATV, DE REGVLIS IVRIS CANONICI Continentur.

Littera R. Regulam, C. Caput, N. Numerum marginalem, P. Paginam denotat.

A

Abbas.

VEnit appellatione Monachorũ in fauorabilibus, non in odioſis. R. 15. c. 8. n. 56. p. 173.

Abbatiſſa

Venit appellatione Monialium in fauorabilibus, non autem in odioſis, R. 15. n. 56. p. 173. An comprehendatur ſub prohibitione loquendi cum Monialibus? ibid. n. 57. c. 9.

Abſentia

Aequiparatur aliquo modo ignorantiæ. Vide in Digreſs. de Abſentia n. 1. p. 140. Aptatur non ſolum perſonis, ſed rebus ipſis, ibid. n. 3. Quid, & quotuplex ſit ibid. nu. 4. p. 141. Abſentia an præſentia in dubijs præſumenda ibid. n. 9. p. 142. Abſentiam allegans tenetur eam probare. n. 12. An præſumatur iuſta, & legitima, nec ne, n. 13. & 14. Non præſumitur iuſta, quando abſens tenetur reſidere, ibid. Abſentia Epiſcopi quoad beneficium alternatiue non amittendum, an breuiſſima fuerit, nec ne, prudentis viri arbitrio remittitur. ibid. nu. 29. p. 147. Abſentia Parochi cum licentia Epiſcopi cauſſa edocendi v. g. Theologiam in alia Ciuitate, an eum excuſet, ita vt fructus prebendarum adhuc percipiat, ibidẽ n. 35. p. 149. Abſentia Parochi à propria Eccleſia pro ſeruitio Eccleſiæ Cathedralis, vel vt exerceat munus Vicarij, aut Inquiſitoris etiam maioris, an ipſum excuſet, ita vt fructus ſui beneficij, quamuis abſens percipiat? n. 38. p. 151. Abſentia à Nouitiatu, an ita eum interrumpat, & irritet, vt ſi nouitius, qui fuit abſens, velit in eadem Religione permanere, debeat iterum recipi, & nouum annum inchoare, preſertim ſi abſentia fuit ad modicum tempus? nu. 46. & 47. p. 153. Et quid ſi non fuit abſens voluntariè, ſed ex dimiſſione ſuperioris? ibid. n. 47.

Abſens.

Quando nõ in iure habeatur, vt præſens. Vide Digreſs. de Abſentia qu. vnica per tot. p. 140. Abſens, qui dicatur quoad præſcriptiones ibid. n. 7. Qui dicatur in iudicijs n. 8. Abſens, vt dicatur præſens, debet concurrere cauſſa legitima n. 13. p. 142. Abſens cauſſa Reipublicæ etiam per annum, cenſetur præſens iuriſdictione. n. 28. p. 147. Abeſſe ex quibus cauſſis poſſint Epiſcopi, cæterique animarum Rectores à propria Eccleſia? n. 35. p. 149. Abſens verè dicitur, qui mortuus eſt, itaut qui in locum abſentis fuit ſubrogatus perſeuerare debeat, ſi ille moriatur n. 41. p. 152.

Acceptilatio.

An poſſit fieri in diem, vel ſub conditione. R. 50. n. 15. p. 343. & n. 37. p. 345.

Acceptio perſonarum. Vide Perſona.

Acceſſorium

Quid ſit, & quotuplex, & an ſemper ſui principalis naturam ſequatur, & in quibus caſibus. R. 42. c. 1. p. 275. Poteſt quandoque eſſe magis nobile, quàm principale. ibid. Quot modis ſumatur. ibid. An ſequatur naturam principalis, cum quo eſt dumtaxat iure humano connexum, non autem naturaliter. ibid. n. 10. p. 278. Acceſſorium an, & quando dicatur illud, quod cum altero cõiunctum legitur, mediante prepoſitione, *Cum*, vel coniunctione, *Et*. R. 42. n. 81. p. 303.

Accuſatus

Nequit accuſatorem ſuum reaccuſare. R. 32. n. 7. p. 209.

Actor

Actor in iudicijs, qui dicatur. R. 11. n. 1. p. 84.

Actor, & Reus vocantur communiter partes, & quare ibid. nu. 2. Actoris petitio ſi obſcura ſit, in eius fauorem eſt interpretanda. n. 11. p. 86. Actori non licet, quod Reo non permittitur. R. 32. per tot. p. 207. & ſeq. Actori non permittitur poſt recognitionem depoſitionum, quæ à teſtibus proditæ ſunt, ulterior recognitio. ibidem nu. 22. p. 208. Actori non licet procuratorem reuocare poſt litis conteſtationem, niſi cauſſa cognita. ibid. Actor debet, & ipſe perſonaliter in iudicio comparere, ſi obtinuerit Reum perſonaliter eſſe citandum. ibid. n. 3. Actor, & Reus, an ſemper in eadem cauſſa à pari procedant ibidem no. 4. & ſeq. p. 208. Actori in principio litis fauendum. ibid. ſub n. 5. Et quid in medio, & in fine ibidem. & Reg. 11. n. 10 p. 86. Actori permittitur ex pluribus iudicibus, quos habet reus, unum eligere alijs recuſatis, ibid. n. 7. p. 209. Actoris iuramento fides præſtatur quoad qualitatem, & quantitatem rerum amiſſarum per furtum à fure commiſſum, ſi alia via id nequeat in iudicio probari, ibidem. Actor poſt litem conteſtatam poteſt libellum ad libitum variare, ſolutis tamẽ Reo expenſis. R. 33. n. 4. p. 210. Actor replicando non intelligitur fateri exceptionẽ Rei. R. 63. n. 6. p. 385.

Actus

Valet, ut poteſt, non ſicuti agitur. R. 37. n. 55. p. 243. In dubio validus cenſendus n. 62. p. 245. ſi eſt individuus nequit pro parte approbari, & pro parte reprobari. Reg. 58. n. 4. p. 262. Secus verò ſi plures in eo contineantur reſpectus non connexi. n. 8. Actus quidnam in iure importet. Reg. 50. n. 1. p. 340. Actus legitimi quinam in iure dicantur. ibid. nu. 3. 5. 6. & cap. 2. per tot. Non recipiunt diem, neque conditionem, aliàs vitiantur. ibidem n. 4. quo autem pacto id intelligatur n. 7 p. 347. Recipiunt modum ibid. n. 19. p. 344. Actus ipſo iure nullus poteſt iterum fieri; ſecus ſi fuerit nullus ope exceptionis, vel Iudicis officio. Reg. 52. n. 10. p. 354. Contra legem factus eſt ipſo iure nullus. *Vide Nullum.* Actus quandoque tribuitur ordinario, & non exequenti. Reg. 72. ſub n. 42. p. 418.

Aduocatus

An licitè poſſit in pari dubio defendere cauſã actoris contra *Reum*. *R.* 11. cap. 3. per tot. p. 87. An licitè poſſit patrocinari ſuo clienti, ſi aduerſarij rationes videat eſſe probabiliores. ibidem nu. 24. p. 88. Aduocati, *Procuratores*, Aſſeſſores, Medici, & ſimiles tenentur ad damna, quæ ſequuntur ex ipſorum, vel iniquo, vel non recto conſilio alteri dato, ſiue ex malitia, ſiue ex imperitia illud dederint. Reg. 62. n. 2. p. 384.

Aedificare. Aedificium

Aedificare nemo poteſt in re communi, inuito ſocio, etiam ſi vellet expenſis communibus rem meliorare. R. 56. n. 9. & 10. p. 370. Limita niſi tale ædificium ſit neceſſarium, vel niſi fieret proprijs ipſius ędificantis expenſis. ibid. Aedificium poteſt refici, & reparari inuita minori parte eorum, ad quos pertinet fabricæ inſtauratio, ſi maior pars conſentiat, & decernat, neceſſariã eſſe refectionem. Reg. 56. nu. 20. p. 372. & quid ſi maior pars diſſentiat, & reparatio ędificij tempore ſit neceſſaria. ibidem.

Aequiparata.

Aequiparatorum idem eſt iudicium, ita ut diſpoſitum in vno cenſeatur diſpoſitum in alio: & quomodo id intelligatur. Reg. 15. n. 38. p. 107. & nu. 73. in fine. p. 279.

Aequiuocatio.

An, & quãdo ſit licita? R. 35. n. 19. & ſeq. p. 222. Aequiuocationũ modi tradũtur varij apud auctores ibidem n. 20. & ſeq.

Aetas.

Aetas minor non præſumitur, niſi probetur. R. 37. n. 62. p. 245.

Aggreſſor.

Aggreſſor cũ vno tantum homine mitiùs puniendus eſt, quàm qui aggreditur cum pluribus hominibus. R. 40. n. 15. p. 270.

Alienatio.

Alienatio fundi dotalis, an iuramento firmetur? R. 37. n. 92. p. 257. Alienatione prohibita quinam actus prohibiti cenſeãtur. R. 39. cap. 2. per tot. p. 265. & R. 80. n. 7. p. 445. Alienatio ſumi poteſt ſtrictè, quatenus importat translationem dominij directi, & latè quatenus dicit translationem dominij vtilis, ſeu cuiuſcumque iuris quoquo modo accepti. ibidem n. 9. Alienatione prohibita prohibetur diuiſio. n. 12. item ſpecialis hypotheca, & quid de generali n. 12. item permutatio n. 13. Alienatio rerum Eccleſiæ inconſulto Romano Pontifice nulla eſt, quamuis fuerit euidenter vtilis, vel neceſſaria. R. 61. n. 10. p. 382. quid ſi grauis vrgeat neceſſitas, & tempus non permittat, vt ad Pontificem pro licẽtia recurri poſſit? Reg. 64 n. 16. p. 387.

Altare.

Debet iterum conſecrari, quando tabula cõſecrata, vel mouetur, vel enormiter frangitur R. 37. n. 87. p. 257. An deperdat conſecrationem, ſi Eccleſiæ conſecratio deperdatur. R. 42. n. 5. p. 296 An ſit acceſſorium ad Eccleſiam. ibidem.

Alternatiua.

In conferendis Beneficijs quomodo ſit Epiſcopis conceſſa. Vide Digreſſ. de abſentia n. 18. p. 143. Alternatiua, ſeu disiunctiua locutio quæ dicatur, & quotupliciter ſpectari poſſit. R. 70. n. 1. & 2. p. 397. In alternatiuis electio eſt debitoris, & ſufficit alterum impleri, & quare ibidem n. 3. & 4. an, & quomodo id procedat in alternatiuis, tam affirmatiuè, tam negatiuè conceptis. ibidem n. 4.

Annus.

Annus Probationis. Vide *Nouitiatus*.

Approbatio.

Quādo à ſingulis ſit facienda. Vide *Conſenſus*. Approbare nemo poteſt, quod ſemel impugnauit *R*.38. in princ. p.261. Semel approbatum nequit amplius reprobari. ibid. Approbari non poteſt idem actus pro vna parte, & pro alia reprobari? ibid. n 4. fallit, quando in eodem actu diuerſi inueniuntur reſpectus ibid. n.8.

Aqua.

*A*qua quotidiana perpetuò fluere dicitur, quāuis quotidiè non fluat, dummodo quotidiè duci poſſit. V. Digreſſ. de abſentia ſub n.26. p.146.

Archidiaconus.

*E*ſt maior Archipresbyteris quoad locū, & iuriſdictionem, non autem quoad miſſæ ſacrificiū Reg.38 ſub n.8. p.262.

Archiepiſcopus.

Extra ſuam diœceſim nequit vti pallio. R. 7. n. 17. p.61. Nōdum pallio accepto nequit ſuffraganeum ſuum conſecrare, & tamen ſi eſt electus, & confirmatus poteſt ſuffraganeis committere, vt Epiſcopum conſecrent. Reg.79. n. 22. p. 444.

Argumentum.

Argumentum de maiori ad minus an, & quando valeat? Reg.53. per tot. p.355. *Præſertim* in diſpenſationibus? ibid. n.4. & ſuſiùs à n. 22. & ſeq.

Audiens.

Audiens ab alio lectionem librorum prohibitorum, an cenſeatur per ſe ipſum legere, ita vt incurrat in cenſuram latam contra lectores librorum prohibitorum. R. 72. cap. 8. per tot. p. 422. Et quid, ſi ſuaſerit, vel mandauerit legenti, vt tales libros legeret? ibidem. n.49. & ſeq.

B

Baptizatus.

BAptizatus inualidè, debet iterum baptizari. Reg.52. nu. 7 p.353.

Beneficium. V. etiam Priuilegium.

Generaliter ſumptum quomodo definiatur? R. 1. n. 2. p 5. *Eccleſiaſticum* quid ſit. ibid. n. 3 Beneficij inſtitutio quid importet ſpectata quoad nominis ſignificationem. n. 7. Quomodo differat ab inueſtitura? ibid. Beneficiū tribus modis prouideri ſolet, nempè collatione, electione, & præſentatione, & quomodo hi tres modi differant inter ſe? n. 8. & ſeq. Beneficij inſtitutio debet eſſe canonica, & quo pacto id intelligatur. n.16. & 17. p.6. & 7. Beneficij poſtulatio, in quo conſiſtat. n. 12. & 15. Beneficium à principe conceſſum debet eſſe manſurum. R.16. per tot. p.181. A Iure indultum non eſt alicui auferendum. *R*.17. per tot. p. 183. Beneficij nomine, an veniat priuilegium ibidem n.2. Poteſt concedi tripliciter, vel ex pura Principis liberalitate abſque onere, vel cum aliquo grauamine, vel intuitu meritorum ex parte ipſius beneficiati. n.4. Beneficium, Deducto, ne egeat, competens marito dotem reſtituenti, non tranſit ad hæredes. R.46. n. 13. p. 332. Beneficij Eccleſiaſtici collatio facta ex ſimonia, quam tamen prouiſus ignorat, an ſit ipſo iure nulla, vel potius annullanda. R. 37. n.48. p.241. Beneficium nequit cōferri ſub conditione extrinſecè adiecta, ſecus verò ſi ſit conditio, quæ tacitè inſit ex natura rei, cuiuſmodi eſt conditio, *Si vacat*, &c. *R*.50. n. 6. & 12. p. 341. Beneficium ſimplex nequit conferri loco beneficij curati Religioſo, qui fuit diſpenſatus ad beneficium curatum. *R*. 53. n.31. p.365. Ille, qui prius beneficium obtinuit in Eccleſia determinata, an, & quando præferendus ſit ei, qui idem beneficium poſtea obtinuit, ſed prius litteras præſentauit. *R*. 54. à n. 1. & ſeq. p. 366. Et quid ſi conſtet, mentem concedentis voluiſſe præiudicare priori? ibid. nu. 9. p. 361. Si prior fuit negligens confertur præbenda, vel beneficium poſteriori diligenti? & an, & quando qui prius obtinuit, dicatur negligens fuiſſe? ibid. n.12. Qui poſterius obtinuit, præfertur ei, qui prius habuit, ſi hic fuerit, vel excommunicatus, vel non toleratus, vel ſuſpenſus nu. 12. Item præfertur priori inhabili nu. 13. Item priori, in cuius impetratione, vel collatione forma requiſita minimè ſeruata fuit n. 14. Qui dignior eſt, præferri in beneficio debet, ſi plures fuerint patroni, qui diuerſos præſentant. *R*. 56. n.19 p.372.

Beneficiarius

Abſque canonica inſtitutione electus, an dicendus ſit verus Beneficij poſſeſſor? *Reg*. 1. n. 18. 19. & ſeq. p. 7. & 8. vbi n. 21. & ſeq. vindicatur Panormitanus à nota contradictionis, quam ei iniuria Barboſa p. 8. Beneficiarius legitimè impeditus, ne aſſiſtat, an lucretur diſtributiones? Vide *Canonicus*. Beneficiarius primo loco nominatus, ſi per eum non ſteterit, quo minus beneficium vacans ipſi à collatore infra ſemeſtre collatum fuerit, præferendus eſt ei, qui elapſo ſemeſtri ſecundo loco nominatus fuit. *Reg*. 66. n. 7. p. 393. An poſſit fidei profeſſionem in manibus Epiſcopi, vel Vicarij, &c. per procuratorem emittere. *Reg*. 72. à n. 4. & ſeq. p. 402. Beneficiarij, & Prælati an, & in quibus caſibus poſſint de bonis ſuæ Eccleſiæ, & de ſuis prouentibus teſtari, vel donationem inter viuos facere. *R*. 84. nu. 15. p.451. & ſeq.

Bona

Bona propria tutoris, ſi deſcribantur in inuentario bonorum pupilli in foro externo præſumuntur eſſe eiuſdem pupilli. *Reg*. 8. n. 8. p 77.

Bonorum eccleſiaſticorum Alienatio.

Vide Alienatio, Prælatus.

Bona fides.

Bona ſides in vtroque coniuge quoad impedimentum dirimens ſufficit ad hoc, vt filij ab eis procreati ſint legitimi. *R*. 13. n. 143. p. 134. An ſufficiat bona fides ex parte vnius tantum coniugis. ibid. Et quid ſi in cõtractione talis matrimonij bona fide cõtracti fuerint omiſſæ denũciationes? ibid. cap. 16. per tot. p. 134. Bona fide accipiẽs, ſeu emens ab aliquo rem alienam furto ſublatã nullam ius in ea poteſt acquirere, neque per vſucapionem. R 79 n. 4. p. 442. *Bona* fides non paritur, vt ſemel exactum iterum exigatur. *R* 83. per tot. p. 449.

Bonus

Bonus, an ſemper quilibet præſumi debeat *R*. 8. n. 17. p. 78.

Bulla Cœna.

A quo primum Pontifice edita fuit. *R*. 15. ſub n. 76. p. 180.

Bulla Cruciata.

Bulla Cruciatæ ordinaria, & omnibus communis ſi ex inuincibili ignorantia ſumatur ab aliquo domino Vaſſallorum, an poſtea errore detecto poſſit alteri applicari? *R* 13. cap. 11. per tot. p. 121. *B*ulla Cruciatę acceptata nequit alteri applicari. ibid. n. 103. Bullam Cruciatæ cum quis oblitus ſit accepiſſe, ſi poſtea illius recordetur, an poſſit ſecundam Bullam, quam ſtante obliuione ſumpſerat, alteri applicare? ibid. à n. 106. & ſeq. p. 123. *B*ulla Cruciatæ ab amico meo, ſed me inſcio, pro me ſumpta, an mihi proſit, ſi ego omnia faciam, quæ ad lucrandas indulgentias requiſitur? ibid. à n. 107. & ſeq. Ab alio pro me ſumpta non mihi prodeſt, niſi à me acceptetur. ibid. n. 109. & ſeq. p. 124.

C

Cadauer.

CAdauer excommunicati vitandi, aut infidelis, ſi in loco ſacro ſepeliatur, in quo aliorũ fidelium corpora iacent, an omnia ſint exhumãda? R. 37. cap. 13. per tot p. 249.

Canonicus.

Obligatus reſidere, ſi abſit, an præſumatur iuſtè, & legitimè abeſſe. V. in Digreſſ. de abſent. n. 14 p. 143. Canonicus, ſeu Beneficiarius legitime impeditus ne choro aſſiſtat, an lucretur quotidianas diſtributiones. R 41. n. 5. p. 273. Vbi de canonico ęgrotante; & quid ſi culpabiliter in ægritudinem inciderit? ibid. Item, quid ſi ſit carceribus detentus, vel in exilium miſſus, vel alia corporali neceſſitate, aut periculo impeditus. n. 7. & 8. Lucratur diſtributiones non obſtante excommunicatione, ſuſpenſione, aut interdicto quamuis grauiter peccet, ſi tunc choro aſſiſtat; num. 12.

Capella.

Capellæ intrà monaſterium extantes, an cẽſeantur pollutæ, ſi polluta fuerit, monaſterij *Ec*cleſia. R. 42. nu. 59. p. 294. & quid de capellis priuatis? n. 56. An ſint acceſſoriæ ad *E*ccleſiam. nu. 55. Capella in Cathedrali exiſtens, an poſſit conſecrari, ſi ipſa maior *E*ccleſia ſit conſecrata? R. 42. cap. 15. per tot. p. 310.

Caſus

Caſus demonſtratiuè tantum expreſſus non cenſetur appoſitus ad limitandam diſpoſitionẽ, ſecus ſi taxatiuè. R. 15. n. 39. p. 167. Quomodò cognoſci poſſit, an poſitus ſit exemplificatiuè, & demonſtratiuè, vel potiùs taxatiuè? ibid.

Cauſſa

Finalis quænam ſit. Reg. 16. n. 9. & 10. Quænã impulſiua. ibid. p. 184. & R. 37. nu. 27. p. 235. In dubio finalis ne iudicanda, an impulſiua? ibid. n. 16 p. 186. Cauſſa fiſci, an ſit fauorabilis. Reg. 32. ſub n. 4. p. 208. Cauſſæ fauor præualet fauori *Rei*. Reg. 32. n. 4. p. 208. Cauſſa dotis eſt acceſſoria ad cauſſam de valore matrimonij. R. 42. nu. 76. & ſeq. p. 301. Cauſſa vltimæ voluntatis contra pupillum ſpectat ad Iudicem pupilli, etiã ſi cauſſę vltimarum voluntatum alteri iudici fuerint generaliter commiſſæ. *R* 34. n. 20 p. 216 Cauſſa moralis alia habetur per modum imperij, alia per modum ſuadentis, ſeu hortantis; alia verò per modum merentis, ſeu impetrantis. R. 72. ſub n. 42. p 418.

Cauſſa pia.

Cauſſę pię in obſcuris fauendum, quamuis cõtra reum fiat interpretatio R. 11. n. 12. p. 86.

Cenſus

Cenſus nouus in nouo contractu ſuper bonis Eccleſiæ ſine Pontificis licentia an poſſit conſtitui, cauſſa redimendi, & extinguendi priorem cenſum, qui ad maiores ſoluendas penſiones obligabat? R. 39. nu. 14. p. 266.

Cenſura

Cenſuræ eccleſiaſticæ, an poſſint irrogari in diem, vel ſub conditione? Reg. 50. n. 40. p. 347.

Certitudo

Quid ſit. R. 31. n. 1. *Diuiditur* in phyſicam, legalem, & moralem ibidem. p. 206.

Chriſtus Dominus

Quomodo dicatur à Iudæis iniuriam ſuſtinuiſſe cum ſpontè omnia pertulerit. Reg. 27. nu. 5. p. 196.

Citatio Citatus

Citatus, ſi affectatè ignorat citationem, habetur pro perſonaliter citato. R. 15. n. 46. in fine p. 171. Citatio habetur pro impleta, ſi citãdus per alios impediuit, ne citatio ad ipſum perueniret. R. 66. n. 88. p. 393.

Ciuis

Ciuis popularis, ſi ad album, ſeu matriculam

nobilium transferatur, & nobilis efficiatur, an ideò amittat officium illud, quod tanquam popularis adminiſtrabat? Reg.61.n.4.p.380.

Ciuitas

Ciuitatis nomē extēditur aliquando ad ſignificāda ſuburbia, etiā ſi diſpoſitio ſit pœnalis, & odioſa, vt in materia interdicti. R.15.n.17.p.160.

Clauſula

Clauſula, *Dummodo*, an ſemper conditionalis ſit, & formam importet? Reg.37.n.18.19. & 22.p.232. Habet aliquando vim admonitionis. ibid.nu.25.

Clericus.

Lapidem proijciens, ſeu ſagittam emittens, ſi caſu aliquē interficiat, an teneatur ad reſtitutionem? R.13.n.57.& 60.p.106 & 107. Non obſtante interdicto generali, ſi illud ſeruauerit admitti debet ad eccleſiaſticam ſepulturam, ſi eo tempore mori contigerit, ſine tamen pulſatione campanę, & ſine alijs ſolemnitatibus. R.42.n.52. p.294. *S*cholaſticus an efficiatur ſubditus alicuius diœceſis, ſi maiore anni parte ibi commoretur Reg.42.à n.69.p.299 *I*n ſacris cōſtitutus ſi à Summo Pōtifice diſpenſetur, vt vxorem ducat, an teneatur horas canonicas recitare? ibidem cap.14. per tot. pag.308. Hæres laici, qui litem conteſtatus erat coram *I*udice ſæculari, debet pro eadem lite coram eodem conueniri. R.46.n.7.p.331. *I*n ſacris conſtitutus nequit per ſeipſū negotiationem exercere. R.72.n.84.p.436. An poſſit negotiari per interpoſitam, & ſubmiſſam perſonā, ibid cap.12.per tot. An peccet id faciēs ibid.n.86.

Cœmeterium.

Cœmeterij appellatione non ſolum venit quandoque Eccleſia, ſed quilibet locus ſacer ad ſepulturam fidelium deſtinatus. R 37.ſub n.74.p.239 An, & quando polluatur, polluta Eccleſia? R.43.n.54 p.294. Venit appellatione Eccleſiæ in materia interdicti. R.49.n.15.p.339.

Callegium.

Nequit ab initio conſtitui ex vno tantum homine, ſed duo ſaltem, vel tres requiruntur. R.42.n.91.p.307. Secus eſt poſt ſui conſtitutionem, nam adhuc remanere dicitur licet vnus dumtaxat remanſerit ibid.

Colonus.

Coloni clericorum an gaudeant immunitate à gabellis. Vide *Priuilegium*. Colonus, ſeu Inquilinus, ſi fuerit ab emptore domus conductæ expulſus, habet pro eo, quod ſibi intererit actionem contra Venditorem, qui domum ſibi locatam vendidit. R.79.n.9 p.443.

Conceſſio.

Generalis non comprehēdit ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus. R.81.p.446. maximè ſi ex ea re ſpeciali ſequatur iniuſtitia, vel alterius præiudicium ibid.n.1. vel ſi ea res ſpecialis ſit à Iure improbata, vel ex ſtylo, & conſuetudine concedi non ſoleat. ibid.n.2.&3.

Conditio.

Cōditio impoſſibilis. Vide *Impoſſibilitas*. Adiecta actibus legitimis quo pacto illos inutiles reddat? R.50.n.7 p.341. Conditio ſuſpenſiua quid ſit ibid. Quomodo differat à reſolutiua. ibid. Cōditio, quæ in actibus legitimis ex natura tacitè ineſt, etiam ſi exprimatur, eoſdem actus non vitiat. ibid.n.11.13.& 14. *S*ecus verò ſi conditio extrinſecè, ſeu ex diſponentis placito adueniat ibid.à n.16 & ſeq Cōditio in quo differat à modo? ibid.n.20.& ſeq p.344 Sufficit in momēto tēporis impleri *R*.40.n.19 p.271. Habetur pro impleta, quando non ſtetit per implere debentem *R* 66.per tot.p.391. An id procedat in cōditione poteſtatiua? ibid.qu.3. Quandoque latè ſumitur pro quolibet pacto, modo, lege, &c. ibid, n.1. Alia eſt caſualis, alia poteſtatiua, alia mixta n.2.

Confitens

Confitens, ſe mutuam ab alio pecuniam recepiſſe, quam reuera non habuit, ſi per biennium chirographum repetere non curauit, vel exceptionem non numeratæ pecuniæ non oppoſuit, tenetur in foro externo, ſecus in interno. R.48.n.14.p.336.

Coniunctio.

Coniunctio, *Et*, quomodo differat à præpoſitione *Cum* in oratione, & an faciat eſſe acceſſoriam rem illam, cui præponitur? R 42.n.81. p.303.

Coniux.

Vouere nequit coniugalem caſtitatem altero coniuge inuito. R.56.n.11.p.371.

Connexio. Connexum

Quid ſit, & quotuplex, R.15. num.16.p.167. Connexorum in iure idem eſt iudicium, & diſpoſitum in vno militat etiam in alio. ibidem.

Conſecratio.

Semel Deo conſecratum, & dicatum non eſt ad humanos, profanoſque vſus transferendum R 51.per tot.pag.348. Amplia tam in rebus inanimatis, quàm in rebus animatis ibid.n.2. Calix, ſeu aliud vas argenteum ad ſacros vſus deſtinatum, quod cum eſſet ſub alterius dominio, ante benedictionem, ſeu conſecrationem peruenit ad manus Epiſcopi, qui illud conſecrauit, ſi poſtea reperiatur, illius dominus eſſe aliquis ſæcularis, an ſit illi abſolutè reſtituendū, an verò eius pretiū. ibid.n.6.& ſeq.p 349. *S*i verò ſit ſub dominio alterius Eccleſiæ, eſt illi abſolutè reddendū ibid.

Conſenſus.

Quid ſit, & quomodo differat à licentia? R. 43.n.27.p.319. Ad matrimonium requiſitus ſufficit, ſi fuerit tacitus R.18.n.1.p.186. An debeat dari ab omnibus, & ſingulis in re ad omnes, ſeu

ad

a d communitatem aliquam pertinente, & quando ſufficiat dari à maiori parte? R.29.per tot.p.197. A ſingulis præſtandus ſiuè in iudicialibus, ſiuè in extraiudicialibus, an debeat interuenire in ipſo actu, an verò ſufficiat dari ex interuallo. R.29 n.4.& 5.p.197. Ad matrimonij valorem requiſitus poteſt præſtari in diem, vel ſub cõditione? R.50.n.38.p.346. An poſſit Parocho præſtari à contrahentibus per interpretem, & an in hoc ſufficiat præciſum interpretis dictum? R.71.n.74. & ſeq.p.432.

Conſeruatores.

An eximantur à pœna ſuſpenſionis ab officio per annum, ſi ex ignorantia iuris craſſa, vel affectata delinquant intromittendo ſe in aliud, quã in defendendos, ſeu vindicandos ſuos Regulares à manifeſtis iniurijs. R.15.n.41.& ſeq.p.168

Conſiliarius.

Conſiliarius Principis retinens priuilegium, etiam ceſſante officio, nequit torqueri. R.16.n.15.p.185. Conſiliarij, qui legi condendæ interfuerunt non obligantur eam ſeruare, antequam legitimè publicetur. R.88.n.17.& ſeq.p.456.

Dummodo legis promulgationẽ ex induſtria non differant, vt interim aliquod contra ipſam legem faciant, puta, vt viliùs emant, vel cariùs vendant, & ſimilia ibid.n.18.

Conſilium. Dans.

Conſilium alteri præbens regulariter ad nihil tenebitur, niſi cum fraude egerit. R.62.per tot. & n.3.p.384. Limita in Aduocato, Procuratore, Aſſeſſore, Medico, & c. qui ſiuè ex malitia, ſiuè ex imperitia, tenentur ad damna, quæ ex ipſorum conſilio ſequuta ſunt. ibid.n.11. Conſiliũ præbens infideli exercendi opera ſeruilia die feſtiuo non peccat. R.72.n.45.p.419. Conſilium dans, an & quando dicatur magis influere, quam mandans & præcipiens ibid.

Contractus.

Iniuſtus, ſeu vſurarius an ſit cõtractus, ſi ego tibimetipſi reuendam, infimo, ſed iuſto pretio, eaſdem merces, quas tu mihi centum à te mutuo petenti loco pecuniarum dediſti, vt ego pecunia numerata eas alteri venderem, & tibi iuſtum, ſed rigoroſum pretium ſoluerem? R.30. ſub n.26 p.205. Contractum impugnans nequit illum pro ſe allegare. R.38.n.2.p.261. Fallit ſi eum, qui impugnauit contractum, ante ſententiam pœniteat. ibidem n.7.p.362. Contractus obſcurus pro quonam ex contractibus ſit interpretandus. R.57.n.12.p.374. Contractus ex partium conuentione legem accipiunt. R.85.per tot.p.452.

Contraria.

Contrariorum eadem eſt diſciplina. R.35. ſub n.22. p.223. Intellige vbi non eſt diuerſa ratio. ibidem.

Contritio Contritus. V. Peccatum.

Cõtritio an ex natura ſua, vel ex diuino beneplacito habeat diſponere peccatorẽ ad gratiam. R.4.& 5.n.16.p.32. Contritus, quãuis obtineat à Deo veniam quo ad culpam, non ſemper tamen obtinet remiſſionem pœnæ ibidem.n.12. Contritus num aliquando contingat, vt veniam culpæ de facto non aſſequatur? ibid.n.14. & 15.p.32. Cõtritionis actus, an ſaltem eliciendus ſit ab eo, qui eſt legitimè impeditus, ne præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis impleat? R.42. n.39 p.290.

Correctio Correctus.

Correctio ſignificat vitæ emendationem. R.4. & 5.n.5.p.29. Correctus an interdum contingat, vt veniam non obtineat in externo, aut interno foro, ibidem.n.9 p.30. Correctus non ſemper cẽſetur ſatisfeciſſe in foro iudiciali, ita vt pœna ob delictum ſit ipſi remittenda. ibidem. n.10. p.31. Quid dicendum, ſi delictum fuerit contra Eccleſiam? num.11.

Creditor.

Recipiens à debitore pecuniam alienam furto ſublatam, ſi eam miſceat cum propria, quæ ſit in magna quantitate, & diſcerni nequeat, acquirit illius dominium. R.37.n.77.p.250. Creditores minoris ſummæ tenentur conſentire remiſſioni, vel dilationi conceſſæ debitori à creditoribus maioris ſummæ R.56.n.18.p.372.

Cumulatio.

Cumulatio titulorum conceditur Reo ad ſe in iudicio defendendum. R.20.n.2.p.189. Admittitur in beneficialibus. ibid. etiam in criminalibus n.2. Cumulatio actionum denegatur actori nu.6. ibidem.

D

Damnum.

DAmnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet non alijs imputari. R.86.per tot.p.452. 4...p 12. etiã ſi nullus dolus, aut delictum commiſſum ſit. ibid.n.5 p.453. Item amplia in lucro ceſſante.n.7.

Dare.

Dare nemo poteſt, quod non habet. R.79.n.1. & per tot.p.442.

Debitor.

Vt cõſtituatur in mora, & teneatur ad intereſſe an, & quando requiratur interpellatio. R.25.n.3 p.193. In foro cõſcientiæ, ſi reuera ſit impotẽs, ad nihil tenetur ob moram, niſi ſe obligauerit ex contractu, quia tunc tenebitur ratione cõtractus. ibid.n.4. Debitor ſi reuera ſolum viginti debeat, in inſtrumẽto autẽ appareat debere quinquaginta, interrogatus à iudice, an licitè poſſit cum iuramento negare, ſe debitorem eſſe. R.85.

n 14.& ſeq.p 251.Si cùm iuramento promiſit ſoluere mutuanti vſuras,tenetur eas ſoluere, non quidẽ vi actionis,ſed vi iuramenti, quãuis poſtea illas repetere poſſit condictione indebiti. R. 69. n.3. p.377.In alternatiuis,ſeu diſiunctiuis ſtipulationibus poteſt eligere quam partem velit, ex rebus ſub diſiunctiua promiſſis.R. 70.per tot.p. 397.Facta ſemel electione vnius partis, an, & quando poſſit variare? ibid.n.8. p.400.Creditori ſoluens in ea moneta,cuius valorem ſciebat minuendum fore per edictum, aut ſtatutum iam iam publicãdum,an talis edicti tranſgreſſor dici debeat; & an in foro cõſcientiæ peccet,& quonam peccati genere? R 88 cap.2.per tot.p.456.

Defenſio.

Defenſionum pluritas Reo conceditur in iudicio.R 30.n.1.Etiam in criminalibus n.2.p.189. Limita quãdo cõtrarietas adeſſet in exceptionibus ibid.n.3.Item limita in caſibus,in quibus lex impedit pluralitatem defenſionum. n.4.ibid.

Degradatus.

Degradatus clericus gaudet beneficio canonis,*ſi quis ſuadente* 17.q.4.ſaltem verbaliter, & ob priſtinæ dignitatis memoriam. R.16. n. 13. p. 185.

Delegatus V.Iudex.

Delegatus, ſeu ſubſtitutus in extraiudicialibus, ſi nulliter egit,poteſt iterũ iudicare.R. 52. n. 13. p.355 Quid in iudicialibus?ibid.n.11. Delegatus ad examinandũ aliquem, & inquirẽdum de illius habilitate,an poſſit tale examinandi munus alteri ſubdelegare?R.72.cap. 30.per tot.p.428. Iudex delegatus, an & quando poſſet ſubdelegare? ibi.à n.63.& ſeq Delegatus principis poteſt ſubdelegare etiam articulum iuriſdictionalem.n.65. Delegatus,qui ſolum habet nudum miniſterium, nequit illud ſubdelegare.n.64.& ſeq Delegatus inferioris poteſt ſubdelegare nudum miniſteriũ, non autem iuriſdictionem.n.66.& 67.ibid.

Delictum.

Delictum vnius non debet alteri nocere.R. 22. & 23. à n.1.p. 190. *Delictum* vel miniſtri vel Superioris,vel officialis,vel alterius perſonæ non debet in damnum eccleſiæ redundare. R.76. per tot.p.440.

Denunciationes.

Denunciationes,ſeu proclamationes nõ ſunt de eſſentia matrimonij,& ſi omittantur, validũ erit,licet illicitum.R.13.n.244. p.135.& n 147. poſſunt quandoque rationabili occurrente cauſa omitti,vel aliquæ,vel omnes ex licentia Ordinarij.n.147.

Deus.

Nequit eſſe acceptor perſonarũ.R.12.n.3.p.88.

Dictio.

Dictio, *Iterum* binum actum ſignificat.R. 40. n.21. p. 268. *Dictio*, *Niſi* eſt aduerſatiua præcedẽtibus,& plures facit effectus *R.*4. & 5.n. 4.p. 29.*Dictio Sẽper*,licet ſit perpetuitatis nota,debet tamen reſtringi iuxtà naturam actus, cui annectitur. R. 8. nu. 15. p. 77. Sumitur quandoque pro,Frequenter, vel, Plerumque. R. 34.nu.17. p.215. Dictio *Et*, Vide *Coniunctio*. Dictio Cum. Vide *Præpoſitio*. Dictio, *Quamdiù*, conditionẽ importat.Digreſs.de Abſent.ſub n.20.p 145.Dictio *Verè*, excludit omne fictum, imò quod verum non eſt, fingit vt verum. ibid. Dictio *Perſonaliter* realem præſentiam poſtulat. ibid. Dictio *Dumtaxat*, limitat, ac reſtringit, ibidem prædictæ vltimæ quatuor formam inducũt. ibid. Dictio, *Omnis* poteſt ſumi vel diſtributiuè, vel collectiuè. *R.*29. n. 1.p. 197. Dictio, *Omninò* quid importet?R.37.n.13.p.231. *Dictio*, *Vel* ſumitur interdum in iure copulatiuè, & quando. *R.* 48. nu. 2.p. 335. Dictio, *Perindè*, denotat improprietatẽ,& iuriſfictionem.R 72.n.1.p.401. Dictio, *Plures*. cum aliquod dicitur ad plures ſpectare poteſt ſumi, vel collectiuè, vel diſtributiuè.R.56.n.1.p.368.Dictio, *Pluries*, importat duas vices?R. 40. n.5. idem ſi dicatur,Semel,& pluries.ibid.n.12.p.269.ſi dicatur *Pluries*, & *Pluries*, intelligitur de quatuor vicibus. ibid. n.5.p.266 Dictio, *Multiplex* verificatur in duobus.ibid.n.10.p.278.

Dies.

Dies naturalis eſt à Solis ortu vſque ad occaſum; ciuilis verò à media nocte vſque ad alteram mediam noctem.R.50.n.23.p.344.Diei nomine, quãdonam veniat cum ciuilis, cũ naturalis? ibid.

Dignum.

Magis dignum trahit ad ſe minus dignum.R. 37.ſub n.82.& 83.p.253.

Dilatio.

Actori cõceſſa ad teſtes capiendos cõcedi etiã debet Reo. R.32.n.7.p.208.Conceſſa debitori à creditoribus maioris ſummæ.V.*Creditor*.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio Pontificis cum illegitimo ad ordines ſuſcipiendos, an intelligatur de omnibus ſacris ordinibus, an verò ſolum de minoribus? Reg.15.ſub num.19.pag.161.An ceſſet ceſſante cauſſa, ob quam fuit conceſſa? R.16.n.8 p.184. Diſpenſatio in gradu conſanguinitatis an habeat locum ad tollendum impedimentum proueniens ex affinitate, ſi reuera reperiatur quòd impedimentum ſit ex affinitate, nõ ex conſanguinitate, & error quoad hoc fuerit in ſupplicatione.R.53. n.32.p.365.Diſpenſatio in vno, quod eſt maius, an, & quando extendi poſſit ad minus?ibid.n.4. & ſeq.& fuſiùs à n.22 & ſeq.

Diſpenſatus.

Diſpenſatus indeterminatè ad plura Beneficia obtinenda vi huiuſce diſpenſationis duo tantum beneficia poteſt obtinere.R.39 n.4.p.266.Diſpẽ-

ſa-

ſatus à Pōtifice in defectu nataliū quoad ſpiritualia, an, & quando intelligatur diſpenſatus etiā quoad effectus temporales; R.53.cap.2.per tot. p. 356. Et quid ſi perſona taliter diſpēſata ſit extra iuriſdictionem temporalem Pontificis. ibid.n.8.& ſeq. Diſpenſatus in ſecundo gradu conſanguinitatis ex errore ſupplicationis, intelligitur multo magis diſpēſatus in tertio, in quo reuera adeſt impedimentum. ibid.n.32.p.365.

Diſpoſitio.

Diſpoſitio, vt ſic, & in genere conſiderata, quidnam ſignificet, & comprehendat? R.15.n.3. p.156. Diſpoſitio fauorabilis, V. *Fauor.*

Dolus.

Quid ſit. R.36.n.1.2.3.p.224. Diuiditur in bonū & malum. n.4.p.225. Malus quomodo differat à fraude. ibid.n.5. Acquiparatur latæ culpæ.n.6. An rectè diuidatur in verum, & præſumptum.n.7.p. 226. Doli etymologia. ibid.nu.1.p.224. Quomodo, & quibus coniecturis probetur. R.59.n.1. p. 377.

Domeſtici.

Domeſtici, & familiares quinam dicantur. R. 7.n.71.p.74.

Dominium.

Nequit acquiri de re propria; quia quod meū eſt, amplius meū fieri nō poteſt. R.30.n.5.p.189. An poſſit validè transferri ex actu prohibito? R. 39. n.4.& ſeq.p.263. Acquiritur, vel apprehenſione, & poſſeſſione, vel titulo, & traditione. ibid.n.6. Vt acquiratur quandonam vltra titulum requiratur poſſeſſio, vel traditio. ibid. Non acquiritur nudo pacto, vel ſola obligatione, vel perſonali cōuentione. ibid. Immediatè an acquiratur ex contractu, an verò ex traditione. n.3.6.& 7. ibid.

Dominus.

Dominus Vaſſallorum, vt Marchio, Dux, Comes, &c. vt fruatur indulgentijs, & priuilegijs Bullæ Cruciatæ debet ſumere Bullam peculiarē, pro qua decem Iulij ſunt ſoluendi; nec pro eo ſufficit Bulla ordinaria, & omnibus alijs communis. R.13. n.102. p.131. Quid ſi ex inuincibili ignorantia Bullam ordinariam, & omnibus communem accipiat, an poſtea errore detecto poſſit illā alteri applicare? ibid.cap.11.per tot.à n.102. & ſeq. Dominus poteſt infra annū à die ſcientiæ recuperare ſeruū, ipſo neſciente, & contradicēte, ad ſacros ordines promotū. R.51.n.10 p.350. Dominus chriſtianus, an poſſit per ſeruum infidelē opera ſeruilia die feſtiuo exercere? R.72.c 7. per tot.pag.416. Et an eadē poſſit imponere ſeruo fideli, ibid. amen ibid.n.47.p.419.

Donans Donatarius.

Donator volens ex defectu ætatis donationē infringere, tenetur probare minorem ætatem tempore donationis. R.37.ſub n.61.p.245. Donatarius an poſſit in foro conſcientiæ ſibi retinere totam illam quantitatem, de qua fuit ei facta donatio nō inſinuata? ibid.n.94. Quid ſi à donatore, vel eius hærede repetatur? ibid.& an donatarius teneatur facere certiorem donantem de tali facultate repetendi, quam habet? ibid.n.95.

Donatio.

Ante acceptationem donatarij poteſt licitè reuocari. R.13.ſub n.209.p.124. Excedens ſummam à Iure abſque inſinuatione permiſſam, ſi non inſinuetur, an tota irrita ſit, an verò quoad exceſſū tantùm? R.37.cap.15.per tot. p. 255. Et an iuramento firmeta? ibid.n 92. Donatio quælibet, in quacunque ſit ſumma, in Regno Siciliæ eſt inſinuanda. ibid.n.89. Facta à matre extra dotem marito filiæ ſuæ, nomine ipſius filiæ præſentis, & tacentis, cenſetur facta ab ipſa filia. R.43.& 44. ſub n.4.p.312. Facta à viro vxori, vel cōtra, quānis poſſit à coniuge donante reuocari, non tamē poteſt ab eius hæredibus. R. 46. num. 15.p.332. Ratione ingratitudinis, quamuis poſſit à donante, nequit tamen ab eius hærede reuocari. ibid. num.16.

Dubitans.

Dubitans, an lethale peccatum commiſerit, teneatur illud ſacramentaliter confiteri? R. 11. n. 13.p.86.

Duplex.

Duplex vinculum, vel defectus magis ligat. R. 53. ſub num. 12. & 18. p. 356. & ſeq.

E

Eccleſia.

COllegiata nō venit appellatione Parochialium in odioſis, ſecus in fauorabilibus. R.15. n.56.in fine.p.174. Conſecrata non amittit conſecrationem, quando non ſimul, & tota, ſed per partes deſtruitur, & reficitur. R.37. ſub n.81.p. 233. Non polluitur, ſi ſanguis, aut ſemen effundatur in atrio, vel portico ipſius. R 43.n.62.p.297. Eccleſiæ appellatione an veniat Cœmeterium? V. *Cœmeterium.*

Eiecti.

Eiecti à Religione ſunt veri religioſi, & tribus votis ſubſtantialibus Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ aſtricti. R 42. n. 23.p. 283. Sunt incapaces dominij, & ſolum habent vſum rerum, quas acquirunt, ad ſe alendos. ibid. An, & quādo poſſint donare in vſus licitos? ibid. Nunquam in vſus turpes. ibid. Tenentur obedire Epiſcopo non vi voti, ſed ratione ſtatus clericalis. ibid. An obligati remaneant ad alias omnes obſeruantias Regulares, & ad quas? ibid. cap. 4. per tot. à nu.24. cum ſeq. p. 285. & ſeq. Si non ſunt in ſacris, nec habent beneficium eccleſiaſticum, ſunt immunes ab horarum canonicarum recitatione, ibid. nu. 29. Quid ſi non fuerint eiecti in perpetuum, ſed ad tempus? nu. 30. p. 287. An ſint

ſint etiam immunes à votis peculiaribus ſuæ Religionis, cuiuſmodi eſt votum abſtinendi à carnibus in Religioſis Minimis, vel vacandi redemptioni Captiuorum in Religioſis B. Mariæ de Mercede, vel obedientiæ Summo Pontifici præſtandæ in Soc. Ieſu? ibid. n. 31. & ſeq. Excipe votum, cuius obſeruantia ſignanter eſt pro ſtatu extra religionem, cuiuſmodi eſt illud, quod emittunt profeſſi Soc. Ieſu de audiendo conſilio Patris Generalis, quando promoueantur ad ſtatum Prælaturæ. nu. 36. p. 289. Excipe item votum de non acceptanda dignitate extra Religionem, ad quod etiam electi tenentur. ibid.

Electio

Electio per viam ſcrutinij, pro qua tot determinati requiruntur ſcrutatores, an ſit valida, ſi plures quàm forma præſcribat interuenerint ſcrutatores? *Reg.* 37. à nu. 38. & ſeq. p. 238. Electio canonica tripliciter fieri poteſt; per ſcrutinium, per compromiſſum, & per inſpirationem. ibid. Quæ fieri debebat ad triennium tantum, ſi fiat v. g. ad quinquennium, an tota ſit inualida? ibidem nu. 42. Electio ad beneficium eccleſiaſticũ, an tota vitietur, ſi electus cum vno tantum ex electoribus ſimoniam commiſerit, quamuis reliquorum ſuffragia ad electionem concludendã ſufficiãt? R. 37. cap. 9. per tot. p. 240. Si fuerit facta ipſo iure nulla, vel ſortiri effectum non poſſet, poteſt iterum fieri ab electoribus iure proprio eligentibus. *R.* 52. n. 10. p. 354. Secus ſi non fuerit nulla ipſo iure, ſed ope exceptionis. ibid. vel ſi fuerit facta ab aliquo eligente non iure proprio, ſed iure deuolutionis; quia tunc etiam ſi nulla fuerit ipſo iure, redibit ius ad proprios electores. ibid. Electio ad beneficium non retractatur, quamuis poſt talem electionem patronus, qui electum præſentauit, iure patronatus per ſententiam priuetur. *R.* 73. nu. 4. p. 438.

Electores.

Scienter eligentes indignum grauiter peccãt, & de iure communi priuantur iure eligendi pro prima tantum vice, ſi electio fuerit executioni mandata; ſecus verò, ſi electio effectum non habuerit. R. 52. num. 2. p. 352.

Electus.

Electus ad beneficium, vel prælaturam, qui orta lite, antequam confirmatus fuiſſet, iurauit de calumnia, ſi poſtea duas inter ſe contrarias reſponſiones proponit aduerſus reſponſiones contra ipſum factas, tanquam periurus repellẽdus eſt, nec confirmandus. *Reg.* 73. n. 5. p. 438. Electus ad beneficium, antequam ſit confirmatus, nequit doloſè bona *Eccleſiæ* adminiſtrare, neque directè, vt Beneficiarius, neque indirectè, vt procurator, receptor, ſeu œconomus, neque ſub alio quæſito colore, in totum, vel in parte; alias ipſo facto priuatur omni iure per electionem acquiſito. Reg. 84. nu. 6. p. 450. *Fallit* in ijs prouiſionibus, in quibus electio, & cõfirmatio ſimul, & ſemel vnico actu expediuntur. ibid. Quid ſi ante electionem iam reperiebatur ab Epiſcopo inſtitutus œconomus, & poſtea facto concurſu electus eſt; an poſſit ante confirmationem proſequi adminiſtrationem, & fructus percipere tamquam œconomus? ibid. n. 7. Poteſt proſequi talem adminiſtrationem ſi reperiebatur ſimplex procurator, & œconomus ad exigẽdos, non autem ad ſibi percipiendos fructus. ibid. Electus ad beneficium per ſimoniam inter alios commiſſam, quam tamen ipſe neſciebat, & nolebat, tenetur reſignare beneficium vna cum fructibus extantibus, quamprimum ſciet, beneficium fuiſſe ſibi ſimoniacè collatum. R. 37. n. 48. p. 247. Electus poſterior ad beneficium, an, & in quibus caſibus præferatur priori? Vide *Beneficium*.

Emancipatio

Nequit fieri in diem, aut ſub conditione. R. 50. no. 26. p. 344. & ſeq.

Emphyteuſis. Emphyteuta

Eccleſiaſtica Emphyteuſis, ſi fuerit vltrà generationem à iure permiſſam, an tota ſit irrita, an verò valida tantum quoad generationem à lege permiſſam? R. 37. nũ. 4. & 14. p. 231. Emphyteuta recipiens fundum, ſeu molendinum in Emphyteuſim, cum pacto quod teneatur gratis coquere, ſeu molere pro familia concedentis, an eodem modo teneatur, ſi poſtea familia augeatur? R. 30. ſub nu. 21. p. 203.

Emptor

Emens à clerico, an gaudeat immunitate a gabellis? V. *Priuilegium*. Emptor ſecundus, cui res tradita fuit, præfertur primo emptori, cui nõ dũ res tradita erat. R. 39. ſub nu. 6. p. 264. Qui ſe exconuẽtione obligauit pretium rei emptæ deponere apud Paulũ, ſi illud deponat apud Petrũ, videtur a pacto receſſiſſe, itant vẽditor nõ amplius teneatur ſtare contractui. R. 75. n. 5. p. 439. Emptor nequit in re empta plus iuris habere, quã habebat venditor. R. 79. n. 3. p. 442. Emptor domus habet ius expellẽdi colonũ, ſeu inquilinum, qui domum prædictam à venditore conduxerat. R. 79. n. 9. p. 443. Emens contra iura bonam fidem non præſumitur habere. R. 82. per tot. p. 448. Amplia ſiue emerit contra leges naturæ, ſiue cõtra ius poſitiuum, ſiue contra conſuetudinem. ibid. n. 2. Item amplia vt talis emptor vſucapere, & præſcribere nequeat. n. 3. Item amplia, etiam ſi quis in actu emptionis putauerit, emiſſe contra ius, licet reuera non ſit; quia propter malam fidem præſcribere nequibit. n. 4. Limita, quando quis emit contra ius dubiũ; aut iuſtum in emptione interuenit pretium. nu. 6. & 7. Item limita, quando quis contractum emptionis alias iure pro-

prohibitum celebrat propter probabilem errorẽ in facto.n.9 Item limita, quando ius, licet non videatur omenti aſſiſtere, tamen expreſſè non reſiſtit.n. 10. Emens à pupillo ſine tutoris auctoritate, putans, eum eſſe puberẽ, poteſt vſucapere, ibid.n 3.& 9.

Epiſcopus.

Poteſt ex rationabili cauſſa diſpenſare, vt omittatur aliqua ex denunciationibus requiſitis ad contrahendum matrimonium; vel etiam omnes. *R.*13.nu.147 p.136. An poſſit diſpenſare in irregularitate contracta ex defectu natalium, ad hoc vt quis vti poſſit ſacris ordinibus, quos mala, vel bona fide ab initio ſuſcepit? ibid. cap.15.per tot.à n.133.p.131. Poteſt diſpenſare cum illegitimo ad minores tantum ordines, & ad Beneficiũ non curatum. ibid. Nequit diſpenſare, vt illegitimus, qui ſuſcepit vnum ordinem, promoueatur ad alium maiorem.n.141.p.133. Epiſcopo conceſſa à Pontifice facultas applicandi ſuis ſubditis plenariam indulgentiã in diebus ſolemnioribus an ſit realis, vel perſonalis? R.7.n.18.p.61 An per quamlibet abſentiam à propria diœceſi *E*piſcopus alternatiuã amittat? Digreſſ. de Abſent.cap.2.n.16.p.143. Quid, ſi abſit cauſſa Reipublicæ? n. 17. Vel cauſſa recuperãdæ ſanitatis, vel inuiſendi amicum? n.18. An amittat alternatiuam, ſi initio menſis ſit abſens à ſua diœceſi, reliquo autẽ præſens? ibid.n.23.p.145. Quid ſi abſit ad breue tempus, aut per duos, vel tres dies? n.26.& ſeq. ibid. Abſens illis tribus menſibus à iure ſibi permiſſis an amittat alternatiuam? ibid.n.33. Abſẽs in mẽſibus abſolutè Epiſcopalibus, nempè Iunio, & Decembri, an poſſit conferre beneficia eiſdẽ menſibus vacantia? ibid.n.34. Non poteſt concedere Parochis, vt abſint à propria Eccleſia, ita vt fructus percipiant, quamuis eſſet pro ſeruitio Eccleſiæ Cathedralis, vel vt exercerent munus Vicarij, vel etiam *I*nquiſitoris maioris.ibid.n.38. p.151. In dedicatione Eccleſiæ poteſt concedere indulgentias vnius anni; in alijs verò temporibus quadraginta dierum, & non vltra. *R.*37 cap.12. in princ.p.246. Habet à Tridentino facultatem ordinandi ſuum familiarem non ſubditum, ſi ſecum fuerit per triennium commoratus R.42.n. 70.p.300. Secus ſi eſt *E*piſcopus ſolum titularis ibid. An tale triennium debeat eſſe continuum? ibid.n.72.& an numeretur à tempore, quo dominus Epiſcopatũ habuit? n.73. An ſtante facultate prædicta poſſit etiam cum tali familiari diſpẽſare in interſtitijs? ibid.à n.63.& ſeq. Quid ſi familiaris iſte non habeat patrimonium an poſſit ordinari? n.74.p.301. Si non habet patrimonium, tenetur ei Epiſcopus conferre beneficium vacãs, vel aſſignare patrimonium, ſi velit illũ ad ſacros ordines promouere.n.74.& 75.ibid. *E*piſcopus proprius an cenſeatur concedere alieno Epiſcopo, ad quem ſubditum mittit ſacris initiandum, vt cum tali ſubdito diſpenſet in irregularitate, aut alijs impedimentis, in quibus ipſe vti proprius Prælatus diſpẽſare poſſet? R.42.cap.12.per tot.p.307. Epiſcopus electus, vel in alium Epiſcopatum translatus an poſſit profeſſionem fidei emittere per procuratorẽ ad id ſpecialiter deſtinatum? *R.*74.n.4.& 8.p. 403. In generali facultate conceſſa ſuo Vicario generali non cenſetur comprehendiſſe eã, quæ pertinent ad munus Epiſcopale, etiam ſi Vicarius eſſet Epiſcopus alterius diœceſis R.81. nu 4.p.447. In facultate, qua alicui conceditur, vt poſſit eligere confeſſarium, non cenſetur tribuere confeſſario eligendo facultatẽ abſoluẽdi à reſeruatis. *R.*81.n.5.p.447. Epiſcopus Vicarius alterius *E*piſcopi. V. *Vicarius.*

Equites.

Equites S. Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ, &c. nõ ſunt integrè, & perfectè Religioſi. R.51.n.17. p. 351.

Examinator.

Cui fuit commiſſum, vt præuio examine habilitatẽ alicuius inquireret, an, & quando validè poſſit tale examinandi munus alteri delegare, qui id faciat nomine ſuo? R. 72. cap. 10. per tot. p.428.

Exceptio. Excipiens

Exceptionũ pluralitas Reo conceditur. R. 20. à n. 1. & ſeq.p.189. Quid ſit exceptio, & quotuplex? R 60.n.1. & 3.p.378. Quomodo differat ab actione? n.2. Vt releuet, debet eſſe legitima, ſeu ex iuſta cauſſa alias nulla eſt n. 4.ibid. Eſt ſpecies defenſionis, R. 62. nu. 1. p. 384. Multò magis datur ei, cui datur actio R.71.per tot.p.400. Amplia non ſolum in perſona principali, ſed etiam in eius procuratore. ibid.nu. 3. Facilior eſt, & fauorabilior, quàm actio. ibid. n. 1. Exceptionẽ obijciens non videtur de intentione aduerſarij confiteri. R.63. per tot. p. 384. *E*xcipiens de nullitate ſententiæ non indè fatetur, eam de facto latam fuiſſe. R. 63 nu. 3. pag. 385. Excipiens compenſationem fatetur debitum anteceſſiſſe. ibidem.

Excommunicatio Excommunicatus.

*E*xcommunicati vitatio non comprehendit vxorem, filios non emancipatos, & famulos; quia hi poſſunt cũ eo ratione neceſſitatis communicare. R. 15. n. 59. p.175. *E*xcommunicatus nequit in iudicijs eſſe actor, non ſolum per ſe, ſed neque per procuratorem, aut aliam interpoſitam perſonam. *R.*67. n. 2. p. 391. *E*xcommunicationis pœna abſolutè prolata, & ſine expreſſione maioris, vel minoris, intelligitur de maiori, niſi ex coniecturis aliud colligatur. R. 49. nu. 10. & ſeq.

Executor.

*E*xecutoris teſtamentarij munus à iure communi prohibetur *F*ratribus Minoribus de Ob-

ſer-

ſeruantia, & ideò nullus ſuperior regularis poteſt circa hoc diſpenſare. R. 44. n. 31. p. 322. Executor teſtamentarij munus ex ſe non trāſit ad hæredes, niſi teſtator contrarium expreſſerit, vel fuerit conceſſum ratione dignitatis. R. 46. num. 98. p. 332.

Exercens.

Exercens artem aliquam ſcientiam, vel facultatem, puta, Medicinæ, Iuris canonici, vel ciuilis, ſi eius artis, vel facultatis ignarus ſit, grauiter delinquit, & ſi aliquod damnum proximo obuenit, tenetur ad reſtitutionem damni illati. R. 19. n. 5. p. 188. Exercens artem, vel facultatem ipſi ratione ſtatus prohibitam, cuiuſmodi eſſet ſacerdos exercens medicinam, & c. quamuis eius facultatis valde peritus ſit, dicitur tamen ſeſe immiſcere rei ad ſe non pertinenti. ibid.

Exorbitare.

Idem eſt, ac deuiare, ſeu in aliquo diſcordare. R 28. n. 2. p. 196 differt à corrigere, tanquā pars à toto n. 3. p. 196.

Extenſio.

In ſignificatione verborum quotupliciter fieri poſſit. R. 15. n. 14. p. 159. Fieri, an, & quando poſſit ob ſimilitudinem de vno caſu ad alium ſimilem ſub verbis non expreſſum? ibidem cap 4. per tot. à n. 22. p. 162. Et an de perſona ad perſonam, vel de loco ad locum ibidē fieri poteſt ob ſolam ſimilitudinē rationis, quando, ſi non fieret, aliquod ſequeretur abſurdum ibid. n. 31. p. 165. Fieri an, & quando poſſit ob identitatē rationis de caſu expreſſo ad non expreſſum? ibid. n. 34. p. 166. An poſſit fieri ad fœminas in diſpoſitione loquēte de maſculis, ſi ſimus in fauorabilibus, & quid in odioſis? ibid. n. 47. p. 171. Non fit per ſe loquendo extenſio in exorbitātibus à Iure communi. R. 28. n. 4. p. 196. Fallit fauore piæ cauſſæ, vel animæ; ibid Facilius admittitur in priuilegio, ſeu reſcripto exorbitante, quàm in corrigente. ibid. n. 5. Quandoque admittitur in pœnalibus, & odioſis ob identitatem rationis R. 37. ſub n. 49 p. 241. & R. 72. ſub n. 8 p. 434. An admittatur in pœnalibus de caſu vero ad caſum fictum? R. 72. n. 82. p 435. An de morte naturali, ad ciuilem? ibid.

F

Factum.

Factum propriū nemo poteſt impugnare, niſi fecerit contra leges. R 64. n 13 p. 387. Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea euenia[t], a quo non poterat inchoari. R. 73. per tot. p. 437. Factum legitimè quodnam dicatur? ibid. n. 1.

Facultas.

Abſoluendi à cēſuris, & irregularitate, ſiue etiam diſpenſandi, verbis generalibus conceſſa non comprehendit irregularitatem, quæ contrahitur ex defectu lenitatis, ſeu ex indecentia, neque mixtam, quæ contrahitur tum ex defectu, tum ex delicto, præſertim, quæ oritur ex homicidio voluntario. R. 81. n. 6. p. 447.

Falcidia.

Aequiparatur in iure cū Trebellianica, & diſpoſitum in vna militat in alia. R. 15. n. 38 p. 167.

Falſitas. Falſus.

Falſitas inſtrumenti à notario confecti, ſi ſit in aliqua tantum parte, an & quando totum inſtrumentum vitiet? R. 37. cap. 7. n. 34. p. 237. Et quid in capitulis connexis, vel acceſſorijs? ibidem n. 36. Falſus in vno falſus in omnibus. ibid. n. 31. p. 236.

Familiaris.

Familiarium, & domeſticorum nomine, qui intelligantur in ordine ad gaudēdum priuilegijs domini? R 7. n. 71. & ſeq. p. 74. Familiaris Cœnobij an poſſit Religioſo Sacerdoti Sacrum cōficienti aſſiſtere, & inſeruire, ſtante priuilegio celebrandi tempore interdicti religioſæ illi cōmunitati conceſſo, ſi nullus alius in ea communitate religioſus reperiatur? ibid. n. 73. p. 75. Familiaris Epiſcopi quinam dicatur, ad hoc vt poſſit ab Epiſcopo, cuius non eſt ſubditus, ad ſacros ordines promoueri? R. 42. n. 71. p. 300. Poteſt promoueri, ſi per triennium Epiſcopo inſeruierit. ibid. An hoc triennium debeat eſſe continuum? n. 72. ibid. Et an numeretur à die, quo dominus epiſcopatum habuit? ibid. n. 73.

Famuli.

Famuli clericorum an gaudeant priuilegio immunitatis à gabellis? V. *Priuilegium*.

Farina.

An veniat appellatione frumēti? R. 16. à n. 64. p. 176.

Fatalia.

Ad appellādum non currunt ei, qui eſt legitimè impeditus, dummodo tale impedimentum proteſtetur R 41. n. 1. p. 272.

Fauor. Fauorabilia.

Fauor quatenus attinet ad ampliādas diſpoſitiones, quid ſignificet, in iure? R. 15. n. 1. p. 156. Fauorabilis, an potius odioſa cenſēda ſit diſpoſitio, quando in ea odium, & fauor inſeparabiliter cōcurrunt; & quomodo id deprehendatur? ibid. cap. 1. per tot. Et quid in dubijs? n. 11. p. 158. In fauorabilibus fit extenſio ad omnia ea, quæ continentur ſub ſignificatione tum naturali tum ciuili verborum. ibid. n. 15. p. 159. Per ſe autem loquendo nō debent verba extendi vltra ciuilē ſignificationem per impropriationem. n. 16. In fauorabilibus, quādo poſſint verba impropriari? ibid. Fauor cauſæ præualet fauori Rei. R. 32. n. 4. p. 208.

Feudatarius.

Negās Domino fidelitatem feudo priuandus

eſt

eſt.R.75.n.2.p.439. Nequit plus iuris in feudo habere, quàm habebat Dominus,qui ipſum inueſtiuit.R.79.n.2.p.442.

Fictio.

Quid ſit, et quotuplex? R.9.& 10.n.2.& 3.p.79. Fictio naturam imitatur.ibid.n.3.Tantū operatur in caſu ficto, quantum veritas in caſu vero. ibid.nu.4. Fictio legalis eſt licita, & honeſta. ibid.n.12.p.81.Fictio quænam mendax,& illicita ſit? nu.14. Fictiones legales in omni rerū genere locum habere poſſunt. ibid.n.15.

*Fides.*V.Bona fides.

Bona, aut mala quænam ſit? R.2.& 3.n.21.p.15. Fides venialiter mala, quòd res poſſeſſa ſit ſua,an præſcriptionem impediat? V. *Præſcriptio.* Fides ſiue quoad res ad Deum pertinentes, ſiuè in ordine ad mores, & actus virtutum ſpeculatiuè procedit, non autem practicè.R.13.n.32.p.99. Fides in malis promiſſis non eſt ſeruāda.R.69.per tot.p.394. V. *Promiſſio.* Fidem ſeruare non teneris ei, qui tecum fidelis nō eſt. R.75.per tot.p.439. Amplia, etiam ſi in vno minimo capitulo fides non ſeruetur.ibid.nu.4. Item quamuis iuramētum interceſſerit, vel fuerit inter poſita clauſula, *Rato manente pacto.* ibid.n.7.Fidē, ſeu conuentionem ex parte ſua nō ſeruans non ſolum aliquid ab alio contrahente exigere, ſed nec propriam liberationē conducere, nec ſyngraham in iudicio repetere poteſt. ibid.n.6.Fidē frāgens infamis eſt. ibid.n.1.Fidei profeſſio, quā Beneficiarij, vel Epiſcopi, vel alij ex proprio munere emittere tenentur, an poſſit fieri per procuratorem ad id ſpecialiter deputatum? R.72.à n.4.& ſeq.p.402.

Fideiuſſor.

Obligatus pro maiori ſumma.V.g.pro aureis ducētis,an teneatur pro minori, puta pro centum, quibus dūntaxat reperitur obligatus debitor principalis? R.80.n.9.p.445.Si ſoluit vſuras, ad quas ex vi contractus non tenebatur, nequit eas à principali debitore recuperare.R.86.n.4.p.453.

Filius.

Filij Clericorum an gaudeant priuilegio immunitatis à gabellis? V. *Priuilegium.* Filius præſumitur ignorare teſtamentum patris, niſi ex cōiecturis aliter deprehēdatur.R.14.n.3.& 4.p.139.Filiorum appellatione an,& quando veniant ſœminæ,etiā nepotes, & pronepotes, etiā in collaterali,& an filij adoptiui? R.15.ſub n.18.& 19.p.161.Filius interdum temporaliter punitur ob parentum delicta R.22.& 23.n.4.p.181. Filius,vel filia præſens, & tacens in matrimonio, aut ſponſalibus, quæ à ſuis parentibus nomine ipſius contrahuntur, an præſumatur conſentire? R.43.cap.2.per totū n.11.& 16.p.314 & 316.Idē eſt,ſi cōtrahantur à tutore,vel curatore,vel alijs ſub quorum cura extat.ibidem.n.20.Quid dicē-dum, ſi pro eo contraxerit extraneus? ibid.n.21. Filius nō exit à patria poteſtate per amentiam patri ſuperuenientem.R.73.n.3.p.437.Filius legitimus. V. *Legitimus.* Filius legitimatus.V. *Legitimare.*

Fœmina.

In fauorabilibus an extenſiuè comprehendatur ſub diſpoſitione loquente de maſculis,& quid in odioſis? R.15.à n.47.p.171.

Forma.

Dat eſſe rei, ità vt ea deſtructa res deſtruatur neceſſe eſt.R.64.n.1.p.386.Subſtātialis quot modis, & quibus verbis cēſeatur inducta? ibid.n.2. In dubio præſumitur ſubſtantialis, non accidētalis.ibid.n.7.Formæ omiſſio non vitiat actum, quando grauis vrget neceſſitas,ob quam tempus non permittit,vt ad ſuperiorem pro diſpēſatione recurratur.ibid.n.16.p.387.

Fragmenta.

Quæ ſuperſunt ex caſula benedicta,vel ex alio ornamento, ſeu veſtimento ob vetuſtatem conſumptis nequeunt applicari ad vſus profanos, nec ex iis licitum eſt facere burſas ad vſus hominum? R.51.n.5.p.349.

Fraus.

Fraudē legi facit non modo, qui verba legis complectens contra eius nititur voluntatem, ſed etiam,qui ordinem rei tantum ſequens mentem legiſlatoris non ſeruat.R.88.n.5.p.456. Fraus legi quot modis fieri poſſit? ibid.n.6.

Fructus

Percepti ſunt reſtituendi ab eo, qui contractū impugnat,cuius vigore illos percepit.R.38.n.3.p.261.Amplia non ſolū ad fructus rei principalis, ſed etiam ad fructus rei connexæ. ibidem.n.4. percepti ante litis cōteſtationem ſunt reſtituendi,ſi actus contra leges fuerit, niſi tamen interceſſerit bona fides,vel niſi is,qui eos percepit, in aliquo factus ſit locupletior.R.64.n.14.p.387.

Frumentum.

Frumenti appellatione an veniat farina,& panis? R.15.à n.64.& 71.p.176.& ſeq.

G

Genus.

GEneri per ſpeciem derogatur.V. *Species.* Nō derogatur,quandò generalis, & ſpecialis diſpoſitio ſunt inter ſe compoſſibiles.R.7.n.151.p.160. Genus quot modis ſumatur,& quid ſit apud Legiſtas, & Philoſophos? R.34.cap.1.n.8.p.211.Genus requirit,vt ſit id,cui aliqua ratio ſeculi aduediat,& quod item ſit contrahibile per rationem ipſam aduenientem. ibid.n.10.Item debet contrahi per differentias contentas intra limites ipſius.n.11.Dicit aliquod prius ipſa ſpecie.ibidē Genus, quod eſt interdum reſpectu vnius,poteſt eſſe ſpecies reſpectu alterius.ibid.

Gratia. V. Beneficium,

An ceſſet ceſſante in totum, vel in partè cauſa ſiue finali, ſiue impulſiua,ob quam fuit conceſſa? R.26.n.11.& 12.cum ſeq.p.185. Quid ſi fuerit conceſſa intuitu dignitatis, an ea ceſſante ceſſet? ibid.n.13. Ex duobus eamdem gratiam obtinentibus præferendus eſt ille, qui prius corã executore ſuæ gratiæ literas præſentauit,licet in imperratione ſit poſterior. R.54.n.6 p.366. Gratia ex ſola ſignatura dicitur perfecta.ibid.n.8.p. 367.Gratia non debet retorquere in diſpendiũ eius,cui conceſſa eſt.R.61.per tot.p. 379.Etiamſi obſtet in contrarium generalis præſumptio iuris. ibid.n.5.p.380.Gratia vni facta non extenditur ad alios,nec trahitur in exemplum *R.*74.per tot. p.438.

Grex,

*D*ebet ſaltem continere decem oues, aliter grex non dicitur.R.42.n 83.& n.88.p.

H

Hæres.

HAeres immediatus nequit præſcribere rem, quæ à defuncto mala fide poſſidebatur, *R.*3.c.3.n.32.& ſeq.p.19.Amplia,etiam ſi inuentarium confecerit,n.34.p.20 Hæredi tamen mediato non nocet mala fides defuncti. ibid.n. 36, p.21.Heres,qui à iure appellatur *ſuus*,quomodo differat ab hærede *non ſuo*, quo ad tempus, & modum præſcribendi n.36. 37. & 38 ibid.Hæres ignorans, num votum à teſtatore emiſſum fuerit maioris,vel minoris ſummæ,an ſatisfaciat erogando minorem? *R* 13.c. 14 per totum,à nu, 126. pag.129. Et quid in legato,cuius ſumma eſt dubia? ibid.n. 132. Heres extraneus præſumitur notitiã habere de teſtamento *R.*14.n. 6. p. 139. Hæres,ſi remittat iniuriam factam ab eo, qui teſtatorem interfecit inuito altero cohærede, delictum non cenſebitur remiſſum. *R.*56, n. 13. p. 371. Heres in legato præſtando non tenetur dare legatario, quod optimũ eſt, nec ſatisfacit dãdo peſſimum,ſed ſufficiet mediocre.R.30. n. 8. & ſeq.p.200.Obligatus pingere in aliqua Eccleſia imagines Apoſtolorum indeterminatè,non ſatiſfacit pingendo duos, ſed omnes duodecim pingere debet.*R.*40.n.13. p.269. Cenſetur vna eademque perſona cum defuncto. R.46. n. 3. & 4. p.331.Succedit in vniuerſum ius defuncti, cuius iure vti poteſt, tam actiuè, quam paſſiuè. R. 46, n. 3. & 4. p. 331. Amplia ad hæredem mediatũ, ibid. nu. 10. Item ad hæredem particularem circa illam rem, in qua eſt heres. ibid. Tenetur ſeruare conuentiones à teſtatore factas. ibid. nu. 5. Debet conueniri corãm iudice teſtatoris, ſi lis eſt cœpta.n. 6.Nequit impugnare factum defuncti. n. 12. Conueniri poteſt vigore reſcripti obtenti contra defunctum. ibid. n. 8. An teneatur ſatisfacere votis defuncti ex bonis hæreditarijs. ibid. nu.20. p. 333. Quid ſi votum ſit parti im reale, partim perſonale? ibid. nu. 24. Si fuerit disiunctiuè à teſtatore emiſſum, cuius vna pars ſit realis, altera perſonalis, ita vt fuerit ſub vouentis poteſtate alterutram eligere, an hæres teneatur implere partem realem? ibid. nu. 25. Hæres an ſuccedat in ius, quod defunctus habebat ſe validè componendi ſuper debita incerta, virtute *Bullæ* Cruciatæ? ibid. nu. 27. Non poteſt hæreditatem adire in diem, vel ſub conditione. R. 50.n. 9.& ſeq. & nu.28.p. 345. Hæres, cui duplici iure defertur hæreditas, quamuis vna via ſuccedere prohibeatur, poteſt tamen alia via ad hæreditatem admitti. R. 84. n. 13. p 451. Sine beneficio legis, & inuentarij tenetur vltra vires hereditarias, itaut quandoque de crimine ſuſpectus ſit. R. 86.n. 2, & 6.p. 453. Nequit exigere à debitore hereditario debitum, ſi fuit prohibitus à teſtatore, ne exigeret. R 69. nu. 4. p. 377.

Hæreticus

Hæreticus formalis an cenſendus ſit, qui ex vincibili ignorantia errat in aliquo fidei myſterio? R. 13. cap. 9. per tot, à nu. 72. p. 113. Hæreticus, vt quis ſit, requiritur, vt pertinaciter ſiſtat in errore, ibid. n. 74.77.& 81.p. 114. & ſeq. Hæreticus in foro externo cẽſeri debet, qui profert opinionem hæreticam,quamuis proteſtetur, ſe nolle ab *Eccleſia* diſſentire, ſi admonitus ab Inquiſitoribus, *vel à viris doctis* aſſerentibus, illam opinionem eſſe hæreticam,non credat, ſed ignoranter putet, ſe rectè ſentire, & non contra Eccleſiam; & quid in foro conſcientiæ, an ſaltẽ grauiter peccet? ibid. nu. 87. p. 117.

Homo

Homo liber non poteſt obligari,nec tractu tẽporis obligatio firmatur, quamuis poſtea ſit pulanis ſeruus efficiatur. R. 18.n.9. p. 188. Homo, an poſſit ſe habere acceſſoriè ad alium hominẽ? R. 42.num.82. p. 304.

Horæ Canonicæ

An recitari poſſint partim iuxtà formam vnius Breuiarij, partim verò iuxtà formam alterius, ita vt taliter eas recitans ſuæ obligationi ſatiſfaciat? R. 7. n. 61. & ſeq.p. 71.

Hoſpes. Hoſpitium

Hoſpitio aliquem in domum ſuam recipiens an teneatur ſub graui culpa nõ permittere, quod ille,qui hoſpitio receptus eſt,meretricem ad fornicandum introducat; imò an obligatus grauiter ſit meretricẽ illam, ſi inducta fuerit, è domo expellere. R. 56: n. 6 p. 369.

Hypotheca

Specialis intelligitur comprehenſa ſub prohibitione alienationis. R. 39 n. 12.p.266. An etiã generalis? ibid. Hypothecæ medio tempore contractæ reſoluuntur, reſoluto iure datoris, ſeq

ilæ

illius, qui rem in hypothecantem tranſtulit, R. 79 n.6.p.442.

I

Identitas

IDentitas rationis quid ſit,& quomodo differat à ſimilitudine? R.15.n.23.& 24.p.163. Alia dicitur purè extenſiua, alia verò comprehenſiua, & quænam ex ſint. ibid n.24.

Ieiunium

Ieiunij fractio ex culpabili ignorantia procedens an ſit peccatum ſpecie diuerſum à fractione ieiunij ſcienter facta? R.13.cap.8.per tot. à nu. 61.&66 p.108.

Ignorans.

Ignorans vincibiliter præceptũ aliquod, ſiue diuinũ, ſiue naturale, ſiue poſitiuũ, ſi contra tale præceptũ operetur, an duo, vel ſpecie, vel numero diſtincta cõmittat peccata? R. 13. c. 4 per tot. p. 96.& 97.& ſeq. Ignorans vincibiliter, & cum negligentia mortaliter culpabili non curans ſcire aliquod præceptum Eccleſiæ, ſi illud non tranſgrediatur, tenetur hanc ignorantiam confeſſario ſacramentaliter aperire; Secus vero ſi tranſgrediatur, quia tunc ſufficit aperire tranſgreſſionẽ ipsã ibid.n.28 p 97. Ignorans an aliquis contractus, vel alia quæuis operatio ſit licita, nec ne, tenetur de ea re, quã ignorat inquiſitionẽ facere? ibid.n.30. Ignorans an ligetur ſtatutis, & edictis ſiue Epiſcopalibus, ſiue Pontificijs,&c. R. 13. n. 91.& 92.p.118. Ignorans votum caſtitatis ordini ſacro annexum, ſi ordinem ſuſcipiat, an teneatur caſtitatem ſub voto ſeruare? R. 13. cap. 13. per tot.à n.118.p 126. Ignorans ſuorum natalũ defectum, & bona fide ſacros ordines ſuſcipiens, ſi poſtea deprehendat ſe eſſe illegitimum, an diſpenſatione Põtificia egeat ad vſum ordinis ſuſcepti, vel potius ad id ſufficiat Epiſcopus? ibid. c.15 à n.132.p. 131. Et quid in ignorantia iuris prohibentis, ne irregulares ad ſacros ordines promoueãtur? ibid,n.142.p.134.

Ignorantia

Facti, non iuris excuſat. R. 13. per tot.p.88, & ſeq Quid ſit, & quomodo differat ab errore, neſcientia, & titubatione? ibid.n.2.p. 89. Quotuplex ſit? n. 3. 4. 5. & ſeq. Iuris regulariter non excuſat in ijs, quæ pertinent ad propriam officium. ibid. n. 6. 7. & 8. p.90. propriè id intellige in foro externo. nu.8. Ignorantia facti præſertim alieni præſumitur in foro externo. num. 8. & 11. Iuris probatur per coniecturas. n. 9. p.90. & 91. item per iuramentum ignorantis, quando alia via nequit probari. ibid. Secus verò ſi res ſunt publicè notæ, de quibus ignorantia non præſumitur ibid. Ignorantia publicationis legis, an ſufficienter probetur iuramento? n.10.ibid. Regulariter id relinquitur arbitrio Iudicis, ibid. Vin-cibilis an ſit ſecundum ſe peccatum, vel potius ratione negligentiæ, quam habet annexã? ibid. cap.3 per tot.nu. 12. & ſeq. p. 91. Vincibilis an opponatur alicui virtuti? nu. 12. & 17. ibidem. Quomodo opponatur ſcientiæ, & ſtudioſitati? n. 18. 19. & 20. Inuincibilis dari poteſt de lege poſitiua humana, tum ciuili, tum canonica, n.37. p.100. Quid circa ea, quæ concernunt proprium ſtatũ? ibid. Inuincibilis an admitti poſſit, & qualiter inter infideles circa myſteria fidei, ibid. nu. 38 An dari poſſit inuincibilis ignorantia inter Chriſtianos circa fidei myſteria? R. 13. n.43. p. 102 Inuincibilis non datur de primis principijs iuris naturalis.nu. 44. ibid. ſicuti neque de primis principijs ſpeculatiuis, ſi termini intelligãtur. ibid An dari queat de præceptis Decalogi, & quomodo? ibid. n.45.46 & ſeq. Inuincibilis an dari poſſit de Deo? nu.47. Quid in homine ruſtico? ibid. nu. 48.p. 103. Inuincibilis an verò vincibilis ſit ignorãtia, quomodo cognoſci poſſit? R. 13. cap. 6. per tot. p.104. & ſeq. Inuincibilis ignorantia facti alicuius, ſeu damni, vel alterius effectus, qui ex illicita actione ſequatur, an dari poſſit? ibid. c. 7. à n.57.p.106. Vincibilis, ſeu culpabilis, qua quis errat in aliquo fidei myſterio, an excuſet ab hæreſi formali? R.13. cap. 9 à nu. 72. p. 113. Et quid ſi fuerit ignorantia affectata? n.79.p.115. Affectata non minuit, ſed potius auget malitiam.n.86 p 117 Ignorantia irregularitatis à Iure impoſitæ an, & quando excuſet, ne quis eam incurrat? ibid.cap.10.per tot.à n.88 p.117.& ſeq Et quid ſi quis ſcit legem imponentem, ſed ſolũ ignorat pœnam irregularitatis? ibid,n.97.p.130 Ignorantia impedimenti ex parte coniugum tempore contractionis matrimonij ſufficit, vt filij dicantur legitimi. R.13. ibid.n.143.p.134. Et an ſufficiat ignorantia ex parte vnius tantum.ibid.n.143. Et quid ſi in contractione matrimonij fuerint omiſſæ ſolitæ denunciationes, ſeu proclamationes? ibid.cap.16. per tot.p.134. Inuincibilis, ſiuè iuris, ſiuè facti an iuuet ad præſcriptionem? Vide, Præſcriptio. Ignorantia præſumitur in ſucceſſore, ſiue vniuerſali, ſiue particulari. R.14.n.1.p.139. Amplia ad ſucceſſorem in lite pendente.ibid. Item ad filium, qui præſumitur ignorare factum, & teſtamentum patris, niſi adſint coniecturæ in contrarium.ibid. n.4. Limita in facto alieno, ſi agatur de re, quam ſucceſſor ſcire tenetur, quia tunc præſumitur ſcientia. ibid.n.6. Non præſumitur ignorantia, ſed ſcientia, quando agitur de lucro captando; ſecus de damno vitando.ibid.n.7. Ignorantia affectata an excuſet à pœna impoſita contra ſcienter tranſgreſſores, & delinquentes? R.15. c. 6.à n.40 & ſeq.p.168. Affectata an æquiparetur ſcientiæ? ibid.nu.42. Ignorantia præſumitur, & non mala fides in ruſtico, puero, aut muliere. R. 82.n.4.p.448.

Il-

Digitized by Google

Illegitimus.

Quamuis eligi nequeat in Prælatum, poteſt tamen à Pontifice poſtulari. R.84.n.11.p.451.

Immemor.

Immemor voti pœnalis, ſi illud frangat, an teneatur ad pœnam, vel potius excuſetur, & quid ſi ſolius pœnæ, & non voti ſit oblitus? R.13.n.15.p.125.

Immunitas.

Immunitate Eccleſiaſtica an gaudeat qui exteriorem dumtaxat murorum Eccleſiæ ſuperficiem tetigit? R.42.n.60.p.296.& ſeq.

Impeditus.

Impeditus legitimè, ſi per eum non ſtat, quo minus faciat, culpa caret, ſiue ſimus in contractibus, ſiue in vltimis voluntatibus. R.41.n.2.& ſeq. p.272.& ſeq. Impeditus legitimè, ne præceptum annuæ confeſſionis impleat, an teneatur vi eiuſdem præcepti, actum ſaltem contritionis elicere? R.42.n.39.& ſeq.p.290.

Impoſſibile.

Impoſſibile abſolutè quid ſit, & quotuplex? R.6.cap.1.per tot.p.45. Impoſſibilis conditio afficiens contractum an illum vitiet? ibid.cap.2.per tot.à n.4.p.46. Impoſſibilis conditio ſub triplici forma adijci poteſt. R.6.n.12.p.48. Adiecta vltimis voluntatibus. V. *Vltima voluntas.* Adiecta cõtractioni matrimonij quid operetur? ibid.cap.5.p.53.

Inaduertentia.

Inaduertẽtia fuerit ne vincibilis, & culpabilis, an verò inuincibilis, & inculpabilis, quomodo deprehendi poſſit? R.15.n.53.p.105.

Indiuiduum.

Quid ſit apud legiſtas? R.34.n.3.p.212.& R.37.n.3.p.278. Indiuiduum aliquod eſſe poteſt, vel ex natura, vel ex forma, vel ex connexione, vel ex contrahentium pacto. R.37.n.3.p.278.

Indulgentia.

Ab Epiſcopo conceſſa vltra numerum dierum iure præſcriptum an tota, vel ſolum quoad exceſſum vitietur? R.37.c.1.per tot. p.246. A Pontifice conceſſa ſi excedat cauſſam proportionatã, an ſaltem ſubſiſtat quoad eam partem, in qua eſt proportionata? ibid.n.70.

Infamia. Infamis.

Infamia à dignitatibus excludit, & quare. R.87. per tot.p.453. Quid, & quotuplex ſit? ibid.c.1.per tot. Plures parit effectus. ibid.n.6 Infamia iuris an excludat non ſolum à dignitatibus, & beneficijs obtinendis, ſed etiam ipſo iure priuet obtentis? ibid.n.7. Et an in hoc requiratur ſententia declaratoria? ibid. n.9. Excludit ab accuſatione poſtulatione, & teſtificatione in criminalibus, & grauioribus cauſſis. ibid.n.11. Item ab officio tutoris legitimi, & datiui, ſecus verò teſtamentarij. ibid.p.455. Infamem, quocunque ierit, comitatur nõmen. Remanet etiam poſt peractam de crimine pœnitentiam; hinc infamis etiam poſt pœnitentiam nequit in iudicio teſtis idoneus eſſe, niſi ſolum, quando adeſt teſtium inopia. ibid.n.14. Infamia facti tollitur per pœnitẽtiam, idoneoſque reddit viros ad obtinendas dignitates. ibid.n.15. Infamis neque admittitur ad teſtanda in iudicio ea, quæ vidit, antequam infamiam incurreret. ibid.n.16.

Infidelis. Infidelitas.

Infidelis, ſeu paganus, an poſſit inuincibiliter ignorare myſteria fidei? R.13.n.38.& 39.p.100.& ſeq. Qualiter teneatur diligentiam adhibere, ad veritates fidei inquirendas? n.40.& ſeq. ibid. Infidelitas, qua quis diſſentit à reuelatione Dei, an habeat eſſentialem ordinem ad eamdem reuelationem, vt veram? R.5.cap.4.§.10.& 11.à n.39.p.41.

Iniuria.

Non fit ſcienti, & conſentienti. R.27.per tot. à n.1.p.195. *Secus ſi ſciat, & non conſentiat, vel è conuerſo.* ibid. An hoc procedat tum in bonis, de quibus diſponere poſſumus, vt ſunt bona externa, & fama; tum etiam in ijs, quorum non domini, ſed cuſtodes ſumus; vt propria vita, membrorum integritas, coniux, &c? ibid.n.4.

Inquilinus V. Colonus.

Inſtituere. Inſtitutio. V. Electio.

Inſtituere in beneficio eum, qui à Patrono fuit præſentatus, pertinet ad Epiſcopum. R.1. cap.3.n.28.p.10. Inſtitutio an ſit valida, ſi fiat ab eo, qui per errorem exiſtimatur poteſtatem inſtituendi habere, cum reuera non habeat? ibid.n.30.& ſeq.p.11. Inſtitutio, ſeu electio ad beneficium facta in alicuius perſonam non retractatur; quamuis poſt talem inſtitutionem patronus, qui inſtitutum præſentauit, amittat per ſententiam ius patronatus. R.73.n.4. p.438.

Inſtrumentum.

A notario confectum, ſi in aliqua tantum parte ſit falſum, an, & quando totũ corruat? R.37. à n.34.p.237. Quid in capitulis annexis, ſeu acceſſorijs? ibid.n.36. Inſtrumẽtum, ſi quis impugnat, aſſerens falſum, vel inualidũ illud eſſe, nequit ex eodẽ aliquod commodum reportare. R.58.n.2.p.361. Et ſi fructus percepit, ſunt reſtituendi. n.3. ibid.

Interdictum.

Latũ contra ciuitatem extenditur quoque ad ſuburbia. R.15.n.17.p.160.

Interpretatio.

Strictè ne, an largè facienda in contractibus, vltimis voluntatibus, & beneficijs, ſi adſit obſcuritas? R.13.n.19.p.130.& R.57.n.12.p.375. Quid in votis? ibidem & nu.130. In pœnis benignior eſt facienda. R.49.per tot.p.337. In enormibus delictis ſeuerior. ibidem. n.27.p.339 Facienda eſt

con-

contra eum,qui,cum clarè loqui poſſet, obſcurè ramen loquutus eſt,ſiuè ſit actor,ſiue reus. *R.* 57. per tot.n.1.& 2.p.373.

Intentio.

Prærequiritur ad lucrandas indulgentias. R. 13.n.108 p.124.Intentionem quis dicitur habuiſſe, vel virtualiter ratione alicuius volitionis præcedentis, vel interpretatiuè ratione connexionis cū eo actu,qui dicitur virtualiter volitus. ibid.n.123 p.128.

Intimatio.V. Notificatio

Inutile

Inutile naſci poteſt, vel ex aliqua cauſa efficienti,vel materiali,vel formali,vel finali *R.*37.n. 2.p.227 Inutiliter fieri,ſeu minus legitimè fieri,& non fieri paria ſunt.R.13.n.104.p.122.

Irregularitas.

Ex defectu natalium priuat nō ſolum ſuſceptione ordinis,ſed etiam exercitio ordinis iam ſuſcepti.*R.*13.n.133.p.131. Eſt inhabilitas, ſeu canonicum impedimentum ad receptionem ſacrorum ordinum,& conſequenter etiam ad eorū vſum.ibidem,n.136.

Iudex.

Iuriſdictionem exercens in non ſubditum, ſeu in ſubditum,ſed extra territorium,inualidè agit.R.26.n.3.p.194.Idem euenit, quocumque alio modo ſuæ iuriſdictionis limites egrediatur. ibid.n 3.& 4.Etiam ſi ſit iudex ſupremus.ibidem. *Poteſt* tamen extra territorium exercere ea,quę ſunt voluntariæ iuriſdictionis.n.5.ibid *Ex* proprio officio poteſt aliqua probatione vti in fauorem illius,qui ipſam impugnat. R. 38. nu.9.p. 262. Iudex eccleſiaſticus ſuper validitate matrimonij poteſt acceſſoriè, & incidenter cognoſcere de dotium reſtitutione. R. 42. à n. 76. p. 301. & R. 84.nu. 14. p. 451. Eſt incompetens ad cauſſas temporales,principaliter,non incidenter.ibid. nu. 80. p.303. Iudex ordinarius,qui nulliter ipſo iure ſententiam protulit, poteſt iterum iudicare. R.53. ſub n.10. p. 354. Iudex delegatus, ſi nulliter iudicauit, an, & quando poſſit iterum iudicare? ibid. n. 11. *Delegatus* Principis poteſt iterum iudicare non obſtante prioris ſententiæ nullitate. ibid. nu. 12. Iudices ſi in prolatione ſententiæ diſcrepauerint, ſtandum eſt maiori parti. R. 56. nu. 17. p. 375. Iudicis mandatum facit ceſſare omnem doli præſumptionem. R.24. per tot. p. 190.

Iuramentum.

An validum reddat actum aliàs nullum? *R.* 37. nu. 92. p. 256. & *R.* 64. nu. 2. p.387. Accedens contractui prohibito,an, & quando ſit nullum? ibid. n. 97. Præſtitum contra bonos mores non obligat. R. 58 per tot. p. 375. Iuramentum de non ſeruanda lege,quæ obligat ſub culpa aliqua theologica, non tenet. ibid.nu. 2.Iuramentum, ſi

quod quis præſtare tenetur, poteſt præſtari per procuratorem. *R.* 72. nu. 7. pag.403.

Iura

Iurium appellatione quandoque ſignificatur probationes ab actore, & reo in iudicio allegatæ.*R.* 11. nu. 3. p. 85.

Iuriſdictio

Iuriſdictionem totam petens, ſi ſuccumbat, nequit poſtea partem illius petere. *R.* 80. nu. 5. pag. 445.

Ius

Ius in re quid ſit: quid verò ius ad rem?*R.*34. n. 30.p.218.Ius in re difficilius tollitur, quā ius ad rem.ibid.

L

Laicus.

LAicus hæres clerici debet conueniri coram iudice Eccleſiaſtico in lite coram eodem clerico teſtatore cœpta.R.46.n.7.p.331.Laicus iuxta probabilem opinionem poteſt abſoluere in mortis articulo aliquē ab excommunicatione, ſed nunquam prorſus à peccatis. R.78.n.8. p 440.

Legatum.

Legata an ſint odioſa, vel fauorabilia,& conſequenter ſtrictam ne, an latam admittant interpretationem? R.13.n.127.& 132.p.129.Sunt interpretanda,vt minus noceāt heredi.ibid.Legatum annuū cedit initio anni. ibid.*Legatum* à viro vxori relictum hac conditione, vt cum filijs commoretur, quamuis vxor ad tempus aliquod breue diſcedat,hoc nō obſtante debetur. Digreſſ. de abſent.n.26.p.146.*Legatum* à principio nullū tractu temporis nō conualeſcit.R.18.n.2.p.186. Limita,ſi fuerit conceptum ſub conditione.ibid. n.7.in fine.Legatum relictū à perſona inhabili, & teſtari prohibita eſt nullum, nec cōualidatur, licet poſtea legans habilis reddatur.ibid.n.2.Inutile à principio ex defectu legatarij, etiam ſi deinde talis defectus remoueatur, non conualeſcet.ibid.n.3.Item relictum hæretico, vel infideli, vel fautoribus, & receptoribus hæreticorū eſt nullum, nec ijs reſipiſcentibus validatur. ibid. Niſi tamen reſipiſcant ante mortē teſtatoris ibid. Limita ſi ſit relictum ob alimenta, quia valet à principio.ibid Relictum ſeruo eſt nullū (niſi ſit legatum alimentorum) nec conualeſcit, ſi is poſt mortem teſtatoris liber euadat; ſecus verò, ſi ante mortem.ibid.n.3.& 4.A principio nullum ex defectu materiæ, etiam ſi poſtea materia accedat, non conualeſcit.*R.*18.n.7.p.187. Legatum de marmore,quod columnæ eſt annexum, eſt ab initio nullum, & licet poſtea marmor à columna ſeparetur, non conualeſcet.ibid. Legatum relictum in quantitate indefinita quā V.g.ſinguli hæredes ipſius teſtatoris ſine vlla ſucceſſione habituri, ſi diuerſitas adſit in ſubſtantia.

ad hæredes ſpectante, an ſit regulandum iuxta maiorem, vel minorem ſummã? R. 30. n. 27 p. 205. Legatum ſpeciale derogat generali. R 34. n. 7. p. 213. Quid in dubiis? ibid. n. 16. Speciale relictum aliquibus conſanguineis expreſſè nominatis derogat legato omnibus conſanguineis generaliter facto. ibid. n. 8. Legatis Titio omnibus ſeruis vernis, Seio autem omnibus curſoribus, ſi aliqui ſerui in hereditate reperiãtur, qui ſint vernæ ſimul, & curſores, cuinam cedere debeant, Titione, an Seio? Examinatur pro deciſione huius quæſtionis dictum *Gloſſe in L. ſeruis urbanis. 97. § ſi alij vernæ. ff. de Leg. 3. R. 34. n. 9* & ſeq. p. 214. Legato fundo inſtructo, ſi poſtea ſpecialiter à teſtatore adijciatur cum ſupellectili res aliqua, quæ nominatim expreſſa non fuerit, an per talem expreſſionem derogetur legato generali? ibid. nu. 15. p. 215. Legatum rei principalis, an, & quando comprehendat acceſſoria? R 42. c. 11. per tot. p. 303. Legato Equo cum Boue, vel ſeruo cum peculio, an bos, & peculiũ veniant acceſſoriè; itaut, ſi ſeruus moriatur, peculium non debeatur? ibid. nu. 81. Lego rem Titio, & Mæuio; & Lego rem Titio cum Mæuio, an differant? ibid. Legatum plurium factum per dictionem, *Cum*, & per dictionem, *Et*, quomodo differant? ibid. n. 81. & 82. Legatum non debetur ei, qui teſtamentum tanquam falſum, aut inofficioſum impugnat. R. 38. nu. 1. p. 261. Secus quando eum, qui impugnat, ante ſententiam pœniteat. ibid. nu. 7. Legatum libertatis ſeruo relictum indeterminatè poſt annos, vel poſt dies intelligitur poſt biennium, vel poſt duos dies. R. 40. nu. 3. p. 268. Relictum pauperibus indeterminatè, an, & quando diſtribui poſſit in duos pauperes? ibid. nu. 9. Legatum, quo quis reliquit duos ſeruos ſub hac conditione, ſi mei erunt cum moriar, locum habet in vno, etiã ſi teſtator ante mortem ſuam alterum alienauerit. ibid. n. 16. p. 270. Legatum, quo quis vxori ſuæ relinquit vſum fructum bonorum, & cum liberos habuerit, etiam proprietatem, debetur licèt vnus tantum filius naſcatur. ibid. nu. 18. Amplia, etiam ſi iſte Filius ſtatim moriatur. nu. 19. ibid. Legatum relictum ſub aliqua poteſtatiua conditione à legatario adimplenda debetur, ſi per ipſum legatarium non ſtat, quominus conditio impleatur. R. 41. nu. 4. p. 273. Legatum ſi eſt nullum reſpectu rei principalis, erit etiam nullum reſpectu rei acceſſoriæ. R. 42. n. 83. p. 303. Legatum Vaccæ pregnantis efficitur nullum, ſi Vacca moriatur, & vitulus non debetur legatario. ibid. n. 84. Legatum, vel locatio domus comprehendit apothecas adhærẽtes eidem domui. ibid. nu. 85. Legatum lecti intelligitur de lecto inſtructo, & apparato iis ornamentis, quæ legatario congruunt. ibid. n. 86. Legata re ex pluribus corporibus conſtante, ſi vnum ex ijs deſinat, an legatũ quoad reliqua extinguatur? ibid. cap. 12. per tot. p. 303. Legata quadriga, ſi viuente teſtatore pereat vnus Equus, & alius non ſubrogetur, an debeatur legatario currus cum alijs tribus Equis, qui remãſerunt? ibid. nu. 88. & ſeq. Legatum gregis, ſi viuente teſtatore omnes oues pereant, vna dũtaxat ſuperſtite, an, & quando totum extinguatur, vel potius hæc vna legatario debeatur? ibid. n. 88. Legatum peculij debetur legatario etiãſi quomodolibet minuatur. ibid. Relictum prius vni cenſetur adimi, & reuocari, ſi poſtea eadem res alteri relinquatur, quamuis hoc ſecundum legatum nõ potuerit ſortiri effectum, vel ob incapacitatem legatarij, vel ex alio capite. R. 52. n. 9. p. 354. Legato domus vxori relicto ſub conditione, quòd ſi eius valor æſtimatus fuerit. V. g. minor ducentis, heres teneatur ſupplere defectum; ſi poſtea talis domus pluris æſtimata ſit, an vxor teneatur refundere heredi exceſſum illum pretij ſupra ducenta? *R. 61. n. 5. p. 380.* Legatum relictum ſub conditione debetur, ſi non per legatarium, ſed per heredem ſtat, quominus conditio impleatur. R. 65. ſub n. 3. p. 391. Monaſterio relictum ſub conditione, quod legãs ſepulturam habeat in Eccleſia eiuſdem monaſterij, debetur, etiam ſi ipſe legans mortuus fuerit excommunicatus, & eccleſiaſtica ſepultura priuatus. ibid. nu. 5. Quid ſi *E*ccleſia, in qua teſtator legans ſepulturam elegit, tempore mortis eiuſdem teſtatoris reperiatur interdicta, an legatum ſub ea conditione relictum debeatur? ibidem nu. 6.

Legens

Legens librum partim ab hæretico, & partim à Catholico conſcriptum, an, & quando incurrat in cenſuram impoſitam contra legentes hæreticorum libros? R. 37. cap. 16. per tot. p. 258.

Legitimare.

Habens priuilegium legitimandi prolem ex adulterio, vel inceſtu procreatam, an, & quãdo poſſit illã legitimare, ſi vterque defectus in eadẽ coniunctim reperiatur. R. 53. c. 3. per tot. p. 359. Legitimandi poteſtas an, & quãdo ſit ſtrictè, vel potius largè interpretanda. ibid. n. 10. & 11. Et quid ſi actualis legitimatio tendat in præiudiciũ tertij? ibid. *Legitimatus* per reſcriptũ principis non intelligitur legitimatus quoad ſucceſſionẽ feudalem, niſi princeps id ſpecialiter expreſſerit. R. 81. n. 3. p. 447.

Legitimus.

Legitimi à iure cenſentur, & habiles ad quãlibet hereditatem filij, quorum parentes ob aliquod impedimentũ dirimens, ipſis vero ignotũ nequibãt matrimonium contrahere, illud tamen bona fide contraxerunt. R. 13. n. 148. p. 134. Quid

ſi in caſu prædicto parentes tale matrimonium contraxerunt omiſſis ſolitis denunciationibus? ibid.c. 16.per tot.n.143 &.ſeq p.134. & ſeq.

Lex.

Odioſa, aut pœnalis, aut iuris cōmunis correctoris eſt reſtringenda.R.15.n. 30.p. 165. Etiā ſi reſpiciat fauorem animarum, poteſt tamen quandoque eſſe odioſa,& reſtringenda ibidem. n.58.p.174.Generaliter loquens non præſumitur improbare id, quod per alias leges conceditur.R.37.n.13.p.231. Prohibens,ne quis hæreticorum libros legat,an ſit odioſa, vel fauorabilis? R.37.n.100.& 101.p.259 Lex in prohibendo dupliciter poteſt ſe habere,vel ſimplici prohibitione,vel prohibitione irritāte R.39.n 8 p.265. Legis nomine quandòque in iure intelligitur pactio,ſeu conuentio,quę ſolet apponi in contractibus.R.57.n.1.p.373.Lex obſcura eſt interpretāda à Principe.R.57.n. 13 p.375. *Lex* humana quomodo diſcerni poſſit, an obliget ſub culpa theologica, nec ne?R.58.n.2.& ſeq.p. 375.Lex pœnalis verba cōminatoria continens an, & quando importet ſententiam latam, vel potius ferendā? *R* 49 à n.1.& 6.p.337.& ſeq.*L*egis mens eſt conſideranda potius quàm verba.R.88.n. 1. p. 445. Mens legis quandonam clara, & certa dicatur? ibid.n.2.Quando legis mens clarè non liquet, congruè interpretari eam debemus, & quæ, nam in ea congruè interpretanda ſeruanda ſint? num. 3. Contra legem facere, & fraudem legi ſtruere differunt, & quomodo? num. 4. Fraus legi quot modis fiat? *Vide Fraus. Licitum* eſt verba legis violare,vt mens ſeruetur.ibid.nu.14. p.456.An legis tranſgreſſor dici poſſit,qui ſcienter contra legem non adhuc promulgatam, ſed iam iam publicandam aliquid operatur, (puta ſi ante publicationem frumentum alicui pluris vendat,cuius pretium per legem promulgandā ſciat iam iam eſſe minuendum) *R.*88.cap. 2. per tot.p 456.Quomodo id procedat, tum in foro fori, tum in foro conſcientiæ? ibid n.17 Lex pro forma requirit publicationem,nec ante eam obligat.ibid.p 457.

Liberi.

Liberorum appellatio quandoque in vnico filio,vel vnica filia ſaluatur.R.40.n.18.p.270.

Libri.

Librorum appellatione,tum in fauorabilibus, tum in odioſis,an veniant libri manuſcripti? R. 15.cap.12.per tot.p.179 Liber quomodo poſſet definiri?ibid.n.76.Liber partim à catholico, partim ab heretico cōpoſitus an,& in quibus caſibus totus vitietur,& ſub lege prohibente hæreticorū libros comprehendatur? R.37.cap.16.per tot.p. 258.

Licentia.

Quid ſit,& quomodo differat à conſenſu? R. 43.à n.27.& 30.p.319.& 321.Tacita an, & quādo ſufficiat? ibidem. nu.28.Tacita licentia mariti ſufficit,vt vxor cōtractū faciat.ibid.Tacita Superioris,an ſit ſatis, vt religioſus munus executoris teſtamēti ſuſcipiat?ib.n.31.p.321.Licentia vt ſic, quoties in aliquo actu requiritur,an intelligatur de expreſſa? ibid.n.32.& 34.Tacita Parochi an ſufficiat,vt alienus Sacerdos validè aſſiſtat contrahentibus matrimonium?ibid.n 36 p.323.Tacita ſufficit,vt alienus Sacerdos confeſſiones excipiat.n.38 Tacita Parochi, per quā alienus Sacerdos aſſiſtit huic determinato,& ſingulari matrimonio non ſufficit,vt abſque noua licentia alijs matrimonijs aſſiſtat n. 39 Tacita ſuperioris præſentis, & non contradicentis, an ſufficiat, ne religioſus vtens re aliqua, paupertatis votum tranſgrediatur?ibid.n.40.p.325.

Licitum.

Ei, cui licitū eſt, quod eſt minus, licebit etiā illud, quod eſt plus.R.55.per tot.p.355.Quomodo id intelligatur?ibid.n.1.& 2.p.355.& ſeq.

Ligna.

Ligna, & cœmenta, quibus conſtructa erat Eccleſia,quæ poſtea diruta eſt, non poſſunt applicari in vſus profanos, ſeu in laicorum commodum.R.51.n.3.p.348. poſſunt tamē applicari pro fabrica dormitorij, capituli, vel alterius loci in Religioſorum commodum. ibidem. An pro paſtinandis vineis? ibid.An pro facienda coquina, vel latrina? ibid.Si nequeunt deſeruire, cōburenda ſunt.ibid.n.4.

Litigans.

An,& in quibus caſibus nequeat pecuniam, vel munus à ſe iudici datum repetere? *R.* 65.à n. 2.& ſeq.p.388.& quid in foro conſcientiæ? ibid. n.7.p.390.

Locans.

*L*ocator ſi impedit conductorem, ne vtatur aliqua ex pluribus rebus locatis,nequit in ſuum commodum vti contractu locationis.*R.*38.n.4.p. 262 Locans domum meretricibus non peccat. R.56.ſub n.5.p.369.

Locatio.

*L*ocatio rei Eccleſiaſticæ vltra trienniū eſt prohibita.*R.*37.n.4 p.278.Si fiat vltra trienniū, puta per ſexennium, aut nouennium, an ſit tota irrita,an verò valida quoad ſolū trienniū? ibid. cap.2.per tot.à n.4.& ſeq.Locatio rei Eccleſiaſticæ vltra triennium, quomodo cognoſcatur fuiſſe vna,& indiuiſibilis, vel multiplex, & diuiſibilis?n.8.& ſeq.ibid.In dubijs præſumitur facta fuiſſe,vt valeat iuxtà tēpus licitum,& permiſſum. n.12.Quid ſi talis locatio fiat ad plura triennia, itaut tot ſint locationes,quot triennia,an omnes ſit valida? nu. 14. An prædicta procedant in locatione vltrà triennium facta de fructibus bonorum eccleſiaſticorum, & de bonis mobilibus

nu.

Digitized by Google

n.16.ibid.Locatio,vel legatum domus comprehendit apothecas ei adhærentes,niſi aliud exprimatur.R.41.n.85.p.305.

Locupletari.

Cum aliena iactura nemo locupletari debet, R.48.per tot.p.334. *L*ocupletior quomodo quis dicatur factus?ibid.n.4.p.335.

Loquens.

Loquens cum moniali per interpoſitam perſonam,ſiue laicus, ſiue clericus, aut Regularis ſit ſine licẽtia,& in caſibus à iure non permiſſis, an incidat in cenſuras? & quid ſi ñogat loqui rẽ alio,& audière ipſa moniali,tam ſi nihil reſpõdeſet?*R*.72.cap.9. per tot.p.425. Quid ſi in eo caſu monialis audiat verba,ſed nõ intelligat idioma, quod poſtea ei declaretur per illam interpoſitã perſonam? ibid.n.58.*L*oquens cum moniali per ſigna,ſeu nutus incidit in cenſuras.ibid.n.60.

M

Maior.

MAior ætate quiſque præſumitur, niſi minoritas probetur.R.37.ſub nu.63. p.245. & ſeq.

Maius.

Maius quid eſſe, quotupliciter in iure ſumatur? R.53.n.1.p.355.

Mala Fides.

Non præſumitur in contractibus iure prohibitis, quos ineunt ruſtici, mulieres vel pueri, in quibus potius præſumitur ignorantia.R. 82. n.5.p.448.

Malus.

*S*emel malus præſumitur ſemper malus.R.8. per tot.p.76.Fallit in malo diuerſi generis.n.20. ibid.p.78.Item fallit, quoties quis per aliquod tempus à malo abſtinuit.n.21.*I*tem fallit in delictis, quæ per ætatem ceſſare ſolent.n.22.Item in delictis præteritis.n.23.& ſeq.Itẽ in crimine occulto.n.25.ibid.

Mancipium.V. *S*eruus.

Mandans.

Mandans alicui committendum ſuo nomine delictum, quod de facto à mandatario cõmiſſum fuit, an iudicè interrogatus poſſit iurare, ſe illud non patraſſe? *R*.72.cap.6.per tot.p.414.Mãdanti tribuitur à iure actio eius nomine à Mandatario facta.ibid.n.34.Mandans, vt aliquis in Eccleſia occidatur, in qua poſtea de facto mandatarius homicidium patrauit, an gaudeat immunitate Eccleſiaſtica? R.71.c.11. per tot p. 433.Mandans,qui exiſtens in Eccleſia mandauit alicui, vt homicidium extra illam patraret, an gaudeat immunitate? ibid.ſub n.78.

Mandatum.

Mandatum,præſertim Pontificium, ad vnguẽ ſeruandum eſt.R.61.ſub n.11.p.382.

Maritus.

*P*oteſt communicare cũ vxore excommunicata.R.15.n.37.p.167.Tacens, quando agnoſcit votum ab vxore emitti, an in dubio præſumatur conſentire? R.43.n.53.p.319.Nequit à dotãte petere dotem,ſi ob diſſolutionem matrimonij tempus reſtitutionis aduenit.R.69.n.5. p.337. Maritus ſicuti vxori ſuæ donare nequit, ita nec poteſt ei res ſuas vendere, & pretium remittere, aliàs ſub quæſito venditionis colore donationem exerceret.R 88.n 4.p.456.

Martyres.

Quomodo dicantur à Tyrannis iniuriam ſuſtinuiſſe, dum volentes tormenta paſſi ſunt? R.27 n.5 p.196.

Maſculinum.

An, & quando comprehendat, & concipiat fœmininum in diſpoſitione fauorabili, ſiue à lege,ſiue ab homine facta? & quid in materia odioſa? *R*.15.n.47 p.171.

Matrimonium.

*S*ub conditione impoſſibili initum an vitietur, vel potius tali conditione reiecta validum remaneat? R.6 cap.3.per tot.à n.11.p.47.Matrimonij bona tria ſunt, videlicet bonum fidei, prolis, & *S*acramenti,quæ tamen non ſunt de eſſentia matrimonij, quoad executionem, ſed ſolum quoad obligationẽ.ibid.à n.13 p.48. Matrimonium contractum ſub conditione aduerſãte alicui ex prædictis tribus bonis,an ſit irritum? ibid.n.15.& ſeq.p 49.Quid ſi prædicta conditio ſit ex ſe honeſta? ibid.à n.16.In foro conſcientię ſtandum eſt dicto contrahentium quoad determinandum, ſit ne validum matrimonium, cui adiecta eſt conditio impoſſibilis.n.28.p.53.Si alter ex contrahentibus ſe declaret nolle matrimonium contrahere, niſi impleatur conditio impoſſibilis, irritum erit.ibid.n.29.In dubio pręſumitur validum matrimonium, & prędicta impoſſibilis conditio iocosè adiecta. ibid.à n.30.& ſeq.Quęnam pręſumptio quoad talis matrimonij valorem cenſenda ſit validior? n.35.ibid. Matrimonium per metum contractum pręſumitur validatum, ſi vir, & vxor ſaltem per annum, & dimidium ſimul habitauerint R.8.n.7 p.76. Matrimonium, quatenus Sacramentum, nequit contrahi in diem, neque ſub conditione, quamuis conſenſus in diem, vel ſub conditione poſſit pręſtari.R.50.n.38.p.346.Omiſſis ſolitis denunciationibus contractum, an ſit inualidum, tanquam clandeſtinum? *R*.13. n.144 cum ſeq. p. 135.& n.148.p.136.Quid requiratur, vt dicatur fuiſſe clandeſtinum? ibidem. Ad hoc vt non dicatur clandeſtinum, an ſatis ſit, vt fiat coram Parocho, & ſciatur ab alijs? ibid.n 150.p.137. Matrimonium contrahentes contra legum præcepta non lucrantur ea, quæ nuptiarum intuitu

do-

Digitized by Google

donari ſolent. R 15. n. 42 p. 169. Limita in caſu, quo contrahentes ſint iuſtè ignorantes. ibid. Matrimonium contractum à patre, vel matre pro filijs præſentibus, & tacentibus, an ſit validum? R. 43 c. 1. t. n. 11. p. 314 & n. 16. p. 316. Idē ſi contrahat auus, vel proauus, & c. vel tutor, vel curator, vel alius, ſub cuius cura extent contrahentes, pro quibus contrahunt. ibid. n. 20. Quid ſi contrahat pro eis extraneus? n. 21. & ſeq Matrimonium an validè contrahatur, ſi loco Parochi aſſiſtat contrahentibus alienus Sacerdos cum licentia tacita eiuſdem Parochi? R. 44. à n. 36. p. 323. Poteſt contrahi per procuratorem, ſed requiritur ſpeciale mandatum contrahendi, cum tali determinata perſona, nec ſufficit generale, & indeterminatum. R. 72. n. 14. & 17 p. 405. Matrimonium contractum ab homine ſanæ mentis non irritatur per amentiam ſuperuenientem. R. 73. n. 2. p. 437.

Mediocre.

An, & quando in obſcuris ſit eligendum? V. *Obſcurū* Mediocre in legatis ſufficit ab herede præſtari. *R.* 30. n. 8 & ſeq p. 200. An, & quando ſufficiat dari ab eo, qui aliquid præſtare tenetur? ibid.

Mendax.

Mendax in vno mendax in omnibus. R. 37. ſub n. 31. p. 236.

Merces

Merces diurna promiſſa operarijs conductis indefinitè, in ea ſcilicet quantitate, quæ ab alijs ſolui ſolet pro ſimili labore, ſi inter conducentes reperiatur diuerſitas (puta quia vnus ſex, alius ſeptem, alius octo ſoluit) quota ſit ſoluenda? R. 30. n. 25 p. 204.

Metus

☞ Grauis, ſeu iniuſtè illatus, & cadens in virū cōſtantē, an ſufficiēter eximat ab obligatione ſeruandæ caſtitatis eū, qui tali metu ductus ſacros ordines ſuſcepit? R. 42. c. 1. per tot p. 276 *Et* quid ſi taliter promotus exercuit aliquē actū ordinis? ibid. nu. 9. Item, an eximat ab horis canonicis recitādis? ibid. n. 12. p. 279. Metus grauis non tollit ſimpliciter voluntarium ſufficiens ad characterem ordinis imprimendum; licet faciat inuoluntarium ſecundùm quid. ibidem. ſub n. 5.

Miniſterium.

Quid in iure ſignificet, & quot modis ſumatur? *R.* 71. n. 68. p. 430. Miniſterium nudum quid ſit? ibid. n. 69 An poſſit ſubdelegari? ibid. n. 64. & 70. *Et* quid ſi tale miniſterium ſit coniunctum cum iuriſdictione? ibid. n. 67. & 70.

Minimum

Quodnam in iure dicatur? R. 30. ſub n. 1. p. 198 *I*nterdum ſumitur pro non maximo. ibid. n. 2. In obſcuris eligendum. V. *Obſcurum*.

Minor

Minor ſumma, quando contineatur in maiori in contractibus? R. 35. nu. 5. & 6. p. 219. & nu. 21. p. 223. Quid in vltimis voluntatibus? n. 4. p. 219. & 220. Quid in ſententijs? nu. 10. Quid in reſcriptis? nu. 13. ibid. Minor ætate nemo præſumitur, niſi probetur. R. 37. n. 62. & ſeq. p. 245. Minorem ſe fuiſſe, abſolutè aſſerēs tempore, quo in religione profeſſionem emiſit, nec explicans, an fuerit minor 14. an verò 25 annis, præſumitur loquutus fuiſſe de ætate minori 25 annis; R. 57. nu. 3. p. 373.

Minus

Quotuplíciter in iure ſumatur? *R.* 53. nu. 1. & ſeq. p. 355 Minus licet ei, cui licitam eſt maius, & modo id intelligatur? R. 53. à nu. 1. & ſeq. pag. 355. & ſeq.

Mixtum

An, & quando conſtituat diuerſam ſpeciem à ſimplici? R. 53. ſub nu. 11. & 17. p. 359. & ſeq.

Modicum

*P*ro nihilo reputatur. Digreſs. de Abſent. nu. 27. pag. 147.

Modus

In quo differat à conditione? R. 50. nu. 20. & ſeq. p. 344. Adiectus actui legitimo illam non vitiat. ibid. n. 19.

Monaſterium

Non tenetur reſarcire damnum, quod alteri in bonis temporalibus intulit *Prę*latus. R. 76. nu. 3. p. 440. Non tenetur de depoſito culpabiliter deperdito, quod Religioſus, vel Prælatus apud ſe retinendum ſuſcepit. ibid. nu. 4. Niſi depoſitum deperditum in vtilitatem Eccleſiæ verſum fuerit. ibid.

Moniales

An, & quando veniant appellatione Religioſorum? *R.* 15. n. 55. p. 173.

Mora

Mora ſua cuilibet eſt nociua. R. 25. per tot. p. 192. Quid ſit, & quinam eius effectus? ibid. cap. 1. per tot. Committi poteſt in contractibus, in iudicijs, in vltimis voluntatibus, & in alijs materijs. ibid n. 1. Mora facit, rem, vel eius intereſſe æſtimari officio iudicis eo modo, quo cœpit eſſe tempore moræ. nu. 2. ibid. Mora, vt pariat in debitore obligationem reſarciendi intereſſe, quod paſſus eſt creditor, an, & quando requirat, vt debitor præmoneatur? R. 25. n. 3. p. 193. Mora vnius an, & quādo alteri noceat? ibid. c. 2. per tot. 193. Mora debitoris principalis an, & quando noceat fideiuſſori? nu. 5 Mora filij eſt patri nociua quoad peculium. n. 6. Mora tutoris nocet pupillo. n. 7. Mora non contrahitur ab eo, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. R. 60. per tot. p. 378. *M*ora excluditur exceptione debiti non liquidi. n. 5. ibid. p. 379. Item exceptio-

tione ignorantiæ prouenientis ex facto alieno. n. 6. *Item* exceptione magnæ difficultatis, ſeu impoſſibilitatis rei faciendæ. nu. 7. Mora exigua propter paruum tempus elapſum pro mora non habetur. ibid. n. 8

Mores

Mores boni alij dicuntur naturales, alij ciuiles; & qualiter. R. 57. n. 1. p. 375.

Mors

Mors ciuilis æquiparatur naturali, itaut de naturali ad ciuilem fiat interdum extenſio. *R.* 72. nu. 82. p. 435.

Mulier

Nequit pro alijs fideiubere, itaut cōtra propriam fideiuſſionem beneficio S. C. Velleiani iuuetur; nec valet, ſi in contractu fingat, ſe non acceſſoriè, ſed principaliter obligari, quia ſic legem fraudaret. R. 88. nu. 10. p. 456.

Muſtum

An veniat vini appellatione? R. 15. nu 60. & ſeq. per tot. p. 175. Eſt materia Euchariſtiæ tēpore neceſſitatis. n. 62. ibidem.

Mutatio

Non præſumitur, niſi probetur. R. 8. n. 16. p. 78. Mutatio animi, & inconſtantia fugienda eſt. R. 21. n. 1. p. 190. Mutare conſilium in quibus caſibus liceat? ibid. n. 2. & *R.* 33. à nu. 1. & ſeq. p. 210. Mutare conſiliū nemo poteſt in alterius detrimentum ibid. p. 210. Quid, quando alteri per conſiliū fuit ius quæſitum? R. 33. nu. 3. ibid. Mutare, & variare, an poſſit, qui ſe ad aliqua obligauit ſub diſiunctione; ſi ſemel iam elegit alteram ex duabus partibus ſub diſiunctiua poſitis? R. 70. nu. 8. p. 400.

Mutuum

Mutuam pecuniam filio familias dare nemo poteſt, neque alia bona pecunijs æſtimabilia, vt ijs venditis pecunia vtatur, eamque loco mutui retineat. R. 84. nu. 4 p. 450.

N

Neceſſitas

Legi non ſubiacet, ſed lex potius neceſſitati. R. 78. nu. 1. p. 440. Licitum facit, quod alias eſſet extrinſecè illicitum. nu. 2. & 3. ibid. Intellige durante neceſſitate, ſecus ea ceſſante. ibidem nu. 4. ibid. Neceſſitas, & euidens vtilitas in iure æquiparantur. ibib. nu. 9. p. 441.

Negligentia

Habetur quandoque pro ſcientia. *R.* 15. ſub n. 42. pag. 169.

Notarius

Falſum conficiens inſtrumentum nequit in futurum alia inſtrumenta facere, quamuis cætera inſtrumenta antea facta non præſumantur falſa. R. 8. nu. 23. & ſeq. p. 78. An poſſit ſine Iudicis cōmiſſione examinare teſtem conſtitutū in periculo mortis? *V. Teſtis.*

Notificatio.

An, & quando ſpecialiter, & vlterius fieri debeat ei, qui de re notitiam priuatam aliunde habet? R. 31. n. 5. p. 207. *Si* eſt a lege requiſita pro forma, non poteſt omitti, etiamſi notificandus rem aliunde ſciat. ibid. n. 7.

Nouitiatus.

Debet eſſe integer, & non interruptus. Digreſſ. de Abſent. n. 46. p. 153. An repetēdus emiſſa profeſſione inualida ob defectum ætatis, vel potius ſufficiat ſuppleri tempus, quod defuit ad legitimam ætatem complendam? R. 42. ſub. nu. 16. p. 281.

Nouitius.

Qui nouitiatum interrupit per abſentiam, ſi velit in eadem religione perſeuerare, an debeat iterum recipi, & nouum annū inchoare? Digreſſ. de Abſēt. ſect. 5. per tot. à n. 4. & ſeq. p. 153. Quid, ſi abſentia fuit modica, vel non voluntaria, ſed ex dimiſſione ſuperioris? ibid. n. 47. Completo tēpore Nouitiatus debet ex Tridētino, vel admitti ad profeſſionem, vel eijci à religione exceptis Nouitijs Soc. Ieſu. *R.* 42. n. 20. p. 283.

Nullum.

Nullum quod fuit ab initio, tractu temporis nō conualeſcit. R. 18. per tot. p. 186. Nullum quādo ſit, quod ex actu prohibitio ſequitur? *R.* 39. n. 2. & 8. p. 263. & 265. Nulliter fieri, & non fieri paria ſunt. *R.* 13. n. 104. p. 122. & R. 43. n. 19. p. 283. Nullum eſt, quod contra ius fit. R. 64. per tot p. 385. Amplia etiam in ſtatutis priuatis, in legibus municipalibus, & conſuetudinibus. n. 8. p. 386. etiam ſi ſit actus fauorabilis, vel pia cauſſa. ibid. Quid ſi in actu contra legem facto intercedat iuramentum, an firmetur? ibid. n. 12 Limita in actu facto contra legem, quæ non contineat, æquitatem. ibid. n. 15. p. 387.

O

Obligatio ſciendi, & ſcientia interdum, vt paria habentur apud auctores, & quomodo id intelligatur? R. 13. n. 55. p. 106. Obligatio ſeruandæ caſtitatis ordinis ſacro annexa, an oriatur ex voto, ſiue implicito, ſiue explicito, an verò ex ſolo iure eccleſiaſtico, vel diuino? R. 13. n. 118. p. 126. & ſeq. & *R* 42. n. 5. p. 276. Obligatio ſeruandæ caſtitatis, an firma maneat in eo, qui metu graui, ſeu iniuſtè illato, & cadente in virum conſtantē ſacros ordines ſuſcepit? R. 42. cap. 2. per tot. p. 276. Et quid ſi poſtea taliter promotus actū aliquem ordinis ſuſcepti exercuit? ibid. n. 9. p. 278. An etiā maneat in eo, qui inualidè fuit promotus ob aliquem defectum eſſentialē, quem ipſe ignorabat, ſi in ordinis ſuſceptione caſtitatē vouit. Et quid item ſi iſte aliquem actum ordinis exercuit? ibid. n. 11. p. 279. Obligatio ſoluendi aliquid quolibet an-

anno ſingulis de collegio, an extendatur ad alios, qui poſt promiſſionem eidem collegio ſuperaddantur vltra numerum tempore promiſſionis extantem? R. 30. n. 18. & ſeq. p. 202.

Obligatus.

Obligatus donare alicui quolibet anno gallinas, vel ſimilia animalia, an ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi ea mortua tradat? Digreſſ. de Abſentia. n. 45. p. 152. Obligatus comparere in iudicio, v. g. infra decem dies, ſi compareat in die decimo quarto, an ſit excuſabilis? ibid. n. 54. p. 156.

Oblitus. Obliuio

Oblitus voti pœnalis, ſi illud frangat, an teneatur ad pœnam, & quid ſi ſoliua pœnæ, & non voti ſit immemor? R. 13. n. 113. p. 125. Obliuio ſit ne culpabilis, an verò inculpabilis, quomodo deprehendi queat? R. 13. n. 53. p. 105.

Obſcuritas. Oſcurum.

Obſcurum quodnam dicatur? R. 30. n. 1. p. 198. Differt ab ambiguo. ibid. Obſcurè dicere, & non dicere paria ſunt. ibid. In obſcuris an ſemper minimum ſequendum? ibid. n. 2. & 3. In obſcuris debemus inſpicere, quod veriſimilius eſt. n. 4. ibid. Obſcuritas poteſt eſſe in cõtractibus, in vltimis voluntatibus, in ſententijs, & in legibus, & c. ibid. n. 7. Mediocre an, & quãdo in obſcuris ſit eligendum? ibid. à n. 7. & ſeq. p. 199. & ſeq. Quomodo hoc procedat in legatis, in contractibus, & in delictis? ibid. cap. 3. per tot. p. 200. An id procedat tum in quantitatibus, tum in ſpeciebus? nu. 9. & quid in artificialibus? ibid. nu. 14. pag. 201.

Occidens.

Occidens aliquem, ſeu damnũ aliquod ei inferens caſu, & ignoranter, an, & quando teneatur ad reſtitutionem? R. 13. à n. 57. & ſeq. pag. 106. Occidens aliquem, vt eius pecuniam furetur, committit peccatum iniuſtitiæ, & auaritiæ, non odij. ibid. ſub nu. 64. p. 109. Occidens volentem, quamuis iniuriam non faciat ipſi occiſo, attamen Rempublicam lædit. R. 27. ſub nu. 2. p. 195.

Odia. Odioſum

Odia reſtringi debẽt. R. 15. per tot. p. 156. Odij nomine quatenus attinet ad reſtringẽdas diſpoſitiones quid in iure intelligatur? ibid. nu. 1. Odioſa an fauorabilis ſit diſpoſitio, quomodo cognoſcatur, quando in eadem diſpoſitione inſeparabiliter inueniuntur fauor, & odium? ibid. c. 1. per tot. p. 156. Quid dicendum ſi res eſt dubia, & nequeat deprehendi, an diſpoſitio ſit fauorabilis, vel odioſa? ibid. n. 11.

Officium diuinum.

An celebrari poſſit circa corpus defuncti, qui priuilegium habebat, vt ſepeliri poſſet in loco ſacro tempore interdicti? R. 42. à n. 51. & ſeq. pag. 293.

Officium Iudicis

Quid ſit? R. 26. nu. 1. p. 194. *Diuiditur* in nobile, & mercenarium. ibid. n. 2.

Oleum

Oleum non benedictum ſi admiſceatur benedicto, an, & quando totum mixtum vitiet, & ineptum reddat ad *S*acramentum extremæ vnctionis conficiendum? R. 37. cap. 14. per tot. p. 251. Et quid ſi pars olei non benedicti addita benedicto ſit minor, vel æqualis quantitatis, vel ſucceſſiuè, & paulatim fuerit addita? ibid. à nu. 8. & ſeq.

Omiſſio

Omiſſio alicuius, vel dicti, vel facti, propter quã quis redditur impotẽs ad *S*acrum die feſtiuo audiẽdum, vel ad aliud præceptum implendum, eſt peccaminoſa. R. 13. ſub nu. 23. p. 96.

Onus.

Onus qui ſentit, debet commodum ſentire, & è contra. R. 55. per tot. p. 368.

Optio.

Optio ſerui, aut cuiuſlibet alterius rei, an poſſit fieri ſub conditione. R. 50. n. 29. p. 345.

Ordinatus. V. Promotus ad ordines.

P

Pactum.

PActum non ſeruatum V. *Fides*. Pactum eſt pars contractus. *R.* 85. n. 1. p. 452. *An*, & quando dicatur incõtinenti adiectũ contractui? ibid. n. 3. *I*ncontinenti adiectum perinde eſt, ac ſi vnico contextu, vnicoue actu factũ ſit. ibid. n. 2.

Panis.

*N*on venit appellatione frumenti. *R.* 15. n. 71. p. 177.

Parentes.

Parentum nomine veniunt non ſolum pater, & mater, ſed auus, proauus, cæterique aſcendẽtes *R.* 43. n. 26. p. 319.

Parochus.

Abſens cum licentia Epiſcopi cauſſa edocẽdi V. g. Theologiam in alia ciuitate, an excuſetur? Digreſſ. de abſent. ſect. 3. n. 35. p. 149. Quid ſi abſit à propria Eccleſia pro ſeruitio *E*ccleſiæ Cathedralis, vel vt exerceat munus Vicarij, vel etiã Inquiſitoris maioris, an fructus ſui beneficij adhuc percipere poſſit? ibid. n. 38. p. 151.

Pars.

Quid ſit, & quotuplex, & vnde dicatur? R. 86. n. 3. p. 445.

Partus.

*P*artus natus ex ancilla prægnante ſurrepta cenſetur etiam furtiuus. R. 80. n. 6. p. 445.

Pater

Nequit filio ſpurio aliquid relinquere, nec per interpoſitam perſonam. R. 67. n. 3. p. 393. Nequit ad-

adminiſtrare, tanquam curator, bona filio ſuo delicta à matre, quæ eũ in teſtamento prohibuit, ne tanquam pater illa adminiſtraret. R. 84. n. 3. p. 450.

Patronus.

*P*atronus laicus habet quadrimeſtre tempus ad præſentandũ. R. 79 n. 11. p. 442. Eccleſiaſticus verò ſemeſtre, etiam ſi in iure patronatus habeat ius, & cauſſam à patrono laico. ibid.

Pecans. Peccator

Peccator quas nã contrahat obligationes ob iniuſtam læſionem, & quiſnam ſit modus ab illis ſe eximendi? R. 4. & 5. n. 6. & 7. p. 30. Obtinet remiſſionem delicti iuxta modum, quo fit ſatisfactio perſonæ læſæ debita. ibid. n. 8. *P*eccator de offenſa contra Deum, ſi ipſum verè pœniteat, remiſſionem obtinet, cur non ita in foro iudiciali humano? R. 4. & 5 n. 17. & 18 p. 32. & 33. *P*eccans ex ignorantia vincibili an duo, vel ſpecie, vel numero diſtincta committat peccata? *R.* 13. cap. 4. per tot. p. 96. & ſeq. Peccans poſt acceptũ à Deo beneficium iuſtificationis non committit ſpeciale, & implicitum peccatum ingratitudinis, niſi id faciat ex contemptu accepti beneficij. ibid. ſub n. 64. p. 109.

Peccatum.

Peccatum, delictum, & crimen quomodo inter ſe differant in iure? R 4 & 5. n. 1. p. 28. Peccatum nullum dari poteſt adeo graue, quod de facto per veram contritionem non deleatur. *R.* 5. n. 15. p 32. Peccatum quod in aliqua rerum ſerie ſit ex ſuis intrinſecis irremiſſibile, an dari poſſit? Declaratur caſus, & variæ auctorum præſertim recentiorum opiniones referuntur. R. 4 & 5. cap. 4. per tot. à n. 19. & ſeq. pag. 34 & ſeq. Peccatum conſtituitur ſecundùm ſe peccatum, vel ab extrinſeco, vel ab intrinſeco, & quomodo id intelligatur? R. 13. n. 14. p 93. Peccatum ex culpabili ignorantia, ſeu ex conſcientia erronea commiſſum, an ſit ſpecie diuerſum ab eodemmet peccato ſcienter commiſſo? R. 13. cap. 8. per tot. nu. 61. p. 108.

Penſio.

Si reſeruetur cum clauſula, *Dummodo non excedat tertiam beneficij partem.* ſi exceſſerit, an, & quando tota vitietur, nec ne? R. 37. cap. 3. per tot. p. 232.

Permutatio.

De re alienari prohibita fieri nequit. *R.* 39. n. 53. p. 266.

Perſona.

*P*erſonarum acceptio quid ſit? R. 12. n. 2. p. 88. in iudicijs vitanda ibid per tot.

Pertinacia.

Pertinacia in errore ad hæreſim incurrendam neceſſariò requiritur *R.* 13. n. 81. p. 156. *I*n q[illegible] formaliter conſiſtat? ibid.

Petere. Petitio.

Petere nemo poteſt, quod reſtituere poſtea oportet. *R.* 69 per tot. p. 337. Amplia etiam ſi ſit Eccleſia, quæ petat, vel alius locus pius. ibid. n. 6. Item amplia nõ ſolum in iudicijs petitorijs, ſed etiam in poſſeſſorijs adipiſcendæ, & retinẽdæ. ibid. Limita, quando res, quæ petitur reſtituenda eſſet alteri à petente n. 7. *I*tem limita in iudicijs recuperandę poſſeſſionis, in quibus ſpoliatus ante omnia in ſuam poſſeſſionem eſt reſtituendus, licet ille, qui excipit, ius ſuum probare paratus ſit. ibid. n. 8. *P*etitio actoris obſcura in eius fauorẽ eſt interpretãda. R. 11. n. 11. p. 88.

Piæ cauſſæ. V. Cauſſa pia.

Pluralis locutio.

Pluralis locutio duorum numero eſt contẽta. *R* 40. per tot. p. 267. Maiorem tamen numerum non excludit. ibid. n. 2. *P*luralis locutio an, & quando reſoluatur in ſingularem? *R.* 40. cap. 2. per tot. p. 370 Cadens ſupra filios reſolui poteſt in vnicum filium. ibid. n. 13.

Pluralitas.

*P*luralitas actuum non præſumitur, & quomodo id intelligatur? R. 37. n. 59. & 65. p 244.

Plus.

In ſe continet, quod eſt minus. *R* 35. per tot. p. 219. Amplia, vt id procedat in omni materia. ibib. n. 3. videlicet in vltimis voluntatibus. n. 4 In ſtipulationibus, & contractibus. n. 5. *I*n ſentẽtijs n. 10 *I*n teſtificationibus n. 12. In mandatis, & reſcriptis n. 13. ibid. Plus, & minus quotupliciter in iure ſumi poſſint? ibid. cap. 1. per tot. p. 218. & *R.* 53. n. 1. p. 355.

Pœna

Vt incurratur, an debeat ſciri, & aliquo modo cognoſci? R. 13. n. 93. p. 119 & n. 100. p. 121 Impoſita cõtra ſcienter tranſgreſſores, & delinquẽtes, an comprehendat etiam eos, qui delinquũt ex ignorantia affectata? R. 15. cap. 6. per tot. p. 168. Pœna ęterna nemini debetur ob culpam alterius. R. 22. & 23. n. 2. & ſeq. p. 191. An hoc militet de pœna temporali? ibid. Aeterna non infligitur à Deo, niſi Reo peccati mortalis. ibid. Pœna contractui adiecta, in caſu cõtrauentionis, an debeatur ante Iudicis ſententiam, & anteqũ à parte aduerſa petatur? R. 49. n. 5. p. 337. Pœna debetur ei, qui actum fecit cõtra legem, etiãſi talis actus effectum non habuerit. R. 52 nq. 8. p. 353 Pœna delicti contra mandatarium impoſi[illegible]ſetur etiam impoſita cõtra mandantem. [illegible] 72. n. 81. p. 434. In pœnis benignior interpretatio eſt facienda. R. 49. nn. 1. p. 337.

Pœnitens

[illegible]nitens, qui ex licentia confeſſarij commi[illegible] pœnitentiam ſacramẽtalem ipſius Pœ-

nitentis nomine peragendam, v. g. ieiunium, peccat, ſi ſciens Petrum nõ ieiunaſſe, nec eſſe ieiunaturum, eius ieiunij executionem tum in ſe, tum in Petro negligat. R.72.n.27 p. 410. *Pœnitens* in articulo mortis, ſi periculum ſit in mora, poteſt à Confeſſario abſolui aliquibus tantum auditis peccatis. R.78.n 7.p 441.

Pœnitentia.

Pœnitentia *Sacramentalis* à confeſſario impoſita an, & quando poſſit per aliam perſonam à pœnitente impleri? R.72.cap.4.per tot.p. 407. An ad id requiratur licẽtia confeſſarij cum cauſa? ibid.n.21. An ſufficiat eiuſdem licentia interpretatiua, ſeu rati habitio? ibid. Impleta per aliũ cum licentia Confeſſarij, an dicenda ſit *Sacramentalis*, & an pœnitens per illam ſatisfaciat ex opere operato, vel potius ex opere operãtis? ibid. Impleta per alium, an cauſet aliquem gradũ gratiæ in ipſo pœnitente? ibid. & n.28.

Pollutio.

In eo, qui eſt ſemiexpergefactus, non eſt peccatum mortale. R.13.n.56.p.106.

Pontifex.

An propriè dicatur Ordinarius? R.13. ſub n. 91.p.118. Nequit iuriſdictionem exercere in clericum ratione bonorum temporalium. R. 26.n. 4.p.194. Poteſt *Eccleſias* vnitas ſeparare, & ſeparatas vnire etiam cum damno Epiſcoporum, qui earum ſunt paſtores. R.33.n.6. & ſeq.p. 211. Si in cõceſſione indulgentiarum excedat cauſã proportionatam ad quantitatem indulgentiæ, an ipſa conceſſio ſubſiſtat, ſaltem quoad partem proportionatam? R.37.n.70.&.ſeq.p.248. Diſpẽſans, vt clericus, vel religioſus in ſacris conſtitutus vxorem ducat, vel extra monaſterium perpetuo viuat, an etiam intelligatur diſpenſare, vt ad horas canonicas non teneatur? R.43.cap. 14. per tot.p 308. An poſſit diſpenſare cum religioſo profeſſo habente votum ſolemne caſtitatis, vt matrimonium cõtrahat? *R*.51.n.11.p.350.& ſeq. Põtifex in dubijs præſumitur validè feciſſe, quicquid egit. ibid n.14.p.351. Diſpẽſans cum illegitimo in defectu natalium, an cenſeatur illum habilẽ reddere non ſolũ ad ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia? *R*.53.à n. 3.p.356. *D*iſpenſans, vt *E*piſcopus promoueatur ad maiorem dignitatem, nempè ad Archiepiſcopalem, &c. An intelligatur etiam concedere, vt poſſit promoueri ad minorem, vel æqualem, nempè ad alium Epiſcopatum? R. 53. à n.26.p. 363. An poſſit conferre beneficium ei, qui illud poſterius impetrauit, in præiudicium alterius, qui prius idem beneficiũ conſecutus erat? R.54.n.10.p.367.

Poſſeſſio

Poteſt ſeparari à proprietate. R.1.n.26.p.9. Vera non eſt, cui ius reſiſtit. ibid.n. 27. p.10. *P*oſſeſſio quoad nominis ſignificationem quid importet? R.2.& 3.n.1.p.12. Quid verò realiter ſignificet? ibid.n.2. Alia eſt iuris, alia facti. ibid.n. 7. & ſeq. Item alia naturalis, alia ciuilis, alia ciuiliſſima. ibid. à n.12.& 13. Poſſeſſio propriè loquendo non conuenit rebus incorporalibus, vt ſunt iura, actiones, &c. ibid.n.14 Poſſeſſione ſpoliatus in profanis, ſi petat reſtitui, non tenetur oſtendere titulũ, ſecus in ſpiritualibus. R.1.n. 27.p.10. Poſſeſſio tantum naturalis non ſufficit ad præſcriptionem, ſed requiritur etiam ciuilis. *R*.2. & 3.n. 47.& n.50.p 24. Poſſeſſio naturalis, & ciuilis an ſint duæ poſſeſſiones eſſentialiter, & ſpecie diuerſæ, an vero ſolum accidentaliter differentes? ibid n 52. & 53. Poſſeſſio, vt inchoetur, oportet ſimul animo, & corpore acquiri; at verò, vt conſeruetur, ſufficit ſolo animo detineri. ibid. n. 54. p.25 Poſſeſſio tãtum naturalis acquiritur ei, qui rẽ alienam occupat; ciuilis verò remanet in primo poſſeſſore, qui à re prædicta corpore diſceſſit. ibid.n.55.

Poſſeſſor.

Poſſeſſor verus dicitur, qui beneficium *E*ccleſiaſticum obtinuit abſque canonica inſtitutione, quamuis proprietate careat. R.1.cap.2.n. 26. p.9. *P*oſſeſſor beneficij abſque canonica inſtitutione, quamuis verè, illicitè tamen poſſidet. ibid. n.27. Poſſeſſor dicitur fur, qui rem furto ſublatã detinet. ibid n.26. Poſſeſſor ciuiliter tantum poſſidens, ſi reuertatur ad rehabendã poſſeſſionem naturalem, & ab alio eam occupante impediatur, cui ſe putet præualere non poſſe, & ideo deſiſtat, cenſebitur etiam deiectus à ſua poſſeſſione ciuili. R.2.&3.n.56.p.25.& 26. Poſſeſſor exiſtimatur ex iuriſfictione, qui, ne à creditore conueniretur, dolo ſuo deſijt poſſidere, rem ſuam in alium transferens. R.36.n.8 p.226. Poſſeſſor verus, & is, qui dolo deſijt poſſidere, in iure æquiparantur. ibid. nu.9. Poſſeſſor verus actione directa conuenitur, at qui doloſè deſijt poſſidere conuenitur actione vtili. ibid.n.9. Pro poſſeſſore habetur etiam qui doloſè rem conſũpſit, & deſtruxit. n.10.p 227. Itẽ qui per dolũ fecit, ne poſſideret. n.11. Itẽ qui lata culpa deſijt poſſidere. n.12. Similiter, qui ex dolo deſijt poſſidere vnum beneficium, vt aliud obtineret. ibid.n.13. Poſſeſſor malæ fidei repetit expenſas neceſſarias, & vtiles, quas fecit in re poſſeſſa, officio Iudicis; ſecus vero non neceſſarias, nec vtiles. R. 48. n. 12. p. 336. Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. R.2. per tot.p. 11. Poſſeſſoris conditio potior eſt in pari cauſa, vel delicto, ideſt quando turpitudo ex parte vtriuſque interuenit. R.65. per tot.p.388. Poſſeſſor in dubijs quis præſumatur eſſe? ibid.n.1.

Poteſtas.

Poteſtas obligandi alium, ſemel, & pluries nõ extenditur vltra duas vices. *R* 40.n.7.p.168. Idem

Sſſ eſt

eſt in poteſtate ſubſtituendi.ibid.

Præbenda. Præbendarius.

Præbenda diuidi nequit poſt cõceſſionẽ.*R.* 53. à n.29. p.364. Præbẽda minor non poteſt conferri ei, cui *Pontifex* mandauit conferri maiorem. Reg.53. num.31.pag.365. & Reg.61. nu.11. p.382. Præbenda *Sacerdotalis* nequit conferri ei, cui a Pontifice fuit conceſſa præbenda non ſacerdotalis. R.61.n. 11.ibid. Præbẽdarius, cui *Põ*tifex conceſſit integrã præbẽdã, an validè poſſit vi talis conceſſionis recipere dimidiam, quamuis in ea Eccleſia, in qua aſſignata eſt, reperiantur integræ, & dimidiæ prębendæ? R.53.à n.29.p.364.

Prælatio.

Prælatio in obtinẽdis beneficijs. V.*Beneficiũ.*

Prælatus. V. Superior.

Poteſt bona Eccleſiæ ſine ſolemnitatibus alienata vendicare etiam non reſtituto pretio. R.48.n.10.p.336. Secus, ſi pretium fuerit verſũ in vtilitatem ipſius *E*ccleſiæ.ibid. Recuperata re eccleſiaſtica ſine ſolemnitatibus permutata, tenetur reſtituere rem illam, cum qua fuit facta permutatio. ibid. Prælatus poteſt canonem ab Emphyteuta recipere, eique caducitatẽ in præiudicium Eccleſiæ etiam ſine cauſſa validè remittere, ſed non licitè. *R*eg. 61. nu.7.p.381 Poteſt quoque ſine cauſſa legatum, antequam Eccleſiæ incorporetur, valide, ſed illicitè repudiare.ibid. Prælatus, qui ſine ſolemnitatibus bona *E*ccleſiæ alienauit, poteſt dicere de nullitate alienationis a ſe ipſo factæ.*R.*64 n.16.p.387. Prælatus Regularis, cui ab *E*piſcopo commiſſũ fuit, vt examinaret Titium Sacerdotem in ordine ad fidelium confeſſiones excipiendas, an poſſit tale examen alteri ſubdelegare? *R.*72. n. 73 p.431. Concedẽs alicui, vt poſſit eligere ſibi confeſſarium, non cenſetur tribuere confeſſario eligendo facultatem abſoluendi à reſeruatis. R.81. n.5.p.447. Prælatus tenetur ſoluere debita ab anteceſſore in vtilitatem Eccleſiæ contracta.*R.*77. n. 2. p. 440.

Præpoſitio.

Præpoſitio, *Cum*, quomodo differat à coniunctione, *Et*? R.42.n.81.p.303. An, & quando faciat eſſe acceſſoriam rem illam, cui præponitur? ibid.

Præſcriptio.

Quid ſit.*R.*2.& 3.n.15.& ſeq.p.14. Conuenit actuali acquiſitioni dominij, & etiam continuatæ poſſeſſioni.ibid.n.17.*Præſcriptionis* tempus eſt varium iuxta diuerſitatem rerũ præſcribẽdarum.n.18. V.*Tempus*. Præſcriptio plures requirit conditiones, & quænam ſint? ibid.n.20. Præſcribere nemo poteſt, ſi antequam rẽ poſſideat, dubitat, an ſit ſua, vel aliena; ſecus ſi dubium incidat poſt captam poſſeſſionem, & poſt adhibitam diligentiam ad veritatem indagandam, & quare? ibid.n.22.p.15.& 16. Præſcriptio an ſit legitima, ſi præſcribens laboret ignorantia inuincibili putans, rem eſſe ſuam? ibid.n.24.& ſeq. p.17. Pręſcriptio an habeat locum, ſi procedat ex fide venialiter mala? ibid.n.28.& 29.p.18. Pręſcriptio an impediatur, ſi poſſidens ex conſcientia erronea putet, illicitè poſſidere, cum reuera licite poſſideat? ibid.n.30. An procedat, ſi quis mala fide poſſideat putans rem eſſe vnius, cum ſit alterius, reſpectu cuius ipſe poſſidẽs non habeat malã fidem? n.31.p.19.*Prę*ſcriptio quoad hęredem immediatum, & mediatum, ſuũ, & non ſuum diuerſimodè ſe habet *V. Hæres* Pręſcriptio an pro foro non ſolum externo, ſed etiam pro interno ſuſtineatur? ibid.c.4.per tot. p.22. An valeat tum in rebus mobilibus, tum in immobilibus? & quoad dominiũ vtile, & directum? n.43 ibid.p.23. Pręſcriptio poteſt aliquando interrumpi, & quomodo? ibid. n. 57. & ſeq.p.25.& ſeq.*I*n quibus caſibus interrumpatur, dormiat, aut continuetur? ibid.cap.6.n. 60.& ſeq.p.25 Num habeat locum in Regno Siciliç? ibid.cap.7.p.26. Pręſcriptio, & vſucapio ſunt remedia à iure ob commune bonum introducta.R.48.n.13.p.336.

Præſentia. Præſens.

*P*ręſentia quid, & quotuplex ſit? Digreſſ.de Abſent.n.5.& 6.p.141. Pręſentia, an abſentia in dubijs præſumenda? ibid.n.9 p.142. Pręſens, & audiens, ſed tacens, an, & quando conſentire, & acceptare videatur? R.43.& 44.à n.2.p.311.

Præſentatio.

Pręſentatio ad beneficium, ſi plures ſint patroni, ſufficit fieri à maiori parte.R.29.n.2.p. 197. Pręſentatio vnius ſimoniaca non vitiat pręſentationem alterius, ſi plures ſint patroni. R.37.n.43.& 45.p.240. Tot ſunt pręſentationes, quot patroni.ibid. Pręſentationes duę ſufficiunt ad probandũ ius patronatus *R.* 40 n.10. p.268. In pręſentatione ad beneficium, quando plures ſunt patroni, qui diuerſos pręſentant, ille ex præſentatis eſt pręferendus, qui meritis iuuatur. R.56.n.19.p.372.

Præſumptio

Eius etymologia.R 8.n.2.p.76. Definitio.ibid. n.3. Quotuplex ea ſit? n.4.*P*rę*ſ*umptio iuris, & de *I*ure quid ſit, & an, & quando admittat probationem in contrarium? ibid.n.5.& 6. Quid pręſumptio iuris tantũ? ibid.n.9. Quid ſit pręſumptio hominis, & quomodo differat à præſumptione iuris? n.10. Pręſumptio quo pacto differat ab indicio, coniectura, ſigno, ſuſpicione, & adminiculo.ibid.n.14.

Princeps.

An, & in quibus caſibus poſſit beneficium, ſeu priuilegium a ſe conceſſum licitè reuocare? *R.*16.& 17.n.3.p.181. Et quid ſi ceſſet cauſſa, ob

quam

quam illud conceſſit.cap.2.per tot.a n.8.p.185. *V.Reuocatio Priuilegium.* Princeps laicus an poſſit impedire, ne oriatur obligatio religionis ex iuramento? R.37.n.91 p.257.

Prior.

Prior tempore potior eſt in iure. *R.* 54 per tot. p.365.Quomodo id procedat quoad prioritatẽ in obtinendis beneficijs? ibid.a n.1.& ſeq.

Priuilegium V Gratia.Beneficium.

Quid ſit, & an ſemper debeat iuri communi derogare? R.7 cap.1.n.1.& a.p.56.Quomodo differat a lege, diſpenſatione, licentia, gratia, & beneficio? ibid.n.3.& ſeq p.57.Perſonale quid ſit, quidue importet? n.6.& ſeq.Quomodo differant reale, & perſonale, & quomodo deprehendatur, priuilegium eſſe reale, vel perſonale? n.8 & 9.cum ſeq In dubio an præſumatur reale, vel perſonale? n.12.& ſeq.Speciale an, & quando deroget generali? ibidem.nu.15.& R 34.n.26. p.217.Perſonale an ſemper perſonam ſequatur? R.7.n.16.p 60.Priuilegium cõceſſum Archiepiſcopo geſtandi pallium, an ſit reale, vel perſonale? ibid.Perſonale vni conceſſum, an, & quando extendatur ad alias perſonas.n.21.& ſeq & n. 49 Priuilegium immunitatis à ſolutione vectigalium, quo gaudent clerici, an, & quando extendatur ad eorum famulos? ibid. cap 7.per tot. a num.25.pag.63. An etiam ad eorum filios? ibid.nu.35. An ad eorum colonos, & inquilinos? nu. 36. An priuilegium exemptionis à gabellis, quo gaudent clerici in emptionibus, & venditionibus extendatur ad laicos ab ipſis clericis ementes? ibid. cap. 6. per tot.p.65. Priuilegio prædictæ immunitatis, an gaudeat emens à *Fiſco*? nu. 47. p. 68.Priuilegium à Summo *P*õtifice alicui ſacerdoti conceſſum recitãdi matutinũ paulo poſt meridiem, an extẽdatur ad ſocium non priuilegiatum eadem obligatione aſtrictum? cap. 7. per tot. nu. 50. p. 69 Vtrum in prædicto caſu huiuſmodi priuilegiatus duos ſocios adhibere poſſit, vt ſecum matutinas preces modo explicato ſimul perſoluant? ibid.cap. 8. per tot n.57. p. 71. Priuilegium recitandi horas canonicas per codicem breuiorem, aut diuerſum, an extendatur ad ſociũ, qui priuilegiatum in horis perſoluendis adiuuet? ibid. cap. 9. 72. Priuilegium celebrandi tempore interdicti, aut diuinis officijs aſſiſtendi, an dilatari poſſit ad ſocium, ſeu ad familiares? nu. 67.p. 73 *P*riuilegium celebrandi tempore interdicti religioſæ communitati conceſſum, ſi vnus tantùm ex illis religioſis in conuentu reperiatur, an extendi poſſit ad familiarem eiuſdem conuentus, vt ſacro aſſiſtat, & inſeruiat? *R.* 7. nu. 73. p. 75.Priuilegium aſſiſtendi diuinis officijs tempore interdicti an comprehendat, tanquam quid acceſſorium, eccleſiaſticam ſepulturam, & è conuerſo? *R.* 42. nu. 44. & 51. p. 291. *Quid* ſi in tali priuilegio ſimul cum ſepultura ſuit conceſſum officium defuncti, an huiuſmodi priuilegiatus, dum viuit, poſſit diuinis officijs intereſſe? ibid. nu.53. p. 294. Priuilegium an veniat nomine beneficij, & an ab eo differat? R. 16.nu.2.p. 181. Priuilegium ſtrictè ſumptum denotat gratiam contra ius commune, ſed latè ſumptum etiam gratiam vltrà, vel præter ius commune.ibidem. Non ſubdito conceſſum, & ab eodem acceptatũ, an poſſit à Principe reuocari? & quid ſi fuerit ſubdito conceſſum? ibid. nu. 5.& ſeq. & quid ſi importet tranſlationẽ dominij? ibid. n. 7. Conceſſum non ſubdito tranſit in contractum. ibid. Conceſſum à Principe ſęculari Eccleſiæ, vel eccleſiaſticis perſonis, an poſſit reuocari.n.7. ibid. *P*riuilegium an poſſit reuocari ceſſante cauſa, ſiue finali, ſiue impulſiua, ob quam fuit conceſſum? ibid. cap. 2. per tot. à nu. 8. & ſeq. Conceſſum intuitu dignitatis, vel officij, an ceſſet ceſſante dignitate? ibid. nu. 13. p. 185. *E*piſcopis conceſſum diſpẽſandi in incertitijs eſt exorbitans à iure communi. *R.* 42. nu. 65. & ſeq. p. 297. Priuilegium, quo mulier pro dote præfertur alijs mariti creditoribus, an tranſeat ad herędẽ extraneum? R. 46. n. 14. p. 332. Priuilegiũ legitimandi prolem ex adulterio, vel inceſtu procreatam, an poſſit extendi ad legitimandam eam prolem, quæ vtroque defectu coniunctim laborat? *R.* 5. cap. 3. per tot. p. 359. Priuilegiũ, quod ſecundum datam eſt prius, an præualeat alteri ſimili priuilegio; quod ſecundùm tempus ſignatæ ſupplicationis eſt poſterius? R.54. n.7. p. 366. & ſeq. *P*riuilegium obſcurum interpretari debet ab eo, qui illud conceſſit. R. 57. n.7.pag. 366. & ſeq. Priuilegij vſus, an vertere aliquando poſſit in grauamen ipſius priuilegiati? *R.* 61. n. 3. per tot. p.382. Priuilegium habens audiendi ſacrum tempore interdicti, an teneatur diebus feſtiuis vti tali priuilegio, itaut nequeat, etiamſi velit, Sacrum omittere? ibid.à n.13. p. 385.

Probationes

Probationes obſcuræ interpretandæ ſunt ab eo, qui illas produxit, licet ſit Reus. R 57.nu. 6. p. 374. & R. 32. nu. 5. p. 208. Intelligenda ciuilibus, ſecus in criminalibus. d. *R.* 57. nu.7.

Proceſſus

An totus vitietur, ſi teſtis depoſitio in vna tantum parte ſit falſa? R. 37. cap. 5. per totum. p. 236.

Proclamationes requiſitæ ad Matrimonium. V. Denunciationes. Matrimonium.

Procurator

Deſtinatus ad faciendam profeſſionem religioſam nomine alterius, an debeat neceſſario eſſe eiuſdem ſexus cum conſtituente? *R.* 75. nu. 18.

18. p. 406. Nequit à domino repetere pœnam pecuniariam, quam ex ſuo delicto paſſus eſt. *R.* 86. nu. 4. p. 453.

Profeſſio Religioſa

Ex ſe poteſt Nouitijs differri à Superiore, aliqua rationabili cauſa occurrente. R. 42. ſub n. 17. p. 283. Poſt Tridentinum nequit fieri ante completum annũ Nouitiatus. R. 61. n. 6. p. 380. Poteſt emitti per procuratorẽ ad id ſpecialiter deſtinatum. R. 72. c. 3. per tot. p 304. Niſi *R*eligionis ſtatuta obſtent. ibid. n. 16. Quænã conditiones requirantur, vt validè emittatur per procuratorẽ? ibid. nu. 15. p. 305. An hic procurator debeat eſſe einſdem ſexus cum conſtituente? ibid. nu. 18. An ſit valida, quæ fit per procuratorem, cui à conſtituente data eſt facultas profitendi in aliqua Religione non ſpecificando religionem determinatam.? ibid. n. 17. p. 406. An requiratur, vt intercedat determinatum tempus inter conſtitutionem procuratoris, & emiſſionem profeſſionis itaut tali tempore elapſo, nequeat procurator electus validè nomine conſtituentis profiteri? ibid. nu. 19.

Profeſſor.

Profeſsor iuris plebeius, qui annos viginti pro dignitate prælegit, quamuis de iure communi nobilis efficiatur, non tamen amittit beneficium illud, quod antea, vt plebeius, habeat. *R.* 61. n. 4. p. 380.

Prohibitio.

Prohibitio geſtandi ſclopum tempore noctis, puluere, & glande præparatũ non comprehendit eum, qui aliud inſtrumentum, quamuis eodem modo puluere, & glande oppletum etiam noctu geſtaret. *R.* 15. ſub. n. 72. p. 178. Prohibitio librorum de hereſi, vel de religione tractantiũ, an etiam comprehendat libros manuſcriptos? ibidem n. 75. cap. 12. per tot. p. 179. An prædicta prohibitio ſit odioſa, vel fauorabilis? R. 37. n. 100. & ſeq. p. 259. Prohibitio contractus, quo pacto ad ſubſequentia, & antecedentia extendatur? R 39. n. 2. p. 263. *V. Alienatio.* Prohibita trãslatione dominij intelligitur quoque vetita obligatio antecedens n. 10. p. 265. Prohibitio loquendi cũ monialibus militat etiam de rebus indifferentibus, & honeſtis. R. 57. nu. 4. p. 376. *V*ide *Loquens* Prohibitio alienationis excludit quamlibet veræ alienationis ſpeciem. R. 80. n. 7. p. 445. Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia via nõ debet admitti. R 84 per tot. p. 449. Amplia ſiue directè ſiuè indirectè. ibid. n. 2. Limita, quando militat diuerſa ratio. ibid. n. 10. p. 451.

Promiſſio.

Promiſſio ſoluendi aliquid quolibet anno ſingulis hominibus de collegio, an extendatur ad alios, qui poſt promiſſionẽ eidem collegio ſuperaddãtur? R. 30, num. 18. p. 202. Promiſſio facta promiſſario præſenti, & audienti, ſed tacenti, an, & quando intelligatur acceptata, ita vt promittens remaneat obligatus in foro conſcientiæ? R. 43. c. 2. per tot. p. 311. *P*romiſſio ſoluẽdi centum prima die v.g. Ianuarij intelligitur de proximo Ianuario, R. 57. nu. 5. p. 373. Promiſſio de re mala nõ tenet. R 69. per tot. p. 394. Quot modis poſſit promiſſio eſſe mala? ibid. num. 1. Promiſſio de re per metum, aut dolum extorta tenet de Iuris rigore, quamuis promiſſor fidem ſeruare non teneatur excipiendo. ibid. Quid ſi promiſſio cum iuramento ſit tantũ mala ex parte promiſſarij, non autẽ promittentis, vel è contra? ibid. n. 9 p. 396. Si ſit mala ex parte vtriuſque eſt inualida, licet iuramentum accedat. n. 7. & 8. ibid. *P*romiſſio de re turpi facta Deo non eſt ſeruãda. ibid. n. 2, p. 395. *S*i inoluat propoſitum exequendi rem turpem Deo promiſſam, continet duplicem turpitudinẽ. ibid. n. 4. *P*romiſſio facta Deo de re indifferenti quandonam obliget? ibid. n. 5. *F*acta Deo de re bona, ſed impeditura maius bonum, non tenet ibid. n. 6.

Promittens.

*P*romittens ſoluere. V.g. mille aureos ſuo Aduocato, obtenta victoria in lite, quam habet contra Sortem, ſi poſtea cum ipſo Sorte trãſigat, & ceſſet omnino lis cœpta, vel incipiẽda, an adhuc Aduocato teneatur? R. 41. n. 2. p. 272 *P*romittens aliquid ſub conditione diſiunctiua negatiuè concepta v.g. Promitto tibi centum, ſi vel Romam, vel Meſſanam non iuerim, an teneatur ſi in alteram tantum partem iuerit? R. 70. à n. 4 p. 398.

Promotus.

Promotus ad ordinem ſacrum ſi ignoret votũ caſtitatis eidem ordini annexum, an teneatur caſtitatem ſub voto, an verò ex cõſtitutione *E*ccleſiæ ſeruare? R. 13. cap. 13. per tot. à n. 118. p. 126. An ſaltem implicite votum caſtitatis emittat? ibid. à n. 122. & ſeq. p. 127. Promotus ad *S*acrum ordinem metu graui, ſeu iniuſte illato, & cadente in cõſtantem virum, an remaneat aſtrictus ad totalem caſtitatem ſeruandam ſacro ordini annexam? R. 42. cap. 2. per tot. p. 276. Item an teneatur horas canonicas recitare? n. 12. ibid *E*t quid ſi poſtea taliter promotus aliquẽ actum ordinis ſuſcepti exercuit? ibid. n. 9. p. 278. Promotus inualidè ob aliquem defectum ſubſtãtialem, quem ipſe ignorabat, an item teneatur ſeruare caſtitatem, quam vouit in ordinis ſuſceptione, ſi poſtea aliquẽ actum ordinis exercuit? ibid n. 11. p. 279. Promotus ad *E*piſcopatum ſi tacuit in promotione defectum natalium, poteſt poſtea obtinere diſpenſationem, ſed iniuncta ipſi pœnitentia. R. 13. n 137. p. 133.

Pronomen.

Pronomina *Nos*, *Vos*, *Noſter*, *Veſter* verificãtur

tur quandoque de ſingulari. *R*.40. n.20. p.271.

Prorogatio.

Prorogatio terminorum bis dumtaxat fieri poteſt ab eo, qui facultatem habet prorogandi terminum pluriès indeterminatè. Reg.40. n. 6. p. 267.

Pupillus.

Finita tutela nequit nomina debitorum à tutore, ſiue ipſius tutoris, ſiue ipſius pupilli nomine conſtituta, ex parte admittere, & ex parte reprobare; ſed omnia in totum, vel admittere, vel reprobare debet. *R* 38. n.4. p.262. Factus pubes nequit repetere pecuniam, quam mutuanti iã reſtituit. *R*. 48. n. 5. p. 335. An poſſit naturaliter obligari? ibid. *B*eneficio reſtitutionis in integrum rem à ſe venditam recuperans tenetur pretium reſtituere. n. 7. ibid. Nequit hæreditatem, quamuis pinguem, abſque tutoris auctoritate adire. R. 61. n. 12. p.382. *S*ine tutoris auctoritate contrahens, quamuis ipſe ciuiliter non obligetur, tamen ætate maiores, qui ſecũ contrahunt habet ſibi obligatos. R. 75. nu. 8. p. 439.

Q

Quantitas

QVomodo ſumatur apud Iuriſtas? R. 30. n. 10, p. 100.

R

Ratihabitio

Retrotrahitur, & mandato comparatur. R. 10. p. 79. Quod intellige quoad culpam, non quoad pœnas. n. 30. ibidem. *R*atihabitio quid ſit. ibid. n. 1. p. 79. Fit per translatiuã fictionẽ n. 5. ibid. Quæ conditiones requirãtur, vt ratihabitio retrotrahatur? n. 6. & ſeq. *R*atihabitio fieri poteſt tum explicitè, tum implicitè. & non tantum verbis, ſed facto. nu. 9. ibid. *I*mplicita eſt illa ratihabitio, quæ ſit per receptionem litterarum à tacente, & non contradicente; vel per ſolutionem expenſarum, quæ factæ ſunt in negotio geſto. nu. 10. ibid. Ratihabitio à te facta de damno, quod Titius in tui gratiam Caio iniuſtè intulit, an te obliget ad reſtitutionem? ibid. c. 3. per tot. p. 81. Ratũ quis habere nequit, quod eius nomine non eſt geſtũ. R. 9. p. 79. Ratã habens iniurioſam clerici percuſſionem ſuo nomine factam incidit in excommunicationem. ibid. n.25. p. 82. *S*ecus, ſi non fuerit facta nomine ſuo. n. 26. Ratum habens homicidium ſuo nomine factum, an incidat in irregularitatem? ibid. n.27. & ſeq.

Ratio

Eſt anima legis. Reg.88. in princ. p.455. Rationis ſimilitudo. V. *Similitudo*. Rationis identitas V. *Identitas*

Regula.

Regularum Iuris canonici in VI. quiſnam fuerit auctor? Obſeru. in *R*ubr. initio. p.1. *R*egula quid ſit ſecundum ius ciuile, & quid ſecundum ius canonicum? ibid. n.1. p.2. Regula quoad nominis ſignificationem quid importet? ibid. n.2. Regula quo pacto conſtituatur? ibid. n.3. *R*egulæ officiũ declaratur. ibid. n.5. Regulæ poteſtas varijs modis explicatur. n.6. p.3. Regula ſupponit, tanquam materiam, ius vel ſcriptum in legibus, vel mente ſignatum. ibid. n.8. p.4. Regula an ſub ſe contineat exceptiones, quas ipſamet patitur? ibid. n.9. Vbi duæ doctorum contrariæ ſententiæ ab Auctore conciliantur.

Religioſus.

*R*eligioſus, pro quo alius ſecularis pecuniã ſoluit, poteſt ſine læſione voti paupertatis ingredi ad vidẽda ſpectacula. R.13. ſub n.107. p.123. Religioſus Societatis Ieſu, ſtatim ac litteras acceptas, in quibus ſuperior dat ei facultatem egrediendi è Societate, non cenſetur amplius eſſe de Societate, & ſine noua receptione nequit iterum ingredi. Digreſſ. de Abſent. n. 52. p. 155. Religioſus vnius Religionis nequit eligi in ſuperiorem alterius. R.15. ſub n.24. p.163. Religioſus eiectus. V. *Eiecti*. *R*eligioſus promotus ad Epiſcopatum, an, & quando teneatur ad regulares obſeruantias ſuæ Religionis, ſi eæ præſertim non impediant munus Epiſcopale? R.42. n. 24. p.285. & n.32. p.288. Religioſus in ſacris cõſtitutus, & à Pontifice diſpenſatus, vt vxorem ducat, vel viuat perpetuò extra monaſterium, an intelligatur etiam diſpenſatus, vt ad horas canonicas non teneatur? *R*.42. cap.14. n.104. p.309. Religioſus, qui volens profeſſionem irritare, aſſerit, ſe tempore profeſſionis fuiſſe minorem, nec explicauit, fuerit ne minor 16. an verò 25 annis, præſumitur loquutus de ætate minori 25 annis; & ideo contra ipſum proferentem fit interpretatio. *R*. 57. n.3. p.373. Religioſus nequit ſine ſui ſuperioris licentia munus executoris teſtamentarij exercere. *R*. 84. n. 5. p.450. An ad id ſufficiat tacita ſuperioris licentia ſiue per ratihabitionem de præſenti, ſiue de futuro? R.44. à n.31. p.321. & ſeq. Poteſt tamen ſine vlla licentia conſilium executoribus teſtamentarijs præbere. d. R.84. ibid. p. 450. An trãſgrediatur votũ paupertatis, ſi vtatur re aliqua, vel de ea diſponat ex tacita licentia Superioris præſentis, & non contradicentis? R.44. à n.40. p.325. Poteſt votum de re leui validè emittere abſque ſui ſuperioris licentia. ibid. n. 47. Diſpenſatus ad beneficium curatum non poteſt eius loco obtinere beneficium ſimplex. R.53. n. 31. p. 365. Religioſus loquens cum monialibus. *V*. *Loquens*.

Remiſſio.

Remiſſio delicti non habet effectum, ſi fiat ab vno herede, inuito altero coherede. R 56. n. 13. p. 371.

Renunciatio

Intuitu religioſę profeſſionis facta, an firma maneat, ſi profeſſio irrita declaretur, poſtea vero rata habeatur, vel potius ſimul cum profeſſione debeat quoque ipſa ratificari? R. 42. cap. 3. per tot. p. 279. Expeditur quoad hoc doctrina, *Sanchez in decalog. lib.* 7. & eximitur à contradictione. ibid. n. 14. *R*enũciatio intuitu *R*eligionis facta irritatur declarata profeſſione nulla. ibid. n. 13. In dubio an pręſumatur facta intuitu *R*eligionis? ibid. Renunciatio debet fieri à Nouitio ſaltem bimeſtri proximo ante profeſſionẽ faciendam. ibid. n. 20. p. 283. Secus eſt in Nouitijs Societatis Ieſu. ibid. *R*enunciatio euaneſcit, ſi Nouitius ante completum annum probationis è religione egrediatur. ibid. n. 21. An recõualeſcat, ſi fuerit facta tempore habili, & Nouitius legitimè peregerit totum Nouitiatum, ſed antequam emittat profeſſionem, è religione egrediatur, & poſtea iterum ingrediatur. ibid. n. 22. p. 284.

Res.

Res aliqua ad nos pertinere dici poteſt, vel ratione dominij, vel iuris, vel adminiſtrationis. *R*. 59. n. 2. p. 188. Res in iure ſumitur etiã pro adminiſtratione, controuerſia, ſententia, iudicio, facto, patrimonio, &c. ibid. n. 1.

Reſciſſio.

Reſciſſionem contractus petens non ideo fatetur, eum validum eſſe. R. 63. n. 2. p. 385.

Reſcriptum

Sumi poteſt vel largè, vel ſtrictè, ſeu vel generaliter, vel minus generaliter, vel ſpecialiter. R 37. n. 26 p. 234. Reſcriptũ gratię ſi ſit ſurreptitium in aliqua tantum parte, an, & quando totũ vitietur? ibid. cap. 4. per tot. Quid in reſcripto diſpenſante pro contractione matrimonij tum in voto caſtitatis, tum in conſanguinitate, an totum vitietur, ſi fuerit quoad vnam tantùm partem ſurreptitium? ibid. a n. 27. & ſeq. Reſcriptum ſecundum non eſt neceſſe, vt faciat mentionem de primo, quod ex aliquo capite effectum non habuit. R 52. n. 5. p. 353. Reſcriptum, quod iuxta datam eſt prius, an pręualeat alteri ſimili reſcripto, quod ſecundũ in tempus ſignatę ſupplicationis eſt poſterius? *R*. 54. n. 7. p. 367.

Reſidentia. V. *E*piſcopus & Parochus.

Reſidentia Epiſcopi in ſua diœceſi debet intelligi moraliter, & ciuiliter, non mathematicè; propterea non diceretur abeſſe *E*piſcopus, ſi ad breue tempus diſcederet. Digreſs de Abſentia n. 26. p. 146. & ſeq. Reſidentia in propria Eccleſia, ad quam tenetur quilibet animarum rector, non ſolum eſt de iure poſitiuo, ſed etiã de iure naturali. ibid. n. 25. p. 149.

Reſolutio

Reſoluto iure datoris, reſoluitur ius acceptoris. R. 79. nu. 6. p. 442.

Reſpublica

Non debet locupletari cum iactura priuatorum. *R*. 48. nu. 12. p. 336.

Res *ſacra*

Stipulari nequit; nec ſi poſtea fiat profana, ſtipulatio conualeſcet. *R*. 18 n. 8. p. 188.

Reſtitutio in integrum.

A minore obtenta non prodeſt eius aduerſario, inuito ipſo minore, qui non vult amplius ea vti. R. 61. n. 3. p. 380.

Retentio

Fauorabilior eſt quam petitio, præſertim quando actor ſolum agit contra retinentem, petendo ab eo id, quod ſuum non fuit, ſed ſibi deberi intendit. Reg. 71. num. 2. pag. 400. & ſeq.

Reuocatio.

*R*euocatio priuilegij, ſeu beneficij iã conceſſi, ſi abſque cauſſa fiat, illicita eſt, & peccaminoſa ſiue grauiter, ſiue leuiter iuxta occurrentes circumſtantias. R. 15. ſub n. 4. p. 182. V *Princeps. Priuilegium.*

Reus.

*R*eus in iudicijs (qui etiam dicitur conuẽtus) ille eſt, qui ab aliquo prouocatur, & cõuenitur, vt coram iudice defenſiones ſuas proponat. *R*. 11. n 1. p. 84 Reo in obſcuris fauendum eſt potius, quàm actori, & quare? R. 11. per. tot. p. 84. & n. 4. & 5. p. 85. An id ſemper procedat tum in principio, tum in medio, tum in fine litis? ibid. n. 10. & R. 32. a n. 5. p. 208. Et quid in probationibus obſcuris? ibidem Reg. 32. nu. 6. Reo fauendum, etiam ſi ipſe in aliquo actoris partes ageret, puta ex remedio *L. diffamari.* C. *de ingen. & manumiſſis* d. *R*. 11. n. 6. p. 85. Item quamuis pro actore concurrerent teſtes clariores, vel digniores n. 7. ibid. Item quamuis actor ſit in poſſeſſione juris, de quo agitur n. 8. Item, etiam ſi *R*eus ſola poſſeſſione fruatur, & nullum ius habeat. ibid n. 9. *F*allit tamen fauore piæ cauſa, pro qua in obſcuris interpretatio fieri debet, contra Reũ. ibid. n. 12. p. 86 Vel fauore animę, pro qua aduerſus *R*eum fit præſumptio. n. 13. *V*el quando iudicis iuriſdictio eſt dubia, quo caſu non magis *R*eo, quã actori fauẽdum eſt. ibid. n. 14. Itẽ fallit in criminalibus, in quibus contra *R*eum ferri debet ſententia, ſi delictum conſtet ibid. n. 23 p. 87. *Reo* permitti debet omne id, quod actori conceditur *R* 32. n. 1 p. 208 *R*eus nequit accuſatorem ſuum reaccuſare ibid. n. 7. p. 209. *R*eus excipiẽns aduerſus actorem de excommunicatione debet exprimere ſpeciem excommunicationis, in quã

actor

actor incurrerit; & quomodo id intelligatur? R. 49.n.13.p.339. *Reus* iuridicè interrogatus an, & quãdo poſſit licitè æquiuocare? *R*.72.ſub n.36. p.415.

S

Sacerdos.

De feſtiuo celebrans ſine miniſtro inſeruiẽte, an excuſetur, ſi nemo reperiatur, qui miniſtrare poſſit? R.7.n.76.p.75. Sacerdos ſine licẽtia exercens medicinã, ſeu chirurgiã, &c. cẽſetur ſeſe immiſcere rei ad ipſum non pertinenti, quãuis eius facultatis peritus ſit. R.19 n.3.p.188.

Sacramenta.

*S*acramenta nouæ legis an poſſint fieri ſub conditione ſuſpẽſiua? *R*.50.cap.3.per tot.p.345. An ſub conditione de præſenti, aut de præterito? ibid.n.35 & ſeq *I*nualidè collata debent iterum conferri. R 52.n 7.p.353.

Salarium. V. Stipendium.

Satisfactio ſacramentalis. V. Pœnitentia.

Scholares

Abſentes cauſſa addiſcendi poſſunt percipere fructus ſuorum beneficiorum per quinquenniũ. Digreſs. de Abſent. n.36. p.150.

Scire.

Scire quiſque tenetur ea, quæ pertinent ad proprium ſtatum, & officium. *Re*g. 13. n. 30 & 34. p.97. *S*cire, & debere ſcire interdum parificantur apud auctores, & quomodo id intelligatur? ibid.nu. 55. p. 106.

Scribens

*S*cribens epiſtolam ad monialem an, & quãdo incidat in cenſuras latas contra loquentes ſine licentia cum monialibus? Reg. 72.n. 61.p. 427.

Sententia

Sententia, qua Titius ab vno iudice ſecundùm maiorem, ab altero autem ſecundùm minorem ſummam fuit condemnatus regulari in executione debet iuxta ſummam minorem. *R*. 30. n.28. p. 205. *I*n dubijs pro reo ferenda, & obſcura pro eodem interpretanda. R. 11. nu. 5. p. 85, & R. 32. n. 5. p. 209. In dubijs pro fiſco ferenda. R. 32. n. 4. p. 208. Intellige in ciuilibus, ſecus in criminalibus, & in cauſſis lucrarinis ex crimine procedentibus. ibid. Sententia an tota ſit nulla, ſi procedat de maiori ſumma, quam ſit debita? R. 37. à n. 32. cap. 6. per tot. p. 236. Sententia eſt indiuidua. ibid. n. 32. Sententiam arbitri ſi quis impugnat, nequit eam pro ſe allegare. R. 38. nu. 5. p. 262. Obſcura declarari debet à Iudice, qui eam tulit, ſi ſit Iudex maior; ſecus ſi minor *R*. 57. n. 10. pag. 374. *I*ntellige de ſententia diffinitiua; nam interlocutoria poteſt a Iudice, qui eam tulit, ſiue maiore, ſiue minore, declarari. ibid. *S*ententia obſcurè lata à delegato poteſt declarari ab eo, cuius ipſe eſt delegatus. ibid. *L*ata contra pupillum ſine tutoris auctoritate eſt nulla; ſecus verò ſi fuerit lata in fauorem pupilli. *R*. 61. nu. 2. p. 379. Contra legem eſt, proceſſum formari contra impuberem, & minorem, & ſententiã differri, vt feratur contra eumdem factum maiorem. *R*. 88.n.12. p. 456.

Sepultura

Sepultura eccleſiaſtica, an dari poſſit mortuo, qui, dum viuebat, priuilegium habebat aſſiſtendi diuinis officijs tempore interdicti? *R*.42. à n. 44. & ſeq. p.291.

Seruitus

Seruitus itineris quid ſit, & quomodo differat à ſeruitute actus? *R* 80. nu 8 p. 445.

Seruus

*S*eruus à domino hæres inſtitutus, acquirit libertatem. R. 18. nu. 5. p. 187. Eſt incapax legati. ibid.nu. 4. Limita in legato alimentorum. n. 6. Serui, ſeu mancipia Eccleſiæ nequeunt abſolutè cum mancipijs laicorum permutari; & ſi permutantur, libertatem conſequuntur. R. 51. nu. 8. p.349. *S*eruus neſciente domino ad ſacros ordines promotus tali ordinatione non obſtãte eſt domino reſtituendus. ibid. nu. 10. Intellige infrà annum, qui pro domino incipit à die ſcientiæ. ibid.

Significatio

Significatio verborum præcipua ea dicitur, quæ propria eſt, & communi vſu recepta. R. 15. nu. 12. p. 158 Alia eſt ciuilis, quæ habetur ex iuriſfictione; alia verò ab aliquibus vſualis appellatur. ibid. n. 13.

Silentium. V. Tacens. Taciturnitas.

Similitudo.

Similitudo rationis, quid ſit, & quomodo differat ab identitate rationis? R.15.n.23. & 29.p.162.

Simonia

Simonia, quam electus committit cum vno ex electoribus, an vitiet totam electionem, quãuis reliquorum ſuffragia ſufficiant ad ipſius electionis concluſionem? R 37.cap.9.per tot.à n. 43.p.240. Commiſſa inter collatorem, & eum, qui beneficium accipit, an reddat irritam collationem beneficij, ſi ſolus collator de ipſa ſimonia notitiam habet, & prouiſus eam inculpabiliter ignorat? ibid.cap.10.per tot.à n.46. p. 240.

Socius

*S*i recedere vult è domo, quam in ſolidum cum altero ſocio conduxit, an poſſit inuito eodem ſocio alteram perſonã loco ſui ſubrogare, vt ibi habitet? R.56.n.2.p.369. *S*i domus fuerit

æquè

ęquè principaliter, & in ſolidum ad habitandũ cõducta, an teneatur ſub lethali culpa prohibere, ne alter ſocius meretricem illuc ad fornicandum introducat? ibid.n.7.p.370. Socius nõ poteſt ædificare in communi fundo, vel domo inuito altero Socio. ibid. n.9. Nec rem communem meliorare. ibid.n.10. Secus verò, ſi res, quã Socius in re communi facere intendit, ſit neceſſaria, vel ſi melioramenta proprijs ſui ipſius ędificantis expenſis facere velit. ibid. An poſſit ſepelire aliquem in loco communi, inuito altero Socio? ibid.n.14.p.371. Socius ſibi imputet, ſi parum diligentem Socium aſſumpſit R.86.n.2.p. 452.

Species

Quid ſit apud Iuriſtas, & quomodo ſumatur? R.30.n.11.p.201.& R.34.n.2.p.212. Species derogat generi. R.34.per tot p.213. Siue ipſa ſpecies pręcedat, ſiue ſubſequatur. ibid.n.6. Siue in eadem, ſiuè in diuerſa Scriptura. n.21. ibid.p. 216. Derogat generi in legatis, & in quibus caſibus? ibid.n.7.& ſeq. Minus vniuerſalis derogat ſpeciei vniuerſaliori ibid.n.18. Species derogat generi in contractibus. n.22. In ſtatutis. n.23. in reſcriptis, ſeu mandatis n.25. In legibus n.24. An autem deroget generi in priuilegijs? ibid. n.26. Species ſumi poteſt in ordine ad cauſſam, ad perſonas, ad tempus, ad pœnam, & ad deciſionem. ibid.n.19.

Spoliatus.

In profanis, ſi petat reſtitui in ſuam poſſeſſionem, non tenetur oſtendere titulum, ſecus in ſpiritualibus. R.1.n.27.p.10. Spoliatus ãte omnia reſtituendus eſt in ſuam poſſeſſionem, quamuis ille, qui excipit, paratus ſit ius ſuum probare. R.69.n.8 p.377.

Sponſalia.

A minoribus contracta ante ſeptennium, ſi malitia non ſupplet ætatem, ſunt adeo nulla, vt nec cõualeſcant, poſtquã contrahẽtes ad pubertatẽ peruenerint. R 18.n.1.p.186.& R.52.n.6 p. 353 Sponſalia, quę vel pater, vel mater, vel auus contrahit pro filijs, aut nepotibus pręſentibus, & tacentibus an, & quando ſint valida? R 43. cap.2. per tot. p. 314 Quid ſi pro pupillo contrahat tutor, vel pro adulto curator? ibid. n.20 Quid ſi contrahat extraneus? ibid.n.21. Sponſalia cõtracta a parentibus nomine filiorũ impuberũ debẽt poſtea ab ipſis adultis ratificari. ibid.n.11. Nulliter contracta à Titio cũ puella, quę non adhuc attigit ſeptimum ętatis annum, an pręſtent impedimentum publicę honeſtatis, ita vt Titius nequeat poſtea contrahere cum conſanguinea prędictę puellę? R 52.n.6.p.353.

Statutum.

Statutum, ſiuè Epiſcopale, ſiuè Pontificium an, & quando liget ignorantes? R.13.n.91 & 92.p. 118. Statutum prohibens exportari vinum extra ciuitatem ſub pœna aliqua, vel ſub onere ſoluendi vectigal, an comprehendat exportationem muſti? R.15.cap.10.per tot.n. 60. p. 175. Prohibens extractionem frumenti, an comprehendat farinam? ibid.cap. 11.n. 64. & ſeq.p.176 Statutum diſponens, quod extantibus maſculis non ſuccedat ſoror, intelligitur, etiam ſi vnus tantum maſculus naſcatur. R.40.n. 15.p.270.

Stillicidium.

Perpetuum dicitur, quamuis quotidiè nõ ſit, dummodo perpetua ſit cauſſa. Digreſſ.de Abſent.ſub n.26.p.146.

Stipendium.

Promiſſum medico, vel tonſori, vel alteri inſeruienti religioſæ familię, debet augeri, ſi numerus religioſorum augeatur, vel minui, ſi notabiliter minuatur. R.30.n.24.p.202. Indefinitè promiſſum in quanam quantitate ſolui debeat, maxima, minima, an mediocri? ibid.n. 26. An debeatur famulis, vel operarijs, ſi per eos non ſtet, quominus debita ſeruitia pręſtẽt? R 41.n.3.p.272. An debeatur famulo ęgrotanti? ibidem.

Stipulatio.

Stipulatio, quę ſit de re ſacra eſt nulla, nec conualeſcit, etiam ſi talis res poſtea fiat profana. R.18.n.8.p.188. Stipulatio poteſt fieri, aut purè, aut in diem, aut ſub conditione. R.25.n. 3.p 193.

Studioſitas. V. Virtus. Studioſitatis.

Subditus.

An, & quando poſſit imò debeat non obedire iudici, vel ſuperiori? R.24.ſub n.1.p.192. An teneatur obedire principi ſæculari indicenti bellum? ibid.

Subrogatus.

Subrogatus in officium, & iuriſdictionem propter abſentiam alicuius an poſſit perſeuerare in eodem officio, ſi moriatur ille, in cuius abſentis locum fuit ſubrogatus? Digreſſ.de Abſent.à n.40.& ſeq.p.151.& ſeq.

Suburbia.

An veniant appellatione ciuitatis in pœnalibus, & odioſis, puta in materia interdicti? R.15. n.17 p.160.& R.49.n.14.p.339.

Succeſſio.

Quid ſit, & quotuplex? R.46.n.1.p.330.

Succeſſor.

Sucèſſor ſiue vniuerſalis, ſiue particularis iuſtam habet ignorantiæ cauſſam. R. 14.per tot. p.139 Amplia ad ſucceſſorem in lite pendente, qui præſumitur ignorare ſententiam latam aduerſus ſuũ anteceſſorem. ibid.n.2. Limita in facto alieno, quando agitur de re, quã ſucceſſor ſcire tenetur. ibid.n.5. Item, quando agitur de facto

cap;

Digitized by Google

captando, quia tūc præſumitur ſcientia. ibid. n. 7. *S*ucceſſor quiſnam dicatur in iure? *R*. 46. n. 1. & 2. p. 330. & ſeq. Alius dicitur vniuerſalis, alius particularis. ibid. Succeſſor ſubit in vniuerſum ius illius, in cuius locum ſuccedit. R. 46. n. 3. & 4. p. 331. Succeſſor illius, qui contra iura emit, præſumitur bonam fidem habere. *R*. 82. n. 8. p 449. Succeſſor tenetur ſeruare conuentiones cum alio factas à prædeceſſore defuncto. R. 46 n. 5. p. 331. Conueniri debet coram iudice defuncti, ſi lis erat cæpta. ibid. n 6. Poteſt conueniri vigore reſcripti obtenti cōtra prædeceſſorem defunctum n. 8. tenetur ad pœnas pecuniarias, ad quas tenebatur prædeceſſor. n. 9. Succeſſor particularis repręſentat prędeceſſorem in re illa particulari. ibid. n. 10.

Superior Regularis.

*S*uperiorum *R*egularium nomine, quinam comprehendātur? *R* 44. ſub n. 31. p. 326. *S*uperior *R*egularis poteſt irritare non ſolum indirectè ex parte materię, ſed etiam directè omnia vota à proprijs ſubditis emiſſa, exceptis votis ſubſtantialibus religionis. R 44 n. 43. p. 327. Si taceat, & non contradicat, quando agnoſcit emitti aliquod votum à ſubdito, an videatur tacitè licētiā dare, ita vt nequeat poſtea tale votum ſine cauſſa irritare? ibid à n. 43. & ſeq Et an ſaltem requiratur internus conſenſus ipſius ſuperioris? ibid. n. 45. & an talis conſenſus in dubio præſumatur? n 53. ibid p. 329. Ad hoc vt non dicatur approbare, an debeat ſtatim contradicere, quando agnoſcit à ſubdito votū emitti? ibid. n. 51. p. 328. & ſeq. *P*oſtquam approbauit votū à ſubdito emiſsū an poſſit illud validè irritare: & an peccet irritādo? ibid. n. 54. in fin. Superior ſuccedens an poſſit validè, & licitè irritare votum à ſubdito emiſſum cum licentia ſuperioris prædeceſſoris? ibid. p. 330.

Surreptio.

Quæ cōtingit in vna tantum parte reſcripti, an totum reſcriptum vitiet? *R* 37. n. 26. c. 4. per tot p. 234. Surreptio poteſt eſſe, vel circa cauſſam finalem, vel circa impulſiuam. ibid. n. 27. p. 235.

Suſpicio.

*E*ſt minor pręſumptione. R 8. n. 11. p 77. Quid ſit, & quomodo differat ab opinione? nu. 12. ibid. *S*olet quandoque confundi cum opinione n. 13 Quomodo differat à præſumptione, indicio, coniectura, & ſigno? ibid. n. 14.

T

Tacens.

AN, & quando videatur conſentire, & acceptare? R. 43. & 44. à n. 1. & ſeq. p. 311. & ſeq. In iudicialibus pręſumitur conſētire, etiam quoad ea, quæ ſunt ipſi præiudicialia. Item fauore Pupilli, Reipublicę, & piæ cauſſæ. ibid. n. 9. p. 313.

Tacitum.

Taciti, & expreſſi eadem eſt virtus. R. 15. n. 45. p. 170. *F*allit, quando agitur de irritando actu, quia tunc plus operatur expreſſum. *R*. 50. n. 17. p. 343.

Taciturnitas.

Propriè eſt quid medium inter expreſſum cōſenſum, & expreſſum diſſenſum. R 43. & 44. n. 1. p. 311. Quandonam indicet conſenſum, & quādo diſſenſum? ibid. cap. 1. per tot. & n. 9 Taciturnitas ſuperioris agnoſcentis votum à ſubdito emitti. V. *Superior Regularis*. Taciturnitas *S*uperioris, vel *P*arochi. V. *Licentia tacita*.

Tempus

Requiſitum ad præſcriptionem eſt multiplex, nēpè longū, longiſſimum, centenarium, & immemorabile. R. 2. & 3. c. 1. n. 18. 19 p. 14. Tēpus ex ſe non eſt ſufficiens ad tollendam, vel ponendam obligationē. R. 18 in princ p. 186. Tēpus habile, ſeu licitum an, & quando ſeparari poſſit ab inhabili, vel illicito *R*. 37. n. 6. p. 229. Quomodo cognoſcatur huiuſmodi temporum ſeparabilitas? n. 7. ibid.

Teſtamentum

Conditum ab impubere, vel amente, etiam ſi poſtea, vel pubeſcat teſtator, vel reſipiſcat, non validatur. R. 18. n. 2. p. 186. Teſtamentum ſi quis impugnat, nequit illud in ſuum commodum allegare. R. 38. n. 3. p. 262. Fallit, ſi eum, qui impugnat, ante ſententiam pœniteat. ibid. n. 7. Tempore peſtis non requirit neceſſariò ſeptē teſtes ſed minor numerus ſufficit. R. 78. n. 6. p. 441.

Teſtis.

Teſtis depoſitio aſſerentis aliquem poſſediſſe, aut reſediſſe non vitiatur, licet ille aliquo interuallo nō reſederit, nec poſſederit. Digreſſ de Abſtia ſub n. 26. p. 147. Teſtis in vna tantum depoſitionis parte falſum aſſerēs, an totum cauſſæ proceſſum vitiet? R. 37 c. 5 per tot. p. 236. Teſtis depoſitio nullatenus prodeſt ei, qui teſtem ipſum impugnat. R. 38. n. 6 p. 262. Teſtis ſi primo inualidè ex aliquo capite depoſuerit, poteſt iterū validè deponere, quāuis hæc ſecunda depoſitio ſit primæ contraria. R 52. n. 4. p. 353. Teſtis examinandus de aliquo graui negotio, ſi ſit in extremo vitæ conſtitutus, & periculū ſit in mora, poteſt etiam a Notario ritè examinari abſque alia licentia, ſeu cōmiſſione iudicis, & tale examē aliquem faciet in iudicio probationem. R. 78. n. 5. p. 440. Teſtes, ſi obſcurè depoſuerint, facienda eſt interpretatio contra eum, qui illos produxit, ſiue ſit Actor, ſiuè Reus. *R* 57 n. 6 p. 374. *I*ntellige in ciuilibus, ſecus in criminalibus ibid. n. 7. Teſtes in teſtamento non eſt neceſſe, vt videāt oculis proprijs teſtatorem, quando teſtamentū conderetur à perſona contagioſa in loco infecto. R. 78. n. 6. p. 440.

Titulati quoad Bullam Cruciatæ.
Vide Dominus Vaſſallorum,

Totum.

Totum in ſe continere partes, non eſt dubiũ. R 80.per tot.p.444.Amplia ſiue partes ſint originales, & ſubſtantiales, ſiue voluntariæ, & accidentales.ibid.n.4.p.445.Item ſiue agatur de rebus corporalibus,ſiue de incorporalibus.ibid. n.5.*I*tem tum in diſpoſitionibus affirmatiuis, tum in negatiuis, tum in odioſis, tum in fauorabilibus.ibid.n.6 & 7. Totum quid, & quotuplex ſit, & quid eius partes? ibid.cap.1 per tot, p.444.

Transferre.

Transferre nemo poteſt in alium plus iuris quàm ipſe, ſiue verè, ſiue interpretatiuè, ſiue actu, ſiue in potentia habet. *R.*79.n.7.p.442.

Trebellianica.

Aequiparatur in iure cum *F*alcidia, & diſpoſitum in vna militat in alia.R.15.n.38.p.167.

Tutor.

Tutor electus habet de Iure communi dilationem quinquaginta dierum ad proponendas excuſationes, & quid ſi moratur in alia ciuitate diſtanti? R.15.ſub n.16.p.160. Tutor teſtamẽtarius poteſt dari in diem, vel ſub conditione, ſecus verò datiuus; & quare? R.50.n.30.& ſeq. p.345.Tutor neque per ſe, neque per interpoſitam perſonam poteſt emere res pupilli.R.67.n. 1.p.393.

Typographia.

Quo anno initium habuit? R.15.ſub n.76.p. 180.

V

Variatio.V.Mutatio,

Venditor.

NOn tenetur in venditione notitiam dare emptori de defectibus, vitijs, & oneribus rei venditæ, ſi ipſe emptor ea aliunde ſciebat; ſecus verò, ſi ignorabat; alias teneretur ad intereſſe.R.31.n 5 p.207.Vendens domum contiguam cum alia, quam ſibi retinuit, ſi in cõtractu venditionis hoc pactum apponat [Stillicidia, vt nunc ſunt, eodem modo remaneant in futuro] intelligitur ſeruitutem appoſuiſſe domui non venditæ, quæ apud ipſum manſit.R. 57.n.4.p.373 Vendens pluris frumentum, cuius pretium ſciebat, quamprimum minuendum fore per edictum iam iam publicandum, an talis edicti transgreſſor dici debeat? & an peccet in foro conſcientiæ, & quonam peccati genere? R.88.cap.2.per tot.p.456.

Venis.

Quot modis ſumatur? R.4 & 5.cap.1,nu. 3. p. 28.

Verba.

Vel ſignificant propriè, & naturaliter, vel ciuiliter ex Iurisfictione, vel vſualiter ex communi vſu.R 15.n.12.& ſeq p.158.Ad quã ſignificationem extendi poſſint in fauorabilibus? n.15.ibid.An, & quando poſſint impropriari? ibid.n.16.Quotupliciter reſtringi poſſint in odioſis? n.18.p.160.& ſeq.*A*n ſint in odioſis extendenda ad ciuilem ſignificationem, vel potius reſtringenda tantum ad naturalem, & quomodo? ibid.n.19.& ſeq.Verbum, *Debet* neceſſitatẽ importat.*R.*16. n.1.p.181.Verbum,*Negotia*, explicatur ſiue vnum, ſiue plura ea ſint.R.40. n.17 p.270.Verba *Dominus vobiſcum*,a Sacerdote celebrante prolata verificantur, etiam ſi nullus præter miniſtrum Sacro interſit.ibid.n. 21.Verba comminatoria in legibus an importẽt ſententiam latam, an verò ferendam?*R.*49.n 2. & ſeq.& n.6.p.337.& ſeq *E*t quid in contractibus?ibid.n.3.Verba obſcura in libello, ſeu petitione pro actore ſunt interpretanda, ſecus verò in progreſſu cauſæ, nempè in probationibus, replicationibus,&c.R.57.n,8.p.374 & R.32. per tot.p.207.Verba obſcura quomodo interpretãda ſint in iudicijs? R.57.n.6.7.& ſeq p.374.& ſeq.Quid in ſententijs? n.10.Quid in contractibus?n.11.Quid in vltimis voluntatibus? ibid.n. 13.p.275.Verba legis violari quandoque poſſunt, vt mens ſeruetur.R.88.n.14.p.456.

Veriſimile

Quodnam dicatur? R.30.n.5.p.199.Veriſimilitudo ex quibus capitibus ſit deſumenda? ibid. n.6.

Vicarius.

Vicarius generalis ſtante generali facultate ſibi à ſuo Epiſcopo conceſſa nequit in ea dœceſi, in qua eſt Vicarius, exercere Epiſcopalia, quãuis ſit Epiſcopus alterius diœceſis.R. 81.n.4. p. 447.

Vinum.

Vini appellatione an veniat muſtum? *R.*15. n 60.p.175.Vinum non conſecratum additum conſecrato non mutabitur vi additionis in ſanguinem Chriſti.R.37.n.85.p.254.

Viri.

Virorum appellatione, licet propriè ſignificentur maſculi, quandoque tamen veniunt fœminæ, ſi materia ſexui congruat.R.15.n.55.p. 173.

Virtus.

Virtus ſtudioſitatis quid pro obiecto reſpiciat, & quodnam ſit ejus munus? *R* 13.n.34.p 99. & 100.

Vltima Voluntas.

Vltimæ voluntatis nomine quanã diſpoſitiones comprehendantur? R.6.n.24.p.52 Vltimæ voluntati ſi adijciatur conditio impoſſibilis, an
ſi

& quando valida maneat diſpoſitio, tali conditione reiecta? ibid. cap 4. per tot. p. 52. & ſeq.

Votum

Voti à ſe emiſſi oblitus, ſi illud frangat, an teneatur ad pœnam? R. 13. cap. 12. per tot. nu. 113. p. 125. Votum, quia eſt lex priuata, non aliter obligat, quàm lex publica. ibid ſub nu. 115. Votum debet eſſe voluntarium, vel formaliter, vel virtualiter; nec ſufficit eſſe volitum interpretatiuè ratione cõnexionis cum actione exercita. R. 13 ſub n. 124. p. 128 Votum de materia partim apta, & partim inepta an, & quando totum vitietur? R. 37. c. 11. per tot p. 242. Votũ caſtitatis ſine coniugis licentia poſt contractum matrimonium licitum eſt quoad petitionem debiti coniugalis, ſecus quoad redditionem. R. 37. ſub nu. 55. p. 244. *Si* verò fuerit abſolutè, & ſimpliciter factum non tenet inuito altero coniuge. R 56 n. 11. p. 371. Votum ædificandi *E*cleſiam, vt ibi celebrentur diuina, eſt vnum, & indiuiduum. ibid Votum plurium rerum, an, & quando præſumatur diuiduum, vel indiuiduũ? *R*. 37. nu. 57. p. 244 *E*t quid in dubijs? n. 58. Votum non præſumitur inane, & fruſtatoriũ, ibid. ſub n. 63. p 246. Votum, quod emittunt aliqui religioſi in ſua religione de non petenda, aut acceptanda dignitate extra religionem, cuiuſmodi ſunt profeſſi Societatis Ieſu, obligat, etiã ſi religioſus migret in aliam religionem, vel expellatur. R. 42. n. 36. p. 289. Votum caſtitatis inter religioſi ſtatus eſſentialia numeratur. *R*. 51. nu. 12. p. 350. Votum à religioſo emiſſum, an, & quando poſſit à ſuperiore validè, & licitè irritari? V. *Superior Regularis*. Votum de re leui á Religioſo emiſſum abſque Superioris licẽtia eſt validum, licet ſuperior poſſit illud poſteà irritare. *R* 44. n. 47. p. 326. Votum, licet in eadem re iunctum ſit cum iuramento, poteſt tamen vigore Bullæ Cruciatæ commutari. R. 53. nu. 19. p. 361. Votum an, & quando poſſit a vouente impleri per aliam perſonam ex conſenſu, & nomine ipſius vouentis? R. 72. cap. 5 per tot. p. 411 Et quid ſi ſit votum merè perſonale, v. g. Votum recitandi officium diuinum? ibid. n. 29. & 30. Votũ aliud eſt merè perſonale, aliud reale, aliud mixtum, ibid. nu. 29. Votum poteſt commutari auctoritate ſola ipſius vouentis in euidenter melius, ſeu iuxta probabilem opinionem in euidenter æquale, niſi ſit in materia Pontifici reſeruata. ibid. nu. 31. Reale poteſt commutari in perſonale, & è contra ibid. Votum perſonale à Petro emiſſum, v. g recitandi ſemel diuinum officium intuitu tantum diuini cultus, an poſſit commutari in celebrationem *S*acri, peragendi tamẽ a Paulo ſacerdote loco officij, quod ipſe Petrus recitare debebat? ibid. nu. 32. p 412. Votum dandi eleemoſynam poteſt impleri ab alia perſona, quæ de proprijs pecunijs talem eleemoſynam eroget, dummodo det illam nomine vouentis. ibid.

Vouens

Vouens donare calicem an ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi illum donet ex materia inferiori, quam ſit aurea, vel argentea? R. 30. n. 29 pag. 205. Vouens ieiunare v. g. tempore Aduentus dominici, quamuis ratione infirmitatis non valeat per aliquos dies ieiunare, tenebitur tamen reliquo tẽpore, ſi ceſſet infirmitas. R. 37. ſub n. 55. p. 244. Vouens confeſſionem ſacramentalẽ tali determinato die, ſi eo die non habeat copiã confeſſarij, non tenetur vi voti elicere actum doloris. ibid. Vouens ieiunare pluribus diebus, vel recitare aliquas orationes indeterminate, ſatisfaciet ſuæ obligationi, ſi duos tantum dies ieiunet, vel duas orationes recitet. R. 40. nu. 8. p. 268 Vouens ſub diſiunctiua, vel caſtitatem v. g. perfectam, & abſolutam, vel ieiunium bis in ſingulis hebdomadis toto vitæ tẽpore, poteſt eligere quam partem velit, etiamſi altera pars non electa ſit in materia reſeruata. R. 70. nu. 7. p. 399 Et an huiuſmodi votum poſſit idcircò virtute Cruciatæ commutari? ibid. Vouens ſub diſiunctiua vel hoc, vel illud, facta electione vnius, an poſſit variare, & eligere alterũ? ibid. n. 8. p. 400. Vouens non ludere, ſi poſtea pecuniã alteri tradat, vt ludat nomine ipſius vouentis, an, & quando faciat contra votum? R. 72. nu. 46. p. 420.

Vſucapio. V. Præſcriptio.

Quid ſit? R. 2. & 3. nu. 17. p. 14. Vſucapio, & præſcriptio conueniunt primariò actuali acquiſitioni dominij, & etiam continuatæ poſſeſſioni eiuſdem rei. ibid. Vſucapio non habet locum in eo, qui etiam bona fide poſſidet rem alienã, vel furto ſublatam; ſemper enim verus dominus poterit eam vindicare. *R*. 79. nu. 4. p. 442.

Vſurarius

Nequit petere á debitore vſuras, ad quas eidem reſtituendas cogi poſſet. R. 69. nu. 2. p. 377. Quid ſi debitor promiſit eas ſoluere cum iuramento? nu. 3. ibid. Vſurarius contractus. Vide *Contractus*.

Vſusfructus.

Quid ſit, & quotuplex? R. 79. nu. 8. p. 443. Quamuis ex ſe ſit indiuiduus, recipit tamẽ diuiſionem quoad commoditatem, & vtilitatem percipiendi fructus; hinc ſuccumbens in petitione totius vſusfructus nequit poſtea partem illius petere. *R*. 80. nu. 5 p. 445.

Vtile

Vtile per inutile non debet vitiari. *R*. 37 per tot. p. 227. Intellige, in ijs, quæ ſunt ſeparabilia; ſecus verò in indiuiduis, & inſeparabilibus. ibid. n. 1. Vtile, & inutile ſumitur quandoque pro

poſ-

poſſibili, & impoſſibili. ibid. Vtile quodnam dicatur? ibid. nu. 2.

Vtilitas

Vtilitas euidens, & neceſſitas in iure æquiparantur quo ad omnes effectus. R. 78. n. 9. p. 441.

Vulnerans

An, & quando habeatur pro homicida? R. 30. n. 8. & 16. p. 200. & 202.

Vxor.

Vxor clerici coniugati, an gaudeat priuilegio fori? R. 7. n. 23. p. 62. Vxor poteſt cõmunicare cũ marito excõmunicato. R. 15. n. 37. p. 167. Vxor, facto diuortio, petens dotis ſuæ reſtitutionem à marito, qui exceptionẽ de adulterio ab ea commiſſo cõtra ipsã opponit, ſi replicet de lenocinio viri, nõ ideò fatetur, ſe adulterii patraſſe. R. 63. n. 6. p. 385.

FINIS

ERRORVM CORRECTIO

PAG.	COL.	LIN.	ERRATA	CORRIGE
38	1	penul.	noua	nona
71	2	11	conformis	conforme
80	2	34	geſt.	geſtum
108	1	43	commiſſum	commiſſo.
112	1	31	ab implicito) volitum)	ab implicite) volito)
144	1	13, & 42	poſſe illud	poſſet illud
159	1	45	te	late
167	1	35	ſit	ſit
ibid.		54	excommunicatiō	communicatio
170	2	41	reſpicit	reſpuit
187	1	30	pœniteant, &	pœnitentes
196	2	31	ſententiam	ſententia
205	2	54	paternæ	patenæ
209	2	28	iure	ſure
225	2	42	malum	malus
235	1	1	eaſdem	eamdem
239	2	37	minuantur	minuatur
252	2	23	conſeruatum	conſecratum
263	2	14	prohibitio	prohibito
277	1	12	tetinens	renitens
287	2	34	permittitur	promittitur
305	1	52	legat.	legatum
319	2	1	& idem	Secundò, quia idē
325	1	57	aſſiſtens	aſſerens
340	2	56	additio	aditio
342	1	52	additio	aditio
359	2	57	quod	apud
391	1	38	quo qualibet,	pro qualibet
392	1	10	euenit, vt	euenit, quod
393	2	13	facilis negotio	facili negotio
403	2	20	proficiente	profitente
407	2	2	internus	intentus
418	1	50	cauſam meram	cauſam moralē
426	1	10	Vrbano	Vrbani
431	2	12	dicor	dico
433	2	51	Hæc ſunt	Hæ ſunt
435	2	52	conſtitutos) in ſacros)	conſtitutos } in ſacris }
444	2	34	conſtitit	conſiſtit
450	1	33	Hæc autem prohibitio	(Hanc autem prohibitionem
454	1	33	obſeruari	obſerari
456	2	penul.	ei principe	à principe.

Grauiora hic Typographi errata neceſſariò aduertenda putauimus; leuiora autem, ſi quæ fortaſſe erunt, prudens Lector facile corriget.

LAVS DEO.

Digitized by Google